D. GREGORII ROSIGNOLI NOUARIENSIS ... TEOREMATA...

Gregorio Rosignoli

Digitized by Google

NAZIONALE
13
21 1
27
VITT. EMANUELE

IV. c 22

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSIGNOLI
THEOREMATA
DE RESTITVTIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. GREGORII ROSIGNOLI NOVARIENSIS

Ex Clericis Regularibus Congregationis S. Pauli:

TEOREMATA THEOLOGICOIVRIDICA DE RESTITVTIONE

Opus omnibus tùm Moralis, tùm Sacræ Theologiæ, & Iuris prudentiæ Profeſſoribus nedum vtile, ſed penè neceſſarium.

Cum duplici Indice, altero titulorum, altero rerum locupletiſsimo.



MEDIOLANI. M.DC.LXXXVIII.


TYPIS CAROLI ANTONII MALATESTÆ.

Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Pertinet ad Bibliothecã S. Franci Transtyberim. 171

Digitized by Google

Digitized by Google



ILL.mo, ET REV.mo DD.

IOANNI BAPTISTÆ VICECOMITI

EPISCOPO NOVARIÆ, ET COMITI.

NAſcentibus libris bonum adeſſe genium voluit acutiſsimus Poetarum, cuius beneficio, & fauſta ſortirentur lucis primordia, & ſpatia vitæ longioris manſura incolumitate metirentur. Ill.me, & Reu.me D. Quamuis hanc æui felicitatem expectare merito ſuo nun-

quam

Digitized by Google

quam poſset liber hic meus, ambitioſa tamen eriget vota, vbi naſcens præclariſsimum tuum nomen habet pro genio. Quas etenim paginas fortunare non poſset nomen tanta generis, doctrinæ, religionis celebritate ſpectandum? Generis profectò maieſtatem quis vnquam calamus aſſequi poſsit, quæ tot iam ſæculis ſuperſtes, tam prolixa heroum ſerie, tot domi, foriſque præclarè geſtis, tam vberi honorum prouentu faſtos impleuit? Quod ſi nulla extarent priſcæ laudis monumenta, vos ipſi, qui ſupereſtis magnorum auorum inclyti nepotes, & togatæ, & armatæ, & Eccleſiaſticæ dignitatis gradibus omnem occupaſtis gloriæ campum, & in vnam familiam veſtram collegiſtis, quæ partita plures illuſtrant. Tu verò maiorem nactus terrenis animum cum à ſplendore paternæ domus in receſſum ſanctiorem confugiſſes inſtitutum noſtrum amplexus, multò latius ab ipſis Religionis penetralibus ingenij, vitæq; nitore præfulſiſti. Et apud nos quidem diù in Philoſophiæ porticibus, diutius in adytis Theologiæ verſatus eruditionis famam fructu viciſti tot manuductis ad arcem Sapientiæ alumnis, qui ad aliorum diſciplinam feliciſsimè adoleuere. Tum morum non minus, quam literarum pretio commendatus poſt cathedræ labores tranſijſti ad noſtrorum magiſtratuum curas vacua nunquam à ſtudio communis

boni

Digitized by Google

boni virtute. Grauiſsima Prouinciæ noſtræ Præfectura primum fuit inter nos oneroſi honoris exordium: Subinde nihil feriatum Aſsiſtentem Roma excepit inter proceres noſtros ſupremi regiminis participem, magno vtrobique publicæ rei emolumento. Iam ſuauiſsima illa virtutum temperies, ille animi candor, illa in rebus agendis dexteritas, integerrimus ille probitatis, doctrinæq; nexus tibi ſummum Congregationis apicem deſtinabant. Sed hæc eadem vltra limites noſtros longè promicantia te in ſplendidius euexere faſtigium. Quis ille fuit noſtrorum pectorum ſenſus, cum te à Sanctiſs. Patre inauguratum Nouariæ Antiſtitem accepimus? alij pijſsimi Pontificis conſilium venerari, qui Carolo à Baſilica Petri ſucceſſorem ex eodem ordine ſelegiſſet eadem reddituum eccleſiaſticæ diſciplinæ exempla; alij digniſsimo capiti datam infulam, alij præſtantiſsimum ciuibus illis paſtorem gratulari, omnes meritorum argumentis altiora præſagire. Cumulaſti tu demum affatim gaudium noſtrum, cum te præſentem licuit intueri, cum adeuntes tanta excepiſti frontis, vociſq; comitate, tam expreſsis beneuolentiæ notis, atque hoc Alexandrinum Collegium humaniſsimè ſubijſti. Non defuere qui tibi epinicia occinerent, qui fauſtiſsima Eccleſiæ Nouarienſi Epithalamia modularentur. Ego nihil habui, quod depromerem

ad

Digitized by Google

ad exultantis, ac reuerentis animi ſpecimen præter hæc folia, in quibus, ſi non aliud, bonam offerentis mentem probabis. Illis interim à me optimè conſultum eſt, vt feliciſsima geneſi te auſpice prodeant, quem vt genium ſuum tutelarem vnà cum authore venerantur. Vale.

Dom. tuæ Illuſtriſs., & Reuerendiſs,

Datum in Collegio D. Alexandri die 10. Auguſti 1688.

Addictiſsimus, & Obſequentiſsimus famulus

D. Gregorius Roſignolus Cler. Reg. S. Pauli.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Titulorum, Prænotionum, Sectionum, Diſquiſitionum, & Paragraphorum.

Præn. I. QVid propriè ſit reſtitutio. 2.
2. An reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem & quomodo. 4.
3. Quot, & quænam ſint radices reſtitutionis. 9.
4. De Actionibus, ex quibus conſurgit iniurioſa acceptio in bonis potiſſimum fortunæ. 17.
5. De actionibus, ex quibus cōſurgit iniurioſa acceptio adinuicem inter Patrem, & filios in bonis fortunæ. 28.
6. De actionibus, in quibus poteſt, vel nō poteſt conſiſtere iniuſta acceptio inter fratres in bonis fortunæ, ſiue in cōmunione, ſiue in diuiſione. 34.
7. De iniuſtis acceptionibus, quæ contingere poſſunt in rebus communibus, & indiuiſis inter fratres ex ſtatuto municipali Mediolani. 41.
8. De actionibus, in quibus interueniunt iniuſtæ acceptiones inter tutorem & curatorem, & inter pupillos & minores. 47.
9. De actionibus, in quibus contingere poſſunt iniuſtæ acceptiones in bonis fortunæ inter maritum & vxorem. 49.
10. De actionibus, in quibus contingere poteſt iniuſta acceptio in bonis fortunæ inter Religioſum, & Monaſterium. 60.
11. De iniuſtis acceptionibus inter Dominos, & ſeruos Principes, & vaſallos. 71.
12. De cooperantibus tam poſitiuè, quàm negatiuè ad iniuſtas actiones, & acceptiones. 82.

Sect. I. De cooperantibus iniuſtæ acceptioni per iuſſionem. 82.
2. De cooperantibus iniuſtæ actioni per conſilium. 88.
3. De cooperantibus iniuſtæ acceptioni per conſenſum. 96.
4. De cooperantibus per laudationem criminis, ſeu adulationem. 99.
5. De cooperantibus ad actionem iniuſtam per conſenſum. 102.
6 De cooperantibus iniuſtitiæ per participationem. 104.
7. De cooperantibus ad actionem iniuſtam negatiuè. 111.
8. An cooperātes poſitiuè moralitèr iniuſtæ actioni ſex modis expoſitis obligentur inſolidum. 126.
9. An cooperantes negatiuè teneantur in ſolidum. 128.

13. De participibus in re aliena ex contractu. 128.

§. I. De iniuſtitia circa contractum emptionis. 130.
2. De iniuſtitijs, quæ contingunt circa contractum mutui. 131.
3. De iniuſtitijs, quæ contingunt in contractu emphytheuſis, & cenſuum. 136.
4. De iniuſtitijs, quæ fieri poſſunt circa cambia. 137.
5. De iniuſtitijs circa permutationes ſimplices. 138.
6. De iniuſtitia circa ſocietates, & alios contractus. 138.

14. De iniuſtitijs, quæ contingunt circa famam, & honorem. 139.

Sect. I. Quid ſit fama & honor, & quomodo inter ſe diſtinguantur. 139.

Digitized by Google

2. *An homo ſit Dominus ſuæ famæ, & honoris.* 140.

3. *De præcipuis vitijs, ob quæ contingit læſio in bonis famæ, & honoris.* 143.

§. 5. *De iniurijs circa bona vitæ, & corporis.* 159.

Sect. 1. *Vtrum homo ſit Dominus ſuæ vitæ, & membrorum.* 159.

2. *De homicidio, & mutilatione ſecundum ſe.* 163.

3. *Vtrum liceat occidere tirannum, peccatores, & maleficos.* 168.

4. *An, & quo iure licitum ſit filiam, vel vxorem deprehenſam in adulterio occidere.* 170

5. *An quandoque liceat interficere iuſtum, & innocentem.* 172.

6. *An liceat matri prægnanti tribuere Pharmaca ad eius ſalutem procurandam, quibus proles putetur moritura, & an quandoque mater ipſa teneatur remedia pati ad ſaluandam vitam pueri, vt baptizetur, & abſtinere à remedijs, quibus ipſa poſſet liberari.* 178.

7. *An ad defenſionem ſui, rerumq; ſuarũ liceat inuaſorem interimere.* 186.

§. 6. *De iniuſtis actionibus circa bona ſpiritualia.* 198.

DISQVISITIONES I.

§. 1. *An ſi fur non habeat quid pro furto reddat, poſſit venundari, vt ſatisfiat læſo.* 203.

2. *An ſi teſtator, qui poſt teſtamentum conditum obijt, reſurgat, eidem bona, quæ per teſtamentum reliquit, ſint reſtituenda.* 205.

3. *Quomodo intelligendus ſit D. Thomas, dũ aſſerit, ſi iuſtè aliquid ablatũ eſt, inæqualitas eſt, ſi reſtituatur.* 206.

4. *Vtrum ex tranſgreſſione aliarum virtutum à iuſtitia oriatur quandoque obligatio reſtitutionis.* 207.

5. *An quis teneatur alteri damnum quod intulit præter intentionem reſarcire.* 209.

6. *An occidens ex ignorantia concomitante aliquem teneatur ad compenſationem damnorum.* 211.

7. *An ebrius, & dormiens, ſi alium occiderit, teneatur reſtituere.* 212.

8. *An impediens fiſcum, vel alios à conſecutione pœnæ pecuniariæ ex delicto teneatur ad reſtitutionem.* 213.

9. *An cuſtodes negligentes accuſare reos, quibus impoſita eſt mulcta, teneantur ipſi eandem ſoluere.* 215.

10. *Vtrum damnum irrogatum per mancipium, vel animal tuum ſit compenſandum, & quomodo; & ante Iudicis ſententiam.* 216.

§. 11. *An, ſi filius familias alium occiderit, vel in alterius bonis damnum intulerit, teneatur Pater damna reparare.* 217.

12. *An Chriſtiani turcarum captiui poſſint ab eiſdem abſque iniuſtitia ſurripere bona.* 218.

13. *An homicidia Chriſtianorum facta à Turcis in mari remigibus Chriſtianis poſſint iuſtè eiſdem remigibus imputari.* 219.

DISQVISITIONES II.

A quinta ad duodecimam prænotionem.

§. 1. *An, ſi teſtator relinquat filiofamilias alterius hæreditatem, vel legatum ea conditione, vt vſusfructus non acquiratur Patri, teneatur filius illam Patri conferre.* 220.

2. *An, ſi filius familias fuerit emancipatus à Patre bona aduentitia pleno iure tranſeant ad eundẽ filiũ.* 221.

3. *An, ſi filius habens bona aduentitia deliquerit delicto exigente confiſcationem bonorum, talia bona ſint publicanda.* 222.

4. *An peculium filii exiſtens apud Patrẽ veniat in publicatione bonorum eiuſdem filii ob delictum.* 223.

5. *An, ſi filius inuito Patre vſurpet bona ſibi relicta cum expreſſione, vt ſint ei caſtrenſia quantumuis non ſit miles, committat furtum.* 224.

6. *An legatum filio familias militi abſq; vlla expreſſione intelligatur ipſo iure caſtrenſe.* 225.

7. *An filius familias Aduocatus acquirat pleno iure ea, quæ non ex publico, ſed*

Digitized by Google

ſed à clientulis ipſi erogantur. 226.
8. An acquiſita à filio familias remige, ſeu nauta in mari ſint bona quaſi caſtrenſia. 227.
9. Vtrum frater habens cum fratre bona indiuiſa teneatur communicare lucrum proueniens ex officijs publicis. 228.
10. An, ſi publicum officium fuerit acquiſitum à Patre pro filio, vel ex bonis communibus fratrum teneatur poſſidens tale officium lucrum conferre. 229.
11. An Pater, cum recipit bonà aduentitia filiorum teneatur facere inuentarium. 230.
12. An, ſi frater habens cum alio bona indiuiſa, & ſocietatẽ cum eodem ſimpliciter teneatur conferre lucra bonorum aduentitiorum. 231.
13. An, ſi filiofamilias legetur non proprietas alieuius boni immobilis, ſed vſusfructus dumtaxat poſsit idem filius de tali vſufructu inſcio Patre diſponere. 232.
14. An, ſi frater ſimul cum Patre ſuccedat in bonis fratris, vel ſororis vſufructus bonorum pertinentium ad ipſum fratrem ſuccedentem pertineat ad Patrem. 233.
15. An hæredes mariti teneantur integram dotem reſtituere vxori, quamuis maritus viuens plura circa ipsã inſumpſerit ſuperflua. 234.
16. Vtrum ſoluto per mortem mariti matrimonio filia poſſit pro libertate diſponere de dote aduentitia. 235.
17. Cui competat dos profectitia filiæ familias poſt obitum viri, & cui actio dotis. 236.
18. Quomodo filia familias poſſit agere ad dotem profectitiam, ſi pater ſit abſens, & reliquerit procuratorem, vel factus fuerit furioſus. 239.
19. An reſpectu filiæ emancipatæ actio dotis competat eidem filiæ priuatiuè quoad Patrem, an vero Patri ipſi. 240.
20. An, ſi vxor vltra dotem aliquid aliud marito contulerit, poſſit de illo diſponere ſine conſenſu mariti. 241.
21. An ingreſſus in Religionem liberetur à reſtitutione. 242.
22. An ingreſſus Religionem, in eaque profeſſus non ſatisfactis debitis ob impotentiam, ſi aliquid vel ſucceſſione, vel donatione eidem deuenerit, vel Monaſterio intuitu ipſius teneatur ex illo creditoribus ſatisfacere. 243.
23. An, qui profeſſus eſt poſt ceſſionem iurium ſuorum, non tamen adæquate perſolutis debitis teneatur munera honeſta exercere, vt debitis ſatisfaciat. 245.
24. Cui acquiratur hæreditas delata ſeruo, ſi hic ſit inuitus, quod fiat Domini. 245.
25. An, ſi Monachus ante profeſſionem de ſuis bonis diſpoſuerit per vltimam voluntatem bona illa ſint inſtituto deferenda ſtatim poſt profeſſionem. 246.
26. An legitimæ portiones, quæ debentur iure naturæ à Patribus filijs, debeantur eiſdem immediatè poſt profeſſionem Patris, ſi ille legitimè profiteatur. 248.
27. An Pater immediatè poſt profeſſionem amittat ius ad vſumfructum bonorum aduentitiorum filij. 250.
28. An non exiſtentibus deſcendentibus debeatur legitima portio aſcendentibus, ſi quis emittat profeſſionem in Religione. 251.
29. An emphytheuſis, & feudum quo quis gaudebat ante profeſſionem tranſeat in Monaſterium poſt illius profeſſionem, ſi de illis antea non diſpoſuerit. 252.
30. An profeſſus ex contractu inito ſine facultate Superioris, ſiue tacita, ſiue expreſſa obligetur naturalitèr, & an fideiuſſor ipſi accedens, ciuilitèr. 256.
31. An Religioſus ludens ſine licentia poſſit retinere lucrum. 258.
32. An cooperans ad damnum ſine intentione nocendi peccet, & teneatur ad damni reparationem. 259.
33. An duobus concurrentibus ad furtum altero iuſtè, altero iniuſtè vterque teneatur ad reſtitutionem. 260.
34. An, qui ſcribit falſas literas, & ſinit eas ſibi cadere ad alterum decipiendum teneatur ad damna, ſi quæ obuenerint. 262.

Digitized by Google

35. *An, qui ex alieno ſecreto clam cognito lucrum reportauit cum præiudicio eius, cui tale ſecretum fuerat expoſitum, teneatur lucrum eidem conferre.* 264.

36. *An mandato tempeſtiuè reuocato, ſi mandatarius fingat ſe ignorare reuocationem poſſit iuſtè exigere mercedem promiſſam.* 265.

37. *An ſi mandatarius putet mandatum non ſerio reuocari, & illud exequatur, mandans deobligetur.* 266.

38. *An mandans alterius damnum, ſi non poſſit tempeſtiuè reuocare, teneatur monere eum, contrà quem datum eſt mandatum, vt ſibi proſpiciat, & rebus ſuis.* 268.

39. *An conſulens alteri duellum teneatur ad compenſationem damnorum, ſi ipſe qui conſilium recepit, occiſus eſt.* 270.

40. *An conſulens, quando ipſius conſilium primo non fuit acceptatũ, poſtea tamen monit, teneatur reſtituere.* 271.

41. *An ſi conſulens poſt datum furandi cõſilium illud reuocauerit, & mouerit efficaciter ad deſiſtendum, ſi poſtea conſultus rediſt ad idem opus teneatur ad reſtitutionem.* 273.

42. *An ſicuti minus malum poteſt conſuli, ita etiam æquale.* 274.

43. *An conſentiens, qui inutilitèr ſuffragium contulit teneatur ad reſtitutionem.* 275.

44. *An recipiens domi ſuæ ad ludendum, & comedendum eos, qui aliena expendunt, peccet, & teneatur ad reſtitutionem.* 277.

45. *An ſi paratus ad furtum det alteri aliquid, ne ipſum à furto impediat, teneatur hic alter illud reſtituere.* 279.

46. *An conſulens, ne quis obſtet furto, teneatur ad reſtitutionem.* 281.

47. *An non denuntians eum, quem ſcit rem alienam accepiſſe non inuito Domino quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum peccet contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem.* 282.

48. *An cuſtos, qui accepto munere portantem res prohibitas non manifeſtauit, teneatur ad reſtitutionem, & quamnam.* 283.

49. *Ad quid teneatur cuſtos ad impediendam venationem, ſeu piſcationem, ſi accepto pretio non impediuit, nec denuntiauit.* 285.

50. *An qui tranſtulit merces, vel piſcauit, vel venatus eſt contrà prohibitionem teneatur reſtituere, & quid.* 286.

DISQVISITIONES III.

Ad reliquas omnes de Reſtitutiones I. Prænotiones.

§. I. *An peccet contrà iuſtitiam, qui de altero dicit, quod ſit ſuperbus, auarus, & ſimilia.* 288.

2. *An detrahens quoad venialia poſſit obligari ad reſtitutionem ſub lethali.* 289.

3. *An ſemper ex manifeſtatione peccati lethalis alterius conſurgat peccatum lethale detractionis, & onus reſtitutionis famæ, ſub lethali.* 290.

4. *An temerè, & voluntariè quid graue de proximo ſuſpicari ex leuibus indicijs ſit peccatum mortale.* 291.

5. *An huiuſmodi ſuſpiciones, prout ſunt peccata, ſint contrà iuſtitiam, an verò præcisè contrà charitatẽ.* 294.

6. *An narrans amico iniuriam ſibi ab alio ſecreto illatam ad leniendum dolorem peccet mortalitèr.* 296.

7. *An narrans alterius peccata, quæ audiuit, aſſerens ſe nihil certò ſcire, peccet lethalitèr.* 297.

8. *An detrahere de fama mortui ſit peccatum lethale.* 300.

9. *An manifeſtantes delicta occulta defunctorum teneantur ad reſtitutionem.* 301.

10. *An infamans Religioſum, vel aliquem de Religione peccet lethalitèr, & teneatur ad reſtitutionem.* 302.

11. *An filius licitè poſſit occidere Patrem bannitum.* 304.

12. *An filius poſſit Patrem vim vi repellendo licitè occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ.* 305.

13. *An clericus homicida priuatus ſit ipſo iure*

Digitized by Google

iure beneficio. 306.
14. An homicida priuetur ſucceſſione eius, quem interfecit. 306.
15. An in hypotheſi præcedentis diſquiſitionis, ſi homicida habuerit filios ipſi ſuccedant defuncto, an vero fiſcus ipſis excluſis. 307.
16. An, ſi maritus ex cauſa vxorem occiderit, amittat ius ad lucrum dotis. 310.
17. An homicida teneatur ad intereſſe animæ occiſi. 311.
18. An, ſi quis intendens vnum occidere, alterum pro ipſo occidat, ſit puniendus pæna ordinaria homicidij. 312.
19. Vtrum Clericus non recitans horas canonicas peccet contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem. 313.

DE RESTITVTIONE II.

Præn. I. Quidnam debeat reſtitui. 315.
2. Quiſnă debeat reſtituere. 327.
3. Cuinam facienda ſit reſtitutio. 329.
4. Quantum debeat reſtitui ad plenè ſatisfaciendum. 338.
5. Quomodo facienda ſit reſtitutio. 344.
6. Quandonam, ſeu quo tempore facienda ſit reſtitutio. 350.
7. Quonam ordine facienda ſit reſtitutio. 354.
8. De ordine reſtitutionis ſeruando ratione rei debitæ. 358.
9. Quonă loco facienda ſit reſtitutio. 368.
10. Explicantur nonnulla de reſtitutione in integrum. 371.

DISQVISITIONES I.

§. I. An reditus ex locatione rei alienæ ſint reſtituendi Domino. 374.
2. An in dubio, quod res ſit aliena poſſit detentor eam detinere, vel alienare. 376.
3. An acceptum ob cauſam, ad quam quis tenebatur, debeat reſtitui. 378.
4. An honorarium acceptum à Iudicibus, vel alijs officialibus pro ſententia, vel alijs actibus iudicialibus, vel reſcriptis iuſtitiæ, vel gratiæ ſit reſtituendum. 381.
5. An acceptum ob cauſam honeſtam licet non neceſſariă ſit reſtituĕdum. 386.
6. An acceptum ob turpem cauſam ſit reſtituendum. 388.
7. An accepta per tranſactionem ſuper crimen ſint reſtituenda. 392.
8. An accepta per ludum ſint reſtituenda. 395.
9. An acquiſita à filiofamilias per ludum ſint reſtituenda. 402.
10. An ſint reſtituenda vxori ea, quæ per ludum amiſit inſcio, aut inuito marito. 409.
11. An acquiſita in ludo per fraudes, deceptiones, & ob maiorem peritiam ſint reſtituenda. 410.
12. An bona Eccleſiaſtica ab Eccleſiaſticis ablata ſint reſtituenda. 414.
13. Vtrum res alteri debita poſſit reſtitui creditori creditoris. 418.
14. Cui facienda ſit reſtitutio eorum, quæ in iniuſta vrbis deprædatione ſublata ſunt, vel quæ acquiſita per multiplicatas vſuras à pluribus. pag. 421.
15. Cui facienda ſit reſtitutio de bonis turpiter acquiſitis contrà iuſtitiam. pag. 422
16. An & cui ſint reſtituenda, quæ flumen defert ob multarum aquarum confluxum. 423.

DISQVISITIONES II.

§. I. An vſurarius teneatur mittere abſentibus vſuras ſuis ſumptibus, an vero ſumptibus eorundem abſentium. 424.
2. An ad euitandum Reipublicæ damnum licitum ſit reſtitutionem differre. 425.
3. Quantum debeat reſtituere, qui alterum per vim, & fraudem impediuit, ne conſequeretur beneficium. 426.
4. An impediens ſine fraudibus, ſed cum precibus, & ſuaſionibus, & muneribus, licet odio teneatur ad reſtitutionem. 427.
5. An per preces impediens aliquem à conſecu-

ſecutione bonorum, quæ deſtinata ſint in ſingulorum vtilitatem teneatur ad reſtitutionem. 428.

6. Quinam ordo ſeruandus ſit inter non diſtribuentem huiuſmodi bona, & ſuadentem, & precantem non reſtitui. 429.

7. An conſulens in dubio, quod ipſius conſilium cauſa fuerit furti, vel homicidij teneatur ad reſtitutionē. 430.

DE RESTITVTIONE III.

Præn. I. AN, & quomodo impotentia debitoris ipſum excuſet ab onere reſtitutionis. 432.

2. An, & quomodo ceſſio bonorū deobliget debitorē ab onere reſtitutionis. 437.

3. An per ceſſionē bonorū debitores ex infortunio reſtitutione liberētur. 440.

4. An ſolutio facta creditori creditoris eximat debitorem à debito. 443.

5. An, & quomodo damnum ſit cauſa excuſans debitorem ab onere reſtitutionis. 445.

6. An rei interitus excuſet à reſtitutione. 451.

7 An iuris, & Iudicis auctoritas excuſet à reſtitutione. 455.

8. An ingreſſus in Religionem deobliget à reſtitutione. 456.

9. An diſpenſatio, ſeu compoſitio cum Prælato excuſet à reſtitutione. 459.

10. An incertitudo bonorum excuſet à reſtitutione. 462.

11. An excōmunicatio creditoris liberet debitorē ab onere reſtitutionis. 463.

12. An, qualis, & quomodo compenſatio deobliget à reſtitutione. 465.

13. An remiſſio creditoris liberet debitorem à debito. 470.

DISQVISITIONES

Ad vniuerſas de reſtitutione III. prænotiones.

§. I. VTrum accipiens eleemoſinam ſimulata paupertate teneatur ad reſtitutionem. 472.

2. Vtrum vtens in extremo periculo re alterius, ſi res in illo vſu pereat, obliget vtentem ad reſtitutionem. 474.

3. Vtrum periclitans in mari ad vitandam mortem imminentem, ſi proiecerit merces alienas, teneatur elapſo periculo reſtituere. 475.

4. An, qui citra extremam, vel grauem neceſſitatem iuxtà ſenſum ſupra expoſitum accipit res alienas Domino vidente, & non contradicente teneatur ad illarum reſtitutionem. 476.

5. An ſubuenire extremè indigenti, vel grauitèr modo quo ſupra ſit debitum iuſtitiæ, an verò charitatis præcisè. 477.

6. An exiſtente graui fame in terra habens frumenti copiam teneatur vicinis extrema famis neceſſitate laborantibus tradere, & an poſſit ceſſante neceſſitate repetere. 480.

7. An qui bonis cedit, teneatur præſtare cautionem de integre ſatisfaciendo, ſi pinguioris poſtea fortuna fiat. 481.

8. An ceſſio bonorum poſſit fieri contrà iuramentum de non cedendo. 482.

9. Quomodo ſe gerere debeat volens cedere bonis. 483.

10. An ceſſio bonorum poſſit fieri poſtquam debitor detruſus eſt in carcerē. 484.

11. An ceſſio bonorum facta per debitorem liberet eius fideiuſſorem. 484.

12. Vtrum quis peccet contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem, ſi à debitore nolente ſoluere debitum clam ab eodem debitore ſurripiat, illudq; tradat creditori. 485.

13. Quid præſtare teneatur vxor, quæ filium ex adulterio ſuſcepit, & tanquam legitimum ſuppoſuit. 487.

14. Vtrum liceat in foro conſcientiæ vxorem deprehenſam in adulterio interficere. 487.

15. Vtrum, ſi Princeps remittat debitum debitori hic liberetur verſus creditorem. 488.

16. An magis peccet contrà iuſtitiam, qui rem ſemel furatur, & detinet per longum tempus, an qui intra idem tempus rem ſæpius furatur, & ſæpius reſtituit. 489.

17. An cum debitor potis eſt ſatisfaciat

pau-

Digitized by Google

paulatim ſoluendo. 490.

18. An confeſſarius, qui debitori nolenti ſimul integre ſatisfacere creditori, cum poſſit, impendit abſolutionem peccet, & an teneatur ad aliquam reſtitutionem. 491.

19. An, ſi occiſus ante mortem omnia interfectori remittat deobligetur hic à quocunque onere verſus filios occiſi. 492.

20. An facta per virginem defloratam ſtupratori remiſſione cuiuſcunq; damni hic liberetur à quocunque onere. 493.

21. An debitum pauperibus tollatur per eleemoſinas alijs factas, licet non eo intuitu ob obliuionem. 494.

22. An, ſi quis determinatæ perſonæ donum dederit ex gratuita voluntate centum aureorum eximatur ab onere centum, quos ex iuſtitia eidem debet, ſi donum fecerit immemor illius debiti. 496.

23. An qui acceptat donationẽ nomine alterius abſentis poſſit eam condonare, adeo ut promiſſor deobligetur ab onere repromiſſionis, ſeu donationis. 496.

24. An ſtipulator donationis nomine alterius, qui inuicem promiſſori aliquid repromiſit poſſit condonare donationem. 497.

25. An remiſſio delicti facta à Principe, ſeu gratia pro delicto liberet delinquentem ab onere erga fiſcum. 498.

26. An in ſuppoſitione, qua gratia Principis pro delicto comprehendat etiam bona, hæc extendatur etiam ad bona à fiſco alienata. 500.

27. An quando Princeps in gratia pro delicto vult, vt delinquens pleniſſimè reſtituatur, debeat etiam reſtitui quoad fructus perceptos tempore confiſcationis. 501.

28. An per gratiam factam delinquenti à Principe hic ſit reſtituendus in hæreditate, quæ ipſi delata ex incapacitate ipſius tranſijt in proximiorem. 502.

29. An primogenium delatum alicui pro ſe, & primogenitis, ſi primogenitus in quem debuiſſet deuenire, deciderit à gratia Principis, & poſtea habuerit filios, debeatur primogenita ex iſtis. 503.

Digitized by Google

Don Mauritius Giribaldus Congregationis Cler. Reg. S. Pauli Præpoſitus Generalis.

CVM librum, cui titulus eſt: *De Reſtitutione Theoremata TheologicoIuridica, à Patre D. Gregorio Roſignolo Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo*, compoſitum, duo eiuſdem Congregationis eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurrata lectione, & graui iudicio recognouerint, & poſſe in lucem edi probauerint, Nos vt typis mandetur, quantum in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 19. Iulij 1687.

D. Mauritius Giribaldus Præpoſitus Generalis.

Locus † Sigilli

D. Auguſtinus de Sancto Auguſtino Cancell.

REſtituendum breui manu Auctori ſuo *Adm. Rev. P. D. Gregorio Roſignolo Clerico Regulari Congregationis Sancti Pauli cultum Opus de Reſtitutione*; vt quàm primùm ad omnium vtilitatem euulgetur, non tantùm ob ſanam doctrinam, qua cla et, verùm etiam ob eximiam claritatem, qua docet. Ita pro muneris mei debito, vndecimo Calendas Octobris, Anno MDCLXXXVII.

D. Hieronymus Meazza Clericorum Regularium Domus Sancti Antonij Vicarius, Sacræ Theologiæ Profeſſor, pro SS. Inquiſitione cenſor librorum &c.

Attenta præfata atteſtatione

Imprimatur Fr. Sixtus Cerebius Inquiſitor Generalis Mediolani.

Iacobus Saita Canonicus Baſilicæ Ambroſianæ pro Eminen. D. Card. Vicecomite Archiep.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

DE

Digitized by Google

DE RESTITVTIONE I.

IVſtitia commutatiua, quæ omnium ferè contractuum regulatrix eſt, & arbitra reſpicit tanquam primarium ſuæ rectitudinis actum reſtitutionem, vt potè quæ, cum vnicuique reddat, quod ſuum eſt, habet humanas actiones eo dirigere, vt æqualitatem reſpicientes in publicis, & priuatis commercijs ſibi non arrogent ſupra debitum, nec alijs derogent ſupra conuentum. Ea potiſſima eius natura eſt, & conditio, vt neminem calliditate circumueniat, nec leonino robore peſundet, nec vulpina capiat verſutia, nec fraude decipiat. Omnes æquali, & inuariato reſpicit obtutu, omnes æquâ lance ponderat, omnes iuſto, & inconcuſſo librat pondere, nec quia alius alium dignitate, vel facultatibus, vel alijs præcellat dotibus, eundem præfert in commutationibus, alijſque commercijs plus tribuens, quam exigat actus natura, nec alteri demens, quod eidem tribuit contractus conditio; Nec in ſolis contractibus ſeruat æqualitatem inter datum, & acceptum, ſeù inter paſſum, & repaſſum, vel contrà paſſum, vt loquitur Ariſtoteles, ſed vlteriùs, & præcipuò conatu progrediens demit inæqualitatem extra contractus, reddendo Domino, quod eidem ſublatum eſt per veram, & realem iniuriam; hinc duplex quodamodo eſt reſtitutio; altera, quæ importat redditionem rei alienæ ex debito, quamuis talis res iuſtè habeatur, qua ratione dicitur reſtitui mutuum, & depoſitum; altera, quæ importat redditionem rei alienæ iniuſtè ablatæ, vel damni iniuſtè illati, qua ratione inuoluit propriè iniuriam. De reſtitutione ſecundum vtrumq; hunc ſenſum procedent præſentes diſceptationes, quæ ad triplex bonorum, nempè vitæ, famæ, & fortunæ genus referentur conſiderando onus eiuſdem reſtitutionis, tam prout prouenit ex inæqualitate ex contractu, quàm prout prouenit ex iniuſta acceptione extrà contractum.

PRÆNOTIO I.

Quid propriè ſit reſtitutio.

SVMMARIVM.

Reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ, ſiue ſit ponenda ex contractu, ſiue ex delicto. 1.
Diſcrimen inter iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuam. 2.
Iuſtitia reſpicit potiſſimum actiones exteriores. 3.
Explicatur, in quo ſenſu reſtitutio ſit pars ſatisfactionis. 4.
Reſtitutio, ſiue prout importat redditionem rei alienæ habitæ per voluntatem Domini, ſiue contrà voluntatem eiuſdem eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. 5.

1 Eſt actus cõmutatiuæ iuſtitiæ.

DIſputant hic latè DD., an reſtitutio, ſiue ponenda ex debito ratione contractus, ſiue ex delicto extrà contractum ſit actus commutatiuæ iuſtitiæ, an verò potius diſtributiuæ; qua in diſputatione *D.Thomas ſecunda ſecundæ q.62. art.1. in corpore, & ibi Caietanus, Sotus lib.4. de iuſt. qu.6. art.1. Coaruuias in reg. peccatum par.2. in princip. Silueſter verb. reſtitutio 3. q.2. Nauarrus c.17. n.6. art.1. Gabriel in 4. diſt.15. q.2. notab.3. Adrianus quodlib.11. difficult.5. & 6.* & alij magis communiter aſſerunt, & quidem congruè, eſſe actum commutatiuæ iuſtitiæ; Ratio huius ſententiæ, quam veriſſimam exiſtimo, ea potiſſimum eſt, quam adducit *D.Thomas loc. cit. in corpore*, quia reſtituere ex ipſa nominis Ethimologia eſt iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, & dominium rei ſuæ, adeòque reſpicit æqualitatem, ſecundum quam is, qui priuatus erat poſſeſſione, & dominio, reſtituitur in eadem poſſeſſione, & dominio, & ſic compenſationem rei ad rem, ratione cuius quis habeat rem, quam habere debet, & alter priuetur re, quam habere non debet, ſed hoc eſt proprium munus iuſtitiæ commutatiuę, ergo reſtitutio propriè ſumpta pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Confirmatur primo ex eodem D.Thoma, quia iuſtitia commutatiua reddit vnicuique, quod ſuum eſt, & aufert ab eo rem, quæ eiuſdem non eſt, ſiue ab alio habeat per voluntatem eius, ſicuti in mutuo, & depoſito, vel contrà voluntatem eius, ſicuti in rapina, vel furto, ſed hoc fit potiſſimum per reſtitutionem, ergo reſtitutio eſt actus potiſſimus eiuſdem iuſtitię commutatiuæ, per quam reddit alteri, quod ſuum eſt, & aufert ab alio, cuius non eſt. Confirmatur ſecundo ex Nauarro, & alijs, quia in hoc differt iuſtitia commu-

2 Diſcrimē inter iuſtitiam commutatiuã, & diſtributiuam.

tatiua à diſtributiua, quod diſtributiua commune diuidit inter priuatos; commutatiua verò æqualitatem conſtituit inter priuatos in rebus, quæ non ſunt communes, ſed proprię ſingulorum, quod ſi quandòque commutationes, ſeu reſtitutiones fiant inter publicum & priuatum, tunc commune, ſeu publicum induit rationem priuati, ſed reſtitutio non diuidit commune inter priuatos, ſed priuatos ipſos, vel qui induunt rationem priuati, conſtituit in ęqualitate per compenſationem rei ad rem, ergo reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ non diſtributiuæ; Neque ijs, quæ hic dicuntur, aduerſari poteſt primo id, quod ſibi obijcit tertio loco D. Thomas, nempè quod reſtitutio ſit quęddam recõpenſatio eius, quod ſublatum eſt, ſed aliquid poteſt ab aliquo ſubtrahi non minus in commutatione, quam in diſtributione, vt ſi rei communis diſtribuendæ inter plurimos minus tribuatur vni, quam ei debeatur, & alteri plus, quam debeatur attenta qualitate perſonarum, ergo non minus eſt actus diſtributiuæ iuſtitiæ quam commutatiuæ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt benę notat *D.Thomas loc. cit. in reſponſ. ad tertium*, recompenſatio, quam facit diſtribuens ei, cui minus dedit, quam debuit, pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, quandòquidē fit comparando rem ad rem, vt ſcilicet quantum quis minus habuit, quam habere debuit, tanto plus ei conferatur; quod ſi aduerſus hanc D.Thomæ reſponſionem vrgeas, quod, cum debitum illud ſit commune, & ex genere ſuo appropriandum ſingulis ſecundum proportionem, non poſſit ad iuſtitiam commutatiuam, quæ reſpicit bona ſolummodò, vel formalitèr, vel virtualitèr priuata, ſed tantum ad diſtributiuam referri, & ſicuti, ſi in diſtributione ſecundum debitã proportionem contuliſſet, diceretur actum iuſtitiæ diſtributiuæ elicuiſſe, ità in compenſatione, ſi reducendo inæqualitatem ad æqualitatem debitam ex vi eiuſdem iuſtitiæ diſtributiuæ, tantum tribuat, quantum adæquet id, quod erat debitum, proprium actum iuſtitiæ diſtributiuæ, nõ commutatiuæ exercebit; quandòquidem per hoc facit id, quod facere debuiſſet in diſtributione; Si, inquam, ſic vrgeas; tunc reſpondebo, nec incongruè *cum Caietano 2.2. q.62. art.1. & Nauarra lib.1. de reſtitutione c.2. nu.16.*, quod diuerſimode res ſe habeat in diſtributione, & in compenſatione iniquę diſtributionis; nam ante diſtributionem erat commune debitum appropriandum ſecundum æqualitatem partibus, adeòque pertinens ad iuſtitiam diſtributiuam; ſed facta diſpenſatio-

Soluitur quoddam aduerſantiũ obiectum.

Digitized by Google

ſatione, ſeu diſtributione, per quam non eſt poſita debita æqualitas, nec approprlatio ſecundum conuenientem proportionem iam non manet amplius debitum commune, ſed fit proprium eiuſdem diſtribuentis eo, quod omiſerit illam appropriationem, quam facere tenebatur ſecundum debitas partes, & ſic pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Deindè non ità certum eſt, ſicuti præfertur, quod ex læſione iuſtitiæ diſtributiuæ orietur onus reſtitutionis, de qua re infra latè differemus.

3 Iuſtitia cõmutatiua reſpicit actiones exteriores.

Neque obeſſe poteſt ſecundo, ſi aſſeratur, quod reſtitutio non poſſit eſſe de ijs, quæ tranſeunt, & non remanent, ſed iuſtitia eſt circa actiones, & paſſiones aliquas, quæ tranſeunt, ergo reſtitutio non poteſt eſſe aliqua pars iuſtitiæ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in rigore reſtitutio ſecundum primam nominis impoſitionem, in quantum importat iterationem quandam præcipuè reſpicit actiones, ſeu res exteriores, quæ manentes eædem ſecundum ſubſtantiam poſſunt ab vno in alium deuenire, & licet translatum ſit idem nomen ad ſignificandas, actiones, quibus fit eadem reſtitutio, ſeu eædem res reſtituuntur, non propterea inſtantia aliquid euincit, quandòquidem licet realiter non maneant, manent tamen in ſuo effectu.

4 Quomodò reſtitutio ſit pars ſatisfactionis.

Diſputant hic ſecundo DD., an reſtitutio ſit pars ſatisfactionis. Pro cuius diſputationis reſolutione aduertẽdum eſt, multiplicitèr poſſe ſumi ſatisfactionem; primò, prout importat compenſationem, ſeu reſtaurationem damni ex iniuria illata ſecuti; ſecundò, prout latiſſimè ſumitur pro implemento præcepti, qua ratione homines, dum adimplent aliquod præceptum, dicuntur tali præcepto ſatisfacere; tertiò, prout ſtrictiſſimè ſumitur; quatenus importat illud, quod exhibetur ad tollendam iniuriam præciſo damno, aut ad tollendam pænam, quam quis propter iniuriam illatam meruit. Iuxta primum ſenſum certè non differt ſatisfactio à reſtitutione, niſi in eo, quod reſtitutio latius patet, cum non ſolum importet redditionem eius, quod contra voluntatem Domini detinetur, qua ratione propriè inuoluit iniuriam, ſed etiam redditionem eius, quod detinetur conſentiente Domino, quod eſt ſine iniuria; ſatisfactio autem iuxta eum ſenſum ſumpta ſemper inuoluit iniuriam contrà voluntatem Domini; vndè iuxtà hanc acceptionem omnis quidem ſatisfactio eſt reſtitutio, non autem omnis reſtitutio eſt ſatisfactio. Iuxtà ſecundum ſenſum, ſi excipias adimplementum præcepti in lege præcipiente fieri reſtaurationem, vel ob iniuriam alteri illatam in bonis compenſabilibus, vel ob damnum irrogatum iniuſtè, ſentiendum eſt ſatisfactionem non eſſe in genere reſtitutionis, nam qui ſatisfacit v.g. præcepto temperantiæ, vel continentiæ non dicitur propriè reſtituere, & ſatisfactio pertinet ad virtutem in eo genere, in quo eſt virtus, quæ præcipitur, non ad iuſtitiam commutatiuam, vt per ſe patet. Iuxtà tertium ſenſum multipliciter differt ſatisfactio à reſtitutione, & primò, quia reſtitutio verſatur inter rem, & rem, & inter datum, & acceptum, ſatisfactio autem inter obſequia, & iniuriam, adeò vt, qui alterum offendit, tot ei præſtet obſequia, quot ſufficiant ad auferendam rationabilem ipſius indignationem; ſecundò, quia Deo poteſt exhiberi aliqua ſatisfactio, ſi minus condigna, ſaltem congrua, & tamen Deo nulla fieri poteſt reſtitutio, cum omnia ſint in plena, & perfecta Dei poteſtate; tertiò reſtitutio impedit ſolum peccati continuationem, peccatum autem ipſum non delet; ſatisfactio verò peccatum commiſſum delet, vel quoad culpam, ſi ſit ſatisfactio pro offenſa, quæ exhibetur per actus internos doloris in ſacramentali confeſſione, vel quoad pænam, ſi exhibeatur per opera pænalia ab homine in gratia conſtituto; quarto, reſtitutio ſolet, & debet fieri ſecundum omnimodam æqualitatem, ſatisfactio autem, quæ Deo exhibetur, ſi Chriſti ſatisfactionem excipias, non eſt cum æqualitate, & condignitate. Alias plures differentias aſſignat *Dominicus Sotus ſexto lib. de iuſt. q. 1. art. 1. & DD. in 4. diſt. 15.* quos vos ipſi conſulere poteritis.

His ſic pro notitia explicatis ad explicandum, cuius virtutis ſit actus reſtitutio, & ad ſecernandam eandem à cæteris virtutibus placet modo ipſius quidditatem per germanam definitionem indagare, & proindè ſit

Aſſertio. Reſtitutio propriè ſumpta; ſiue prout importat redditionem rei alienæ habitæ per voluntatem Domini, ſiue habitæ contrà voluntatem eiuſdem eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quo redditur alteri, quod ſuum eſt, vel quod ei debetur lege veræ iuſtitiæ. In hanc conſentit *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 1. Nauarrus in manual. c. 17. n. 6. verſ. reſtitutio igitur vt ad primum veniamus, Petrus Nauarra lib. 1. de reſtitut. c. 2. in princip. & alij magis communiter.* 5

5 Siue reſpiciat rem alienã habitam cõſentiente Domino, ſiue eo inuito, pertinet ad iuſtitiam cõmutatiuam.

Probatur, & explicatur. Dicitur, *actus commutatiuæ iuſtitiæ*, per quas particulas duo inferuntur; primum conuenientia, quam ſeruat eadem reſtitutio cum cæte-

ris actibus eiuſdem virtutis ſpecialis, nempe cum contractibus omnibus rigoroſis, in quibus attenditur æqualitas rei ad rem, & ſic importatur genus proximum. Secundum diſcrimen ab actibus iuſtitiæ diſtributiuæ, cæterarumque virtutum, ſiue Theologicarum, ſiue moralium; à iuſtitia quidem diſtributiua, quatenus hæc diuidit commune inter partes, commutatiua verò priuatum inter priuatas perſonas, ſeu habentes rationem priuatarum perſonarum ſecundum æqualitatem dati ad acceptum diſponit; à cæteris virtutibus Theologicis, quæ reſpiciunt primario actiones interiores, quibus redditur Deo cultus, & à cæteris virtutibus moralibus, quibus animis noſtris, in ordine ad nos potius, quam rebus exterioribus in ordine ad alios proficimus, quandòquidem, cum reſtitutio per actus potiſſimum exteriores alios reſpiciat, cum quibus conſtituit æqualitatem, non poteſt per actus conſtitui, per quos dumtaxat perficitur animus in ordine ad ſe, & principalitèr interius.

Diſcrimē à cæteris virtutibus

Dicitur, *quo redditur alteri*, & per hanc particulam indicatur potiſſimum conditio eiuſdem iuſtitiæ commutatiuæ, cuius reſtitutio eſt ſpecialis actus, quæ eſt, vt ſit ad alterum ad diferentiam aliarum virtutum, quæ ſunt in ordine ad ſe, vndè merito Tullius in primo de officio aſſerit, quod iuſtitiæ ea ratio eſt, qua ſocietas hominum inter ipſos, & vitæ communitas continetur, quod certè importat reſpectum ad alterum, & rationem non inefficacem adducit *D. Thomas 2. 2. qu. 58. art. 2. in corpore* fundatam in eo, quod cum nomen iuſtitiæ æqualitatem importet ex ſua ratione habere debet, quod ſit ad alterum, nihil enim eſt ſibi æquale, ſed alteri.

Iuſtitia eſt ſemper in ordine ad alterū.

Dicitur, *quod ſuum eſt, vel quod ei debetur*, per quas particulas inuoluitur quodcunque debitum, ſiue detineatur conſentiente Domino, vt contingit in mutuo, & depoſito, vel contra ipſius voluntatem, vt in furto, & rapina, vel cum mala fide detinentis, quatenus cognoſcit rem illam eſſe alienam, vel cum bona fide, quatenus arbitretur illam eſſe ſuam, cum ſit aliena; ſemper enim res illa eſt reſtituenda Domino, ſeu habenti ius in illa re; cum hoc tamen diſcrimine, vt ſi res illa alteri debita detineatur per aliquem bona fide, & abſque detinentis culpa pereat, ſufficienter ſatisfit, ſi ille, qui bona fide detinebat, reſtituat id, in quo factus eſt locupletior per textum *in l. & ſi §. 1. & l. item veniunt §. 1. ff. de petit. hæred.*, quia ad rem deperditam ſine ipſius culpa, cognita alienitate rei, nec tenetur ratione rei acceptæ, cum non amplius res illa extet, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum bona fide detinuerit, arbitrans rem illam eſſe ſuam, ſi verò res illa alteri debita detineatur per malam fidem, & interim perierit, non ſufficienter ſatisfit, niſi æquiualens rei deperditæ reſtituatur, quia tunc tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, ſeu detentionis per textum *in l. in re furtiua ff. de condit. furt. c. mora de reg. iur. in 6.*, quod intellige, etiam ſi ſine ſua culpa perierit, quia qui mala fide contrectat, & detinet rem alienam, ſemper eſt in mora, & ſuo damno perit.

Dicitur tandèm *lege veræ iuſtitiæ*, quæ particulæ duo important, & debitum ſcilicet iuſtitiæ, & æqualitatem rei ad rem, & per has excluduntur actus Religionis, cæterarumque virtutum, in quibus, vel non redditur debitum, vel ſi debitum redditur, non ad iuſtitiam, vel non ſeruatur æqualitas dati ad acceptum, vt contingit in Religione, & pietate. Leges veræ iuſtitiæ ſunt primò, vt ſit ad alterum, vt ſit debitum, vt ſit iuſtum, vt ſit cum æqualitate dati ad acceptum, & alia huiuſmodi &c.

PRÆNOTIO II.

An reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem, & quomodo.

SVMMARIVM.

Reſtitutio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij. 1.
Cur pænitentia poſt lapſum neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate medij, non ſit reſtitutio. 2.
Nec etiam neceſſitate medij eſt neceſſaria reſtitutio in voto. 3.
Eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti diuini, & legis iuſtitiæ. 4.
Præceptum, ratione cuius reſtitutio dicitur neceſſaria, probabiliter eſt negatiuum. 5.
Non committuntur tot peccata, quot ſunt inſtantia, quibus res detinetur, & quare. 6.
In quo fundetur præceptum negatiuum reſtituendi. 7.
Præceptum reſtituendi non ſolum eſt diuinum, ſed etiam naturale, & quomodò. 8.

NEceſſitas duplex eſt; altera ſimplex, & abſoluta in ordine ad ſe, & hoc modo ſolus Deus eſt ens neceſſarium; altera relatiua, ſeu in ordine ad finem, & tunc eſt, quando res aliqua ad aliquem finem ordinatur, vt ſine illa finis ipſe, vel non conſequi, vel non niſi cum difficultate conſequi poſſit; vndè ſi ſine illa abſolutè conſequi finis non poſſit illa res dicitur neceſſaria ſimplicitèr ad finem; ſi verò con-

Neceſſitas multiplex, & quomodò.

Digitized by Google

conſequi poſſit, ſed non niſi cum difficultate dicitur neceſſaria ſecundum quid ad finem. Porro neceſſitas in ordine ad finem adhuc duplex eſt; altera dicitur neceſſitas medij, & tunc eſt, quandò res, quæ dicitur neceſſaria directè, immediatè, & poſitiuè concurrit ad finem; altera neceſſitas præcepti, & tunc eſt, quandò non ſecundum ſe ſimplicitèr, ſed ex lege extrinſeca ordinante dirigitur ad finem. Quibus poſitis ſit

I

Non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutē.

Aſſertio I. Reſtitutio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij. Hanc expreſsè docet *Petrus à Nauarra de reſtit. lib. 1. c. 1. verſ. cæterum ego*, hancque communiorem exiſtimo apud DD., licet ſub his expreſſis terminis per ipſos non ſtatuatur; eſt tamen contra *Gabriellem in 4. diſt. 15. qu. 2. concl. 1. & Mercat. tract. de reſtitut. c. 1.*

In quo conſiſtat neceſſitas medij.

Ratio ex eo deducitur primò, quia illud eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, quod directè, immediatè, & poſitiuè influit in ipſum finem cauſando effectum, in quo conſiſtit ipſe finis intentus, ſine quo finis ipſe haberi non poteſt, ſed reſtitutio non eſt huiuſmodi in ordine ad ſalutem, ergo &c. Maior eſt ipſa ratio formalis, in qua conſiſtit neceſſitas medij. Minor probatur reſtitutio non concurrit ad ſalutem, niſi remouendo prohibens; ſcilicet peccatum iniuſtitiæ, quod perſeuerat in continuata detentione rei alienæ; cæterum reſtitutio per ſe ipſam directè gratiam non confert, & quamuis votum ipſius in contritione contentum, aliquandò conducat ad gratiam, conducit ſolum diſpoſitiuè, non directè formalitèr, & immediatè.

2

Non currit paritas cū pænitentia, & quare.

Aduerſus ea, quæ in hac aſſertione, & probatione dicuntur, militant potiſſimū hæc argumenta. Primum, quia pænitentia poſt lapſum neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medij, ergo etiam reſtitutio. Conſequentia probatur, tùm quia eiſdem prorſus verbis indicitur reſtitutionis, ac pænitentiæ neceſſitas in illo Ezechielis 33. *Si impius egerit pænitentiam, feceritque iuſtitiam pignus reſtituent &c.*, tùm quia reſtitutio eſt pars ſatisfactionis, & ſacramenti pænitentiæ, ſed ſatisfactio, vt pars ſacramenti pænitentiæ eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, ergo &c. Secundum, quia tota, & adæquata ratio, ob quam baptiſmus, & pænitentia ſtatuuntur, tanquam media neceſſaria ad ſalutem, eſt, quia in iure præcipiuntur ſub conditione reſolutiua, *niſi*, vt ex illo *Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poterit introire in regnum Dei*, & ex illo Lucæ 13. *Niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimilitèr peribitis.* Sed etiam reſtitutio præcipitur ſub conditione reſolutiua. *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*; ergo &c. Sed his facile poteſt occurri reſpondendo.

Soluitur primū argumentū.

Ad primum dicendum eſt, non currere eandem paritatem de pænitentia, ac de reſtitutione, quandòquidem pænitentia, & contritio per ſe conferunt primam gratiam, ad quam poſitiuè, immediatè, & formalitèr concurrunt; reſtitutio autem non directè, & per ſe confert ad eandem gratiam, ſed dumtaxat remotè, & diſpoſitiuè, adeòque &c. Neque verba *Ezechielis 33.*, quæ videntur ſimul coniungere pænitentiam, & reſtitutionem, aliquid euincunt, quandòquidem licet coniungant vtrumque, non tamen inferunt eandem neceſſitatē in vtroque, & eodem modo, ſed ſolum indicant, ad ſalutem requiri etiam reſtitutionem, vel in re, vel ſaltem in voto, non quatenus ipſa per ſe directè, & proximè, & poſitiuè influat ad ſalutē, ſed quatenus ad eandem diſponit media pænitentia, & contritione remouendo ſcilicet prohibens, quod non importat neceſſitatem medij; Nec mirum eſt, quod ſub eadem oratione vtrumque comprehendatur, pænitentia ſcilicet, & reſtitutio, nam ibi eſt ſermo de omnibus, quæ quomodocunque conducunt, & ſunt neceſſaria ad ſalutem, etiam ſi tantum obligent ex præcepto, nec pænitentia aliquē effectum ſortiri poteſt, niſi ſit cum ordine ſaltem implicito adimplendi ea omnia, quæ in lege præcipiuntur, & ſic etiam inuoluit ordinem ad adimplendum præceptum ieiunij, & audiendi ſacrum, quæ tamen non ſunt neceſſaria neceſſitate medij.

Nec eſt neceſſaria neceſſitate medij in voto.

Hic oritur difficultas, an ſaltem votū reſtituendi rem alienam ſit neceſſarium neceſſitate medij? Communius docent, nec votum reſtitutionis eſſe neceſſarium neceſſitate medij, & præcipuè hoc aſſerit *Petrus à Nauarra de reſtitut. lib. 1. c. 1. verſ. ſic igitur reſtitutio*, & duplici meo videri mouentur ratione; primò, quia reſtitutio non niſi indirectè, & diſpoſitiuè etiam quoad votum confert ad gratiam conducentem ad ſalutem; ſecundò, quia eidem reſtitutioni etiam realiter, & in effectu poſitæ non confertur aliqua gratia, quæ ſit neceſſaria ad ſalutem, ergo nec eidem in voto, adeòque &c. Nihilominus in voto implicito ità neceſſariam eſſe aliqui credunt, non quatenus eidem correſpondeat aliquis effectus gratiæ neceſſarius ad ſalutem, ſed quatenus pænitentia non eſt efficax ad conſequendam gratiam primā poſt lapſum, niſi ſit cum illo ordine ſaltem implicito ad reſtitutionem, & ſic licèt reſtitutio ſecundum ſe directè non 3

cauſet

Digitized by Google

cauſet gratiam primam, cauſat tamen votum ipſius ſimul cum pænitentia, quæ efficax non eſt ad hunc effectum, niſi cum illo voto. Siſtendum tamen eſt in ſententia prima afferente non ità neceſſariam eſſe; nec ratio aduerſa aliquid euincit, cæteroqui adimpletio cuiuſcunque alterius præcepti etiam poſitiui, eſſet ità neceſſaria ſaltem in voto, quod non eſt dicendum. Attendendum igitur eſt, an votum illud reſtitutionis propriè, & poſitiuè influat in gratiam, qua ratione eſſet neceſſarium neceſſitate medij, quod, cum non præſtet, non eſt talis rationis arbitrandum.

Soluitur ſecundum argumentum contrarium. Ad ſecundam dicendum eſt reſtitutionem non eſſe partem ſatisfactionis ſacramentalis, vt malè nonnulli ſibi ſuadent, quandòquidem ſatisfactio ſacramentalis eſt in poteſtate ſacerdotis, & procedit virtute clauium; reſtitutio autem eſt ex alio titulo debita etiam independenter ab abſolutione, & ſatisfactione ſacramentali.

Soluitur tertium argumentum. Ad tertium reſpondendum eſt, expreſſionem ſub eadem conditione non ſemper importare eandem neceſſitatem, & eodem modo, cæteroquí omnia præcepta iuris poſitiui etiam Eccleſiaſtici inuoluerent neceſſitatem medij; poteſt enim optimè dici, quod niſi quis ſacrum audierit, vel ieiunauerit diebus præceptis non conſequetur vitam æternam, & tamen nemo aſſeret, quod obſeruantia huiuſmodi præceptorum ſit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. Neceſſitas igitur non arguitur ſolummodò ab expreſſione conceptus, ſed ab effectibus, ad quos res, quæ dicuntur neceſſariæ, ordinantur; cum ergo pænitentia, & baptiſmus ordinentur ad primam gratiam, in quam ex ordinatione diuina directè, poſitiuè, & immediatè influunt, non poſſunt, niſi importare neceſſitatem medij, reſtitutio verò cum ordinetur ſolummodò ad remouendum prohibens, & ſolummodò diſpoſitiuè ad eandem gratiam non poteſt ſortiri vim talis neceſſitatis, de cuius ratione eſt taliter influere.

Ratio à poſteriori euincens non eſſe neceſſariã neceſſitate medij. Ratio ſecundo à poſteriori poteſt ſic deduci, quia res, quæ dicitur neceſſaria neceſſitate medij, talis eſt, vt etiam ſi inculpabiliter omittatur, ſine ipſa finis non aſſequatur, ſed huiuſmodi non eſt reſtitutio in ordine ad ſalutem; nam ſi quis per inuincibilem ignorantiam rem alienam, quam detinet inuito Domino, non reſtitueret, hac ratione non ſaluaretur, quod, vt inquit, *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtit. c. 1. verſ. cæterum ego*, eſt paradoximum. Accedit, quod ſi reſtitutio eſſet neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, qui impotens eſt ad reſtituendum, eſſet extra ſtatum ſalutis, ſicuti eſt extra talem ſtatum, qui poſt lapſum in peccatum læthale impotens eſt ad pænitentiam, vel per ſacramentalem confeſſionem ſimul cum atritione, vel per contritionem ſimpliciter ob ſuperuenientem dementiam, vel frænefiam; quis autem hoc diceret, cum lex reſtitutionis non obliget impotentem pro ſtatu impotentiæ.

Aſſertio II. Reſtitutio eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti diuini, & legis iuſtitiæ. Conſentiunt *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. in corpore, & ibi Caietanus, Sotus lib. 4. de iuſtitia diſp. 6. Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtitutione c. 1. Siluester verb. Reſtitutio 5. in princip. Canus relect. de pænitentia 4 part. §. itaque, Paludanus in 4. diſtinct. 15. q. 2. art. 6., & alij magis communiter.* 4 Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti diuini.

Probatur primo varijs ſcripturæ locis, quibus indicitur tale præceptum; primo ex illo *ad Roman. 8. Reddite omnibus debitum, cui tributum tributum &c. nemini quidquam debeatis*. Secundo ex illo *Tobiæ 2. Videte, ne furtiuus ſit, reddite illum Dominis ſuis, quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere*. Tertio ex illo *Leuitici 6. Qui vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, aut aliquid, quidpiam commiſerit, omnia integra primum reſtituat*. Quarto ex illo *Matthæi 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. Sacræ Scripturę euincentes intentum.

Hæ rationes videntur ſolummodò probare quoad reſtitutionem rerum, quæ injuſtè ablatæ ſunt, & detinentur contra voluntatem Domini; nam quoad cæteras, quæ detinentur ex voluntate Domini, vt in mutuo, commodato, & depoſito, non videntur vrgere, ſicque non videtur, quod aſſertio vniuerſaliter procedat de omni reſtitutione. Sotus *lib. 4. de iuſt. q. 6. in princip. verſ. quæſtio hæc nemini dubia*, exiſtimat non procedere aſſertionem, niſi quoad ea, quæ iniuſtè detinentur contra voluntatem Domini; vndè dicit, quod mutuum v. g. vel eius pretium ante ſtatutum tempus reſtituere non ſit neceſſarium, & elapſo tempore, dum redditur, non ſit propriè reſtitutio, ſed vel ſimplex redditio mutui, vel ſolutio pretij; quod autem non dicatur propriè reſtitutio ex eo deducit, quod cum creditor vſque ad illud tempus ſua ſponte careret illa re nondũ cenſetur minus interim habere, aut ſuo iure, & ſtatu eſſe deiectus. Nihilominus arbitror aſſertionem vniuerſaliter procedere de quacunque redditione debiti, etiam ſi hoc ad aliquod tempus detineatur conſentiente Domino, non quidẽ relatè ad tempus, quo iuſtè detinetur iuxtà voluntatem Domini, ſed relatè ad tempus, quo res illa debita debet reſtitui;

tunc

Digitized by Google

tunc etenim vrget præceptum reſtitutionis, & ſi non reſtituatur, dicitur detineri inuito Domino,& gratis omninò dicitur, quod, cum tunc redditur, nō dicatur propriè fieri reſtitutio, ſed ſimplex redditio; Quid enim eſt reſtituere, niſi iterato quē conſtituere in dominium, & poſſeſſionem rei eidem debitæ? quod certè fit, quandò mutuum iuxtà tempus conuentum redditur, vel pretium eiuſdem.

5 Aſſertio III. Præceptum, ratione cuius reſtitutio dicitur neceſſaria ad ſalutem, probabilius eſt negatiuum, quamuis exprimatur nomine poſitiuo. Conſentiunt *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 8. in ſolut. ad primum, Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. de 4. Gabriel in 4. diſt. 15 q. 2. concl. 2. Canus relect. de pœnit. 4. part. §. itaque Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtit. c. 1. verſ. mihi verò aliter, Silueſter verb. reſtitutio 5. in princip.*

Præceptū reſtitutionis probabilius eſt negatiuū.

Probatur primo auctoritate *D. Thomæ loc. cit.* vbi ſic habet *Præceptum de reſtitutione facienda, quamuis ſecundum formam ſit affirmatiuum, implicat tamen in ſe negatiuum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.*

Probatur ſecundo ratione, quia ablatio rei alienæ contrà voluntatem Domini eſt actio aliqua realis, & poſitiua, ergo præceptum, quo interdicitur talis ablatio erit negatiuum, quandòquidem præceptum, quo prohibetur actio realis, & poſitiua, cum eidem opponatur, non poſſit, niſi eſſe negatiuum. Confirmatur, quia detinere rem alienam eſt quid poſitiuum, ergo non detinere, ſeu reſtituere erit aliquid negatiuum, adeòque præceptum de non retinendo, erit etiam negatiuum.

Dices primo *ex Leſſio de iuſtitia, & iure lib. 2. c. 7. n. 49.* non detinere alienum in re eſſe potius affirmatiuum, quam negatiuum, quandòquidem non poteſt ſeruari, niſi per actum poſitiuum, quo res accepta tradatur vero Domino. Sed contra fateor, quod in illa non detentione ſuppoſita præcedenti ablatione interueniat aliqua actio poſitiua, qua ſcilicet res ablata traditur vero Domino, ſed hæc non venit principaliter, ſed tantum conſecutiuè ad onus non detinendæ rei alienę, prout latè probat *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtitutione c. 1. verſiculo quando enim prope med.* qui etiam aſſerit, nec incongruè, quod eo ipſo, quo iniuſtus detentor à poſſeſſione, fruitione, atque ab illa actione, qua rem alienam contrectat, deſinit, ſtatim non teneatur vllo præcepto contra iuſtitiam, quamuis per accidens importetur quædam actio realis, per quam rem ſublatam tradit Domino, quæ tamen venit præciſè in conſequentiam, quin immò, quandòque poteſt eſſe quidquid requiritur ad veram rationem reſtitutionis, nec tamen interuenire illa actio realis, & poſitiua, quod contingeret, quandò res ſublata non diſtaret loco à Domino, qui ceſſante illa detentione per ſe recuperaret, vel quandò fit compenſatio, & his ſimilia. Conſtat igitur ipſam non detentionem eſſe id, quod principalitèr intenditur in præcepto reſtitutionis, quamuis ex neceſſaria ſequela contingat, quandòque illa actio realis traditionis, quæ proinde per accidens, & conſecutiuè venit.

Traditio venit in conſequētiā ad præceptū non detentionis.

Dices ſecundo ex eodem, præcepta negatiua ex genere ſuo obligant ſemper, & ad ſemper, ſed huiuſmodi non eſt præceptum reſtitutionis, quod obligat ſolum, quandò eſt opportunitas reſtituendi, vt infra innoteſcet, ergo &c. Sed contra; ex ijs, quæ mox dicta ſunt, patet reſponſio; cum enim id, quod principalitèr intenditur in præcepto reſtitutionis, ſit non detinere alienum, & per accidens conſequatur actio realis, & poſitiua actualis traditionis verificatur, quod præceptum hoc in ordine ad illud, quod principalitèr intenditur, obliget ſtatim, & ad ſemper; ſemper enim rem alienam debet dimittere, & licet ratione importunitatis, quandòque non tradatur res actualitèr, & fortè etiam inculpabilitèr, ſemper tamen verificatur, quod non debeat detinere, quod eſt principalius intentum in præcepto reſtitutionis; Neque ex hoc inferas, ergo pro quacunque etiam modiciſsimo tempore res detinetur, vltra primam ablationem ſemper committetur peccatum, & ſic tot peccata, quot ſunt modiciſsima tempora, pro quibus res detinetur. Conſequentia probatur, quia ex vna parte prima ablatio pro breuiſsimo tempore, quo fit, eſt læthalis, adeòque etiam pro quocunque breuiſsimo tempore erit læthalis detentio, quæ æquiualet ablationi; ex alia parte præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper; ergo ad quamcunque temporis differentiam; contra enim impugnaberis, quia præceptum negatiuum reſtituendi non refertur primario, & principalitèr ad actualem traditionem rei ablatæ, ſed ad non retentionem, quæ ſemper obligat; nec propterea ſequitur, quod tot ſint pecca- 6
ta, quot ſunt detentiones per minutiſsima tempora, quandòquidem ratio peccati in ijs, quæ ſunt ad alterum, cuiuſmodi ſunt actus commutatiuæ iuſtitiæ deſumitur penes ordinem ad iniuriam, quæ alteri infertur, & ad indignationem, quam ex opere patrato concipit; Dominus autem rationabilitèr grauiter inuitus ſupponitur quoad primam ablationem, non ſic in retentione per breuiſsimum tempus, quia

Non committit tot peccata, quot ſunt momenta quibus detinet, & quare.

prima

Digitized by Google

prima ablatio eſt radix retẽtionis ſequentis, non ſic breuis retentio poſt primam ablationem, quod, ſi tibi fingas, aliquem in prima acceptione rei non habere intentionem retinendi, talis prima acceptio regularitèr non eſſet lęthalis, niſi aliundè haberet connexam iniuriam grauem propter vim factam Domino reſiſtenti, aliamque ſimilem cauſam. Stare igitur poteſt ſimul, quod teneatur pro quacunq; temporis diferentia non detinere, & tamen poſt primam ablationem nõ ſemper peccet læthaliter pro quacunque temporis diferentia detinendo pro modico, cum hoc proueniat non defectu eiuſdem præcepti negatiui, quod quantum eſt ex ſe obligat pro quacunque differentia temporis, ſed ratione materiæ, quæ cum alterum reſpiciat, quem lædit, non conſtituit grauitatem in delicto, niſi quatenus ille, quem lædit, eſt rationabilitèr grauiter inuitus; non intelligitur autem talis per modicam detentionem poſt primam ablationem.

Si autem hic inquiras primo, cur potius in præcepto reſtituendi principalius attendatur nõ detinere alienum, quod eſt negatiuum, quam actio illa reddẽdi ablatum, quæ eſt realis, & poſitiua? Certè ex vno capite iuſtitia commutatiua principalius reſpicit indemnitatem læſi, cum eidem tribuere intendat, quod ſuum eſt, & vt tantum habeat, quantum habere debet, auferendo ab alio, quod habere non debet; hoc autem fit potiſsimum per actualem traditionem rei ab ipſo ſublatæ, non per meram non detentionem, nam per hanc præciſè Dominus non habet, quod habere debet, & quod ſuum eſt; ex alio, cum verſetur iuſtitia commutatiua, quæ potiſsimum attenditur in reſtitutione inter paſſum, & repaſſum, ſeu contrapaſſum, ſicuti iniuſtus ablator, ſeu detentor dãmnum intulit per actionem poſitiuam auferendo a Domino rem ipſius, ità in reſtitutione debet damnum illud reparare per actionem poſitiuam tradendo ipſi, quod ab eodem abſtulit, nec præciſè damnum reparat non detinendo, ſed conſtituendo ipſum iterato in poſſeſsione, qua ipſum priuauerat. Nihilominus, quantumuis iuſtitia commutatiua reſpiciat illam indemnitatem, quæ certè fit per illam iteratam conſtitutionem in proprio ſtatu reſpectu læſi, ſeu damnificati, ex modo tamen, quo intendit conſtituere æqualitatem, & ex reſpectu, quo ordinat illam iterationem, quandòque principalius reſpicit actionem poſitiuam, qua alter conſtituitur in proprio ſtatu, quandòque negatiuam, qua quis priuatur re, ſeu iure, quo legitimè gaudere non poteſt attento præcipuè ordine perſonarum, ad quas dirigitur præceptum eiuſdem iuſtitiæ cõmutatiuæ, quamuis indirectè poſteà, & conſecutiuè referatur ad vtrumque. Si igitur reſpiciat læſum, cui intendat conſtituere æqualitatem, certè primario reſpicit poſitiuam actionem, per quam ei reddatur, quod ipſi debetur; ſi verò reſpiciat lædentem, ad quem dirigat ſuum præceptum, tunc principalius reſpicit negatiuum, vt ſcilicet non detineat rem, quã habere non debet, ex quo conſequitur poſtea, quod alter in ſuo ſtatu conſtituatur; Præceptum iam reſtitutionis reſpicit lædentem, vt ex ſe patet, & per conſequens primario ipſum priuat re, quam iniuſtè abſtulit, ex qua tamen priuatione conſequitur, quod læſus per traditionem rei ablatæ conſtituendus ſit in proprio ſtatu; nec mirum debet apparere, quod ſub diuerſo reſpectu idem conſideretur principalius, & minus principaliter in correſpectiuis, vt videre etiam eſt in actione, & paſsione, quæ quamuis in ordine ad idem non diſtinguantur inter ſe, prout tamen habetur reſpectus ad paſſum, ſeu conſideratur ex parte effectus magis principalitèr importatur paſsio, & minus principalitèr actio, ſi verò habeatur reſpectus ad cauſam, ſeu conſideretur ex parte agẽtis venit principalitèr actio, & non niſi conſecutiuè paſſio.

Ratio, propter quam in præcepto reſtituẽdi potius reſpiciatur negatiuũ, quàm poſitiuum.

Si inquiras ſecundò, ex quonam loco Sacræ Scripturæ colligatur hoc præceptum negatiuum reſtituendi res alienas. Reſpondeo ex illo Decalogi. *Non furtum facies*, prout notarunt *Medina C. de reſtit. q.2. Petrus à Nauarra lib.1. de reſtit. c.1. verſ. adde prædictis circa finem capitis*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòqui- 7
dem non reſtitutio eſt continuata detentio, ſeu ablatio rei alienæ, ergo præceptũ de reſtitutione non aliud importat, quam quod continuato non auferatur res aliena, adeòque proprie continetur in illo præcepto *Non furtum facies*; nec aduerſari poteſt, quod in reſtitutione veniat actus poſitiuus, nempè traditionis rei ſublatæ; non, inquam, aduerſari poteſt, quia nulla eſt repugnantia, quod præcepto negatiuo præcipiatur actio poſitiua, quandò hæc venit dumtaxat in conſequentiam, & eſt neceſſaria ad obſeruantiam negatiui, vt videre eſt etiam in præcepto non occidendi, quo etiam præcipimur periclitantem defendere, & eidem in extremis ſubuenire,

Præceptũ negatiuũ reſtituẽdi fundatur in illo decalogi *Nõ furtum facies.*

Hæc, quæ dicta ſunt de præcepto reſtituendi rem alienam, quandò per iniuriam Domini, & contra voluntatem eiuſdem ſublata eſt, proportionalitèr intelligenda ſunt in ordine ad reſtitutionem rei,

quæ

Digitized by Google

quæ eodem conſentiente detenta eſt elapſo termino, pro quo conceſſa eſt; nam poſt moram iniuſtè incipit detineri, & contra voluntatem Domini, adeòque æquiualet iniurioſæ ablationi; verum tamen eſt, quod vt plurimum in hac hypotheſi ſic iniuſtè detinens quoad forum ciuile eximitur à criminalitate, cum illa detentio originem traxerit à contractu; cæterum ſecundum ſe præceptum ſemper, & ad ſemper obligat ad illam non detentionem, & per conſequens ad reſtitutionem, cum ſemper verificetur, quod detineatur inuito Domino.

Hoc præceptū procedit ex principijs naturæ.

8 Aſſertio IV. Præceptum reſtituendi rem alienam nedum eſt Diuinum, ſed etiam naturale, ſeu procedens ex principijs naturæ. Conſentit *Petrus à Nauarrà de reſtitutione lib. 1. c. 1. in fine verſ. ad rationē Caiet. & Nauar.*, atque hæc videtur eſſe expreſſa mens *D. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 2.*, vt colligitur ex probatione, quam ipſe adducit.

Probatur igitur cum eodem S. D. hoc pacto. Ius naturale dictat ſeruandam eſſe iuſtitiam, hocque neceſſarium eſſe ad ſalutem, ergo etiam dictat reſtituendum eſſe, quod iniuſtè ablatū eſt. Conſequentia probatur, quia reſtituere, quod iniuſtè ablatum eſt, eſt conſeruare iuſtitiam. Confirmatur, quia, ſi ſemel concedatur non eſſe neceſſariam ad ſalutem reſtitutionem, concedi etiam deberet non eſſe neceſſariam ad ſalutem impletionem cōtractus, ad quem quis ex iuſtitia tenetur v.g. non eſſe neceſſariam ſolutionem pretij accepta merce, ſicque corruerent omnia humana commercia. Confirmatur ſecundo, quia ius naturæ dictat non alteri faciendum, quod tibi non vis fieri, ſed nemo præſumendus eſt, quod velit ſibi non fieri reſtitutionem rei iniuſtè ablatę, ergo eodem naturæ iure dictante non poteſt alteri reſtitutionem rei, quam iniuſtè detinet, denegare.

Excluditur opinio Soti.

Hinc habes primo non eſſe audiendum *Dominicum Sotum lib. 4. de iuſtitia, & iure q. 6. art. 1. & 2. in fine, & q. 7. art. 4.* dum dicit præceptum reſtitutionis non eſſe idem, ac præceptum de non furando, ſed eſſe potius duo diſtincta præcepta, quorum alterum eſt de prohibitione mali, alterum de iuſſione boni; primum, quatenus importat iteratam conſtitutionem creditoris in ſtatu proprio; ſecundum, quatenus importat non detentionem rei alienæ inuito creditore, ſeu Domino; Non, inquam, audiendus eſt primò, quia in quocunque præcepto duplex ſemper interueniret, aliud, quo præciperetur bonum, aliud quo malum interdiceretur, vt notat *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtitutione cap. 1. verſ. ſecundum autem argumentum*. Secundo, quia dato etiam, quod eſſet duplex æquiualentèr præceptum, prout tamen correſpondet affectui reddendi ſcilicet alteri, quod ſuum eſt, non venit principalitèr, ſed dumtaxat conſecutiuè, prout iam ſuprà probatum eſt, quare non aduerſatur noſtræ aſſertioni.

Excluditur error nōnullorum Græcorum.

Habes ſecundo, quam turpitèr errarint Græci aliqui, qui, vt refert *Alphonſus de Caſtro lib. 18. de hæreſibus verbo reſtitutio, Dominicus Soto lib. 4. de iuſtitia q. 6. art. 2.* ſentiebant non tantum non eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij, ſed nec etiam neceſſitate præcepti; vndè pro furto, vſura, & rapina non iniungebant reſtitutionem, ſed vngentes oleo raptorem, vſurarium, & furem præcipiebant dumtaxat, vt Sacerdotibus vngentibus, & abſoluentibus aliquid eleemoſinæ erogarent. Ex dictis enim huc vſque clariſſimè liquet reſtitutionem ex iuſtitia, & ex præcepto faciendam eſſe; nec eidem ſuffragari poteſt illud *Lucæ 11.* vbi cum Chriſtus Dominus dixiſſet Phariſeis. *Quod intus eſt veſtrum plenum eſt rapina, & iniquitate* immediatè ſubdit. *Veruntamen, quod ſupereſt date eleemoſinam, & omnia munda ſunt vobis*; Non, inquam, ſuffragari poteſt, quia in primis ea, quæ dicta ſunt à Chriſto Domino, intelligenda ſunt non de rapina propria, & in rigore ſumpta, ſed de vſuris ſucceſſiuè, & à diuerſis acquiſitis, quorum haberi non poterat certa, & determinata notitia, ac proinde ijs detractis, quæ erant ſimpliciter neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem, præcepit eſſe in eleemoſinam pauperibus eroganda, cum non innoteſceret, quibus ex iuſtitia eſſent tribuēda. Deindè Chriſtus Dominus per ea verba docuit ſolummodò eleemoſinam valdè conducere diſpoſitiuè ad mundandam conſcientiam, at non ideò excludit cætera neceſſaria ad huiuſmodi munditiam obtinendam, ſicuti dum Daniellis 4. habetur *Peccata tua eleemoſinis redime* non ſignificatur ſufficere eleemoſinam ad peccata redimenda, ſed valdè conducere, dummodò alia requiſita non deſint.

PRÆNOTIO III.

Quot, & quænam ſint radices reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Duæ radices reſtitutionis referuntur. 1.
Ratione rei acceptæ tenetur detinens reſtituere rem alienam, quæ apud ipſum manet. 2.
Etiam ſi iniuſtè non acceperit. 3.

Digitized by Google

Non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad fructus, ſiue pendentes, ſiue perceptos, ſi extent. 4.

Si amplius non extent, & bona fide fuerint conſumpti, tenetur ad id, in quo factus eſt locupletior. 5.

Si mala fide conſumpſit abſolutè tenetur ad eorum reparationem. 6.

Non tenetur tamen reſtituere fructus merè induſtriales, quos bona fide percepit. 7.

Nec fructus induſtriales, quos ex re mala fide detenta percepit; tenetur tamen compenſare damna, quæ indè Domino obuenerunt. 8.

Emptor rei alienæ ab iniuſto detentore ſoluto eidem pretio tenetur fructus rei, quos percepit ex re illa, Domino reſtituere, ſi extent, vel id, in quo factus eſt ditior. 9.

Si mala fide conſumpſit, tenetur reſtituere tales fructus, etiamſi non extent. 10.

Explicatur quandonam quis ex re aliena dicatur factus locupletior. 11.

Si factus fuerit locupletior ex fructibus rei alienæ mixtis, tenetur reſtituere equiualens detractis expenſis, & valore laboris, & induſtriæ. 12.

Detinens rem alienam fructiferam bona fide, & ex negligentia non percipiens fructus non tenetur fructus non perceptos compenſare, ſecus ſi mala fide detineat. 13.

Qui emit rem à fure cognita alienitate rei, tenetur eandem Domino reſtituere, poteſt tamen agere contrà venditorem ad pretium ſolutum. 14.

Secundus emptor, qui emit rem furtiuam ab altero, qui emerat à fure, ad recuperandum pretium pro ipſa ſolutum, tenetur ſuo venditori rem illam exhibere, ſi idem venditor probabiliter poſſit ſuum pretium à fure recuperare, ſecus, ſi non poſſet idem venditor recuperare, & tunc poſſet ipſe ſecundus emptor à ſuo venditore pretium exigere, quod ſoluit. 15.

Diſparenter ſecundo emptore primus, qui rem emit à fure bona fide conuentus à Domino rei, non tenetur pretium perſoluere eidem. 16.

Intellige, niſi primus emptor ex illa venditione factus fuerit locupletior. 17.

Ratione iniuſtæ acceptionis tenetur quicunque damnificans, etiamſi nullum commodum indè acceperit. 18

Ratione acceptionis non iniurioſæ, ſed ex voluntate Domini tenetur pretium rei reſtituere, qui eandem accepit in commodum proprium, etiam ſi ſine ipſius culpa res perierit. 19.

Non tamen tenetur, ſi perierit ex caſu fortuito. 20.

Qui rem accepit in commodum eius, à quo accepit, ſi perierit ſine culpa lata, vel dolo non tenetur pretium reſtituere. 21.

DVo capita, ſeu radices reſtitutionis communitèr aſſignant DD. Alterum, quod dicitur *res accepta*; alterum, quod dicitur *acceptio*. Ratione rei acceptę intelligitur non ſolum id, quod ab altero ſublatum eſt, puta veſtis, liber, gemma &c. ſed etiam quæcunque alia res alteri debita, quamuis pro aliquo tempore conſentiente Domino detineatur; cuiuſmodi eſt commodatum, depoſitum, & etiam legatum alteri relictum, & adhuc penes hæredem detentum. Ratione acceptionis tria potiſſimum poſſunt intelligi, vt conſiderat *D. Thomas* 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *in corpore*; primum iniurioſa acceptio rei contra voluntatem Domini, quæ potiſſimum contingit in actione furtiua, & in rapina; ſecundum acceptio ſine iniuria Domini in vtilitatem eius, qui accipit, vt contingit in receptione rei mutuatæ. Tertium acceptio etiam rei alterius ſine iniuria eius, à quo accipitur, non pro vtilitate accipientis, ſed eius, à quo accipit, vt contingit in acceptione depoſiti. De vtroque hoc capite erit latè ſermo ſub hoc titulo; & quidem in ordine ad rem acceptam inquiretur primò, an eam detinens teneatur eandem reſtituere, quantumuis iniuſtè non acceperit. Secundo quænam bona ſint obnoxia reſtitutioni ex hoc titulo rei acceptæ. In ordine verò ad acceptionem loquendo de iniurioſa inquiretur primo, an teneatur iniuſtè accipiens, etiam ſi apud ipſum res non remaneat, reſtituere; Secundo, an ex hoc titulo iniurioſæ acceptionis teneatur dumtaxat, qui iniuſtè Phyſicè concurrit ad ablationem, an verò etiam, qui concurrit moralitèr per conſilia, ſuaſiones, mandatum, & per non impedimentum &c. Tertio in ordine ad quæ bona conſurgat obligatio reſtitutionis ex hoc titulo; loquendo verò de acceptione non iniurioſa, quæ tamen fit in vtilitatem accipientis inquiretur, an, ſi res illa adhuc non permaneat etiam citra culpam eius, qui accepit, adhuc debeat reſtitui ratione eiuſdem acceptionis, quod idem ſub diſputatione cadet, quandò acceptio facta eſt in vtilitatem ſolum illius, à quo accepta eſt.

1 Referuntur, & explicantur duæ radices reſtitutionis.

Aſſertio I. Ratione rei acceptæ, quotieſcunque non acceperit iuſto titulo acquiſitiuo dominij, tenetur eam verò Domino reſtituere ille, apud quem res ipſa manet. Conſentiunt *D. Thomas* 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *in corpore, & ibi Caietanus Sotus lib.* 4. *de iuſt. & iure q.* 7. *art.* 2. *Leſſius de iuſt. & iur. lib.* 2. *c.* 7. *dub.* 5. *n.* 19., *& alij communiter.*

2 Ratione rei acceptæ ſunt reſtituenda illa, quæ manent apud detentorem.

Ratio ex eo deducitur, quod iuſtitia commutatiua, cuius proprius eſt actus reſti-

reſtitutio reſpicit æqualitatem, ratione cuius vnus non habeat plusquam habere debet, & alter minus, ſed quandò quis detinet rem alienam plus habet, quam habere debeat, ergo ſic ſuadente iuſtitia cõmutatiua illam reddere debet ei, cuius eſt, ergo quicunque detinet rem alienam tenetur eandem reſtituere vero Domino. Confirmatur, quia quocunque res deueniat cum qualitate alienitatis ſemper clamat pro Domino, & iure quodam innato in ipſum fertur, ergo ille, ad quem peruenerit, & apud quem extat, tenetur illam vero Domino reſtituere.

3 Etiam ſi iniuſtè nõ acceperit.

Dixi, *quantumuis iniuſtè non acceperit*, quia radix reſtitutionis non ſolum prouenit ex iniuſtitia, ſeu ex actione iniuſta, qua accepta eſt, ſed etiam ex iniuſtitia, qua detinetur, ergo quantumuis non fuerit iniuſtè accepta, cum tamen detineatur contrà iuſtitiam, de cuius munere eſt, reddere vnicuique, quod ſuum eſt, erit ab illo, qui detinet, vero Domino reſtituenda.

4 Et non ſolũ quoad proprietatem, ſed etiam quoad fructus, ſiue pendẽtes, ſiue perceptos, ſi extent.

Aſſertio II. Bona, quæ ratione rei acceptæ ſunt reſtituẽda vero Domino, ſunt potiſſimum bona fortunæ, & non ſolum quoad proprietatem, & ſubſtantiam eorundem bonorum, ſed etiam quoad fructus eorundem, ſiue pendentes, ſiue iam perceptos, ſi extent, vel ſi non extent, quoad ea, in quibus detinens factus fuerit locupletior, dummodò bona illa fuerint detenta per bonam fidem. In hanc aſſertionem propendent omnes tam Theologi, quàm iuris interpretes.

Ratio eſt, quia in huiuſmodi potiſſimum bonis alter plus habet, quam habere debet, alter minus, ergo in ijs potiſſimum conſtituenda eſt æqualitas per reſtitutionem, per quam qui plus habet conferat illud plus ei, qui minus habet.

Dixi, *non ſolum quoad ſubſtantiam earundem rerum, ſed etiam quoad fructus, ſiue pendentes, ſiue iam perceptos, ſi extent, vel in quibus factus eſt locupletior, ſi non extent*. Ratio huius extenſionis ex eo deſumitur, quia fructus, cedunt rei, ergo, cum res ipſa pertineat ad Dominum, fructus eidem Domino cedere debent, nec officit, quod iam fructus fuerint ſeparati à re, cuius ſunt fructus, dummodò ſextent; non obſtat, inquam, quia talis ſaparatio fructuum a fũdo præcisè non transfert ius ad eòſdem ab vno ad alterum, ſed ad ſummum efficit, quod non ſint amplius pars fundi,

5 Si fructus amplius non extẽt reſtitui debet id, in quo detĩnẽs factus fuit locupletior.

cum quo tamen ſtat, vt iure acceſſionis pertineant ad eundem, ad quem pertinet fundus. Quod verò, ſi non amplius extent fructus, eo quia fuerint per detentorem bona fide conſumpti, teneatur ad reſtitutionem eius, in quo factus fuerit locupletior, expreſsè habetur per textum *in l. etſi §. 1. & l. item veniunt §. 1. ff. de pet. hæred.*, & ratio ipſa ſuadet, quia nemo debet ex re aliena diteſcere, & illud, in quo factus eſt locupletior, æquiualet fructibus extantibus.

6 Si mala fide conſũpſit, tenetur reſtituere.

Si verò arbitreris fructus ipſos fuiſſe per detentorem mala fide conſumptos; tunc peto, vel fuerunt conſumpti exiſtente adhuc re ipſa apud detentorem; vel conſumpti re ipſa Domino iam reſtituta; ſi primum aſſeratur, iam ex quo detentor eſt in mala fide quoad fructus perſeuerante adhuc re ipſa penes ipſum, iam tenetur ratione iniuſtæ acceptionis tam ad fructus, quantumuis perierint, quàm ad eandem rem per textum *in l. in re furtiua ff. de condit. furt. & c. mora de reg. iur. in 6.*, quandòquidem illa detentio per malam fidem æquiualet iniuſtæ abl ationi; ſi ſecundum aſſeratur; iam fructus ipſos conſumpſit in mala fide, adeòque ratione iniuſtæ acceptionis, & iniquæ conſumptionis tenetur reſtituere.

Variæ rationes dubitandi.

Circà hanc aſſertionem & ea, quæ ex ipſa fuerunt illata, plures inſurgunt rationes dubitandi, quarum prima eſt, an ſi ex re aliena, quam quis apud ſe bona fide detinet, lucratus fuerit fructus non ex re ipſa prouenientes, ſed ex propria induſtria ſuppoſita illa re teneatur eoſdem reſtituere, ſi extent. Secunda, an ſi quis rem alienam acquiſierit ab iniuſto detentore erogato pro eadem iuſto, & conuento pretio, & interim fructus perceperit, cognita alienitate rei, & iniqua acquiſitione à non Domino, teneatur eoſdem fructus perceptos eidem Domino reſtituere, quantumuis non ſperet pretium, quod erogauit, ſe recuperaturum. Tertia, an ſi quis rem alienam habuerit ab eo, qui ſoluto iuſto pretio ab iniquo detentore inſcius acquiſierat, cognita alienitate rei, teneatur Domino reſtituere, &, an in ea hypotheſi poſſit pretium, quod perſoluit venditori, qui etiam acquiſierat ſoluto pretio, recuperare.

7 Non tenetur fructus merè induſtriales reſtituere, quos bona fide præcepit.

Ad primam aſſerendum eſt, non teneri huiuſmodi fructus, quantumuis extent, reſtituere. Conſentit *Sotus lib. 4. de iuſt., & iur. q. 7. poſt quartam concluſ. verb. intellige autem, ſi factus es locupletior*. Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte ex quo rem illam detinuit bona fide nullius culpæ intelligitur reus; ex alia illi non ſunt fructus rei, ſed induſtriæ operantis, ad quam induſtriam nullum ius habet Dominus rei; quod confirmari poteſt exemplo eius, qui depoſita re vtitur, & medio eius vſu per propriam induſtriam fructus aliquos lucratur, quos ſuos facere tradidimus *tom. 3. ſub tit. Contractus IX. de commod., & depoſ. prænot. 12. n. 3., & 4. verſ. probatur*

Digitized by Google

prima pars, & docent etiã *Molina diſp.*524., Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, diſparẽ eſſe rationem in vtente re depoſita, & ex ea acquirente fructus induſtriales, ac de detinente bona fide rem alienam, & media ea acquirente fructus propria induſtria, quandoquidem, vt aſſerebamus *d. tom.* 3. *ſub eod. titulo d. prænot.* 12. *nu.* 3. *verſ. ſecundus eſt*, dum depoſitarius ex tacita voluntate Domini vtitur re depoſita penes ſe etiam in ordine ad fructus induſtriales acquirendos depoſitum illud non remanet ſub terminis ſimplicis depoſiti, ſed tranſit in depoſitum irregulare, & fit mutuum palliatum, quod per conſequens tranſit quoad dominium in ipſum depoſitarium irregularem, vnde mirum non eſt, quod ratione dominij faciat fructus ſuos, quod euenire non poteſt in detentione rei alienæ, quæ nullo modo tranſit ſub dominio detentionis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato etiam, quod illud depoſitum tranſiret in irregulare, & mutuum palliatum, & per conſequens, quod tranſeat in dominium depoſitarij, non propterea tollit, quod, ſi etiam non tranſiret in mutuum cum translatione dominij, fructus induſtriales cederent eidem induſtriã applicanti, & ex illa acquirenti huiuſmodi fructus; non enim ibi diximus, quod acquirat huiuſmodi fructus, quia res erat ipſius depoſitarij, ſed quia non erant fructus rei, ſed meræ induſtriæ operantis circa illam rem, ad quam induſtriam nullum ius habet deponens, non enim poteſt eſſe dubium, quod fructus rei cedere debeant Domino eiuſdem rei.

8 Si autem hic inquiras, an idem eſſet dicendum quoad huiuſmodi fructus induſtriales, ſi detentor mala fide rem illam detineret, & ex illa per induſtriam fructus lucraretur; tunc maior eſſet ratio dubitandi, quandòquidem, ex quo mala fide detineret, non videretur poſſe conſequi aliquam vtilitatem, ne ex propria iniquitate lucrum reportet. Nihilominus arbitror lucrari huiuſmodi fructus, teneri tamen in hac hypotheſi, ſi quod damnum indè emerſerit, vel lucrum ceſſarit, illud compenſare Domino. Ratio primæ partis ex eo deducitur; quia iniquitas in detentione non demit ius, quod habet detentor ad lucra propriæ induſtriæ, nam per hæc in nullo lædit ipſum Dominũ, prout docet *Dominicus Sotus de iuſtitia, & iure lib.* 4. *q.*7. *verb. non autem de illo lucro ergo &c.* Confirmatur, quia per ſolam temporis dilationem in reddenda re alteri debita non acquirit creditor ius ad aliquod lucrum, quod non proueniat ex ipſa re, quandòquidem talis acquiſitio ex ſola temporis dilatione vſurariam redolet prauitatem, ergo, nec acquirit ius ad illos fructus ex ſola induſtria detinẽtis perceptos, cum iſti ex re illa nõ proueniant. Ratio ſecũdæ partis deducitur ex generali, & vulgata regula iuris, quod qui cauſam damni dat damnum dediſſe videatur *l. qui occidit §. penult. ff. ad leg. Aquil.*, ſed dilatio in reſtituendo in hac hypotheſi ſupponitur cauſa damni, & ceſſationis lucri, ergo, & damnum intuliſſe videtur, adeòque onus tribuit ad compenſationem; Neque obeſſe poteſt aduerſus primam partem textus in *l. minus, & in l. ſi cui ff. de verb. ſignif.*, *& §. tempore inſtit. de accuſ.*, in quo dicitur, quod, *qui tardius ſoluit, quam ſoluere debeat, minus ſoluere videatur*, quod confirmatur *in §. non ſolutum Inſtit. de fideius.*, vbi dicitur, *qui citò dat, bis dat; & qui tardè dat, dat minus*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ea, quæ dicuntur in allegatis textibus, procedunt dumtaxat quoad quandam voluntariam affectionem, non autem quoad rei veritatem, vnde etiam docuimus *tom.* 1. *ſub tit. Contractus* 11. *de empt., & vendit. prænot.* 3. *n.* 2. non eſſe minoris valoris pecuniam debitam, ac ſit pecunia præſens, & numerata, prout etiam docent *Leſsius l.* 2., 21., *dub.* 7. *num.* 71., *Medina C. de reſtit. qu.* 38., *Sotus lib.* 6. *de iuſt.*, *& iur. art.* 1 *ad* 3., *Silueſter verb. vſura* 2. *q.* 14. propter quam rationem diximus etiam eſſe vſurariam prauitatem aliquod lucrari ſuprà ſortem propter ſolam temporis dilationem.

Nec etiam fructus induſtriales perceptos ex re mala fide detẽtos.

Tenetur tamen dãna cõpenſare, quæ domino obuenerũt

Ad ſecundam dicendum eſt, quod, quãtumuis iniuſto detentori, a quo emit rem furtiuam, pretium pro ipſa perſoluerit, teneatur fructus rei, quos percepit ex illa re reſtituere, ſi extent, vel ſi non extent, eo quia fuerint bona fide conſumpti, omne id retribuere, in quo factus eſt locupletior, ſi verò mala fide conſumpſerit tenetur abſolutè illos vero Domino compenſare. Conſentire videtur *Dominicus Sotus lib.* 4. *de iuſt. & iur. q.* 7. *poſt quartam concl. de retinente per iniuriam rem alienam, Leſſius lib.* 2. *de iuſt. & iur. c.* 14. *dub.* 1. *n.* 1. Hæc reſolutio procedit in ſuppoſitione, qua talis emptor teneatur rem illam Domino reſtituere. Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quod habens rem alienam cognita alienitate rei, quamuis antecedenter bona fide detinuerit, tenetur illam vero Domino reſtituere, quia ſemper clamat pro ipſo, nec obſtat, quod per emptorem fuerit acquiſita iuſto pretio, quandòquidem pretium non ſoluit furtiuitatem rei, cum qua ſemper tranſit; vndè lex ciuilis concedit Domino euictionem, & vendicationem rei ſuæ, vbicunque fuerit *l. ſi debitor C. de rei vendicat.*, ergo etiam tenetur fructus eiuſdem reſtituere,

9 *Emptor rei alienæ ab iniuſto detentore tenetur fructus ex illo perceptos reſtituere Domino, ſi extent.*

Digitized by Google

tuere, ſi extent. Conſequentia probatur, quia fructus eo ipſo, quo proueniunt ex re, cedunt Domino rei per textum *in §. ſi Titius, & ſeq. Inſtit. de re diuiſ.*, adeòque, ſi emptor tenetur rem furtiuam emptam reſtituere Domino, ſi extet, tenetur, & fructus extantes ex illa perceptos reſtituere. Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet teneatur retribuere omne id, in quo factus eſt locupletior, quandò fructus conſumpti fuerunt bona fide ex eo deducitur, quia in ea parte, qua detinens rem etiam bona fide factus eſt locupletior ex fructibus rei detentæ, dicitur plus habere ex re aliena, quam habere debeat, ergo illud plus referre debet in Dominum eiuſdem rei, & ſicuti, ſi extarent fructus, quantumuis illos percepiſſet bona fide, teneretur illos reſtituere, ita tenetur illud reſtituere, in quo factus eſt locupletior, cum illud, ſeu pretium ipſius ſuccedat loco fructuum; atque hanc partem ſuſtinent *Gabriel in 4. diſt. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. Ioannes Medina C. de reſtitut. q. 10. Coaruuias lib. pr. variarum c. 3. n. 6.*; Neque his, quæ hic dicuntur obſtare videtur textus *in l. qui ſcit §. vlt. ff. de vſuris*, vbi ſic legitur *Bonæ fidei emptorem, qui prius, quam fructus perciperet, cognouit fundum alienum eſſe, cenſeri adhuc bonam fidem habere, vt fructus ſuos efficiat, donec fundus euictus ſit*, ergo donec fundus fuerit euictus, fructus antecedenter perceptos, & id, in quo factus eſt ex illis locupletior, poteſt detinere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem huic textui alij expreſſiores opponuntur, vt videre eſt *in l. qui bona fide, & l. bona fidei ff. de acquir. rer. domin.*, quamobrem ad hanc oppoſitionem euitandam dicẽdum eſt, vel cum *Coaruuia lib. 1. var. c. 3. nu. 7.* verè extare hanc ananomiam inter allegatos textus, ſed modo ſublatam eſſe ex communi ſententia, & firmiori fundamento, quo innititur noſtra ſententia, vndè præualent iura pro ipſa allegata cum ſint communiter acceptata, & ei-
10 dem fauet etiam textus *in l. ſi me & Titium ff. ſi certum petatur*, vel cum alijs illũ priorem textum per ſubſequentia iura expreſsè correctum eſſe. Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet, ſi mala fide fructus conſumpſerit teneatur illos in integrum Domino compenſare ex eo deducitur, quia qui mala fide conſumpſit jam factus eſt reus iniuſtę acceptionis; ſed ratione iniuſtæ acceptionis quicunque rem tenetur reſtituere, quantumuis illam apud ſe non habeat, ſed fuerit, vel furto ſublata, vel conſumpta, ergo &c.

Si mala fide conſūpſit tenetur reſtituere fructus etiam ſi non extent.

Hic ſolum remanet explicandum primo, quandonam dicatur ex fructibus rei alienæ, quam apud ſe detinuit bona fide, factus locupletior. Secundo, quandò ex illis factus eſt locupletior, an reſtituendum ſit æquiualens, ſiue fructus con-
11 ſumpti fuerint naturales, ſiue mixti ex re, & induſtria. In ordine ad primum dic, tunc dici factum eſſe locupletiorem, quandò ex fructibus rei alienæ aliquid acquiſiuit, quod ſine illis non acquiſiuiſſet, vel quandò ex fructibus, ſeu vſu rei alienæ aliquid proprium non conſumpſit, quod fuiſſet ſine illis, vel illo conſumpturus; ſic in particulari dicitur factus ditior, & tenetur ad compenſationem, quandò rem alienam vendidit, & pretium recepit, tunc etenim tenetur pretium illud reſtituere *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 1. n. 5.*, niſi illud inſumpſerit in luſibus, & largitionibus, ex quibus non factus ſit locupletior; intellige tamen, niſi præſcindendo ab illa acquiſitione pretij, illas largitiones, ſeu impendia de ſuis bonis, vel ex neceſſitate, vel ex propriæ voluntatis decreto fuiſſet facturus; ſi etenim inſumpſerit in largitionibus, & vſibus ſine neceſſitate, cæteroqui non inſumpturus, ſi non habuiſſet illud pretium, in nullo factus eſſet locupletior; ſi verò ex neceſſitate, vel præcedenti ſuæ voluntatis decreto fuiſſet cæteroqui inſumpturus, iam factus eſt locupletior, quia pepercit rebus ſuis, quas impendiſſet. Secundo in particulari intelligitur factus ditior, & obligari ad reſtitutionem non extantibus etiam fructibus rei alienæ, ſi illos fructus conſumpſerit in vſibus, in quibus, niſi illos habuiſſet fructus, alios proprios inſumpſiſſet *Dominicus Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7.* per textum *in l. item veniunt §. præter hæc ff. de petit. hered.* Tertio intelligitur factus ditior, & obligatus ad reſtitutionem, ſi veſtem alienam ſericam, vel pretioſam detinuerit, & ex illius vſu, aliam, quam conſumere debuiſſet, reſeruauerit *idem Sotus loc. cit.*, intellige tamen quoad eam veſtem, quam ſine aliena fuiſſet inſumpturus, quandòquidem, ſi aliena fuerit maioris valoris ea, quam fuiſſet adhibiturus, & conſumpturus, non tenetur vltrà valorem eiuſdem conſumendæ, quandòquidem quoad illum valorem veſtis alienæ ſuper excedentem non factus eſt locupletior. Quarto intelligitur factus locupletior, & ad reſtitutionem obligatus, ſi equo ſibi à latrone donato, vel ab eodem empto vſus fuerit ad itinera, quæ habere debuiſſet ad propria negotia obeunda cum ſumptibus alterius equi, ſi illum non habuiſſet, non autem ad itinera, quæ habuiſſet recreationis gratia, quæ non fuiſſet habiturus, ſi illum equum non habuiſſet, *Idem Sotus loc. cit.*,

Explicatur quandonā quis dicatur ex re aliena factus locupletior.

ſi tamen

ſi tamen equum locaſſet, & ex tali locatione lucrum acquiſiuiſſet, ex quo factus eſſet ditior, teneretur ad reſtitutionem

12 Teneetur reſtituere æquiualẽs etiã ſi fructus rei alienæ fuerint mixti detractis tamen expenſis.

illius pretij, ſeu æquiualentis. In ordine ad ſecundum aſſerendum eſt, quod quantumuis factus fuerit locupletior ex fructibus mixtis, quos conſumpſit, reſtituendum ſit æquiualens eiſdem fructibus cõſumptis detractis expenſis, & valore laboris, & induſtriæ. Conſentiunt *Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. c. 14. n. 10. verſ. contrarium tamen, Gabriel in 4. diſt. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. & alij.* Apertè colligitur ex textu *in l. ſi me, & Titium ff. ſi certum petatur*; nec obeſſe poteſt textus *in §. ſi quis à Domino Inſtit. de rer. diuiſ., & l. quæſitum ff. de acquir. rer. domin.*; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure d. c. 14. n. 10. in fin.* iſti textus procedunt ſolummodò, quandò detinens ex illis non eſt factus locupletior; Deindè, quandò prædicti textus procederent, etiam quandò eſt factus locupletior, intelligendi eſſet ad ſummum quoad ea, quæ correſpondent induſtriæ ſecundum ſe ſumptæ, non rei ipſi. Tandem modernis temporibus communi calculo reprobantur attento potiſſimum textu *in d. l. ſi me, & Titium ff. ſi cert. petatur.*

Hic oritur alia difficultas, an ſi res, quæ detinetur, eſſet ſecundum ſe fructifera, & ex negligentia detinentis nulli eſſet percepti fructus, teneretur fructus illos Domino compenſare. Reſpondendum eſt, quod ſi bona fide detinuerit, non teneatur fructus illos, quos non percepit, Domino compenſare, ſecus ſi mala fide

13 Detinens rem alienam fructiferã bona fide, & ex negligentia, nõ percipiẽs fructus nõ tenetur illos compẽſare, ſecus ſi mala fide detineat.

detinuerit; Conſentiunt *Leſſius d. l. 2. c. 14. num. 12., & alij magis communiter*. Ratio primæ partis eſt, quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cum nullos fructus perceperit, non ratione iniuſtæ acceptionis ob eadem rationem, vt per ſe patet; nec ex eo, quod factus fuerit locupletior, cum nullum lucrum acquiſierit. Ratio ſecundæ partis, quia ob iniuſtam detentionem rei fuit cauſa moralis, & iniuſta damni domino obuenientis, qui, ſi non fuiſſet res illa iniuſtè detenta, fructus ab ea prouenientes percepiſſet. Sed quid eſſet dicendum, ſi nec Dominus fuiſſet ex re illa fructus percepturus, vel ob ſimilem iniuriam detinentis, vel ob aliam cauſam? Tunc congruentiùs crederem, non teneri detentorem aliquid pro eiſdem fructibus compenſare. Vide ea, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus 3. de mutuo, & vſur. prænot. 14. num. 5.*

Ad tertiam reſpondendum eſt teneri, quantum eſt ex natura ſua cognita alienitate rei Domino rem illam reſtituere, poſſe tamen à ſuo venditore pretium repetere. In hanc reſolutionem conſentire videtur expreſsè *Dominicus Sotus lib. 4. de iuſt., & iur. q. 7., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 14. dub. 5. n. 26.* Ratio primæ partis ex 14

Qui emit à fure rẽ alienã tenetur domino reſtituere, poteſt, tamen agere ad pretiũ ſolutũ cõtra furem.

eo deducitur, quia res ſemper clamat pro Domino, & ad ipſum iure quodam innato fertur, & Dominus ipſe rei vendicatione poteſt à cuiuſcunque manibus, in quas deuenerit, recipere; nec ex eo, quod contractu oneroſo à poſſeſſore etiam bonæ fidei in alium tranſierit, deſinit eſſe aliena, & obligata domino, ergo non eſt, cum à detentore etiam bonæ fidei, quantumuis acquiſierit contractu oneroſo, non ſit domino reſtituenda. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur primo, quia ex genere ſuo venditor tenetur erga emptorem de rei euictione, eumq; indemnem conſeruare per textum *in l. 1., & alijs iuribus ff., & C. de euict.*, ſecundo, quia in hac hypotheſi alienitatis rei venditor, quantumuis rem acquiſierit iuſto pretio, non potuit transferre dominium in emptorem, quandoquidem, nec ipſe dominium acquiſiuit ab iniuſto detentore, & dominium, quod nõ habuit in ſe, non potuit in alium transferre, ergo, cum contractus, quo vendidit, fuerit inualidius, non poterit pretium ex illo acceptum detinere, ſed tenebitur exigente emptore reſtituere. Tertio, quia, ſi quis à fure v. g. vitrum pro gemma, vel auricalchum pro auro emiſſet ſoluto pretio iuxta valorem veræ gemmæ pretioſæ, vel auri, & deinde vitrum illud, ſeu auricalchum venderet pro eodem pretio, quod ipſe ſoluit, cognita poſtea falſitate rei, tenetur exceſſum valoris, quem importat vera gemma, & verum aurum ſupra vitrum, & auricalchum reſtituere eidem ſecundo emptori, vel contractum reſcindere, ergo etiam, ſi rem emptam à fure alteri vendiderit recepto æquali pretio ei, quod ipſe perſoluit, tenebitur eidem ſecundo emptori idem pretium retribuere, vel contractum iam initum reſoluere; quandoquidem res vendita eſt cum vitio furtiuitatis, quod rem conſtituit deteriorem, & nullius effectus; Neque ijs, quæ hic dicuntur, obeſſe poteſt, quod primus emptor, qui alteri vendidit, nec teneatur ratione rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis, nec ex eo, quod ex illa re factus fuerit locupletior; non ratione iniuſtæ acceptionis, nam, nec ipſe rem accepit, nec fraude vendidit; non ratione rei acceptæ, cum ipſe eam non habeat; nec ex eo, quod factus fuerit locupletior, quandoquidem ipſe non habet pluſquam habere debuiſſe, ſi ipſe pretium à ſecundo emptore recepit, priùs ipſe alteri ſoluit. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi rationes tantum euincunt, quod ad nihilum

tenea-

Digitized by Google

teneatur erga dominum rei, non autem quod non teneatur erga ſecundum emptorem, cum illum ex vi contractus venditionis teneatur ſeruare indemnem, vnde ipſe venditor, cum ſciat cognita alienitate rei nullum in ipſum tranſtuliſſe dominium, ſed iure reſtituendi periclitari in caſu euictionis eiuſdem rei de iure compellitur eidem ſecundo emptori ſuum pretium reſtituere.

Circa hanc tamen reſolutionem nonnulla dubia conſurgunt examinanda. Primum, an ad effectum recuperationis pretij per ipſum ſecundum emptorem ſolutū teneatur ipſe ſecundus emptor rem emptā ſuo venditori, qui fuit primus emptor à fure, reddere, & exhibere, & quid dicendum ſit, ſi illam immediatè Domino non factā illa exhibitionē reſtituerit. Secundum, an ſi ſecundus emptor diſparuerit, & primus emptor à fure, qui fuit venditor, reſpectu eiuſdem ſecundi emptoris fuerit conuentus à Domino rei, teneatur hic eidem Domino pretium rei perſoluere?

Nonnullæ rationes dubitādi.

Ad primum aſſerendum eſt, quod, ſi reſtituendo venditori, vel rem emptam illi exhibendo potuerit idem venditor pretiū ſuum recuperare teneatur emptor ſecundus rem illam eidem exhibere, quam, ſi nō exhibuerit, non poteſt pretium ab eodem venditore recuperare, ſi verò eidem reſtituendo, vel exhibendo non potuerit venditor rem recuperare, vel veriſimiliter nō
15 fuiſſet recuperaturus, probabilius poteſt pretium ipſum recuperare. Conſentit in hoc quoad omnia *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 14. dub. 5. n. 28.*, Ratio primæ partis ex duplici capite deſumitur, primo ex eo, quod, ſicuti ipſe venditor tenetur de euictione erga ipſum emptorem, ita & ipſe emptor tenetur, & ipſum venditorem indemnem conſeruare, quantum in ſe eſt, vt quantum fieri poſſit ſaluetur æqualitas, & par ſit vtriuſque contrahentis conditio. Secundo, quia venditor ipſe cognita alienitate rei, & per cōſequens contractu nullo ius habet, vt res conſtituantur in priori ſtatu, in quo prius erant, antequam iniretur ille contractus, adeò vt ſicuti pretium reſtituendum eſt emptori, ita, & res vendita ſit eidem contribuenda, ergo, ſi poſſit ex illa probabiliter conſequi ſuum pretium, quod pro illa perſoluit, poterit iuſtè velle, quod ſibi conferatur, & non domino, & ſi aliter ſecundus emptor præſtiterit, poterit eidem pretium, quod pro ea recepit, denegare. Ratio ſecundæ partis eſt, quia, quando reſpectu venditoris nulla adeſt ſpes conſecutionis pretij, quod ipſe perſoluit in prima emptione rei, per immediatam reſtitutionem,

Ad recuperandum ſuum pretiū, quod ſecundus emptor ſoluit pro re furtiua, quandoq; tenetur rē illā exhibere ſuo venditori, quandoq; non.

quam ſecundus emptor facit eiuſdem rei Domino, nullum damnum infert eidem venditori, ergo non eſt, cur non poſſit ſecundus emptor, repetere pretium à venditore, cuius aliud ius eſſe non poteſt, niſi ad recuperandum id, quod pro illa re in prima acquiſitione perſoluit, cuius propterea recuperationis, ſi nulla eſt ſpes, non poteſt eſſe ius ad retentionem pretij per ſecundum emptorem ipſi ſoluti.

Ad ſecundum, Reſpondeo, quod in ea
hypotheſi diſparente ſecundo emptore 16
venditor eiuſdem conuentus à Domino rei non tenetur ei aliquod retribuere, niſi forte ex illa occaſione in aliquo factus fuerit locupletior. Conſentit *Leſſius d. l. 2. de Iuſtitia, & iur. c. 14. dub. 5. nu. 29.*, & clarè ex ijs deducitur, quæ dicta ſunt ſupra, venditorem ſcilicet rei emptæ à fure bona fide ad nihilum teneri erga Dominum rei, ſed ad ſummum erga ſuum emptorem de euictione, quotieſcunque res illa fuerit de manu illius vendicata, quandòquidem erga eundem Dominum non tenetur ratione rei acceptæ, cum illam apud ſe non detineat, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum illam non iniuſtè acceperit, nec fraude vendiderit; nec in hac hypotheſi tenetur erga ſuum emptorem, cum nullum damnum ex illa emptione patiatur; Neque dicas, quod teneatur ratione pretij ex illa re percepti, quod pretium ſubrogatur loco rei per textum *in l. & rem ff. de petit. hered.*, contrà enim impugnaberis, quia illud pretium eſt compenſatio pretij, quod per ſe ipſum antecedenter perſolutum furi fuerat, & licet fuerit exactum ex iterata venditione eiuſdem rei, non tamen ipſe obligatur ad retribuendum Domino rei pretium, quod exegit pro ipſa re, quandòquidem ex illo pretio non eſt factus locupletior, nec verum eſt, quod ex eo capite teneatur pretium illud retribuere, quia pretium ſuccedat loco rei; non, inquam, verum eſt, quandòquidem verificatur ſolummodò in illo ſenſu, quod pretium datur loco rei, non autem in eo, quod Dominus rei æquè habeat ius in pretio, ſicuti in re, nam res quocunque deuenerit, ſemper clamat pro ipſo, non ſic autem pretium. Solum hic remanet ſoluendum argumentum, quod contrà mox dicta prima fronte videtur validiſſimum, hocque eſt, quia venditor rei alienæ non transfert in emptorem dominium eiuſdem rei, ergo neque ipſe emptor in venditorem dominium pretij, adeòque ipſe venditor non videtur poſſe illud retinere; Sed facilè poſſum occurrere aſſerens iuxta ea, quæ ſuperius dicta ſunt, quod data etiam ſuppoſitione,

Diſparente ſecundo emptore primus, qui emit bona fide à fure cōuentus à Domino rei, nō tenetur eidē pretium perſoluere.

quod

Digitized by Google

quod emptor ipſe non transfulerit in venditorem dominium pretij, non propterea dominus rei habeat aliquod ius aduerſus ipſum pretium; vndè ad ſummum tenetur illud reddere eidem emptori, qui illud contulit.

17 Niſi primus emptor ex illa venditione facta ſecundo factus fuerit locupletior.

Dixi, *niſi fortè in illa venditione, in aliquo factus fuerit locupletior*, quod contingeret in caſu, quo rem illam a fure emiſſet viliori pretio, & alteri pretio maximo vendidiſſet; Hanc limitationem expreſsè ponit *Dominicus Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 2.* Ratio eſt, quia nemo ex re aliena poteſt diteſcere, nec poteſt quis plus habere, quam habere debeat, ergo in eo, in quo factus eſt locupletior, tenetur ad reſtitutionem, vt quantum eſt de ſe illam æqualitatem conſtituat, quam poteſt conſtituere; Neque dicas iuxtà ſuperius dicta, quod ipſe venditor quoad illum exceſſum non teneatur erga Dominum rei, ſed erga ſuum emptorem, qui pretium illud contulit, nam, ſicuti ipſe venditor, qui bona fide acquiſiuit cognita alienitate rei non tenetur adæquatum pretium, quod ex illa re acquiſiuit Domino reſtituere, ſed ad ſummum emptori, ità illum exceſſum, quem acquiſiuit ex illa venditione factâ bona fide non tenetur Domino tradere, ſed ad ſummum emptori. Deindè ſicuti ex prędictis pretium non ſuccedit loco rei, quatenus transferat ius ad illud in Dominum rei, ſicuti habet in rem ipſam, ità ille exceſſus, quem acquiſiuit ex venditione eiuſdē rei ſupra illud, quod ipſe venditor in emptione, quàm fecit, contulit, non ſuccedit ad ratam pro re ipſa, quatenus transferat in Dominum rei ius ad illum exceſſum habendum; Contra enim impugnaberis, nam in primis verum eſt, quod concurrente Domino rei cum emptore eiuſdem ad pretium, vel fortè etiam ipſo venditore ad illud retinendum non teneatur idem venditor erga Dominum rei ad illud pretium ipſi contribuendum, benè teneatur erga emptorem, qui illud perſoluit, ſi fortè hic compellatur rem reſtituere, quia obligatur de euictione, vt patet ex allegatis iuribus, & rationibus; & ſi ipſe ſecundus emptor diſparuit, nec poſſit compelli ad reſtitutionem rei alienæ emptę, poteſt legitimè pretium illud retinere ad ſe ſeruandum indemnem, cum non ità obligetur pretium Domino, ſicut obligetur res ipſa aliena. Dato deindè, quod ſecundus emptor nullam patiatur iacturam eo, quia detineat rem emptam, nec poſſit compelli ad ipſam reſtituendam, & ipſe venditor, qui rem acceperat à fure aliquid detineat ſuprà illud, quod ipſo perſoluit furi, non eſt, cur illud non teneatur reſtituere Domino ad ſeruandam, quantum facere poteſt, ipſius indemnitatem; non enim illud poteſt legitimè detinere, quia plus haberet, quam habere debeat; nec poteſt tradere emptori, quia ipſe ſupponitur habere æqualitatem dati ad acceptum, ergo iuſtitia ſic ſuadente tenetur illud, quod plus habuit conferre Domino rei, qui ſolus damnificatus eſt ad ſaluandam ipſius indemnitatem, quantum facere poteſt; vndè in hac hypotheſi illud plus, quod habuit, perindè eſt, ac ſi eſſet æquiualenter res Domini, cui propterea debet cedere.

Aſſertio III. Ratione iniuſtæ, & iniurioſæ acceptionis tenetur ad reſtitutionem quicunq; iniuſtè concurrit ad damnificationem alterius, quantumuis ex illa damnificatione nullum commodum, nullumue lucrum conſecutus fuerit ipſe iniuſtè accipiens, ſeu damnificans. Conſentit in hanc aſſertionem *D. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 6. in corpore, & ibi Caietanus, Dominicus Sotus de iuſt. & iure lib. 4. qu. 7. art. 2.* 18

18 Ratione iniuſtæ acceptionis tenetur quicunque dānificans etiā ſi nullum commodū perceperit.

Ratio ex eo deducitur, quia iuſtitia exigit, vt quicunque conſeruetur indemnis, quod potiſſimum verſatur inter duo extrema, quorum alterum eſt, ne quis habeat, pluſquam habere debeat, & ne alter minus habeat, quàm habere debeat, ergo, qui alterum damnificat, adeò vt minus habeat, quàm habere debeat, tenetur eidem tantum conferre, quantum requiritur, vt habeat ad æqualitatem id, quod habere debet; nec ipſum damnificantem eximit ab onere compenſationis, ſeu reſtitutionis ratio, qua dicatur, quod ipſe nullum lucrum ex damnificatione conſecutus ſit, vt cōtingeret, ſi quis alterius ſiluam combuſſerit, alienam rem in mare demerſerit, alienam arborem ſucciderit, & alia ſimilia præſtiterit; Non, inquam, ipſum eximit, quia onus compenſationis, ſeu reſtitutionis non ſolum oritur ex eo, quod quis plus habeat, quam habere debeat, ſed etiam ex eo, quod quis fuerit cauſa, ne alter habeat, quod habere deberet; cum iuſtitia æquè vtrumque extremum reſpiciat, & potiſſimum indemnitatem cuiuſcunque.

In ordine ad hunc titulum iniuſtæ, & iniurioſæ acceptionis non ſolum obligatur ad reſtitutionem, qui Phyſicè, & per ſe concurrit ad damnum alteri inferendum, ſed etiam qui concurrit moralitèr per conſilium, mandatum, ſuaſiones, prout latè infrà conſiderabimus, vbi etiā agemus de ordine, qui ſeruari debet in huiuſmodi reſtitutionibus, ſeu compenſationibus.

In

Digitized by Google

In ordine verò ad bona, pro quibus facienda eſt reſtitutio, ſeu compenſatio ex titulo iniuſtæ, & iniurioſæ acceptionis, plura etiam venient examinanda in ſequentibus, in quibus propterea hic non immoramur.

19 Cōmodatarius tenetur pretiū rei reſtituere, ſi res perierit etiam ſine ſua culpa.

Aſſertio IV. Ratione acceptionis non quidem iniuſtæ, & iniurioſæ, ſed ex voluntate Domini tenetur rem acceptam, vel eius pretium, ſeu æquiualens reſtituere, qui eandem accepit ad commodum proprium, etiam ſi ſine ipſius culpa perierit. In hanc conſentiunt *D. Thomas 2.2. qu. 62. art. 6. in corpore, Dominicus Sotus lib. 4. de iuſt. & iure q. 7. art. 2., & alij magis communiter.*

Hanc aſſertionem probant in terminis mutui DD. mox præallegati, quod videtur cedere in vtilitatem præcisè mutuatarij propter eam potiſſimum rationem, quia quodcunque ius exigit, ne quis propter beneficium collatum detrimentum ſortiatur. Sed quoad mutuum non video ſpecialem rationem dubitandi, quandòquidem, ſi res mutuata perierit, non propriè dicitur res aliena periiſſe, quandòquidem ipſa per mutuationem re vera tranſit in dominium mutuatarij, qui propterea ex alio titulo tenetur ad reſtitutionem æquiualentis, quam ex eo, quod perierit res mutuata, ſiue enim perierit, ſiue non perierit ſemper tenetur ex vi mutui, ſicuti tenetur emptor ex empto ad ſolutionem pretij promiſſi.

Probatur igitur in terminis contractuum, in quibus non transfertur dominium rei, vt in commodato, quod ex genere ſuo cedit dumtaxat in commodum commodatarij. Probatur, inquam, hoc pacto, quia omnis ratio poſtulat, vt qui in propriam vtilitatem ab alio beneficiū recepit omnibus ſuis viribus, & conatibus rem ſibi collatam Domino ſuo ſeruet, eamque ſolertiori diligentia cuſtodiat, ac cuſtodiat, ſeu cuſtodire ſoleat res proprias, ergo ex quacunque ſua culpa res perierit tenebitur ad compenſationem, ſeu reſtitutionem æquiualentis, ſeu pretij. Hoc etiam in iure expreſsè euincitur *ex l. ſi, vt certo §. nunc videndum ff. commodati, & §. is, cui Inſtit. Quib. mod. re contrah. oblig., & ex l. contractus ff. de reg. iur.*

20 Non tamē tenetur, ſi perierit ex caſu fortuito.

Hic ſolum oritur difficultas, an commodatarius, quantumuis rem acceperit ſolummodò in commodum proprium teneatur de caſu fortuito. Negatiua pars certior eſt, prout euincitur *ex c. vnico de commodato, & ex §. item is verſ. vt is Inſtit. Quibus mod. re contrah. oblig. & ex l. in rebus in princip. ff. commodati ex l. 1. §. is vero ff. de act. & oblig. & ex l. 1. C. commodati* hancque ſuſtinent *Bartolus in l. 1. C. commodati, Azorius C. de locat. nu. 16. Baldus conſ. 198. non venit caſus fortuitus lib. 4. Nauarrus in ſumma c. 17. n. 179. Maſcardus concl. 317. in fin. verb. commodatum.* Vide, quæ latè egimus *tom. 3. ſub tit. Contractus IX. de commodato, & depoſ. prænot. IV. aſſert. 3. n. 6. per totum.*

Aſſertio V. Ratione acceptionis, abſq; iniuria Domini, quæ acceptio non ſit in commoditatem eius, qui accipit, ſed eius, à quo accipit non tenetur accipiens ad aliquam compenſationem, vel reſtitutionem pretij, ſi res ipſa perierit; tenetur tamen ratione rei acceptę, ſi res illa apud ipſum perſeueret; hocque potiſſimum contingit in depoſito, aliiſque ſimilibus. Ità expreſsè *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. in corp. Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. qu. 7. art. 2.* Intelligo tamen, niſi perierit ex dolo, & culpa lata eiuſdem accipientis, quia tunc dolus, & culpa lata inducunt iniuſtam, & iniurioſam acceptionem, & quoad hanc limitationem extant expreſſi textus *in l. ſi vt certo §. nunc videndum eſt ff. commodati l. 1. §. quoniam autem dolus, & l. ſine dolo malo ff. depoſiti, & l. contractus ff. de reg. iur. §. præterea Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig., & l. 1. ff. de act. & oblig. & l. 1. C. depoſiti c. bona fides de depoſit.* 21 Si res fuerit accepta in commodū dātis, non tenetur accipiens reſtituere pretiū, niſi perierit ex culpa lata, vel dolo ipſius accipiētis.

Expreſsè autē aſſertio euincitur *ex l. 1. C. depoſiti l. 1. §. vlt. ff. eod. tit. §. præterea Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig. c. bona fides de depoſito*; quorum iurium, & aſſertionis ea potiſſimū ratio eſt, quia, cum huiuſmodi acceptiones fiant potiſſimum ex natura ſua in ſolam commoditatem deponentis, & ſit merum beneficium depoſitarij erga eundem deponentem, cum inde nullum lucrum conſequatur, iura noluerunt ipſum obligare ad exactiſſimam diligentiā, qualem adhibent ſolertiſſimi, nec ad tam exactam, qualem adhibent ſolertiores.

PRÆNOTIO IV.

De actionibus, ex quibus conſurgit iniurioſa acceptio in bonis potiſſimum fortunæ.

SVMMARIVM.

Furtum proprie acceptum quid ſit. 1.
Furtum committi poteſt etiam in re immobili. 2.
Non eſt neceſſe ad rationem furti, quod ſit rerum merè corporalium. 3.
Poteſt contingere furtum etiam in re furtiua exiſtente apud furem. 4.
Quid propriè ſit rapina. 5.
Rapina, & furtum, ſi adinuicem comparentur, differunt ſpecie morali. 6.

Digitized by Google

Grauius peccatum ex genere ſuo eſt rapina, ac ſit furtum. 7.
Continuata detentio rei alienæ inuito Domino inducit continuum actu peccatum pro toto tempore, quo detinens non reſtituit, non tamen tot multiplicat peccata, quot ſunt momenta, quibus detinet. 8.
Per vſum rei non inducitur nouum peccatum diſtinctum ab ipſa detentione, niſi per vſum res illa alteratur. 9.
Furtum, & rapina ſunt ex genere ſuo peccata lethalia. 10.
Ratione indeliberationis poſſunt eſſe tantum venialia. 11.
Item ratione paruitatis materiæ. 12.
Aſſignatur regula pro taxanda quantitate requiſita ad furtum lethale. 13.
Auferens plura modica à diuerſis perſonis, quæ ſimul ſumpta perueniant ad notabilem quantitatem, eſt reus peccati lethalis. 14.
Si plures per minuta furta alterum damnificent, ita vt ſingulorum furtum ſit leue, omnium ſimul ſit graue, nemo peccet mortifere, niſi omnes ex conſilio damnificent, vel exemplo. 15.
Non eſt licitum furari in graui neceſſitate. 16.
Vxor, & filius grauiter peccant, ſi notabilem quantitatem ſurripiant à marito, & Patre. 17.
Hæc notabilis quantitas reſpectu filij, & vxoris debet eſſe maior ad inducendam grauem noxam, ac reſpectu extraneorum. 18.

BOna, in quibus poteſt contingere læſio, & in quibus poteſt eſſe ratio dubitandi circa onus reſtitutionis, & compenſationis, vt iam ſupra attigimus, ſunt in triplici potiſſimum differentia quinimmò quadruplici; alia enim ſunt bona ſpiritualia, alia naturalia vitæ, ſcilicet & corporis, alia in ordine etiam naturali, famæ ſcilicet & honoris, alia tandem fortunæ, quæ conſiſtunt in facultatibus exterioribus, ſeu diuitijs. Sub præſentis prænotionis titulo agemus dumtaxat de actionibus, in quibus conſiſtit iniurioſa acceptio quoad bona fortunæ, quoad reliqua bona differemus in ſubſequentibus ſucceſſiuè.

Actiones autem potiſſimæ, in quibus conſiſtunt huiuſmodi iniurioſę acceptiones, ſunt furtum & rapina, circa quas plurima occurrunt examinanda; & primo, in quo conſiſtant; ſecundo quomodò inter ſe differant; tertio, an continuata detentio rei per furtum, ſeu rapinam ſublatæ inducat continuatum furtum, & tot furta, quot ſunt momenta, quibus res detinetur; quarto, an fur, qui detinet rem alienam inuito Domino, ſi eadem re vtatur, peccet nouo peccato, quotieſcunque id facit; quinto, quale peccatum ſit furtum, & rapina; ſexto, an, qui minutis furtis, ſiue ab eodem, ſiue à diuerſis notabilem ſurripit quantitatem peccet lęthalitèr; ſeptimo, ſi plures vni, & eidem per minuta furta damnum notabile inferant, ſinguli peccent læthalitèr; octauo, an, in extrema, vel graui neceſſitate ſurripere rem alienam ſit peccaminoſum, & quomodò; nono, an ratione qualitatis perſonæ coniunctæ cum Domino rei excuſetur à graui noxa eadem perſona coniuncta, ſi aliquid ab eodem ſurripiat, & alia huiuſmodi.

Articuli examinandi ſub præſenti titulo.

Aſſertio I. Furtum propriè acceptum *eſt vſurpatio, ſeu acceptio doloſa rei alienæ inuito Domino. Nauarrus in man. c. 17. nu. 1. Gabriel in 4. diſt. 15. qu. 3. Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 12. nu. 1. Siluester verb. furtum q. 1. Couaruuias reg. peccatum 2. part. §. 1. n. 1. Petrus à Nauarra de reſtit. lib. 3. c. 1. nu. 20. Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. furtum.* I

Germana definitio furti.

Expreſsè habetur *in l. 1. §. furtum ff. de furtis Inſtit. de obligat. quæ ex delicto §. 1. cum alijs concordantibus.*

Probatur deindè, & explicatur per particularum diſcuſſionem. Dicitur, *vſurpatio, ſeu acceptio*, quæ particula duo importat; primum, quod ad rationem furti non ſufficiat ſola tactio, ſeu contrectatio rei, nam furtum ex genere ſuo importat iniuriam aduerſus eum, contrà quem committitur furtum; quam autem iniuriam importat, quod ego tuum pallium attigerim, ſeu contrectauerim? ſecundum, quod debeat eſſe cum reali apprehenſione, ſi ſit furtum reale, vel cum propoſito efficaci eiuſdem realis apprehenſionis, ſi ſit mentale præciſè; & per hanc particulam etiam excluditur à rigoroſa ratione furti damnificatio, quæ conſurgit in rebus alienis ſine aprehenſione, ſeu detentione, qualis eſt combuſtio domus alienæ, vaſtatio agrorum, & his ſimilia, in quibus eſt ſolummodò quædam iniuſtitia, non propriè ratio furti, vt notant *Petrus de Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. nu. 22. & alij*, quidquid ex aduerſo dixerit *Dominicus Soto lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. verſ. in primis in fin.* Quod ſi ſupponas, quod prius quis realiter apprehenderit rem alienam, & poſteà combuſerit, vel in profundum maris proiecerit, tunc non negarem in illa actione inuolui rationem furti, quia eo ipſo, quo rem alterius furtiuè accipit, iam lucratus eſt, & ditior factus ſaltem pro eo tempore, pro quo accepit, quod ſufficit.

Quid veniat nomine vſurpationis.

Dicitur, *doloſa*, quæ etiam particula duo inuoluit; alterum, quod non ſufficiat iocoſa, & officioſa acceptio rei alienæ ad reddendum cautiorem Dominum, prout notat *Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 18.*; alte-

Digitized by Google

Vſurpatio illa debet eſſe occulta.

alterum, quod debeat eſſe quodamodò, *occulta*, quæ particula certo quodam modo imbibitur in illa *doloſa*; quod enim fit per dolum, & fraudem regulariter fit occultè, hoc eſt non cognoſcente Domino; quamuis autem in illa inoluatur, congruentiùs tamen crederem, eſſe exprimẽdam ad clarius explicandam naturam definiti, adeò vt dicatur *Eſt vſurpatio, ſeu acceptio doloſa, & occulta rei alienæ*, quod autem ad rationẽ furti requiratur, quòd acceptio ſit occulta expreſsè docent *D. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 3. in corpore, Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. Petrus de Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 20.*, quod palam elucet ex ipſa nominis furti Ethimologia; nam vt benè notant *D. Iſidorus lib. 10. de Ethim.*, *& Varro de re ruſtica lib. 14.* fur dicitur à furuo ideſt fuſco, & atro, nempè, quòd nocturno vtitur tempore; atque hæc particula neceſſaria etiam eſt, quia plurimum conducit ad contradiſtinguendum furtum à rapina, prout latè infrà videbimus.

Quid veniat nomine rei alienæ.

Dicitur, *rei alienæ*, quæ particulæ plurima indicant; & primum id, quod innuit *D. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 3. in corpore*, nempè intelligi per ly, *rei alienæ*, non rem, quomodocunque alienam, ſiue ſit pars alterius, vel coniuncta cum altero; ſed rem ab altero poſſeſſam, qua ratione; ſi quis alteri bracchium abſciderit, ſeu filiam, & vxorem rapuerit non dicitur propriè fur, ſeu furtum commiſiſſe; ſed mutilator, raptor, ſeu adulter; requiritur igitur, vt res illa ſit ab altero poſſeſſa, qui verè eiuſdem ſit Dominus, prout etiam innuit *Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. verſ. primum, quod rationem habeat*; & per hanc particulam ſic ſumptam contradiſtinguitur ab alijs iniuſtitiæ ſpeciebus, quæ propriè non ſunt furtum, & primo à mutilatione, à raptu, à detractione, & alijs huiuſmodi; ſecundum, quod indicant, eſt, quod contrectatio rei propriæ, ſeu quæ propria bona fide credatur, non ſit propriẹ furtum per textum *in l. inter omnes §. rectè ff. de furt.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod etiam per contrauentionem rei propriæ committatur furtum, quod contingeret, ſi quis rem, quam apud alterum depoſuerat; ſeu impignorauerat, clam abſtulerit ignorante depoſitario, vel pignoratario, ſi adhuc duret tempus depoſiti, vel pignoris; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis aliqui, nec incongruè negant in illa actione, qua Dominus rem depoſitam, & oppignoratam clam auferat à depoſitario, vel pignoratario cõmittere furtum; non ſolum, quia ex vulgari praxi pro fure non reputatur, niſi qui alienum capit, ſed etiam, quia iura hoc expreſsè decernunt *in l. ſi is qui rem ff. de furt.*, vbi dicitur, quod qui rem, quam commodauit, ſurripit; non ſit fur. Deindè, dato etiam, quod illa actio eſſet furtiua, adhuc tamen poſſet dici, & diceretur ſecundum quid, eſſe aliena, quantum ſcilicet ad cuſtodiam, & detentionem, prout notat ex mente D. Thomæ *Dominicus Soto lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. in fin.*, quod ſufficit, nam nomine rei alienæ non ſolum venit proprietas, ſed etiam poſſeſſio, & vſus, & aliud ius, prout notauit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 20. Dominicus Soto lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. verſ. de furt. tam nomine Nauarrus in manual. c. 17. n. 1.*; Quandò autem quis detinet rem titulo depoſiti, vel pignoris, habet aliquod ius in eadem re durãte tempore depoſiti, vel pignoris.

Circa hanc particulam plures veniunt rationes dubitandi, & primo, an nomine rei alienæ, quantum ad effectum conſtituendi furtum intelligantur præcisè res mobiles, an verò etiam immobiles. Secundo, an veniant ſolummodò res corporales, an verò etiam incorporales. Tertio, an veniant etiam res furtiuę exiſtentes penes furem, & latronem.

2 **Furtum committi poteſt etiã in re immobili.**

In ordine ad primum, quidquid aſſerant *Gabriel in 4. diſt. 15. q. 3. & alij*, aſſerendum eſt, non eſſe neceſſarium, quod ſint res mobiles, cum etiam furtum committi poſſit in re immobili, prout docent *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 20. Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 5. verſ. de furti, tam nomine, & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi quis occultè domum alienam ingrediatur, ipſamque vſurpet detinendo contrà voluntatem Domini propriè dicitur furari; eſt etenim doloſa, & occulta rei alienæ vſurpatio, nec iura aliquid decernunt circà mobilitatem, ſeu immobilitatem rei; nec obeſſe poteſt textus *in §. quod autem Inſtit. de vſucap.*, vbi habetur furtum non fieri loci, aut fundi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus ille procedit in ſuppoſitione diſtinctionis vſucapionis à præſcriptione, quatenus illa ſit de rebus mobilibus, hæc de immobilibus, & ſic aſſerit loquendo in terminis vſucapionis, quod, ſi fiat non interuenientibus conditionibus requiſitis ad veram vſucapionem, committatur furtum non loci, aut fundi, ſed rei tantum mobilis, de qua ſolum in hac ſuppoſitione diſtinctionis poteſt eſſe vſucapio; Deindè, & fortè melius procedit ille textus in ſuppoſitione, qua furtum dicatur à ferendo, ſeu auferendo, prout aſſerit *Iuriſconſultus in l. 1. ff. de furtis*, quod non ità certum crediderim, cum melius à nominis ethimologia furtum dicatur à furuo vt ſuprà.

Tandem dici poteſt, quod ratione obiecti duplex quodamodò conſtituatur ſpecies furti, altera rei immobilis, altera mobilis, ſicuti duplex conſtituitur quodamodò præſcriptio, altera per vſucapionem, quæ eſt rerum mobilium, altera per præſcriptionem ſimplicem, quæ eſt immobilium, & ſic textus ille procedit de furto mobilium.

3 Non eſt neceſſe ad rationem furti, quod ſit rerum merè corporalium.

In ordine ad ſecundum dicendum etiã eſt, non eſſe neceſſarium ad rationem furti, quod ſit rerum corporalium, quidquid dixerint ex aduerſo *Gabriel in 4 diſt. 15. q. 3. Silueſter verb. furtum q. 1.* Sententiam tamen noſtram ſuſtinent *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. & alij.* Ratio ex eò deducitur, quia cenſus, ſeruitutes, iura ad annuos reditus ſunt incorporalia, & tamen ſunt obnoxia furto, ergo neceſſe non eſt ad rationem furti conſtituendam, quod ſit dumtaxat de rebus corporalibus. Antecedens clarè liquet, quia in acceptionibus huiuſmodi iurium conſiſtere poſſunt omnes conditiones ad furtum requiſitæ, quod ſcilicet ſit vſurpatio, quod clam fiat &c.

4 Poteſt cõtingere furtũ etiã in re furtiua exiſtẽte apud furem.

In ordine ad tertium dicendum etiam eſt, poſſe contingere furtum etiam quoad rem furtiuam apud furem exiſtentem *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 3. Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia in tali ablatione rei furtiuæ verificantur omnes conditiones ad furtum requiſitæ; nempè doloſa, & occulta rei alienæ vſurpatio, quandòquidem res ipſa non eſt ſurripientis, & licet non ſit eius, à quo ſurripit, cum ipſe quoque furatus fuerit, eſt tamen ipſius aliquo modo, prout notat *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 3. ad tertium* aſſerens, quod id, quod eſt per rapinam ablatum, eſt rapientis non ſimpliciter, ſed quantum ad detentionem. Deindè dici poteſt, quod quamuis ſimpliciter res illa non ſit furis, à quo hic alter ſurripit, ſit tamen ipſius quoad effectum obligationis, quem in ipſo parit, quatenus ſcilicet obligatur ad illam vero Domino reſtituendam, à quo per furtum accepit, & non ſolum in foro animæ ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam in foro externo, nam cognita actione furtiua per ipſum commiſſa poteſt Dominus agere aduerſus ipſum ad redimendam rem, vel pretium æquiualens.

Dicitur tandẽ, *inuito Domino*, quas particulas nonnulli arbitrantur fruſtraneas, eo quia exiſtiment contineri in illis alijs *rei alienæ*, & inter cęteros ſic ſentiunt *Couaruuias reg. peccatum 2. parte §. 1. & Sotus lib. 5. de iuſt. & iure q. 3. art. 1.* qui etiam ſubdit, quod ignorantia cauſat inuoluntarium, & ſic eo ipſo, quo res eſt aliena, & dominus eſt ignorans, ſupponitur de illa ablatione inuitus. Nihilominus rectius alij ſentiunt particulas illas non eſſe fruſtrà appoſitas, ſed omninò neceſſarias, & præcipuè *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. num. 20.* & ratio clarè ex eo deducitur, quia poſſum ego rem amici, & familiaris clam accipere ſub ratihabitione, vbi certè eſt res aliena, & tamen propriè furtum non eſt, item poſſum clam rem alterius ſumere, vt eam ab hoſtibus ſeruem, quia tamen Dominus ad hoc non ſupponitur inuitus, non eſt propriè furtum, & tamen res, quam clãculum accipio, non eſt mea, ſed aliena. Debet eſſe inuito Domino.

Addunt alij, & præcipuè iuris interpretes alias particulas ſcilicet *Lucri faciendi gratia*; Rurſus non ſolum dicunt *rei alienæ* ſed etiam extenſiuè addunt *vel etiam vſus, poſſeſſioniſq;* conformitèr ad textum *in l. 1. §. furtum ff. de furtis & §. 1. Inſtitut. de oblig. quæ ex delicto.* Sed illas particulas *lucri faciendi gratia* ſuperfluas exiſtimat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. ca. 1. num. 22.* eo quia aſſerat illas contineri in illa particula *acceptio, ſeu vſurpatio*, nam eo ipſo, quo rem alienam arripit, iam lucratur, & ditior euadit, vt per ſe patet, & per hanc etiam particulam *acceptio, & vſurpatio* excluditur combuſtio, aliaq; damnificatio non lucroſa, qui enim comburit, nihil penes ſe detinet, nec accipit; atq; ex his elucet celebris illa diſtinctio damnificationis in lucroſam, & non lucroſam, quatenus nomine lucroſæ veniat illa, qua damnificans ex damno alteri illato aliquid vtilitatis conſequatur in re accepta, & hac ratione non ſolum ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam ratione rei acceptæ tenetur ad reſtitutionem; nomine verò non lucroſæ veniat damnificatio alterius ſine lucro damnificantis, & hac ratione tenetur ad reſtitutionem ſolum ratione iniuſtæ acceptionis, ſeu melius læſionis, & furtum propriè conſiſtit in prima, nõ ſic in ſecunda. Alias particulas, *vel etiam vſus, poſſeſſioneſque* fruſtraneas etiam ſupponunt *Dominicus Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 3. art. 1. verſ. in primis enim, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 20.* eo quia nomine rei non ſolum veniat proprietas, ſed etiam poſſeſſio, vſus, & quodcunque ius, quod veriſſimum cenſeo. Nomine rei non ſolum venit proprietas, ſed etiã vſus, poſſeſſio.

5 Definitio propria rapinæ.

Aſſertio II. Rapina *eſſe violenta, & manifeſta rei alienæ acceptio, ſeu vſurpatio*, nec addendum arbitror *inuito Domino* quandoquidem hæc particula continetur in illa, *violenta*, *D. Thomas 2. 2. quæſt. 66. art. 4., Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. qu. 3. art. 1. verſ. primum, quod rationem*

habet

habet Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 19. & alij communiter.

Expreſsè colligitur quoad cætera omnia ex dictis in precedenti definitione furti, quæ etiam adaptantur rapinæ poſito duntaxat diſcrimine in modo, quo ex parte vtriuſq; ſit iniuſta, & iniurioſa acceptio, quatenus ſcilicet furtum ſit clanculum, & ſine violentia, rapina verò maniſeſtè, & cum violentia Domino, prout etiam adnotauit *Ariſtoteles lib. 5. Ethic.*; ex quo ſequitur, quod iniuſta acceptio ſit quidem genus ad furtum, & rapinam, non autem furtum ipſum ſit genus ad rapinam, ſed comparantur ad inuicem tanquam ſpecies oppoſitæ.

Quamuis autem furtum, & rapina ſint ſolummodo ſpecies iniuſtitiæ inter ſe oppoſitæ comparatiuè ad iniuſtam acceptionem tanquam ad ſuum genus, ratione tamen obiecti vtraque in alias ſpecies accidentales diuiditur; & primo, ſi furtum, ſeu rapina ſit de re ſacra, vel de non ſacra in loco ſacro, eſt ſacrilegium. Secundo, ſi ſit de re à Republica poſſeſſa dicitur peculatus, & de vtraq; hac ſpecie ſit mentio *in c. quid ergo 23. q. 4.* Tertio ſi ſit de grege diſperſo dicitur Abigatus, & de hac ſpecie adeſt titulus 47. *lib. digeſtorũ*. Quarto ſi ſit de homine ad vendendum dicitur plagium, ſeu plagiarum de qua extat *tit. ad leg. Flau.*

Diuiſiones furti, & rapinæ in alias ſpecies ratione obiecti.

6 Aſſertio III. Rapina, & furtum, ſi adinuicem comparentur, differunt ſpecie morali inter ſe, quatenus inferunt diuerſitatem ſpecificam peccatorum. Conſentiunt. *D. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 4. in corpore, Sotus de iuſt., & iur. lib. 5. qu. 3. art. 1. Coaruuias reg. peccatum 2. part. §. 1. num. 2. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 12. num. 8.*

Rapina, & furtum, ſi ad inuicē comparētur, differunt ſpecie morali.

Ratio ex eo deducitur, quia peccata iniuſtitiæ vtpotè quæ ſunt ad alterum, quem ledunt ad differentiam peccatorum aduerſus alias virtutes, quæ ſunt in ordine ad ſe, deſumuntur potiſſimum per ordinem ad inuoluntarium, prout notat *D. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 4. ad primum*, ſed diuerſum in ſpecie eſt inuoluntarium, quod habet damnificatus per furtum ab inuoluntario, quod habet in rapina, ſi quidem illud patitur per ignorantiam, illud per violentiam, ergo &c. Confirmatur, quia iniuria eſt omninò diuerſa, quã quis patitur per furtum ab illa, quam patitur per rapinam, ſi quidem magis quis læditur per violentiam ipſi ſcienti illatam, & contradicenti, quam per actionem aduerſus eundem ignorantem intentatam; nam in vtraque patitur actionem iniuſtam, ſed in prima magis læditur, quam in ſecunda. Confirmatur ſecundo exemplo detractionis, & contumeliæ, quæ non differunt, niſi in eo, quod illa ſit occultè, hæc manifeſtè, & tamen *teſte D. Thoma 2. 2. q. 73. alijſque communitèr* conſtituunt ſpecies diuerſas peccatorum, ergo etiam &c.

Neque ijs, quæ hactenus dicta ſunt in hac aſſertione, obſtare poteſt primo, ſi aſſeratur, quod in alijs generibus peccatorum occultum, & manifeſtum non diuerſificent in ſpecie peccata, adeòque, quod neque in genere iniuſtæ acceptionis. Secundo, ſi aſſeratur, quod peccata moralia ſpeciem à fine recipiant, vel in ordine ad diuerſam virtutem, cui opponuntur, ſed furtum, & rapina ordinantur ad eundem finem, & eidem virtuti iuſtitiæ opponuntur, ergo &c. Non, inquam, obſtare poſſunt; non primum, quia, vt innuimus ſupra, cætera peccata potius deſumunt ſuam malitiam à ratione voluntarij, quæ eſt in operante; peccata autem iniuſtitiæ potiùs deſumuntur ex ratione inuoluntarij, quæ eſt in perſona læſa, cum ſint in ordine ad alterum, adeòque &c. Non ſecundum; quia licet daremus, peccata deſumere ſpeciem à fine; hoc tamen intelligendum eſt de fine proximo, non autem de fine remoto; finis autem proximus in furto, & in rapina eſt omninò diuerſus, quandòquidem fur intendit rem alienam poſſidere per aſtutiam, raptor autem per propriam poteſtatem, prout notat *D. Thomas d. q. 66. art. 4. ad ſecundum*. Ad illud, quod ſubditur de oppoſitione ad eandem numero virtutem, dicendum eſt non ex ſola virtute deſumi vnitatem ſpecificam, ſed etiã ex modo, quo aduerſus eandem virtutem actus dirigitur; ſic aduerſus eandem virtutem caſtitatis plura extant vitia ſpecie diuerſa ex ſolo diuerſo modo tendendi in eandem.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ex quibus omnibus inferre licet, quod longè grauiùs ſit peccatum in ſua ſpecie rapina, quam ſit furtum, & hoc ob duplicem rationem, quam aſſignat *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 9. in corpore*, quarum prima eſt, quia potior ratio peccati in huiuſmodi actionibus conſiſtit in inuoluntarietate reſpectu læſi; maior autem eſt inuoluntarietas per violentiam, quia hæc directiùs opponitur libertati, ac ſit per ignorantiam. Secunda eſt, quia per rapinam non ſolum infertur damnum in rebus, ſed etiam in perſonã quoad ignominiam, hæc autem ignominia præponderat fraudi, & dolo, quæ reperiuntur in furto. Hinc optimè deducit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. n. 19. in fin.*, rapientem non ſatisfacere, ſi in confeſſione aſſerat, ſe in rebus proximi furtum cõmiſiſſe, ſed explicare debet circumſtantiam

7 Grauius ex genere ſuo peccatum eſt rapina, quã ſit furtum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tiam violentiæ, vt potè, quæ inducit diuerſam ſpeciem.

8 **Continuata detẽtio inducit cõtinuũ actu peccatum nõ tamen multiplicat peccata.**

Aſſertio IV. Continuata detentio rei alienæ inuito Domino inducit continuũ actu peccatum pro toto eo tempore, quo cum poſſit, non reſtituit, non tamen tot multiplicat peccata, quod ſunt momẽta, quibus res aliena detinetur. Ita quoad primã partẽ *Gabriel in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. cõcl. 2., Sotus lib. 4. de iuſt., & iur. q. 7. art. 4., Leſſius de iuſt., & iure lib. 2. c. 12. num. 11.*, Quoad ſecundum, idem *Leſſius loco cit. nu. 15., & ſeqq*; quoad primam tamen partem eſt contra *Caietanum 2. 2. q. 66. art. 3. in ſolut. tertij argumenti*, qui aſſeruit per illã detentionem non poſſe continuari peccatum actuale furti, eo quod detentio ipſa non ſit actio, ſed effectus actionis, & per conſequens dixit detentorem ſolũ in peccato habituali permanere quovſq; reſtituerit.

Peccata non multiplicẽtur in numero niſi multiplicitatis actibus moraliter ſaltem.

Probatur quoad primam partem, quia ipſa continuata detentio rei alienæ inuito Domino eſt continuata iniuſta acceptio eiuſdem rei, quandoquidem eſt conſeruatio rei apud ſe, & ſicuti teſtè Phyloſopho conſeruatio rei eſt continuata productio eiuſdem rei, ita conſeruatio continuata rei apud ſe inuito Domino eſt continua acceptio eiuſdem rei ab eodem Domino, ſed iniuſta acceptio rei alienæ eſt actio peccaminoſa, ergo, & continuata detentio erit cõtinuata actio peccaminoſa; Confirmatur primo, quia illa continuata detentio iniuſta actu pendet à libero actu voluntatis non reſtituendi alteri, quod ſuum eſt, vel à libera voluntatis reſtituendi omiſsione, ergo eſt continuata actu actio peccaminoſa in eo ſenſu ſaltem, quo in omiſſione operis externi, qua alius læditur, conſiſtit peccatum actuale. Confirmatur ſecundo, quia ex ſuperiùs dictis peccata iniuſtitiæ potiſſimum deſumuntur penes ordinem ad inuoluntarium, cum ſint in ordine ad alterum, quatenus ſcilicet alter, vel ignorans, vel inuitus, & reluctans læditur, ſed per continuatam illam iniuſtam detentionem ſemper alter inuitus læditur, quatenus impeditur à poſſeſſione, & vſu rei ſuæ, ergo &c.

Probatur quoad ſecundam partem, quia peccata non multiplicãtur in numero, niſi per multiplicationem actuum, vel realitèr diſtinctorum, vel moraliter non continuatorum, ergò, vbi non eſt multiplicatio actuum numero diſtinctorum, nec interruptio moralis ipſorum actuum, non erit diſtinctio peccatorũ in numero; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicebamus, quod ſcilicet præceptũ reſtitutionis, ſeu non detentionis ſit negatiuam, adeoque, quod obliget pro quocunque, & ad quodcunque tempus, & quod Dominus rei pro quacunque differentia temporis ſit inuitus, & quidem rationabiliter, de illa detentione; Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia licet præceptum reſtituendi ſit principalitèr negatiuum in ordine tamen ad obligationem regulandum eſt ad normam actus, & naturam eiuſdem, qui præcipitur ſecundum eam rationem, ſecundum quam refertur ad alterum, cuius ius intelligitur læſum, cum tota iniquitas detentionis conſiſtat in iure alteriùs lęſo; alter autem, qui intelligitur læſus, intelligitur grauitèr rationabilitèr inuitus quoad primam ablationem, non ſic in retentione per breuiſsimum quodcunq; tempus, quia, vt benè notat Cardinalis de Lugo, prima ablatio eſt radix retentionis ſequẽtis, non ſic breuis retentio poſt primam ablationem, & per hoc etiam ſoluitur id, quod ſecundo loco afferebatur in hac inſtantia. Vide, quæ ſupra docuimus *ſub hoc eod. tit. de reſtitut. 1. prænot. 2. aſſert. 3., vers. dices ſecundo*.

Probatur ſecundo quoad eandem ſecundam partem, quia, ſi quis per diem integram perſeueret in voluntate peruerſa fornicarie peccandi non committit, niſi vnicum peccatum licet grauius, & tamen præceptum abſtinendi ab huiuſmodi actibus eſt negatiuum, ergo quãtumuis præceptum reſtituendi ſit principalitèr negatiuum, non tamen tot diſtincta peccata committentur, quot ſunt minutiſſima tempora, pro quibus res aliena detinetur, ſed erit idem numero peccatum licet ſemper, & ſemper grauius, niſi fortaſſe propoſitum detinendi moraliter interrumpatur, & deindè per nouum propoſitum reaſſumatur, quia tunc in nouo illo propoſito multiplicãtur actus. **Quomodò ex interruptione poſſunt multiplicari peccata.**

Pro cuius rei intelligentia, & ad pleniorem doctrinam aduertendum hic eſt, quod duplicitèr hoc peccatum actuale, quod conſiſtit in iniuſta detentione rei alienæ, poſſit iuterrumpi, & multiplicari peccata; primo ratione mutationis propoſiti, quatenus iniquus detentor voluntatem detinendi mutat conſtituens prima opportunitate reſtituere, & deinde adueniente tali opportunitate iterum determinat non reſtituere; tunc etenim in illa reaſſumptione voluntatis detinendi nouum peccatum committit, quia non continuatur cum illa prima voluntate; Secundo ratione detentionis externæ, quandò ſcilicet ratione impotentiæ ad reſtituendum detentio illa incipit non eſſe iniurioſa, & detinens, ſi poſſet, reſtitueret, quod contingeret, quandò detinens

tinens

Digitized by Google

tinens eſſet abſens, vel graui penuria laboraret; tunc etenim, ſi remoueretur impedimentum abſentiæ, vel impotentiæ, & non reſtitueret, detentio rurſus inciperet eſſe voluntaria, ac proindè nouum peccatum.

9 Aſſertio V. Vſus rei alienæ, quam quis apud ſe detinet, non inducit regularitèr nouum, nec maius peccatum ab ipſa detentione, ſi per vſum res illa non atteratur, nec ex illo detinens fiat impotentior ad reſtituendum; inducit tamen maius peccatum, ſi ex illo vſu res atteratur, vel periculo exponatur.Ità in vniuerſum ſentit *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 12. dub. 5. n. 26.*

Per vſum rei non inducitur nouū peccatum diſtinctū ab ipſa detẽtione, ſi ex illo vſu res non atteratur.

Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quia Dominus rei illius non poteſt eſſe rationabilitèr magis inuitus de illo vſu, ac ſit ſimplicitèr de detentione, ergo vtens illa re, quam apud ſe detinet, nec nouum peccatum committit, nec maius, quandòquidem ratio peccati deſumitur penes ordinem ad iniuriam, quam irrationabilitèr patitur læſus, ſeu damnificatus. Antecedens probatur, quia ratio iniuriæ, quam patitur læſus, ſeu damnificatus conſurgit ex læſione; non magis autem læditur per vſum, ac lædatur per ſimplicem detentionem, quandòquidem ipſe vſus non atterit rem, nec ipſam dimminuit in valore; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ adducuntur *à Caietano in 2. 2., D. Thomæ q. 66. art. 3.*, nempè non eſſe melioris conditionis detentorem, ac non detentorem, ſed non detentor vtendo re aliena inuito Domino toties peccat, quoties vtitur re aliena, ergo etiam toties peccabit detentor, quoties inuito Domino re detenta vtetur; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia in detentore, & non detentore non omnia ſunt paria, quandòquidem non detentor varijs temporibus vtens re aliena inuito Domino multiplicat actus, qui non radicantur in aliquo tertio, quod ſit fundamentum talium vſuum, vndè per quoſcunque vſus videtur æquiualentèr committere plura furta, quæ non continuantur inter ſe, nec in aliquo tertio; ſunt etenim veluti actus omninò moralitèr interrupti; quod autem ſint plura illi vſus æquiualentèr furta, expreſsè colligitur ex Iuriſtarum definitione, qua furtum exprimunt non ſolum per contrectationem rei, ſed etiam per contrectationem vſus; detentor autẽ vtens re aliena, quem apud ſe detinet inuito Domino pro temporibus, quibus detinet, non multiplicat actus, cum illi vſus radicentur in vna, & eadem detentione, nec illi vſus inferant diuerſam iniuriam Domino, qui ex illo vſu non magis damnificatur, ac damnificetur per ſimplicem detentionem.

Probatur iam quoad ſecundam, quia per vſum, quandò ex illo res atteritur, vel periculo exponitur, noua inducitur iniuria, ſeu maior aduerſus Dominum eiuſdẽ rei, ergo per ipſum inducitur nouum, ſeu ſaltem grauius peccatum. Antecedens probatur, quia per illam rei attritionem, quæ conſurgit ex vſu, vel per expoſitionem periculo, ne poſſit vindicari cum ſuis pręcedẽtibus qualitatibus, efficitur, quod Dominus ipſe non poſſit rem ſuam in indiuiduo vendicare, niſi cum detrimento, vel cogatur inuitus ad permutationem rei ſuæ, ſi debet eam recuperare, vt patet de conſumptione veſtis furtiuæ, ergo &c. Verum tamen eſt, quod ſi poſſet aliam rem ſimilem eiuſdem qualitatis, & valoris intra eandem ſpeciem recuperare, non agnoſcerẽ in illo vſu grauem, & conſiderabilem iniuriam Domino, qui non poteſt eſſe grauiter, & rationabilitèr indignatus ex illa commutatione.

Noua inducitur iniuria aduerſus Dominū rei.

Hic tamen conſiderandum eſt, prout etiam conſiderant *Caietanus 2. 2. q. 66. art. 3., Leſſius lib. 2. c. 12. de iuſt. & iur. dub 5. n. 26. verſ. 2. notandum*, quod ſi res apud iniuſtum detentorem, ità facta fuerit deterior, vt rationabilitèr pręſumatur, quod Dominus non amplius ipſam velit, ſed eius pretium, non ſit peccaminoſum, quod iniquus detentor ea vtatur, ipſamque conſumet, quandòquidem non eſt iniurioſum ipſi Domino, quod abſumatur, cum amplius nolit ipſam habere.

Aſſertio VI. Furtum, & rapina ſunt peccata ex genere ſuo mortifera *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 6. in corpore, & ibi latè Caietanus Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. qu. 3. art. 3. concl. vnica, Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 12. dub. 6. n. 27., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 24., Medina C. de reſtitut. q. 4., Silueſter verb. furtum q. 2., Nauarrus in ſumma c. 17. n. 3. & alij communiter.* 10

Furtum, & rapina ſũt ex genere ſuo peccata lethalia.

Ratio ex eo deducitur primo, quia furtum, & rapina ex genere ſuo opponuntur duabus ſpecialibus virtutibus, in quibus ſita eſt tota ratio pacis, mutuæ ſocietatis; amoris iure naturali præcepti, & debitæ æqualitatis in Republica conſeruandæ, nempè charitati, & iuſtitiæ commutatiuæ, ergo ex genere ſuo ſunt grauiter, & lęthaliter peccaminoſa. Conſequentia probatur, quia violare iuſtitiam, & charitatem, quibus Reipublicæ pax, & tranquillitas regitur, & ſeruatur debita inter partes eiuſdem Reipublicæ æqualitas, eſt malum ex genere ſuo graue. Confirmatur primo, quia in Sacris Scripturis interdicitur furtum verbis

Rationes ſuadentes aſſertum.

bis exprimentibus grauitatem delicti, ſic primo *Zacchariæ* 5., dicitur *Hac eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ, quia omnis fur iudicabitur*, maledictio autē non impenditur, niſi ob grauem culpam; ſecundo in præceptis Decalogi habetur, *ne furtum facies*; ibi autem præcipiuntur ea, quæ grauitatem important; tertio ex illo Apoſtoli prima ad Corinth. 5. *Non commiſceamini fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus &c. alioqui debueratis de hoc mundo exiſſe*. Confirmatur ſecundo, quia etiam de iure ciuili, & canonico interdicitur ſub grauibus pænis furtum, quod iniquum eſſet, ſi non eſſet grauis culpa.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod *non grandis ſit culpa ſi quis furatus fuerit*, prout habetur *Prouerb. 5.*, quod etiam aſſerunt plures ex DD. tam Theologis, quam iuris peritis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus ille loquitur non abſolutè, ſed comparatiuè ad crimen adulterij, quod colligitur ex eodem textu, vbi cum dicatur de fure, quod deprehenſus reddet ſeptuplum, de adultero dicitur, quod perdet animam ſuam; vbi certè elucet comparatio furti ad adulterium; atq; ſic hanc inſtantiam ſoluit *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 6. ad* 1. Dici etiam poteſt cum *Leſſio lib. 2. de iuſt., & iur. c. 12. dub. 6. n.* 27, allegatum textum procedere de bonis fortunæ comparatiue ad bona vitæ, & corporis, & ad bona famæ, & honoris, quæ quātum eſt ex obiecto, ſunt infima.

Dixi, *ex genere ſuo*, nam non negauerim ex indeliberatione, & ex paruitate materiæ, peccatum furti poſſe eſſe veniale, prout communiùs ſentiunt DD.

11 *Ratione indeliberationis poſſunt eſſe tamē venialia.*

D. Thomas loco cit. ad 3., Sotus lib. 5. de iuſt., & iur. q. 3. art. 3., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 26., Medina C. de reſtitut. q. 4. vers. quære fortaſſis, Coaruuias lib. 1. var. c. 3. n. 12., D. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 4. §. 3., Caietanus in summa verb. furtum in princip. aduerſus Gabriellem in 4. diſt. 15. q. 3. art. 3., & quidem, quod ex paruitate materiæ poſſit eſſe veniale, clarè deducit *D. Thomas loco cit. ad 3.*, ex eo, quod ratio ipſa modicum accipit pro nihilo, & cum in ijs peccatis iniuſtitiæ tota ratio malitiæ deſumatur penes ordinem ad læſionē alterius, vbi modica eſt læſio, modica, & leuis ſupponitur iniuria, & per conſequēs iniuſtitia; Neque hic audiendi ſunt *Theophilatus in expoſitione textus in §. gallinarum Inſtit. de rerum diuiſ. Corſetus tract. de excellent. q. 4., Hypolitus in l. furem n. 8. ff. de ſicarijs*, dum aſſerunt pro re parua concedi actionem furti, quod probant, tum ex *d. §. Gallinarum*, tum ex *l. vulgatis ff. de furt. & in c. vulgaris de pænit. diſt. 1.*, & *in c. fin.* 14. q. 1., vbi expreſsè dicitur *Fur etiam in minimis iudicatur*. Non, inquam, audiendi ſunt, quia gratis omninò dicitur pro rerum etiam modicitate concedi actionē furtiuam, cū *de minimis non curet Prætor*, cum ex vulgatiſſimis iuribus modica pro nihilo reputentur; vnde ad allegata iura reſpondemus ea procedere dumtaxat in ordine ad recuperandas res ipſas modicas, ſi extent, non autem ad pænas furti. Ad illud, quod ſubditur *in c. fin.* 14. q. 1., quod eſt D. Hieronymi, dicendum eſt furem etiam in minimis iudicari quoad Deum, vel quando furtum in minimis coniungitur cum animo notabilitèr nocendi, quod certè inducit peccatum læthale, quamuis in effectu non ſequatur nocumentum illud, prout conſiderant *D. Thomas loco cit., & alij*.

Deindè, quod ratione indeliberationis furtum poſſit eſſe veniale ex eo deducitur, quia peccatum iniuſtitiæ non ſolum terminatiuè conſideratur reſpectiuè ad inuoluntarium in perſona læſa, ſed etiam affectiuè ratione voluntarij in lædente, ſed ratione indeliberationis poteſt cōtingere, quod non ſit plena voluntarietas in lædente, quantum ſufficit ad inducendū peccatum læthale, cum ſine voluntarietate non poſſit eſſe actio peccaminoſa, quæ propterea metiri debet ad normam illius, ergo &c. Hoc autem potiſſimum contingeret, quandò quis vehementi tentatione actus non cum plena aduertentia furtum committeret &c. 12

Itē ratione paruitatis materiæ.

Aſſertio VII. Quantitas determinata ad conſtituendum furtum læthale non poteſt per certam regulam taxari, congruenti tamen aliqua ratione poteſt dici, quod illa quantitas ſatis ſit ad hūc effectū, per quam Dominus conſtituitur rationabilitèr grauitèr indignatus; illa verò non ſit ſatis, per quam rationabilitèr non poteſt eſſe, niſi leuitèr indignatus. Hanc regulam accepi à doctiſſimo noſtro Patre Cacherano in ſuis manuſcriptis de iuſtitia, & iure, cuius ſicuti in cæteris ſemper veneratus ſum doctrinam, ità & in hac opinione veneror, & admiror ſummā ſapientiā; hæc etenim in ordine ad diuerſas perſonarum conditiones fundamentū tribuit diuerſi, & ordinati iuditij; quod etenim in ordine ad vnam perſonam poteſt eſſe leue, in ordine ad alteram diuerſæ conditionis poterit eſſe graue. 13

Regula ad taxandam determinatam quantitatem ad conſtituendum furtum læthale.

Probatur primò, & ſimul explicatur. Potiſſima ratio peccaminoſa, quæ reſultat in peccatis iniuſtitiæ terminatiuè, & potiſſimum deſumitur ex inuoluntario, quod concipitur in perſona læſa, vt ſupra innuebamus, & expreſsè docet *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 4. in corpore*, ergo tanta erit

erit

Digitized by Google

erit obiectiuè malitia in furto, quanta erit inuoluntarietas, ſeu rationabilis indignatio perſonæ læſæ in tali furto, ergo ſi tale furtum tribuet perſonæ læſæ rationabile fundamentum grauis indignationis erit læthale, ſin minus, erit dumtaxat veniale.

Dixi, *rationabilitèr*, ſi enim quis ex leui furto alijs conditionibus non concurrentibus grauitèr eſſet inuitus, & acritèr indignaretur, non propterea lædens conſtitueretur grauis, & læthalis culpæ reus; non enim propter obolum v. g. poteſt perſona diues rationabilitèr grauitèr indignari, & ſi indignetur, ipſius leuitati tribuendum eſt, non grauitati lædentis.

Probatur ſecundo, quia peccata grauia, & leuia in ordine ad Deum ex eo deſumuntur, quod illa tribuunt fundamentum rationabile, grauis indignationis diuinæ, iſta verò nonniſi fundamentum leuis indignationis, ergo etiam leuitas, & grauitas peccatorum per iniuſtitiam in ordine ad proximum congruentiùs deſumenda erit per ordinem ad fundamentũ grauis, & leuis rationabilis indignationis in perſona læſa, ſeu damnificata.

Dices remanere adhuc explicandum, quandonam damnificatus habeat rationabile fundamentum grauis indignationis, & quando non, vt ex tali rationabili fundamento dignoſcatur grauis, & leuis culpa, & obligatio reſtituendi ſub læthali, vel veniali dumtaxat. Sed contra dico hoc poſſe cognoſci ex praxi ipſa, & experientia eorum, quibus damnum infertur, dummodo ſint viri prudentes, & timoratæ conſcientiæ, vel, ſi tales non ſint, ex arbitrio prudentum pro varia perſonarum, & locorum conditione, prout docet *Ioannes Medma C. de reſtitut. q. 10., & Petrus à Nauarra lib. 3. c. 1. nu. 35.* Ex qua praxi, & arbitrio conſtat loquendo v.g. in bonis famæ iuuenem profanum non grauitèr eſſe indignatum, & inuitum, ſi de eo dicatur fæminas concupiſcere, militem glorioſum non grauitèr eſſe inuitum, ſi de eo quis dicat, de qualibet iniuria vindictam ſumere; è contra Religioſum eſſe grauitèr inuitum, ſi de ipſo, vel talia, vel minora dicantur, puta quod dignitates ambiat, quod virtutes ſimulet &c. Ex eadem praxi conſtat loquendo in bonis fortunæ Dominum grauiùs indignari propter eandem quantitatem acceptam ab extraneo, quam acceptam ab vxore, vel filis, ſicque eadem quantitas accepta ab extraneo erit culpa grauis, quæ accepta ab vxore, vel filio erit tantum leuis.

Nonnullæ illationes dependenter ab aſſignata regula.

Conſtat præterea ſiſtendo in bonis fortunæ, artifices eſſe grauitèr inuitos, ſi priuentur tribus, vel quatuor argenteis; valdè diuites, ſi ſex & ſeptem, Principes, & Reges, ſi vno aureo; Neq; obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod Princeps, vel Rex non patitur graue damnum ex priuatione vnius aurei, ergo non habet ex tali carentia rationabile fundamentum grauis indignationis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, licet carentia vnius aurei non ſit ex ſe formalitèr graue damnum Principi eſt tamen graue damnum quaſi virtualitèr, & in actu primo, quatenus, quia ex vna parte aurei quantitas vehementer allicit ad furtum, niſi ex alia parte voluntas Principis grauiter inuita vehementèr à furto retardaret, nimis facile multiplicarentur furta vnius aurei, multique homine communiter illud committerent, ex qua facili multiplicatione graue damnum Principi facile inferretur, vbi non eſt eadem ratio de furtis leuioribus, quæ non adeò facile multiplicantur, cum materia leuior non adeò alliciat.

Ablatio vnius aurei à Principe eſt grauis, & quare.

Conſtat præterea, quod, quamuis res, quæ ſurripitur, non ſit notabilis pretij, ſit tamen talis, vt reſpectu eius, à quo auffertur, afferat eidem graue damnum, intelligatur in tali furto interuenire peccatum læthale, prout etiam notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dubit. 6. nu. 33.*; ſic v.g. ſi ſutori ſurripiatur ſeta, vel ſartori acus, ſi aliundè non habeant, quo munera ſua poſſint exercere, & ex tali deficientia grauia damna patiantur, ſurripiens certe graue peccatum committit, quandòquidem læſi in huiuſmodi rebus, quantumuis ſecundum ſe minimis, ratione damnorum, quæ inde obueniunt, intelliguntur habere rationabile fundamentum grauis indignationis &c.

Aſſertio VIII. Quamuis ſpeculatiuè loquendo *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de de mutuo, & vſuris diſq. 7. §. 10. n. 7. & ſeqq.* non improbauerimus opinionem aſſerentem per diuerſa furta modica ſecundum ſe facta diuerſis perſonis, quæ tamen ſimul accepta conſtituerent quantitatem ſufficientem ad lethale, non contrahi noxam læthalem; Ibidem *tamen num. 9.* prætulimus practicè loquendo contrariam opinionem aſſerentem per illa modica furta, quæ ſimul accepta perueniunt ad quantitatem ſufficientem ad læthale, contrahi noxam læthalem, tum quia prima ſententia vix habere poteſt locum, quin in damnificante, ſeu accipiente illa modica commixta ſit praua intentio diteſcendi ex re aliena, & fraus, & dolus contrà legem de non furando; tum quia viam aperit inhiantibus iniuſtæ rerum alienarum acquiſitioni ad ipſas ſine fræno, & habenis vſurpandas; tum quia non ità videtur accomoda plano,

no, & literali Sacrarum Scripturarum ſenſui, niſi verba in impropriam ſignificationem transferantur; tum quia aduerſatur communi Theologorum, & iuriſtarum conſenſui; tum quia tandem non videtur congruere communi bono humanæ ſocietatis.

14

Auferens plura modica a pluribus, quæ ſimul ſũpta perueniant ad notabilem quantitatẽ peccat grauiter.

Poſtea verò *tom.2. ſub tit. Contractus V. de cambijs II. diſq. 11. §. 2. n. 2. & 3.*, cum iam tunc emanauerit Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis declaratio, qua in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita feria 5. die 2. menſis Martij 1679. damnauit inter cæteras, tanquam ſcandaloſam, & in praxi perniciosam propoſitionem illam, quæ eſt in ordine trigeſima octaua, vbi ſic legitur *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumuis ſit magna ſumma totalis*; poſtea, inquam reaſſumendo hanc vniuerſam materiam clarius expreſſi meum ſenſum conformem menti SS. Pontificis, expreſſeque confutaui opinionem, quæ ſpeculatiuè loquendo quoquo modo eximebat eum, qui plura modica ſurripuerat a culpa læthali, & ab onere reſtitutionis, quamuis antecedētèr *in tom. pr. loc. cit.* in praxi eandem opinionem excluſiſſem. Vide quæ in vtroque loco citato habita ſunt; Non enim vacat in his immorari.

15

Si plures in modicis damnificent, nemo peccat lęthalitèr, niſi ſimul dãnificent ex cõſilio, & exẽplo.

Aſſertio IX. Si plures vni per minuta furta damnificent grauiter, adeò vt ſingulorum furtum non ſit graue, ſed omnium ſimul ad notabilem perueniat quãtitatem, nemo peccat mortifere, niſi omnes ex conſilio damnificent, vel niſi omnes adinuicem cooperentur de exemplo, vel hortatione. Conſentit in vniuerſum *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 9. à n. 51. ad 55. Nauarrus c. 17. n. 130.*

Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, quia tota iniuſtitia, quæ eſt in peccatis furti eſt ratione læſionis, quæ in damnificato conſurgit, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, nemo in particulari grauitèr alterum lædit, nec cauſa eſt notabilis damni reſpectu ipſius, ergo nemo grauiter peccat. Confirmatur, quia, ſi vnus tantum leue damnum intulerit non contrahit grauem noxam, ſiquidem peccatum iniuſtitiæ deſumitur ex graui damno, quod alteri infertur, ergo ſi plures ſecundum ſe leue damnum intulerint alteri, quantumuis damnum omnium ſimul ſit graue reſpectu damnificati, ſinguli ſingillatim accepti non cōtrahent grauem noxam. Conſequentia probatur, quia ſinguli in parua parte damnū inferunt, & præter intentionem ipſorū eſt, quod alij ſimile damnū inferant, ergo &c.

Dixi, *niſi omnes ex conſilio damnificent*; quia tunc omnes cooperantur graui illi damno perſonæ læſæ, prout docent *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 6., Medina C. de reſtitut. q. 7., Sotus lib. 4 de iuſt. & iur. q. 7. art. 3., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 12. dub. 9. n. 51. & c. 13. dub. 2.*, nec ſufficit, ſi aliquis ex illis aduertat notabile damnum inde alteri afferendum; non ſufficit, inquam, quia per talem aduertentiam non eſt cauſa, nec Phyſica, nec moralis, cur alij furentur, & ſic conſideratur, vt cauſa præciſa illius leuis damni, quod cauſat.

Dixi vlterius, *vel niſi omnes adinuicem cooperentur de exemplo, & hortatione*; nam ſi exemplo, & cohortatione concurrat eſt occaſio, vel cauſa moralis damni, quod alij inferunt, adeòque &c. Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod licet hæc, quæ dicuntur, verificētur, quandò intercedit cohortatio, non tamen verificentur, quandò interuenit præciſè exemplum, quandòquidem exemplum mouet potius ex peruerſitate illud ſequentis, quam dantis; quis enim diceret me teneri peccato alterius in aliquo genere ex eo præciſè, quod ſimile peccatum ego commiſerim, ex quo ille motus fuerit? Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo alter exemplo meo mouetur ad aliquod perpatrandum, quod vtique ſine illo non committeret, ego dicor, ſi non cauſa, ſaltem occaſio illius peccati, ad quod propterea ego aliqua ratione teneor, cum quoquo modo influam in illud. Deindè dici poteſt, & fortè melius, quod exemplum poteſt dupliciter ſumi, primo, quatenus mere paſſiuè ſumitur ſine aliquo influxu, ſiue Phyſico, ſiue morali, & hac ratione poteſt dici, quod ſe teneat ex parte eius, qui mouetur exemplo; ſecundo, quatenus actiuè ſumitur, prout ex parte operantis interuenit non ſolū actio Phyſica productiua illius actus iniuſti, in quo conſiſtit exemplum, ſed etiam aliquis moralis influxus, ſecundum quem incitet quodamodò alterum, & moralitèr moueat ad actionem ſimilem iniquam exercendam, & hac ratione exemplum ſe tenet ex parte illius, qui illud dat, ipſique imputatur ad culpam.

Per cohortationẽ, & exemplũ ſunt cauſa moralis grauis dãni.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in aſſertione, nempè, quod nemo peccet mortalitèr ex pluribus, quorum ſinguli inferunt, non niſi leue damnum, licet damnum ab omnibus ſimul acceptis ſit graue, niſi &c. militat hoc argumentum. Demus v. g. pro nunc, quod reſpectu huius damnificati ſit notabile, & graue damnum, vt decem; Demus vlterius, quod alij abſtulerint nouem; Demus inſuper, quod acceptis ab alijs illis nouem ego acci-

accipiam decimũm; quibus poſitis ego ſic argumentor. Per acceptionem illius decimi ego ſum cauſa, quod damnum, quod alioqui non eſſet notabile, ſit factum notabile, ergo ſaltem ego per furtum leue contraho noxam læthalem, & ſi mihi ad talem culpam imputatur, cur non alijs, qui æquale damnum intulerunt? Hoc argumentum eſt baſis contrariæ ſententiæ. Sed contrà facile poſſum occurrere dicens, quod, quamuis ex præcedentibus furtis, vt nouem, & ex hoc vltimo meo, quod per ablationem vnius complet decimum, conſtituatur ſumma notabilis ſufficiens ad grauem rationabilem indignationem damnificati, non propterea ego ſum, & dici poſſum cauſa, vel Phyſica, vel moralis illius notabilis damni, quod contingit damnificato, quandòquidem, quod meo modico furto vnius præceſſerit furtum aliorum, vt nouem, id reſpectu mei omninò per accidens eſt, & præter meam intentionem, qui non ideò furor illud modicum, quia alij abſtulerunt, ſed ex mea electione independenter ab illis. Cæterum, ſi quid euinceret hoc argumentum euinceret etiam, quod ſi alter præcedenter furatus fuerit nouem, & ego vnum, quod conſtituit ſimul cum illis decem, ego longe grauiori peccato afficerer, qui modicum abſtuli, ac afficeretur ille, qui longe, & longe plura abſtulit, quod non eſt dicendum.

Soluitur argumentum contrariæ opinionis.

Poteſt etiam aduerſus eandem aſſertionem opponi praxis quarundam Eccleſiarum, quæ ad inſtantiam perſonæ læſæ à multis in modicis, quæ tamen ſimul ſumpta conſtituunt notabile damnum, aſſolent cõminari ſententiam excõmunicationis aduerſus lædentes ad effectum ipſos compellendi ad reſtitutionẽ, ſeu compenſationem damnorum, ergo, quia ſupponuntur omnes peccaſſe mortiferè. Sed contrà admitto tanquam rationabilem talem praxim, quia Eccleſia reſpicit damnum notabile perſonæ læſæ, vt ſi v. g. vineæ alicuius eſſet illatum grauiſſimum nocumentum etiam à pluribus, nego tamen inde inferri, quod omnes, ſi ſinguli modicum abſtulerint, contraxerint peccatum mortiferum; neque inferas, ergo iniuſta eſſet, ſeu non obligatoria illa excommunicationis cõminatio, quandòquidem hæc legitimè feri non poteſt, niſi ob peccatum læthale; Non, inquam, hoc inferas, quia in primis, vt benè docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 9. n. 54.* interueniente iuſta, & legitima cauſa poteſt quis per Eccleſiam compelli ſub peccato læthali ad id, ad quod alias non teneretur v. g. ad interueniendum ad ſupplicationem, licet enim illa cauſa ſecundum ſe iuſta non ſatis ſit ſecundum ſe ad obligandum, ſatis tamen eſt ad obligandum interueniente præcepto Superioris; In noſtra autem hypotheſi non eſt ambigendum de iuſtitia cauſæ ad obligandum ad compenſationem illorum damnorum, cum hoc ſit notabile damnum perſonæ læſæ &c. Deindè, ſi ego dicerem non teneri ſingulos ad illam pænam excommunicationis, ſi modicum, quod acceperunt, vel in quo damnificarunt, non reſtituent, vel compenſent, non dicerem aliquid, quod à claſſicis DD. non approbaretur; nec propterea eſſet illuſoria illius excommunicationis comminatio, quandòquidem quandòque fit illa comminatio ad terrorem, quandòque fit ex ſuppoſitione, & præſumptione, quod omnes, vel exemplo, vel conſilio, vel conuentione cooperati fuerint ad illud damnum notabile inferendum, quantumuis ſinguli ſecundum ſe non niſi leue damnum intulerint.

Soluitur etiã aliud argumentum.

16 Aſſertio X. Non poteſt quicunque non ſolum in extrema, ſed etiam graui citeriori arcta neceſſitate conſtitutus licite rem alienam, qua extremè, vel grauitèr indiget ſurripere. Et circa *Nauarrum in man. cap. 17. nu. 61., Leſſium lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 12. dub. 12. à num. 67. vſque ad fin., Angelum verb. furtum §. 37., Silueſtrum eod. verb. quæſt. 5., Ioannem Medinam C. de eleemoſina quæſt. 7., Petrum à Nauarra l. 3. de reſtitut. cap. 1. num. 373.* Eſt conformiter menti SS. D. N. Innocentij XI. qui damnauit fer. 5. die 2. Martij 1679. propoſitionem illam, quæ eſt in ordine 36., qua dicebatur *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam graui.*

Non eſt licitum furari in graui neceſſitate.

17 Aſſertio XI. Peccant grauiter vxor, & filius, ſi notabilem quantitatem illa accipiat à marito, iſte à Patre, vel Matre loquendo de bonis, quæ quoad dominiũ, & vſumfructum pertinent ad eundem maritum, vel reſpectiuè Patrem; Hæc tamen notabilis quantitas non eſt accipienda taliter, qualitèr accipitur in furtis extraneorum, ſed debet eſſe longè maior attenta qualitate perſonarum, diuitiarumque, alijſque circunſtantijs. Conſentiunt *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. 2. part. n. 66. & ſeqq., Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 12. dub. 13. & 14. per totum, Mercatus tract. de reſtit. c. 13. verſ. mas por lo.*

Vxor, & filius grauiter peccant accipiendo à marito, vel Patre notabilem quantitatem.

Ratio quoad primam partem facile ex eo deducitur, quia qualitas filij, & vxoris non efficit, quod, ſi reſpectiuè vſurpauerit res Patris, & mariti in notabili quantitate, non contrectent res alienas inuito Domino, ergo nec tollit quin

Digitized by Google

grauiter peccent, quandòquidem aſſertio procedit quoad bona, quæ quoad dominium, & vſumfructum pertinent reſpectiuè, vel ad maritum, vel ad Patrem; & quidem in ordine ad bona, quæ filius accipit à Patre, vel Matre extat expreſſus textus Prouerb. 18. in Sacra Scriptura, vbi ſic legitur. *Qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo, & à Matre; & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*, & licet hic textus nihil exprimat de vxore accipiente res mariti ex paritate tamen rationis efficacitèr hoc poteſt euinci.

Ratio quoad ſecundam partem poteſt facilè deduci ex regula ſuperiùs tradita, quod ſcilicet grauitas, & leuitas in furto ratione quantitatis deſumatur ex rationabili fundamento, quod tribuit grauis, vel leuis indignationis in perſona læſa,
18 ſed attenta qualitate perſonarum non eſt præſumendum, quod ita rationabiliter grauiter Pater, vel maritus ob eam quantitatem, obquam eſt grauiter indignatus erga extraneos, indignetur erga vxorem, & filium reſpectiuè, quandòquidem non eſt rationabile, vt Pater, & maritus velit filium, & vxorem ità ſtricte viuere, vt non quandòque gaudeant cum amicis, cognatis in ludis, alijſque propriæ eorum conditioni conuenientibus, nec eleemoſinas erogent, & his ſimilia præſtent. Quænam verò determinata quantitas reſpectu ipſorum requiratur ad inducendam grauem noxam, & ad obligandum ſub graui ad reſtitutionem non eſt facile iudicatu, cum varij ſint hominum ſtatus, & aliæ circunſtantiæ; vndè arbitrio prudentum relinquendum exiſtimo, attenta circunſtantia perſonarum, diuitiarum, reciprocorum affectuum, aliorumque huiuſmodi generis in ordine ad effectus, & cauſas, ob quas vxor, & filius ſurripiunt. Sed de his omnibus fuse in ſequentibus prænotionibus.

Hęc notabilis quãtitas reſpectu vxoris, & filij debet eſſe maior, ac reſpectu extraneorum.

PRÆNOTIO V.

De actionibus ex quibus conſurgit iniurioſa acceptio adinuicem inter Patrem, & filios in bonis fortunæ.

SVMMARIVM.

Explicatur quænam ſint bona caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, aduentitia, & profectitia, & quænam ipſorum iura. 1.

Pater auferendo bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia filij in notabili quantitate grauiter peccat peccato iniuſtitiæ. 2.

Pater vel in ſui fauorem, vel aliorum auferendo aliquod notabile quoad proprietatem in bonis aduentitijs filij, vel enormiter lædendo, grauiter peccat. 3.

Non peccat grauiter lædendo, vel alienando bona profectitia filij. 4.

Bona profectitia filij habent hoc, vt non veniant in publicatione pro delicto Patris. 5.

Pater vſurpans bona mixta filij quoad proprietatem peccat, & tenetur eadem conferre, quantum importat ipſius labor, & induſtria. 6.

Intellige, ſi Pater aliundè non habeat, quo alatur, in ea parte, qua neceſſarium eſt, ad ipſius alimenta. 7.

Item ſi filius proteſtetur ſe operari, vt ſibi lucretur. 8.

Filius vſurpans bona aduentitia quoad fructus, & profectitia, & mixta in notabili quantitate grauiter peccat. 9.

Intellige niſi adſit conſenſus præſumptus Patris. 10.

Item niſi filius cauſa ſtudiorum exiſtens extra domum Patris expenderet in congruas eleemoſinas, in ludos moderatos iuxta conditionem ſuam ad inſtar aliorum. 11.

Item niſi accipiat ad ſubueniendum pauperi in graui neceſſitate conſtituto. 12.

Si filius accepta à Patre in ordine ad conuenientes vſus inſumpſerit in vſus turpes probabilius peccauit peccato iniuſtitiæ. 13.

Acquiſitum à filio familias illicitè pertinet quoad vſumfructum ad Patrem. 14.

Peccat peccato iniuſtitiæ filius, qui viuente Patre de ipſius conſenſu fructus ex bonis eius percepit, nec poſt mortem vult conferre cum cæteris fratribus. 15

Niſi fructus illi eſſent in modica quãtitate. 16.

Item niſi illi fructus ceſſiſſent in eos vſus, ad quos Pater non poteſt eſſe rationabiliter inuitus. 17.

Vel niſi conceſſi eſſent titulo remunerationis ob beneficia præſtita Patri. 18.

SIngillatim omnia expendimus, quæ innuimus in vltima aſſertione præcedentis prænotionis; & primo agemus de iniuſtis actionibus, quæ fieri poſſunt à Patre in bonis fortunæ filiorum; ſecundo de actionibus iniuſtis, quæ fieri poſſunt à filijs in bonis parentum. Pro quo

Aduerte primo bona fortunæ, in ordine ad quæ poteſt eſſe controuerſia, an
I poſſit conſurgere iniurioſa, ſeu iniuſta acceptio Patris aduerſus filium, alia eſſe bona caſtrenſia, alia quaſi caſtrenſia, alia aduentitia, alia profectitia, prout alibi innuimus. Primi generis ſunt ea, quæ filius in bello acquirit *l. caſtrenſe ff. de caſtrenſi pecul. & in rub. C. eodem tit.* atque huiuſmodi bona ſolius filij ſunt, tam quoad dominium, quam quoad vſumfructum, & in eis Pater nihil habet, niſi ad ſummum adminiſtrationem, ſi filius eſſet minor,

Bona caſtrenſia, quaſi caſtrẽſia, aduentitia, & profectitia quę nam ſint, & quænã ipſorũ iura.

minor, vel in dementiam, & prodigalitatem inciderit *l. fin. C. de inoffic. teſtam. l. 1. §. fin. C. ad Macedon. Bartolus in l. ſi fortè ff. de caſtrenſi pecul. in tract. de duob. fratrib.*; ſecundi generis ſunt ea, quæ filius familias acquirit per officium aliquod publicum puta Medici, Aduocati, ſcribę aut Magiſtri in aliqua arte liberali, aut alio quocunque officio publico per beneficium Principis *l. cum multa C. de bonis quæ liber.* Ad hæc reducuntur bona, quæ Clerici ex beneficijs, vel ſuo munere clericali acquirunt *auth. Presbyteros C. de Epiſc. & Cler. Panormitanus in c. quia nos de teſtibus, & c. conſtitutus de reſtitut. in integrum*, atque etiam quoad hæc Pater nullum habet dominium, neque vſumfructum *l. non ſolum C. de bon. quæ liber.*; tertij generis ſunt ea, quæ filius familias acquirit aliunde, quà à Patre, aut contemplatione ipſius; atque in ijs proprietas eſt filij, vſusfructus Patris, quandiu Pater ipſe viuit per eundem textum *in l. non ſolum, & l. cum oportet C. de bonis quæ lib.* Intellige, niſi ille, à quo filius huiuſmodi bona aduentitia accepit, prohibuerit, ne Patri vſusfructus acquiratur *Auth. excipitur C. de bonis quæ lib.*; quarti generis ſunt ea, quæ filius familias habuit a Patre, aut contemplatione ipſius, aut de eius bonis, atque hæc pertinent tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum ad Patrem.

Aduerte ſecundo, quod bona fortunæ, in ordine ad quæ poteſt eſſe controuerſia an filius ea contrectans inuito Patre committat actionem furtiuam iniurioſam poſſint eſſe, vel bona aduentitia, in quibus Pater habet vſumfructum, licet non proprietatem, vel profectitia, in quibus habet, & proprietatem, & vſumfructum, vel in ordine ad bona patrimonialia, quæ ſunt eiuſdem Patris, vel in ordine ad bona mixta, quæ partim ſunt aduentitia, partim profectitia, quæ ſcilicet filius ſuo labore, & induſtria ex bonis paternis, aut in eiſdem acquirit, prout notat *Nauarrus in manual. c. 17. n. 144.*

Articuli examinādi circa actiones Patris in bonis filiorum.

In ordine ad actiones Patris in bonis filij inquiretur primo, an ſi Pater vſurpet bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia filij eo ignorante committat actionem furtiuam peccaminoſam grauiter. Secundo, an grauiter etiam peccet in tali genere, ſi ex bonis aduentitijs eiuſdem filij aliquid notabile diſſipet, vel in proprium, vel in aliorum fauorem, & vtilitatem; Tertio, an etiam lætifere peccet diſſipando bona profectitia eorundem filiorum; Quarto, an committat actionem furtiuam grauiter peccaminoſam, ſi vſurpet, vel in proprium, vel in aliorum filiorum fauorem bona mixta ex aduentitijs, & perfectitijs, quæ ſcilicet procedunt ex eiuſdem filij labore & induſtria, vel ex bonis paternis, vel in eiſdem bonis, & alia huiuſmodi.

Articuli examinādi circa actiones filiorū in bonis Patris.

In ordine verò ad actiones filij in bonis patris erit ſermo primo, an ipſe filius committat furtum accipiēdo inuito Patre bona aduentitia, vel profectitia, vel mixta. Secundo, an in quacunque quantitate bonorum paternorum committat peccatum mortiferum, & quomodo excuſetur à culpa graui in huiuſmodi ablationibus. Tertio, an, ſi filius acceperit fructus aliquos de bonis patris viuentis cum ipſius conſenſu, & poſt mortem eiuſdem Patris non communicet cum cęteris fratribus, committat furtum. Quarto, an committat filius furtum, ſi poſt mortem Patris nolit ea conferre, quæ Pater viuens ipſi emit, ſed non tradidit, quamuis fuerint libri, arma, & alia, quæ ſi fuiſſent tradita viuente Patre, poſſent habere rationem bonorum caſtrenſium, ſeu quaſi caſtrenſiua. Quinto, an peccet filius, ſi nolit computare in parte ſuæ legitimæ poſt mortem patris alimenta, quę habuit in ſtudijs literarum, quantumuis Pater penes ſe habuerit peculium caſtrenſe, ſeu quaſi caſtrenſe eiuſdem filij, & alia huiuſmodi.

2 Pater quomodo peccet auferendo bona caſtrēſia, vel quaſi caſtrenſia filij.

Aſſertio I. Pater auferendo bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia filij in notabili quantitate, & tanta, vt attenta etiam qualitate perſonarum intelligatur in filio rationabile fundamentum grauis indignationis, grauiter peccat peccato iniuſtitiæ. Conſentit *Nauarrus in manual. c. 17. n. 150. verſ. quadrageſimo ſeptimo, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 69.*

Probatur primo *arg. c. qui abſtulerit 12. q. 2.* Secundo euincitur omnibus iuribus probantibus huiuſmodi bona pleno iure tam quoad dominium, quàm quoad vſumfructum pertinere ad filium, & in eis Patrem nihil habere *l. fin. C. de inoff. teſtam. l. 1. §. fin. C. ad Macedon. Bartolus in l. ſi forte ff. de caſtrenſ. pecul. in tract. de duobus fratrib.* Tertio ratione, quia filius familias accipiendo de bonis paternis in notabili quantitate, & tali, vt inducat rationabile fundamentum grauis indignationis læthifere peccat, prout probatum eſt ſupra, & infra latius probabitur, ergo etiam Pater accipiendo, ſeu vſurpando de bonis filij in notabili quantitate, in quibus, nec dominium ipſe habet, nec vſumfructum mortifere peccabit, quia par omninò militat ratio; nam ſicuti filius in bonis paternis nullum penitus ius habet, ita nec Pater ius aliquod habet in bonis caſtrenſibus, ſeu quaſi caſtrenſibus filij; Nec obeſſe poteſt, quod Pater in ordine ad filium habeat ſuperioritatem,

& ius

& ius quodam directiuum, quæ non habet filius in ordine ad Patrem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa ſuperioritas, ſeu ius directiuum, quæ conſideratur in Patre reſpectu filij eſt in ordine ad regimen, & gubernationem politicam eiuſdem filij, non autem ad bona, quæ pleno iure pertinent ex diſpoſitione iuris ad ipſum filium independenter à Patre, reſpectu quorum ipſe filius eſt ſui omninò iuris, & non conſideratur, vt filius, ſed vt pars Reipublicæ.

3 Quomodò peccet lædendo bona aduentitia filij quoad proprietatē.

Aſſertio II. Pater accipiendo, vel auferendo ſibi, vel alteri aliquod notabile quoad proprietatem in bonis aduentitijs filij, vel enormitèr eandem proprietatem per malam adminiſtrationem, vel alio modo lædendo grauiter peccat. *Angelus verb. peculium §. 24. Silueſter eod. verb. q. 15., Nauarrus in ſumma c. 17. n. 151.*

Ratio deducitur ex allegato textu *in l. non ſolum, & l. cum oportet C. de bon. quæ lib.*, vbi dicitur, quod proprietas illorum bonorum nullo iure pertinet ad Patrem, ergo Pater proprietatem illorum bonorum, vel arripiendo, vel enormiter lædendo per malam adminiſtrationem, vel alio pacto mortifere peccabit, quandòquidem aliena ſibi vſurpat, vel lædit inuito Domino, & ſicuti, vt infrà videbimus, filius viuente Patre auferendo, vel vſurpando vſumfructum in illis bonis grauiter peccat, quia vſusfructus pertinet ad Patrem, dum viuit, prout probant *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 70., & Nauarrus in ſumma c. 17. n. 156. ex l. non ſolum C. de bon. quæ liber. & l. cum oportent C. eod. tit.* ita Pater auferendo, vel lædendo de bonis aduentitijs filij quoad proprietatem grauitèr peccabit, cum proprietas ipſorum ad ipſum filium pertineat; vndè non incongruè docet *Nauarrus c. 17. n. 151.*, quod ſi Pater viuens notabiliter acceperit, vel læſerit proprietatem bonorum aduētiorum filij teneantur cæteri fratres poſt obitum Patris damnum illud in diuiſione bonorum reſarcire.

4 Non peccat lędendo bona profectitia filij.

Aſſertio III. Pater diſſipando, auferendo, enormiter lædendo bona profectitia filiorum non grauiter peccat, ſicuti non peccat diſponendo de bonis proprijs. Conſentiunt *Nauarrus in ſumma c. 7. nu. 144., Silueſter verb. peculium q. 3., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 1. num. 74.*

Ratio ex oppoſitis in præcedenter dictis deducitur, quia ſcilicet in huiuſmodi bonis tam proprietas, quàm vſusfructus pertinent ad ipſum Patrem nullo modo ad filium, ergo Pater de illis ad libitum diſponendo nullo modo peccabit cum vtatur re ſua, cuius pleno gaudet iure. Confirmatur, quia ſi filius inuito, ſeu ignorante Patre huiuſmodi bona ſurripiat grauiter peccat, & ad reſtitutionem tenetur, prout docent *Silueſter, Petrus à Nauarra, & Nauarrus loc. cit.*, quia horum bonorum ius quodlibet pertinet ad Patrem, vt infrà nos etiam videbimus, ergo è conuerſo, ſi Pater de illis diſpoſuerit, alienauerit, conſumpſerit non peccabit; ſi enim filius peccat auferendo, quia nullum ius habet in illis bonis, Pater non peccabit, quia plenum ius habet in illis.

Neque ex his inferas, ergo bona profectitia filiorum nil amplius habent, ac ſi eſſent bona patrimonialia, & propria Patris; Non, inquam hoc inferas, quia bona profectitia hoc amplius habent ſupra bona patrimonialia Patris, vt ſi bona patris publicentur ex aliquo delicto, ſub illa publicatione non veniant bona illa profectitia filij, prout probat *Silueſter verb. peculium q. 3.* per textum *in l. ſi finita §. ſi de vectigalibus ff. de damno infecto.*

5 Bona profectitia filij habent hoc, vt nō veniant in publicatione pro delicto Patris.

Pro clariori tamen notitia eorum, quæ dicta ſunt in præſenti aſſertione aduertendum eſt; quod, cum dictum fuerit bona profectitia illa eſſe, quæ filius familias habet à Patre, aut eius cauſa, ſeu contemplatione, aut ex, vel de eius bonis, non ſolum ſub hac appellatione veniant ea, quæ ſine vllo opere eiuſdem filij eidē obueniunt à Patre, vel contemplatione Patris, ſed etiam ea, quæ quoquo modo ex bonis Patris eidem obueniunt interueniente aliquo opere, ſeu induſtria eiuſdem filij. Ea, quæ iuxtà primum ſenſum mox expoſitum acquiruntur certum eſt pleno iure pertinere ad Patrem, atque illa conferenda eſſe in diuiſione bonorum, niſi à Patre viuente fuerint alienata; atque hæc nihil amplius habent ſupra bona patrimonialia Patris, niſi hoc, quod ſi bona patris publicentur, non veniant ſub publicatione. Ea verò, quæ iuxtà ſecundum ſenſum expoſitum acquiruntur, cum videantur eſſe quodamodò mixtà ex profectitijs, & aduentitijs, vt notant *Nauarrus d. c. 17. n. 144., & Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 74.* tribuunt maius ius dubitandi, de quo mox ſubdo

6 Quomodò peccet circa bona mixta.

Aſſertio IV. Si Pater bona filij mixtà vſurpauerit quoad proprietatem, nec præceperit in vltima ſua diſpoſitione eadem ipſi conferenda, ſeu tribuenda in diuiſione cum cæteris fratribus iniuſtè egit; vndè ipſo Patre mortuo tanto plus à cæteris fratribus debet habere in diuiſione bonorum, quanto plus, quam illi in illis bonis quærendis laborauit, aut certe tantum, quantum mercedis ſolui debe-

debe-

Digitized by Google

deberet alij extraneo, qui tantundem laboraſſet. Conſentiunt *Nauarrus in ſumma c.17.n.144.*, *Angelus verb. peculium, & ibi Roſella §.7. & 8.*, *Montaltus in l.7. tit.4. lib.3 fol.100.*, *Petrus à Nauarra lib.3. de reſtit. c.1. n 75.* quidquid ex aduerſo dixerit *Silueſter verb. peculium q.12.*, qui tamen procedit cum diſtinctione, & ſecundum quid fauet aſſertioni, ſecundum quid aduerſatur; dicit enim, quod, ſi filius quandò ex bonis patris lucratus eſt per ſuum laborem, & induſtriam erat ſub patris poteſtate, acquiſierit eidem Patri abſolutè, ſicque illud lucrum computandum ſit inter bona purè profectitia, quia filius in vſu, & exercitio rerum paternarum conuenienti ſuæ perſonæ obligatur Patri; ſi verò filius, quando ex ſua induſtria ex bonis paternis lucratus eſt, omninò eſt ſub poteſtate Patris lucrum illud quoad proprietatem in ea parte, quæ correſpondet propriæ induſtriæ, ſibi acquiſierit, illudque in illa parte ſit aduentitium.

Ratio aſſertionis noſtræ ex eo deducitur, quia bona aduentitia quoad proprietatē pertinent ad filium, licet quoad vſumfructum ſpectent ad Patrem, ſed illa bona acquiſita ex bonis paternis per induſtriam, & laborem filij ſunt in ea parte, qua correſpondent induſtriæ, & labori filij aduentitia, quandòquidem ſicuti lucrum ex pecunia per induſtriam partim pecuniæ, partim perſonæ applicanti induſtriam tribuitur per textum *in l.1. C. pro ſocio, & l. ſi non fuerint §.1. ff. eodem tit.* ita lucrum, quod correſpondet fundo, ſeu pecuniæ erit profectitium, illud verò, quod correſpondet induſtriæ, erit aduentitium. Confirmatur primò, quia, ſi filius familias de bonis, ſeu pecunia paterna etiam clandeſtinè accepta per ſuam induſtriam lucrum aliquod acquiret, ſaltem quoad medietatem illud acquirit ſibi *Bartolus in l.1. §. nec caſtrenſe ff. de collat. bon.*, *Decius in l. illud C. de collat. num.10.*, ergo, ſi ex bonis paternis per ſuam induſtriam, quam cæteri fratres non applicant, aliquid acquirat, ſibi acquirit quoad proprietatem ſaltem in illa parte, quæ eidem induſtriæ correſpondet. Confirmatur ſecundo, quia, ſi per ſuam induſtriam præciſè filius familias aliquid lucretur, totum illud lucrum quoad proprietatem ipſi cedit, etiam ſi ſit ſub poteſtate Patris, & illud lucrum computatur inter bona aduentitia, vt omnes fatentur, quandòquidem nomine bonorum aduentitiorum veniunt ea omnia, quæ non procedunt à ſucceſſione Patris *Ferrer. in conſtitutiones Catholoniæ gloſ.2.n.166.*, *Barboſa in tract. var. de appell. verb. iur. ſignific. appel. 35. nu.11.*, ergo, ſi per ſuam induſtriam ex bonis paternis aliquid lucrum conſequetur ſaltem in ea parte, quæ correſpondet induſtriæ, ſibi quoad proprietatem acquiret, & computabitur inter bona aduentitia ipſius, quādòquidem illud non acquirit ex ſucceſſione patris.

Illud lucrū, quod correſpōdet labori, & induſtriæ filij cōputādum eſt inter bona aduētitia.

7 Intellige; ſi Pater aliūdè nō habeat. quo alatur in ea parte, qua neceſſariū eſt ad alimenta.

Hanc tamen aſſertionem veram exiſtimo interueniente duplici conditione, quarum altera eſt, vt Pater habeat aliunde, vnde alatur, cæteroqui, cum filius teneatur ipſum alere, non lucrabitur illa bona, prout notat *Nauarrus c.17.n 144.*, qui hoc probat ex textu *in l. ſi quid liberis §. idem ff. de lib. agnoſ.*, *& l. Neſennius ff. de negotijs geſt. & l. alimenta C. eodem*, idemque ſentit *Petrus à Nauarra lib.3. de reſtit. c.1. n.75.*; Sed hanc limitationem ego reſtringerem, quandò bona, quæ filius ex bonis paternis per propriam induſtriam acquireret, in Patris alimenta abſumerentur; ſecus, ſi ad alimenta patris ad obitum ipſius ſupereſſent; quia id, quod ſupereſt, non eſt, cur non debeat ſupereſſe acquirenti; tota etenim ratio huius limitationis eſt onus, quod habet filius, alendi Patrem, quandò aliundè non habet, quo alatur, ergo id, quod ſupereſt ad alimenta, cedere debet acquirenti. Secunda eſt, quod filius, qui in bonis paternis, & ex eiſdem lucratur ſciente, & non contradicente Patre expreſsè, vel tacitè proteſtetur, quod ea opera, & induſtriam exhibeat eo animo, vt ſibi eadem aduentitio lucro acquirat, vel ſaltem tantum, quantum alteri extraneo ob ſimilia opera; & induſtriam dari deberet; & ratio eſt, quia non præmiſſa illa proteſtatione opera illa, ſeu induſtriam præſtare amore filiali præſumeretur *arg. l. Neſennius ff de neg. geſt. l.1. & l. alimenta C. eod.* Tertiam ego conditionem adderem, niſi illa opera, & induſtria, quam filius adhibet in bonis paternis eſſent talia, qualia communiter exhibentur a filijs ſimilis conditionis in obſequium parentum; tunc etenim cederent in fauorem Patris.

8 Item ſi filius proteſtetur ſe operari, vt ſibi lucretur.

Nec hic admittendam cenſeo diſtinctionem Silueſtri de filio exiſtente ſub cura, & poteſtate Patris, ac de filio ab eadem cura extracto, quandòquidem ſuppoſita prędicta proteſtatione non eſt pręſumptio quantumuis fuerit ſub poteſtate Patris illa pręſtare amore filiali, & in obſequium pręciſè eiuſdem Patris, & ſicuti, ſi ex rebus patris clandeſtinè acceptis ex præcitatis iuribus filius per propriam induſtriam aliquod acquireret, ſibi per proprietatem acquireret, non obſtante, quod ſit ſub patris poteſtate, eo quia induſtriā

Non valet diſtinctio Silueſtri de filio exiſtēte ſub poteſtate Patris, ac de filio ab eadem cura extracto.

non

Digitized by Google

non præſtet in obſequium eiuſdem Patris, ita ſi ex rebus paternis eum proteſtatione, vt ſibi quoad proprietatem acquirat, lucrum aliquod acquirat per induſtriam non conſuetam, non obſtante, quod ſit ſub poteſtate Patris ſibi acquirere dicendus eſt, quia non præſumitur facere pro patre, nec ad illa obſequia inſueta tenetur.

9 Filius vſurpans bona aduentitia quoad fructus, & profectitia peccat.

Aſſertio V. Filius familias, ſi ſibi vſurpaucrit bona aduentitia quoad fructus, & vſumfructum in notabili quantitate inſcio Patre ex genere ſuo, & a fortiori, ſi clam acceperit bona profectitia, & mixta etiam quoad eundem vſumfructum grauiter peccat. Ita in vniuerſum *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 13. n. 76.*, *Nauarrus in manual. c. 17. num. 156. & ſeqq.*, *D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 15. §. 1.*, *Gabriel in 4. diſt. 15. q. 4. dub. 5.*, *Meratus tract. de reſtit. c. 13.*, *Petrus de Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. 2. part. n. 66., & ſeqq.*, qui DD. licet loquantur præcisè de vſurpatione bonorum paternorum facta per filium, non diſtinguentes inter bona pure patrimonialia, & inter bona aduentitia quoad vſumfructum, & aduentitia & mixta, ex identitate tamen rationis trahi optimè poſſunt ad hæc omnia in vniuerſum.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia talis vſurpatio eſt acceptio bonorū alienorum inuito Domino, ſeu ignorante, ergo, ſi fuerit in quantitate notabili, & tali, qualis præbeat rationabile fundamentum grauis indignationis reſpectu Patris, erit grauiter peccaminoſa. Antecedens quoad bona aduentitia facile liquet, tum ex ſupra dictis, tum ex eo, quod eorundem vſusfructus, & poſſeſſio pertinet ſimpliciter ad Patrem; actio autem furtiua non ſolum reſpicit ex præactis proprietatem, ſed etiam vſum, & poſſeſſionem; quoad bona profectitia etiam liquet ex eo, quod pleno iure ſpectant ad eundem Patrem tam quoad proprietatem, quam quoad vſumfructum, ſi ſint ſimpliciter profectitia; ſi verò ſint mixta, tunc ſecundum eam partem, ſecundum quam ſunt profectitia etiam pleno iure pertinent ad Patrem ſecundum vtrumq; ius dominij ſcilicet, & vſusfructus, ſecundum verò partem, ſecundum quam ſunt aduentitia, & proueniunt ex labore, & induſtria eiuſdem filij pertinent etiam quoad vſumfructum ad eundem, & ſic ſemper erit vſurpatio rei alienæ, vel quoad dominium, vel quoad vſumfructum, vel quoad vtrumque.

Actio furtiua non ſolum reſpicit proprietatē, ſed etiam vſum.

10 Niſi adſit conſenſus prēſūptus Patris.

Dixi, *ex genere ſuo*, propter multas limitationes, quas patitur aſſertio; & primo limita, niſi eſſet præſumptus conſenſus eiuſdem Patris, vt ſi Pater ſciat, & non contradicat, aut ſimilia illi dare ſoleat, idque exigat conſuetudo patriæ, vel familiæ *Gabriel in 4. diſt. 15. q. 4. dub. 5.*, *Nauarrus in ſumma c. 17. nu. 158.* attento etiam amore Patris, & propenſione eiuſdem in filium, & quidem prēſumitur ex eo, quod in ſimilibus non contradicat quinimmò ex conditione ſtatus ipſe conferre ſoleat.

11 Item niſi exiſtens extrà domum Patris cauſa ſtudiorū inſumeret invſus cōſuetos aliorū ſimilis conditionis.

Limita ſecundo in caſu, quo extra domum paternam filius verſaretur in ſtudij, & iuxta conditionem ſuam ad inſtar aliorum expenderet in congruas eleemoſinas, in ludos, & congruas recreationes, prout notat *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 12. dub. 13. n. 79. verſ. tertio ſi dum verſatur*, & in ordine ad huiuſmodi munera efficienda abſumeret ex bonis paternis; tunc etenim Pater in ordine ad has expenſas non ſupponitur rationabilitèr grauiter inuitus.

Limita tertio, ſi accipiat ex bonis paternis ad effectum ſubueniendi pauperi in extrema, vel graui neceſſitate conſtituto, prout notat *Petrus à Nauarra de reſtit. lib. 3. c. 1. 2. part. n. 68.*, *Leſſius loc. cit. nu. 80.*, *Nauarrus in ſumma c. 17. nu. 157.* & ratio eſt, quia tunc ipſe Pater dare tenetur, adeòque non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus, quod filius ad eum effectum acceperit, & ſicuti, ſi ipſe extremè indigens immediatè per ſe ipſum acciperet a Patre Titij ipſe Pater non poſſet rationabiliter ęgrè ferre, ità nec poteſt rationabiliter ægre ferre, ſi filius accipiat in ordine ad eidem ſubueniendum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Pater in hac hypotheſi poſſit eſſe rationabilitèr inuitus, ſi filius extremè, vel grauiter indigenti libere donet, ſeu donarit, cum poſſit, ſeu potuerit eidem in tali neceſſitate ſubuenire cum minori damno ipſius Patris mutuando ſcilicet, non libere demando. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia exiſtente illa extrema, & graui neceſſitate licitum eſt abſolute accipere rem alienam, prout docent *Angelus verbo furtum §. 37.*, *Silueſter eod. verb. q. 5.*, *Ioannes Medina C. de eleemoſ. q. 7.*, *Coarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 1. n. 3.*, & illa neceſſitas tribuit ius abſolutè ad rem, qua indiget nō ſub aliquo titulo reſtitutionis & onoroſo, vt alibi fuſe videbimus.

12 Vel niſi accipiat ad ſubueniendum pauperi in graui neceſſitate cōſtituto.

Limita quarto quoad bona aduentitia, ſi Pater in hęreſim inciderit, quia per tale delictum Patris vſusfructus conſolidatur cum proprietate in fauorem filij *Iacobus Simanchas Inſtit. Cathol. tit. 9. n. 81.*, *Molina diſp. 9.*, *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 3. dub. 5. n. 23. verſ. octauo*, & ratio eſt, quia ob crimen hæreſis in Patre filius eximitur a patria poteſtate, & ſine alio fit ſui iuris per textum *in c. 2. de hæret. in 6.*

Alias

Alias plures limitationes vide apud *Leſſium lib.2. de iuſt.& iur. c.12. dub.13. per totum, Petrum à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c.1. p.2. à n.68., Nauarrum c.17. à n.157.,* quas nos hic non referimus, vel quia ſupra ipſas attigimus, vel quia ex ſe innoteſcunt, vt quoad bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quæ, cum pleno iure pertineant ad eundem filium, iniuſtitiam non committit, ſi ex eis accipiat.

Hic ſolum duplex remanet difficultas; quarum prima eſt, an, ſi filius ex præſumpta voluntate Patris aliquid ex bonis Patris acceperit in ordine ad honeſtos vſus,

Duplex ratio dubitãdi excitatur.

ad quos Pater non ſupponitur inuitus, cum ſint conuenientes conditioni propriæ, & filij, illudque non in ordine ad illos vſus inſumpſerit, ſed in res turpes, aut vanas, puta in ludos compotationes in fœminas &c., grauiter peccauerit peccato iniuſtitiæ, illudque teneatur reſtituere. Secunda, an, ſi filius familias, vel per propriã induſtriã, vel alio modo aliquid illicitè acquiſierit, illud ſic illicitè acquiſitum tanquam bonum aduentitiũ pertineat quoad vſumfructum Patri, & ſolum quoad proprietatem filio, an verò pleno iure ad eundem filium pertineat.

In ordine ad primam tota ratio dubitandi dependet ex eo, an præſumatur, quod Pater tacitè, & implicitè annuendo illi acceptioni in ordine ad illos vſus conuenientes ſtatui, & cõditioni filij, donet abſolutè talia bona filio iniuncto ſolũ tacito, & implicito mandato, vt honeſtè, & in vſus illos impendat; an verò ſolummodò donet cum reſtrictione ad illos vſus determinatos, adeò vt filius non libere accipiat dominium, ſed tantum reſtrictiuè ad illum vſum; ſi etenim iuxtà primum ſenſum donet, certe filius non peccat peccato iniuſtitiæ, nec tenetur ad reſtitutionem, ſed ad ſummum peccato inobedientiæ, & aduerſus virtutem illam, aduerſus quam militant illi vſus, in quos impendit; ſi verò donet iuxtà ſecundum ſenſum, & peccat peccato iniuſtitiæ, & tenetur ad reſtitutionem, vt bene probat *Leſſius de iuſt.& iur. lib.2.c.12.dub.13.n.77.*

13 **Filius inſumens in prauos vſus ea, quæ accepit à Patre pro vſibus honeſtis, & congruis peccauit peccato iniuſtitiæ.**

Probabilius ſentio præſumendum eſſe ſolummodò, quod voluntas Patris fuerit de donatione reſtricta ad illos vſus honeſtos, & conuenientes proprio ſtatui, & conditioni filij, nec aliter, nec alio modo, prout idem *Leſſius loc. quo ſupra*, & ſic ſi in vanos, & turpes illos vſus filius inſumpſerit, probabilius peccauit peccato iniuſtitiæ, & tenetur ad reſtitutionem. Ratio ex eo deducitur primo, quia donationes a Patre factæ filijs, qui ſub ipſius poteſtate ſunt, non tenent, nec viceuerſa donationes factæ ab eiſdem filijs Patri, prout habetur *in l.2. C. de inoffic. leg. & l. cum de bonis C. de donat.*, quia pro vna, & eadem perſona reputantur *l. fin. C. de impub.*, ergo non eſt præſumendum, quod Pater voluerit aſſentiri illi acceptioni, tanquam donationi abſolutè factæ, ſed eo modo, quo fieri poteſt ſecundum diſpoſitionem iuris. Secundo, quia, in tantum ſupponitur filius licite accipere, in quantum ſupponitur ob iuſtas, & legitimas cauſas Pater conſentire ſaltem tacite, & rationabilitèr ob illos vſus, & cauſas; vndè ſi filius directè acciperet ad vſus illos prauos Pater eſſet rationabiliter inuitus, ergo, ſi bona illa abſumet in ordine ad vſus illos vanos, & prauos, vtique erit contrà voluntatem Patris, nec ad illos conſenſus poteſt rationabiliter præſumi. Limitat hoc noſtrum aſſertum *Leſſius d. lib.2. de iuſt.& iur. c.12. dub.13.n.77. in fin.* in caſu, quo Pater indè damnum acceperit, adeò vt ob id debuerit plus ob cauſam filij expendere, ſecus, ſi in ſolius filij incommodum ceſſerit; ſed non libenter admitterem hanc limitationẽ; ſemper enim ſequitur, quod illa pecunia, ſeu illa res fuerit inſumpta in opus non intentum à Patre, & ad quod tacite rem illam non conceſſit, non conceſſurus, ſi cognouiſſet &c. & damnum ipſius conſiſtit in eo, quod ipſius pecunia, ſeu res fuerit abſorta in vſus omninò aduerſantes ipſius voluntati, & ſicuti, ſi filius immediatè accepiſſet in ordine ad illos vſus vanos, & turpes, peccaſſet contra iuſtitiam, & teneretur ad reſtitutionem, vel ad compenſationem in diuiſione rerum paternarum cum cæteris fratribus, ita ſi acceperit in ordine ad eos vſus licitos, & proprio ſtatui conuenientes, & poſteà inſumpſerit in vſus illos profanos, & turpes peccaſſe dicendus eſt contra iuſtitiam, & obligari ad reſtitutionem, quia ſemper verificatur, quod res illa fuerit conſumpta contrà voluntatem Patris, qui non præſumitur conſentire ad alios vſus ab illis licitis &c.

In ordine ad ſecundam nonnulli arbitrantur, inter quos *Ioannes Andreas in addit. ad ſpecul. tit. de actoribus §. 1. ſuper verb. aduentitium, Alexander in l. quod ſeruus ff. de acquir. poſſeſ.* illa bona ſic illicitè acquiſita per filium, nec per vſumfructum pertinere ad Patrem, quod probant per *l. quod ſeruus ff. de acquirend. poſſeſſione, & l. quod autem ff. pro ſocio.* Alij verò, inter quos *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c.1. 2. part. n.73.* exiſtimant vtique bona illa ſic illicitè acquiſita pertinere ad Patrem quoad vſumfructum, ſicuti ad eundem pertinent cætera bona aduentitia, quod ea potiſſimum ratione

probant, quia filius ob ſuum flagitium eſſet melioris conditionis, & ſic de peccato commodum reportaret. Addunt vlterius, quod, quiquid acquirit Monachus intra, vel extra Monaſterium illicitè, acquirat Monaſterio, nec alia ratio poteſt aſſignari, niſi quod quidquid Monaci eſt, monaſterij eſt per textum *in cap. Abbates* 18. *q.* 2., ergo quidquid etiam acquirit filius ex turpi lucro, & illicito quoad vſumfructum acquirit Patri; atque huic ſecundæ opinioni aſſentitur *Sotus lib.* 4. *de iuſt. & iur. q.* 7. *art.* 1. *ad ſecundum*.

14 Acquiſita turpiter à filio familias pertinet quoad vſumfructum ad Patrem.

Quid ergo in hac opinionum contrarietate concludendum? Tutiora eſſe iura arbitror pro hac ſecunda opinione, quibus obſiſtere non poteſt argumentum, quod adducit *Didacus Perez in l.* 2. *ordinat* dicens in rebus inhoneſtis nullam dari ſocietatem; Non poteſt, inquam obſiſtere primo, quia ius illud, quod habet Pater in bona acquiſita a filio quoad vſumfructum non prouenit à ſocietate inter eoſdem inita, ſed a iure ſic diſponente, vt ſicuti Pater tenetur alere filiũ, ita & filius ea, quæ acquirit per propria opera, & induſtriã acquirat Patri quoad vſumfructum. Deindè non ita verum eſt, vt ſupponitur, quod non poſſit eſſe ſocietas quoad lucra etiam illicita. Ad iura, quæ ex aduerſo afferebantur pro contraria ſententia dicendum eſt ea procedere in caſibus, in quibus ſupponitur inita ſocietas, quæ certe præſumitur ſolummodò facta quoad lucra licita. Sed de his latius infra, dum de acquiſitis illicitè per maritum, vel vxorem.

15 Peccat peccato iniuſtitiæ filius, qui viuẽte Patre ex bonis eiuſdẽ fructus accepit, nec vult poſt mortem Patris eos conferre cum cæteris fratribus.

Aſſertio VI. Peccat peccato iniuſtitiæ filius, qui viuente Patre ex bonis eiuſdem fructus percepit de ipſius conſenſu, ſi poſt mortem Patris nolit in diuiſione bonorum paternorum cum cæteris fratribus eos conferre. Conſentiunt *Bartolus in tract. de duobus fratrib. n.* 1. *&* 2. *Nauarrus in manual. c.* 17. *n.* 158. *verſ. quinquageſimo quarto*.

Ratio ex eo deducitur, quia conſenſus Patris, vt filius eius de ſuis bonis fructus percipiat, non ſupponitur eſſe ad transferendos eos cum pleno dominio in præiudicium cæterorum fratrum, & per conſequens non per liberam donationem, ergo mortuo Patre tenebitur idem filius eos fructus cum cæteris fratribus conferratur. Antecedens patet primo, quia ex allegatis iuribus donationes inter Patrẽ, & filium non ſubſiſtunt; tum quia ſine cauſa non præſumitur, quod Pater voluerit cæteris filijs præiudicare meliorando conditionem iſtius, niſi exprimat.

16 Niſi eſſet in modica quãtitate.

Limita tamen primo, niſi illi fructus eſſent in modica quãtitate, nam tunc præſumitur per Patrem facta libera donatio, ſeu remiſſio, nec in hoc iura obſiſtunt, quin potius conſuetudo, & æquitas fauent.

17 Vel niſi ſint inſũpti ad vſus, ad quos Pater tenebatur.

Limita ſecundo, niſi illi fructus ceſſiſſent in eos vſus, in ordine ad quos Pater non eſſet rationabilitèr inuitus, etiam ſi filius alia pro eis inſumpſiſſet; ſi enim filius alia inſumpta in illis vſibus non tenetur reſtituere, nec peccat ea inſumendo; non video, cur peccet inſumendo in illos vſus fructus perceptos ex rebus paternis, eoſque teneatur reſtituere, vel conferre in diuiſione cum cæteris fratribus. Huiuſmodi autem vſus ſunt conſuetæ eleemoſinæ, honeſti ludi, conſuetæ recreationes, & alia vt ſupra.

18 Vel niſi cõceſſi eſſent titulo remunerationis.

Limita tertio, niſi Pater conſentiat eos fructus percipi a filio animo remunerandi eius merita ſibi præſtita per eundem filium, quia tunc ille conſenſus ad illos fructus haberetur pro donatione remuneratoria, quæ valet inter Patrem, & filium in ea quantitate, in qua Pater poſſet ob ſimilia merita præſtare erga extraneum. *Bartolus in l.* 2. *§. caſtrenſi ff. de caſtrenſ pecul. & l. ſi donatione C. de collat. & l. frater à fratre ff. de condit. indeb.* Ad hanc autem donationem remuneratoriam Patris erga filium ſufficit pro foro interno, quod merita in filio præceſſerint *arg. cap. tua, & c. is qui de ſponſal.* In dubio verò, an Pater filio donet propter merita, an verò ex mera liberalitate, præſumendum eſt dare ob merita, ſi illa præceſſerint *Gloſa in l. ſi donatione C. de collat.*, *Nauarrus in manual. c.* 17. *n.* 146. An verò in dubio vtrum illa merita præceſſerint, nec neſtandum ſit dicto Patris donantis aſſerentis illa merita præceſſiſſe communiter negant, & præcipue *Bartolus in l. ſi forte ff. de caſtrenſ. pecul.*, *Nauarrus in man. cap.* 17. *num.* 146.

Alij articuli ſupereſſent hic examinandi, quos propoſuimus *in principio huius prænot. verſic. in ordine verò ad actiones filij*, ſed de ijs mox ſubdo in ſequenti prænotione.

PRÆNOTIO VI.

De actionibus, in quibus poteſt, vel non poteſt conſiſtere iniuſta acceptio inter fratres in bonis fortunæ, ſiue in communione, ſiue in diuiſione.

SVMMARIVM.

Peccat primo Frater, ſi non conferat ea, quæ à Patre viuente accepit pro ſtudio vltrà neceſſaria, quandò Pater viuens habebat apud

apud ſe peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe eiuſdem filij. 1.
Peccat ſecundo, ſi non conferat ea, quæ Pater ipſi emit, & non tradidit, etiam ſi eſſent libri, vel arma. 2.
Si tamen Pater contulerit filio libros ſine expreſſione, quod contulerit animo donandi, vel ſine tali animo, probabilius præſumitur pro tali animo. 3.
Si Pater contulerit ſine animo donandi ſunt conferendi non ſecundum valorem, quo empti ſunt, ſed ſecundum valorem, quem habent pro tempore collationis. 4.
Si libri in valore creuerint, ſunt conferendi ſecundum valorem adauctum. 5.
Peccat tertio non conferendo ea omnia, quæ Pater inſumpſit circa vxorem eiuſdem filij quoad veſtes, & ornamenta pretioſa. 6.
Peccat Frater, qui in diuiſione cum cæteris fratribus non concurrit ad compenſationem damnorum, quæ Pater intulit in bonis aduentitijs alterius fratris. 7.
Non peccat, ſi non conferat bona, quæ Pater viuens ipſi contulit cauſa ſtudiorum, quandò Pater non habebat bona caſtrenſia ipſius. 8.
Non peccat, ſi non conferat ea, quæ Pater contulit pro delicto filij, pro quo ſe obligauit, ſi hoc fecit naturali pietate. 9.
Peccat non conferendo bona, quæ inſumpſit in proſecutione ſtudiorum poſt mortem Patris. 10.
Item non conferendo, quæ inſumpſit pro laurea Doctorali poſt mortem eiuſdem Patris. 11.
Item non conferendo ea, quæ inſumpſit ex bonis communibus ad ſe redimendum à moleſtijs pro delicto, quod patrauit. 12.
Non peccat, quandò tantum inſumpſit, quantum cæteri fratres in ordine ad ſimiles vſus. 13.
Item non peccat, quandò non confert ea, quæ ex pecunia patris acquiſiuit ex proprio labore, prout correſpondet eidem labori. 14.
Item non peccat non conferens ſibi relicta ſine contemplatione Patris. 15.
Item non peccat, ſi non conferat ea, quæ ſibi donata ſunt à Patre poſt emancipationem. 16.
De iure communi, ſi alter ex fratribus mortuo Patre ex pecunia communi lucrum mercando acquirit nomine communi fit commune, ſecus ſi negotiatus fuerit nomine proprio. 17.
Detrahendum tamen tantum eſt in fauorem fratris negotiantis, quantum correſpondet ipſius labori, & induſtriæ. 18.
Talis quantitas taxanda eſt arbitrio prudentum. 19.
Quandonam intelligatur negotiatio facta nomine communi, & quandò nomine proprio fratris negotiantis. 20.
De iure communi, ſi alter ex fratribus negotietur ex pecunia, & nomine communi, & damna inde obueniant, damna ſunt communia. 21.
Si alter ex fratribus ex bonis communibus negotiatus fuerit nomine proprio, cæteri fratres non poſſunt agere aduerſus ipſum ad quantum intereſt. 22.
In negotiatione per vnum ex fratribus nomine communi damna, ſi obuenerint, ſunt communia, ſi ille negotiatus fuerit diſcrete operando. 23.

Amplam ſane, & in praxi frequentem materiam in præſenti aſſumimus explicandam; quæ potiſſimum verſatur circa iura fratrum in ordine ad bona paterna, & ad bona, quæ iure indiuiſionis poſſident, prout ſunt conferenda, vel non conferenda in diuiſione inter ipſos, ſeu prout ſpeciatim, vel communiter acquiruntur; item in ordine ad bona, quæ viuente Patre fuerunt per ipſos fratres ſingillatim, ſiue ex bonis paternis, ſiue ex alijs, ſiue poſt deceſſum eiuſdem Patris acquiſita, dum bona adhuc indiuiſa manerent; item in ordine ad ea, quæ per Patrem adhuc viuentem fuerunt inſumpta in ordine potius ad vnum, quam ad alios fratres, vel ab vno potius, quam ab alijs accepta. Potiſsimæ rationes dubitãdi.

Vniuerſam hanc materiam, quæ certè ampla eſt, & ſcitu digniſſima ad triplex caput reducemus. Primum erit in ordine ad ea bona, quæ per Patrem viuentem alicui ex filijs collata ſunt, vel in fauorem ipſius inſumpta, vel pro ipſo ab eodem Patre parata. Secundum in ordine ad ea, quæ aliquis ex filijs viuente Patre accepit, & in propriam vtilitatem inſumpſit eodem Patre inſcio, vel ſciente & tacente, & etiam inſumpſit eodem Patre iam mortuo. Tertium in ordine ad ea, quæ Pater ad ſuum obitum reliquit, quæque poſt ipſius obitum ex bonis eiuſdem fuerunt acquiſita, atque hæc, ſiue attento iure communi, ſiue municipali huius Ducatus Mediolanenſis.

Aſſertio I. Filius, ſeu frater non conferendo in diuiſione cum cęteris fratribus bona, quæ a Patre viuente accepit, vel in ipſius fauorem inſumpta ſunt, vel ab eodem Patre pro ipſo parata, non tamen tradita, in pleriſque peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem; in pleriſque, nec peccat, nec tenetur ad compenſationem. Conſonat cum ijs, quæ docuimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate prænot. 27. aſſert. 5. à nu. 7. ad 17.* In quibus peccet, vel non peccet nõ conferendo.

Expendamus primo ſingillatim ea, in quibus peccat non conferendo, & tene-

tur ad reſtitutionem. Peccat primo, ſi non conferat ea, quæ à Patre viuente accepit pro ſtudio vltra neceſſaria, quandò Pater viuens habebat apud ſe peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe eiuſdẽ filij. *Silueſter verb. peculium 2. q. 8.*, & nos etiam docuimus *d. tom. 3. loc. cit. nu. 8.*, & clare deducitur *ex l. fin. C. de do. promiſ.* Ratio autem ea eſt, quia non conferendo, ſeu non computando ea in ſua parte, vſurpat, ſeu ſibi tribuit, quæ ſua non ſunt, quia quandò non conſtat de expreſſa voluntate eiuſdem Patris, an ſcilicet bona illa contulerit animo libere donandi, vel titulo repetendi, vel compenſandi præſumitur, quod adminiſtratorio nomine egerit.

1 Peccat ſi non conferat ea, quæ à Patre vltra neceſſaria accepit pro ſtudio, ſi Pater habebat caſtrẽſia eiuſdẽ filij.

Peccat ſecundo, ſi non conferat ea, quæ Pater ipſi emit, ſed viuens non tradidit, & hæc quantumuis ſint libri, arma, & alia, quæ, ſi viuente Patre tradita fuiſſent, connumerarentur inter bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia eiuſdem filij *Bartolus in tract. de duobus fratribus nu. 16.*, *Nauarrus in ſumma c. 17. n. 159.* Ratio ea eſt, quia ante traditionem remanent omninò Patris per textum *in l. 1. C. de Caſtrenſ. pecul.*, *Bartolus in tract. de duob. fratrib. n. 16.* & fortaſſis hoc ſtatuitur in iuribus decernentibus, quod dominia rerum non nudis pactis, ſed traditionibus, & vſucapionibus transferantur, prout habetur *in l. traditionibus ff. de pactis*; quæ adeo vera ſunt, vt locum etiam habeant in libris, quos Pater emit, & tradidit filio pro tempore ſtudiorum ante lauream Doctoralem, aut ante emancipationem, qui, ſi eſſent traditi poſt talem lauream, eſſent computandi inter bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Ratio eſt, quia ex vna parte ſupponitur, quod Pater tradiderit dictos libros non animo donandi, ſed animo, vt compenſentur; ex alia parte cum traditi fuerint ante lauream non poſſunt habere rationem bonorum caſtrẽſium, vel quaſi caſtrenſium. Sed hic oritur difficultas, an traditio librorum ob cauſam ſtudiorum facta per Patrem filio intelligatur cum animo donandi, & transferendi in ipſum dominium, quandò facta eſt ſine vlla expreſſione; cui breuiter occurro probabilius eſſe, factam eſſe cum animo transferendi dominium in ipſum filium, quod ex communi DD. conſenſu videor colligere, dum enim dicunt, quod ſi filius inſumat in vanos, & turpes vſus pecuniam traditam à Patre ad emendos libros teneatur illam pecuniam conferre in diuiſione bonorum paternorum cum cæteris fratribus, vt ſentiunt *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 13. n. 77.*, *Bartolus in auth. quod locum C. de collat.*, *Silueſter verb. peculium 2. q. 9.*, *& alij magis communiter*, per conſequens videntur aſſerere, quod, ſi non inſumat in tales vſus vanos, & turpes, non teneatur in diuiſione cum cæteris fratribus eam computare in propriam partem; Dictio etenim, *Si*, eſt aduerſatiua in iure, & in facto *Alexander conſ. 134. n. 23. lib. 6. & conſ. 99. n. 9. lib. 7.*, *Abbas conſ. 63. in fin. lib. 1.*, *Ferrerius in conſtit. Cathalon. gloſ. 3. num. 50.*, *Signorolus conſ. 110. num. 12. verſ. præterea*, *Cardinalis Tuſcus concl. 240. n. 2. & 3.*, & *n. 5.* ſubdit, quod hæc dictio, ſi, verè importat, vt precedens diſpoſitio excludat ſequentem, & durante prima non intret ſecunda aduerſatiua.

2 Peccat, ſi non conferat ea, quæ Pater ipſi emit, ſed viuens non tradidit, etiã ſi ſint libri, vel arma.

Etiam ſi libri fuerint traditi ante lauream doctoralem.

3 Si tamen Pater cõtulerit filio libros ſine expreſſione, quod cõtulerit animo donãdi, vel ſine tali animo probabilius præſumitur pro tali animo.

Quid verò ſentiendum ſit (ſi Pater contulerit prædictos libros filio animo, vt in diuiſione cum cæteris fratribus debeat conferre computando in ſuam partem, vt ſi caueat in libro rationum ſuarum, quod filius teneatur conferre) an ſcilicet teneatur eos conferre ſecundum valorem, quo empti fuerunt, an verò ſecundum valorem, quem habent pro tempore collationis. Sentio iuxtà ea, quæ diximus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate prænot. 27. nu. 15.* teneri conferre ſecundum valorem dimminutum, quem habent pro tempore, quo debent in diuiſione cum cæteris fratribus conferri, prout etiam docent *Gloſa in l. illud C. de collat. in verb. poterat*, *Silueſter verb. peculium 2. q. 10.*, *Nauarrus in manual. cap. 17. n. 159.* Ratio ex ijs deducitur, quæ dicebamus *d. tom. 3. d. prænot. 27. nu. 12.*, quia ſcilicet denegari non poteſt, quin prædicti libri conceſſi ſint à Patre filio ad vſum; quæ autem conceduntur ad vſum, ſi per vſum ipſum diminuantur, non debet quoad illam diminutionem compenſari.

4 In ſuppoſitione, quod fuerint traditi ſine animo donandi cõferẽdi ſũt ſecundum valorem, quem habent quãdo debent conferri.

Quid verò ſentiendum ſit, ſi non decreuerint in valore, ſed in magno creuerint pro tempore, pro quo in diuiſione ſint conferendi *Ludouicus apud Silueſtrum d. q. 10. in fin. ſuper l. illud C. de collat.* exiſtimat conferendos eſſe ſecundum valorem adauctum, quem habẽt pro tempore, quo ſunt conferendi, quem ea ratione moueri exiſtimo, quia, ſicuti damnum in decremento eſt commune, ità vtile in augmento debet eſſe commune, vt ſaluetur æqualitas, & hoc per textum *in l. ſecundum naturam ff. de reg. iuris*, quod etiam magis placet eidem Silueſtro. Contrarium ſuſtinet *Raphael in l. illud C. de collat.* aſſerens, quod illud lucrum, tanquam aduentitium debeat eſſe præcipuum filij per textum *in l. filij C. de collat.* Antequam in hac controuerſia quid ſentiam, aperiam, aduerte, quam ſiniſtre *Nauarrus d.*

c. 17.

Digitized by Google

c.17. nu.159. alleget Raphaelem, & Ludouicum, dum Ludouico attribuit, id quod aſſerit Raphael, & Raphaelli id, quod docet Ludouicus. Conferte Silueſtrum vtriuſque ſententiam allegantem cum eodem *Nauarro loc. cit.* & immediatè percipietis hanc Nauarri ſiniſtram acceptionem. His tamen omiſſis ſentio probabilius eſſe, quod huiuſmodi libri ſint conferendi ſecundum illum valorem, quem beneficio fortunæ acquiſierunt, nam incrementum, vel decrementum etiam quoad valorem extrinſecum cedit rei, cui fit illud incrementum, ſeu decrementum, ergo, cum res ipſa ſit conferenda, vtique erit conferenda, vel ſecundum incrementum, vel decrementum, quod accedit ipſi rei; nec poteſt obeſſe illud, quod aſſerit Raphael, nempè quod illud lucrum, tanquam aduentitium ſit præcipuum filij; non inquam, poteſt obeſſe, quia nullo modo illud augmentum poteſt conſiderari, vt lucrum aduentitium, quandòquidem quoad proprietatem non ſpectat ad ipſum filium, cum ſit conferendum, nec quoad vſumfructum Patri, quin potius è contra &c.

5 **Si libri in valore creuerint ſūt conferendi ſecundum valorem adauctum.**

6 **Peccat nō conferēdo ea, quæ Pater inſumpſit in ornamentis, & veſtibus propriæ vxoris, ſi ſint pretioſa, & adhuc extent.**

Peccat tertio, & tenetur ad reſtitutionem non conferendo ea omnia, quæ Pater adhuc viuens inſumpſit circa vxorem eiuſdem filij quoad veſtes, & alia ornamenta pretioſa, & non neceſſaria ad quotidianam vſum, ſi adhuc durent, ſecus ſi adhuc non durent, nec ſint pretioſa, & ſint neceſſaria ad quotidianum vſum. Vide, quæ docuimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. prænot. 27. n. 12.*

7 **Peccat frater, qui in diuiſione cum cęteris fratribus nō concurrit ad cōpenſationem damnorū, quæ Pater intulit in bonis aduētitijs alterius fratris.**

Peccat quarto, & tenetur ad compenſationem frater, qui pro damno illato à Patre viuente in bonis aduentitijs fratris alterius quoad proprietatem, & etiam notabilitèr quoad vſumfructum in fructibus, ſi Patri erat, interdictus vſusfructus in eiſdem bonis ab eo, qui titulo legati, vel hæreditatis bona eadem filio reliquit, in diuiſione cum cæteris fratribus noluit concurrere ad compenſationem illorum damnorum à patre collatorum. Conſentit *Silueſter verbo peculium 2. q. 15.* Expreſsè colligitur *ex l. cum oportet §. ſed cum tacitas C. de bonis quæ lib.*; nec incongrua ratione hoc ſtatuitur, quandòquidem ſicut Pater, qui talia damna intulit, tenetur illa damna compenſare, ita & hæredes ipſius, vtpotè, qui ipſius perſonam ræpreſentant tam quoad iura, quam quoad onera ad ratam tenebuntur compenſare.

8 **Non peccat quādo non conferat bona ipſi à Patre collata pro ſtudijs, ſi nō habebat bona caſtrenſia.**

Ex aduerſo non peccat, nec tenetur reſtituere, ſi non conferat bona, quæ Pater viuens contulit filio cauſa ſtudiorum, quandò Pater penes ſe non habebat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia eiuſdem filij, & eadem bona viuente adhuc patre fuerunt inſumpta in tali cauſa *l. quæ Pater ff. famil. erciſc.* quia Pater, vt dominus ſupponitur ea contuliſſe ſine animo repetendi.

9 **Non peccat non conferens ea, quæ Pater cōtulit pro ipſius delicto, ſi hoc fecit naturali pietate.**

Non peccat ſecundo, ſi non conferat ea, quæ Pater contulit pro delicto eiuſdē filij, pro quo ſe obligauit, ſi hoc fecit ductus naturali pietate per textum *in l. liber captus ff. de captiu.* ſecus ſi Pater contulerit quaſi ex neceſſitate ſcilicet ſtatuto ſic ſtatuente, vt notat *Gloſa ſuper rub. C. de decret. decur.*, quia in primo caſu ſupponitur donaſſe, non ſic in ſecundo.

Non peccat tertio, ſi non computet in damno proprio, ſed in communi damna, quæ Pater viuens intulit in bonis aduentitijs eiuſdem filij quoad proprietatem per textum *in l. cum oportet C. de bonis, quæ lib. vt ſupra.*

Plura alia poſſunt aſſignari in quibus peccat filius, vel non peccat non conferendo bona, quæ à Patre viuente acquiſiuit, ſed ne in immenſum protrahatur aſſertio vos remitto ad ea, quæ ſcribit *Silueſter verb. peculium 2. à q. 8. ad finem.*

In pluribus peccat non conferens ea, quæ accepit viuente Patre, & tacente, in pluribus verò peccat.

Aſſertio II. In ijs, quæ alter ex fratribus viuente Patre per ſe accepit inſcio eodem Patre, vel ſciente, & tacente quandòque grauiter peccat non conferendo, quandòque non peccat; quod etiam dic in ijs, quæ accepit Patre iam mortuo de bonis eiuſdem Patris ante diuiſionem eorundem bonorum initam cum cæteris fratribus. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt ſuperius, dum de iniuſtis acceptionibus inter Patrem & filium, & cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. 3. ſub tit. Contract. VII. prænot. 27. à n. 7. ad 17.*

Ratio quoad primam partem in vniuerſum deducitur, quod quantumuis, *ex genere ſuo*, vt ſupra diximus filius grauitèr peccet accipiendo viuente Patre in notabili quantitate de bonis patrimonialibus eiuſdem, vel de aduentitijs, ſeu profectitijs eiuſdem filij exiſtentibus apud Patrē; in caſibus tamen particularibus, vel tacitè conſentiente Patre, vel iure eidem filio ſuffragante non imputatur ipſi ad culpam, quod aliqua accipiat in ordine ad aliquos vſus, nec obligatur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem. Omnes hos caſus cum ſuis probationibus, in quibus non peccat, & non obligatur recole ex dictis *in præcedenti prænot. ſub aſſert. 5. à verſ. dixi ex genere ſuo vſque ad fin.*, non enim vacat hic repetere.

Quoad ſecundam partem euincetur ex caſibus particularibus, in quibus peccat, vel non peccat inſumendo in proprium commodum ex bonis communibus ante diui-

diui-

Digitized by Google

diuiſionem, ſi illa non conferat in diuiſione.

10 Peccat nõ conferendo ea, quæ inſũpſit in proſecutione ſtudiorũ poſt mortẽ Patris.

Primus caſus, in quo peccat non conferendo, eſt quoad bona, quæ in proſecutione ſtudij incępti ante mortem Patris impẽduntur per vnum ex filijs poſt mortem eiuſdem Patris *Silueſter verb. peculium 2. q. 11.*, & *nos ipſi tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate prænot. 27. n. 8.* cuius rationem ibi adducebamus, quia hæredes non obligantur ad factum Patris, niſi quatenus Pater erat obligatus per textum *in l. & ſi filium ff. de munic. & ho. l. honores §. is qui ff. de decur. & l. ſi filia §. idem ſcribit ff. famil. ercif.* Pater autem non intelligitur obligatus erga filium ad ſumptus pro præſecutione ſtudiorum.

Secundus caſus, in quo peccat non conferendo, eſt quoad bona, quæ mortuo Patre inſumuntur pro laurea Doctoratus capeſcenda, quamuis ſtudium habuerit ex bonis ſibi à Patre viuente collatis, prout docuimus *loc. cit. n. 9.* propter eam rationem, quia Doctoratus eſt nouus actus diſtinctus ab ipſomet ſtudio *l. ſi ſeruus legatus §. ſed ſi cum mihi ex teſtamento ff. de legat. 1.* fratres autem non tenentur ad expenſas pro nouis actibus, qui fiunt ab altero fratre iam defuncto Patre. Sed

11 Item quę inſumpſit pro laurea Doctorali capeſcenda.

an peccet non conferendo bona, quæ Pater viuens contulit pro eadem laurea Doctorali, ſiue inſumpta fuerint ad eundem effectum viuente Patre, ſiue eodem defuncto, dum tamen pro illo effectu ipſe viuens contulit. Probabilius arbitror non peccare non conferendo, quia Pater viuens contuliſſe præſumendus eſt animo donandi; hocque innuere, & ſentire videntur DD. dum dicunt dumtaxat huiuſmodi bona conferenda eſſe, quando filius aſſumit lauream poſt mortem parentis ex bonis communibus, & rationem adducunt ex eo, quia actus Doctoratus eſt nouus actus diſtinctus a primo ſtudij, ad quem cæteri fratres non habent ex neceſſitate concurrere; ſi ergo ille actus continuatus eſt, & completus ex voluntate Patris ipſo viuente, quatenus ipſe, vel inſumpſit, vel antecedenter ad mortem contulit ad eum effectum, non video, cur teneatur illas expenſas ſibi ſpecialiter imputare, adeò vt pro illis teneatur cæteris fratribus retribuere.

12 Item quæ inſumpſit ex bonis cõmunibus ad ſe redimẽdum à moleſtijs pro delicto, quod patrauit.

Tertius caſus, in quo peccat non conferendo, & tenetur ad reſtitutionem, eſt quando poſt obitum Patris pro delicto, quod commiſit, inſumpſit ad ſe redimendum a moleſtijs iuſtitię bona communia, tunc etenim tenetur illas expenſas in diuiſione cum cæteris fratribus compenſare, prout colligitur *ex l. & ſi condemnatus ff. de noxali act.*; non etenim pro delicto fratris cæteri fratres obligantur, nec in hoc intelligitur Pater eos voluiſſe obligare.

13 Non peccat quando tãtum inſumpſit, quantum cęteri fratres.

Ex aduerſo quandò non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem primus caſus eſt, quandò mortuo Patre alter ex fratribus ex bonis communibus tantum inſumpſit in ordine ad aliquos vſus in proprium commodum, quãtum inſumpſerunt cæteri fratres in ordine ad ſimiles vſus, quia quantumuis ipſe tunc teneatur conferre, tenentur & cæteri fratres ſimile conferre, & tunc fit compenſatio, & adęquatio inter eoſdem.

14 Item non peccat quãdò nõ cõfert ea, quę ex pecunia Patris acquiſiuit propria induſtria.

Secundus caſus, in quo non peccat, nec obligatur ad compenſationem, quandò renuit ea conferre mortuo Patre, quæ de eiuſdem Patris pecunia lucratus eſt pro ea parte, quæ correſpondet ipſius labori, & induſtriæ præcedente proteſtatione expreſſa, vel tacita per ea, quæ ſupra diximus, & notant *Nauarrus in manual. c. 17. nu. 148., & 158.* per textum *in l. fin. C. de collat.*, & *Bartolus in tract. de duob. fratrib. n. 23.* Si autem hic quęras, quęnam ſit pars, quæ correſpondet labori, & induſtriæ filij negotiantis in pecunia paterna, tunc reſpondebo regularitèr loquendo eſſe dimidium eius, quod lucri fecit ex tali negotiatione *Bartolus in l. 1. §. nec caſtrenſe ff. de collat. bon.*, quem valde commendat *Decius in l. illud C. de collat.* allegatis in eiuſdem confirmationem plurimorum DD. auctoritatibus; hocque nos etiam comprobauimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. prænot. 27. n. 18.*

15 Non peccat non conferens ea, quæ ſibi relicta ſunt non cõtẽplatione Patris.

Tertius caſus, in quo non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, tunc eſt, quandò non vult conferre ea, quæ ſibi relicta ſunt non contemplatione Patris, ſed contemplatione eiuſdem, aut tempore, quo iam emancipatus erat *Bartolus in d. tract. de duob. fratrib. n. 7. Nauarrus c. 17. n. 162. per textum in l. ſed ſi quid ff. de vſufructu.* Solum hic remanet dubitandum, quid ſentiẽdum ſit, quandò aperte non conſtat, an ea relicta fuerint contemplatione Patris, an ipſiuſmet filij, ſed hoc remittendum exiſtimo prudentis, & boni viri arbitrio attenta qualitate perſonarum, & modo relinquendi *arg. l. 1. ff. de iur. delib. & c. de cauſis de offic. de leg.*

16 Non peccat quandò poſt mortẽ Patris nõ cõfert ea, quæ ſibi donata ſunt à Patre poſt emãcipationem.

Quartus caſus eſt, in quo non peccat, nec tenetur, tunc eſt, quandò etiam poſt mortem Patris abſumit ea, quæ ſibi a Patre, vel Matre illata ſunt, & donata poſt emancipationem *Antonius Gomez tom. 2. var. cap. 4. num. 25.*, *Iulius Clarus lib. 4. ſent. §. donatio q. 8. num. 5.*, *Fagundez de translat. domin. per donat. lib. 4. c. 7. num. 4.* Ratio eſt, quia iura dumtaxat prohibent donationes inter Patrem, & filium, in quan-

Digitized by Google

quantum filius eſt ſub patria poteſtate, ſed per emancipationem ceſſat patria poteſtas per textum *in l. donationes quas parentes C. de donat. inter virum & vxorem*, quod etiam confirmat *Gloſa cum communi DD. ad l. 2. C. de inoffic. teſtam.*

17 Acquiſita à fratre per negotiationem nomine cõmuni, eſt cõmune, non ſic acquiſita nomine proprio.

Aſſertio III. De iure communi, ſi alter ex fratribus mortuo Patre ex pecunià hæreditaria, & communi lucrum mercando acquirit nomine communi, fit cõmune, ſecus ſi negotiatus fuerit nomine proprio. Conſentit *Baldus in l. ſi Patruus C. communia vtriuſque Iudicis, Silueſter verb. peculium 2. q. 17. & nos ipſi tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſociet. prænot. 27. aſſert. 6. num. 17.*

Ratio primæ partis deducitur *ex l. qui ex aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi, & ibi Baldus, & pleniùs idem Baldus in l. 1. C. eod. tit.*, vbi ſtatuitur, quod id, quod fit de communi, & nomine communi fit commune, ergo non eſt, cur illud lucrum, vtpotè commune non debeat communicari inter fratres; ad hoc confirmandum plurimum facit id, quod habet *Bartolus in l. certum C. famil. ercif. & in l. ſi Patruus C. communia vtriuſque Iudicis, & in l. illud C. de collat. Flor. in l. ex re ff. de vſufruct.*, nempè, quod illud lucrum acquiſitum de communi, & nomine communi fit profectitium; bona autem profectitia ſunt inter fratres communicanda ex vulgariſſimis iuribus, & communi DD. conſenſu.

Solum hic remanet difficultas, an lucrum illud ſit integrè communicandum inter fratres, an verò ſit tantum detrahendum in fauorem fratris negotiantis, quantum correſpondet operibus, & induſtriæ eiuſdem. Iuxta ea, quæ tradidi *d. tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſociet. prænot. 7. nu. 18.* ex mente *Floroni in d. l. ex re ff. de vſufructu*, quod idem ſentit *Bartolus in d. l. 1. §. nec caſtrenſe ff. de collat. bon. & Gloſ. in l. cum oportet C. de bon. quæ lib.* ſentio communicandum eſſe tantum pro parte, quæ atribuitur pecuniæ, non pro parte, quæ correſpondet induſtriæ, & laboribus operantis, quia æquitas quæcunque poſtulat, vt mercedem ſuorum laborum, & induſtriæ quiſque conſequatur; Accedunt pro confirmatione ea, quę ſuperius dicta ſunt, nempè, quod ea bona, quæ filius acquirit ex bonis patris quoad proprietatem ſibi acquirat, prout correſpondent valori laboris, & induſtriæ in illis acquirendis *Nauarrus in man. cap. 17. nu. 144., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. nu. 75., Angelus verbo peculium, & ibi Roſella §. 7. & 8.*, quia talia bona non ſunt totaliter profectitia, ſed partim aduentitia ob laborem, & induſtriam filij operantis, & ita mortuo Patre plus tali

18 Detrahẽdũ tamen eſt, quantũ correſpõdet induſtriæ & laboribus fratris negotiantis.

Tale lucrum eſt partim aduẽtitium.

filio obuenire debet, quam alijs, qui non laborauerunt, nec auxerunt bona patris *Bartolus in l. 1. §. nec caſtrenſe ff. de collat. bon. & in l. cum oportet C. de bon. quæ lib. Decius in l. illud. C. de collat. nu. 10.*; quod, ſi hæc verificantur, quandò filius eadem acquiſiuit viuente Patre, non video, cur verificari non debeant, quandò per propriam laborem & induſtriam acquiſiuit eodem iam mortuo in bonis patrimonialibus indiuiſis, & communibus. Certe quoad operas ſuas, & induſtriam plus debet filius Patri, quam cæteris fratribus.

Si autem hic inquiras, quænam quantitas ſit detrahenda ex illo lucro in fauorem fratris negotiantis, & applicantis operam ſuam, & induſtriam; tunc *Bartolus in d. l. §. nec caſtrenſe ff. de collat. bon.* videtur aſſerere detrahendam eſſe in fauorem illius medietatem eiuſdem lucri, quandòquidem aſſerit lucrum illud non eſſe ſimpliciter profectitium, ſed pro medietate tantum, quia pro alia dicitur aduentitium, tanquam debitum negotianti pro operibus, & induſtria ſua, quod etiam videtur inuere *Baldus in auth. ex teſtamento col. 6. C. de collat.* quæ certe opinio valde probabilis eſt; Nobis tamen magis arridet, quod talis quantitas taxetur arbitrio prudentum attenta qualitate negotiationis exercitæ, valore laboris, & induſtriæ, quæ quandòque quantitas excedet partem pecuniæ, quandòque excedetur. 19

19 Talis quãtitas taxanda eſt arbitrio prudẽtis.

Ratio ſecundę partis deducitur *ex l. qui in aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi, & in l. ad probationem la. 1. C. de probationibus*, vbi expreſſis verbis dicitur, quod ſit per negotiationem nomine proprio de pecunia communi, acquiri negotianti, non alteri.

Solum hic oritur difficultas, quandonam alter ex fratribus intelligatur ex pecunia, & rebus communibus negotiari nomine communi, & quãdonam nomine proprio, quando nihil expreſsè actum eſt. Secundum varias conſiderationes dirimenda res eſt; & primo conſiderandum eſt, an illa negotiatio incæpta fuerit viuente patre per ipſum Patrem, & alterum ex fratribus filium eiuſdem, quam poſtea ipſe filius continuauit mortuo eodem Patre, vel incępta fuerit mortuo Patre per duos filios eiuſdem, qui ſoli fuerint ad eundem Patrem ſuperſtites, & deinde altero ex his defuncto relictis poſt ſe filijs alter in eadem negotiatione continuauerit, & in vtroque hoc caſu arbitror negotiationem intelligi factam, vel fieri nomine communi *arg. l. nam & ſeruus §. ſi vnuo ff. de negot. geſt.*, prout etiam expreſsè ſentit *Silueſter verb. peculium 2. q. 17.* nec incongrua ratione hoc ſtatuitur, quandoquidẽ, ex quo poſt mortẽ Patris,

vel

20 Quandonā intelligatur negotiatio facta nomine cõmuni, & quandonā nomine proprio fratris negotiantis.

vel fratris nihil expreſsè dictum eſt, ſupponitur eodem nomine, & ratione actio incæpta continuari, vel incæpta fuit poſt mortem Patris per alterum ex fratribus inſcijs, vel non concurrentibus cæteris fratribus, vel poſt mortem fratris inſcijs nepotibus filijs eiuſdem fratris prædefuncti, & tunc intelligo negotiationem fieri nomine proprio eiuſdem negotiantis, prout etiam ſentire videtur *Bartholomaus Socinus in conſ.93.incip. circa primum verbo aliquando, & tertio circa fin. in prima part. & ibi in verb. primò nota*, nec incongrua ratione, quandòquidem regulariter frater præſumitur negotiari, & emere nomine proprio, licet de pecunia communi *Baldus in l. qui ex aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi, & in l. ſi defuncto C. de arbit. tut.* Secundo conſiderandum eſt, an quantumuis in vno genere negotiationem incæperit viuente Patre, vel fratre cum eiſdem, poſt mortem tamen eorundem incęperit ex ſe aliud negotiationum genus perſeuerante adhuc primo genere ſine concurſu, & notitia fratrum, vel nepotum reſpectiuè, & tunc quoad hoc nouum genus negotiationis ſentio, quod negotietur nomine proprio, & lucrum quodcunque ſibi acquirat *Bartolus in l. ſi Patruus C. communia vtriuſque Iudicis; Silueſter verbo peculium 2. q. 17.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem hoc nouum negotiationis genus nihil habet commune cum priori genere, ac proindè ita ſe habet, ac ſi nullum pręceſſerit negotiationis genus, quãdo autem aliud non pręceſſit negotiationis genus frater negotians poſtea alijs inſcijs, nec concurrentibus intelligitur ex allegatis iuribus, & rationibus negotiari nomine proprio. Tertio conſiderandum eſt, an frater, qui negotiatur cum pecunia, & rebus communibus fuerit tutor fratrum ſuorum, ſeu nepotum filiorum ſui fratris prædefuncti, & tunc *Baldus in l. 1. C. ſi quis alteri, vel ſibi, & in l. ſi vt proponis C. de rei vendit. & in l. ſocius C. ſi certum petatur* arbitratur negotiari nomine communi *arg. l. poſt mortem ff. quãdo ex facto tut.*

21 Si ex negotiatione facta per vnum ex fratribus nomine cõmuni contingant damna, illa ſunt communicanda.

Aſſertio IV. De iure etiam communi. Si alter ex fratribus mortuo Patre negotietur ex pecunia, & rebus communibus nomine communi, & in tali negotiatione damna obuenerint, damna illa ſunt cõmunia, & communicanda inter fratres, dummodo agreſſus fuerit negotia ſolita diſcretè operando, ſecus, ſi inſolita inconſideratè operando, quia tunc, etiam ſi nomine communi negotiatus fuerit, damna non communicabit cum fratribus. *Bartolus in l. Titius ff. de adminiſ. tut., Baldus in l. ſi Patruus C. communia vtriuſque Iud. Silueſter verb. peculium 2. q. 17. & 18., & nos ipſi tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate prænot. 27. n. 17. & ſeqq.*

Ratio ex eo deducitur, quia lucrum in ſuppoſitione, quod negotiatio inita ſit per alterum ex fratribus in bonis communibus nomine communi per allegata ſuperius iura, & rationes cedit communi bono, ergo etiam damna, quæ obueniunt in tali negotiatione inita per alterum ex fratribus nomine communi, debent cedere damno communi. Conſequentia tenet ex vulgatiſſimis iuribus, qui ſentit commodum, ſentire debet & incommodum *l. natur aliter ff. de reg. iur. c. qui ſentit. eod. tit. in 6.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illud iuridicum axioma in pluribus fallat, vel ratione perſonæ, vel ratione contractus, vt notat *gloſ. Magiſtralis, & Dinus in d. c. qui ſentit de reg. iur. in 6.*; ſic in particulari in præſenti hypotheſi, de qua loquimur, dicit *Roſella in quodam conſ. quod incipit omnipotentis*, quod quantum ad vtiliter geſta alij fratres non negotiantes legitimè lucrum acquirant, eo quia rata habere videntur per textum *in l. Pomponius ff. de neg. geſt.* non autem ſubſint damnis, quia quoad damnosè geſta non cenſentur ea rata habere per textum *in l. haredes ff. fam. erciſ. §. non tantum, & §. item culpa, & l. puto § ſed & ſi dolo, & l. in communi diuidundo, & l. ſi is, cum quo, & l. in hoc iudicium, & l. communis ſeruus ff. commun. diuid.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ea omnia, quæ dicuntur in allegatis iuribus procedunt duntaxat, quandò damna illata ſunt ex dolo, vel culpa lata eiuſdem adminiſtrantis, ſeu negotiantis, & bene adnotauit *Silueſter in verb. peculium 2. q. 19., & cum eo Baldus in addit. ad Bartol. de duob. fratrib.*

Hic ſolum oritur difficultas, an ſi alter ex fratribus negotiatus fuerit in bonis communibus nomine proprio alijs fratribus inſcijs, & ex illa negotiatione lucrum acquiſierit, cæteri fratres poſſint agere contra eundem fratrem, qui negotiationem iniuit, ad quantum eorum intereſt, quod communi nomine non fuerit res, ſeu pecunia communis adminiſtrata, ſeu negotiata. Affirmatiuè reſpondet *Gloſa in l. ſi vnus §. ſi vnus ex ſocijs ff. pro ſocio.* Sed non libenter acquieſcerem huic gloſæ interpretationi, quandòquidem non video, quo iure obligetur frater negotians ad communi nomine negotiandum; non enim præciſè ad hoc obligat, quod res, ſeu pecunia, quæ exponitur negotiationi ſit communis, cæteroqui fruſtra diſtinguerent DD., quandò frater agit nomine communi in re communi, ac quando agit nomine proprio, ſi ſemper teneretur agere nomine communi.

22 Si alter ex fratribus negotiatus fuerit in re communi nomine proprio cæteri fratres non poſſunt agere cõtra ipſum ad quantum intereſt.

Ratio

23 *Damna ſunt compenſanda in negotiatione facta nomine cõmuni, ſi negotiatio fuerit diſcreta.*

Ratio limitationis adductæ in aſſertione ſcilicet, *dummodò tamen aggreſſus fuerit negotia ſolita diſcretè operando, ſecus, ſi inſolita inconſideratè agendo*, ex eo deducitur, quia inconſideratè agendo in negotijs inſolitis debet ſibi imputare damnum, ſi quod inde obuenerit per textum *in l. ſi negotia ff. de negot. geſt. Bartolus in l. Titius ff. de adminiſt. tut., Silueſter verb. peculium 2. q. 17. in fin.*

Hactenus egimus de negotiationibus fratris in bonis communibus cum cæteris fratribus de iure communi. Quid verò ſentiendum ſit de iuribus municipalibus, & præcipuè huius Mediolanenſis Ducatus, ne diutius prænotionem hanc protraham, mox ſubdo in ſequenti.

PRÆNOTIO VII.

De iniuſtis acceptionibus, quæ contingere poſſunt in rebus communibus, & indiuiſis inter fratres ex ſtatuto municipali Mediolani.

SVMMARIVM.

Refertur Statutum Mediolani c. 483. lib. 2. *num. 1.*

Statutum illud non fingit illam ſocietatem, de qua loquitur. 2.

Ex ſola cohabitatione fratrum, & indiuiſione bonorum non bene arguitur ſocietas. 3.

Etiam ſi eſſet hæc ſocietas ex ſtatuto non intelligeretur tamen, ſi alter ex fratribus eſſet inhabilis, puta pupillus, ſeu minor. 4.

Non intelligitur etiam inita ſocietas, ſi alter ex fratribus fuerit Clericus. 5.

Data etiam hac ſocietate, ſi alter ex fratribus negotietur altero non negotiante lucrum correſpondens induſtriæ non eſt conferendum. 6.

Etiam ſi talis ſocietas adeſſet, non eſſet vniuerſalis, & omnium bonorum. 7.

Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia non veniunt in ſocietate inter fratres, niſi expreſſè agatur. 8.

Societas, quæ videtur præſumi à ſtatuto, poteſt eſſe diuerſa in ordine ad diuerſas perſonas. 9.

Ad inducẽdam tacitè ſocietatem omnium bonorum inter fratres tria requiruntur indiuiſibiliter; primo, quod fratres ſimul poſt mortem Patris cum hæreditate indiuiſa vixerint. Secundo, quod omnia communicarint ſine vlla exceptione. Tertium, quod ſupra lucratis nulla ratio ſit reddita. 10.

Limita in caſu, quo alter ex fratribus eſſet minor, vel pupillus. 11.

Extat in hoc Ducatu Mediolanenſi ius municipale *in c. 483. lib. 2.*, quod cantat in hæc verba *Inter fratres quoque, inter quos eſt quoddam ius ſocietatis, illud obtineat, vt quidquid in communi domo, vel habitatione poſt mortem Patris ſimul viuendo acquiſierint, inter eos commune ſit.* — 1 *Refertur Statutum Mediol.*

Circa hoc Statutum plurima contingunt dubitari; primo, an illa ſocietas, de qua eſt ſermo in eodem, intelligatur per ipſum ficta, ſeu ipſum ius municipale ipſam fingere, an verò ſupponatur per ipſum ius inita quodamodò inter ipſosmet fratres, & quaſi ex neceſſitate ſuppoſita indiuiſione bonorum inter ipſosmet fratres. Secundo, an illa ſocietas, ex ſuppoſitione, quod inſit, inter eoſdem fratres intelligatur vniuerſalis, & ad omnia bona, an tantum quoad victum, & quoad alia ad communem rationem viuendi requiſita. Tertio, an ſtante illo Statuto, ſi aliquis ex fratribus negotietur alijs, nec in eodem, nec in diuerſo genere negotiantibus, lucrum per ipſum acquiſitum intelligatur omnibus commune, an præcipuum eiuſdem negotiantis. Quarto, an, ſi ille ex fratribus, qui negotiationem inijt, & lucrum acquiſiuit in diuiſione cum cæteris fratribus nolit lucrum illud conferre, peccet peccato iniuſtitię, ſeu iniuſtæ acceptionis. — *Referuntur rationes dubitandi circa hoc ſtatutum.*

Aſſertio I. Ius municipale Mediolani *in illo c. 483.* non fingit illam ſocietatem, de qua loquitur, *Rolandus à Valle conſ. 90. nu. 269., Garonis in conſ. de fratribus nu. 64.*, qui loquitur in terminis huius Statuti, *Bimius conſ. 96. ſub nu. 35. conſ. 209. & conſ. 247. n. 45. Aret. §. igitur inſtit. per quas perſonas nob. acq.* — 2 *Nõ fingit illam ſocietatem, de qua loquitur.*

Colligitur *arg. l. cum oportet C. de bonis, quæ lib.*, nec incongruè; non enim æquitas, ſed magna iniquitas aſſiſteret huic fictioni, cum durum ſit videre, quæ ex proprijs laboribus poſſeſſa ſunt, ad alios transferri etiam ad fratres, & fratrem minus induſtrium participare de fructibus eius, qui ſuis laboribus, & induſtria acquiſiuit; hoc etenim, vt notat *idem Garonis loc. cit.* inuidiam generat, ruinas parit, diſcordias ſeminat.

Ex quibus inferas, quod ius municipale ſolummodò præſumat tale genus ſocietatis inter fratres, quatenus ſtatuentes voluerint præſumere id, quod ſibi probabilius viſum fuerit initam nimirum ſocietatem bonorũ inter ipſos fratres, prout latè *idem Garonis à n. 58. & Bimius loc. cit.*, vnde erit in poteſtate fratrum renuntiandi huiuſmodi ſtatuto, cum principaliter reſpiciat ius, & commodum priuatorum, prout latè aſſerunt *Bimius & Garonis loc. cit.*, quinimmò, nec intelligitur inita hæc ſo- — *Illa ſocietas præſumitur à ſtatuentibus.*

ſocietas, niſi aliquo modo ſaltem præſumptiuè concurrant ijdem fratres, vndè remanet inquirendum, quandonam præſumatur inita huiuſmodi ſocietas. Pro quo ſit

Ex ſola cohabitatione fratrum, & indiuiſione bonorum non bene arguitur ſocietas.

3 Aſſertio II. Ex ſola cohabitatione fratrum, & retentione bonorum paternorum in communi non bene arguitur, & ſufficienter ſocietas inter fratres *Bartolus in l. ſi Patruus C. communia vtriuſq; Iud. Silueſter verb. peculium 2. q. 4. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 14. Nos ipſi tom. 3. ſub tit. Contractus VII. prænot. 27. n. 1. & ſeqq.*

Habentes bona indiuiſa nō dicuntur propriè ſocij.

Probatur, quia ſocietas eſt duorum, vel plurium conuentio contracta ad finē commodioris vſus, & vberioris quæſtus *arg. l. ſi non fuerit §. plerumque ff. pro ſocio*, ſed ex eo, quod fratres ſimul cohabitent, & retineant bona paterna pro indiuiſo, non intelligitur inter eoſdem conuentio ad finem commodioris vſus, & vberioris quæſtus. Confirmatur, quia habentes præciſè res indiuiſas non dicuntur propriè ſocij, ſed ad ſummum per quandam analogiam, & aliqualem ſimilitudinem per textum *in l. ex parte §. filius ff. famil. erciſ. l. cum duobus §. fratres ff. pro ſocio l. licet C. de Decurion. lib. 10.*

Soluitur quoddam aduerſantiū obiectum.

Dices hæc omnia rectè procedere de ſocietate expreſſa & conuentionali, quæ eſt inter eos, qui proprio voluntatis actu contraxerunt, non de tacita & legali, qualis eſt illa plurium fratrum habentiū bona indiuiſa ſtante Statuto eandem inter ipſos agnoſcente, quæ exiſtentibus conditionibus ab eodem iure municipali requiſitis ſtat ſine eorundem libero, & expreſſo actu. Sed contrà, quia vel ipſum ſtatutum conſtituit eandem ſocietatem, vel ſupponit inexiſtentem de iure communi; non primum, quia per verba, per quæ concipitur illa diſpoſitio municipalis non concipitur aliqua vis inductiua eiuſdem; dicitur enim præciſè, *inter quos eſt quoddam ius ſocietatis*; ly autem, *eſt*, ſupponit exiſtentiam præcedentem, non ponit, nec conſtituit; non ſecundum, quia nullibi in iure communi reperitur diſpoſitum, quod inter fratres cohabitantes ex eo præciſè, quod habeant bona indiuiſa, conſtituatur ſocietas. Stat igitur ſolum, quod vel ſtatuentes, vt ſupra innuebamus ex mente *Garonis in conſ. de Fratribus n. 58.*, & *Bimij conſ. 96. ſub n. 35.* voluerint ſolummodò præſumere id, quod ipſis videbatur probabilius, nempè initam eſſe ſocietatem inter ipſos met fratres, non quod voluerint ligare voluntatem fratrū conſtituendi per ſe illam ſocietatem, cui illi non poſſent obſiſtere, prout luculenter *idem Bimius d. conſ. 96. n. 11. & Cephalus conſ. 247. nu. 43.*, vel quod locuti fuerint non de ſocietate propria, ſed de ſocietate lato modo per quandam analogiam, & ſimilitudinem, prout habetur *in d. l. ex parte §. filius ff. famil. erciſ. l. cum duobus §. fratres ff. pro ſocio*, & notant *Iaſon in l. ſi emancipati col. 3. C. de collat. Decius in l. 1. C. qui teſtam. fac. poſ.* Quamobrem, ſi iuxtà primū ſenſum ſumatur ſtatutū, iam patet non eſſe ſocietatem inter fratres, niſi vel expreſsè cōuenerint, vel talia præſtiterint & interueniant, quæ inducant rationabiliter præſumptiuè ipſorum animum ad eandem ſocietatem, quod ſufficienter nō arguitur ex ſola cohabitatione, & indiuiſione bonorū vt ſupra. Si verò iuxta ſecūdum ſenſum ſumatur Statutū, quod veriſimilius eſt, cum dicatur in eodem, *quoddam ſocietatis genus*, quod potius ſimilitudinem importat per ly, *quoddam*, quam proprietatem, tunc non inuoluit, niſi bonorum indiuiſionem, quod commune eſt cæteris omnibus habentibus bona indiuiſa, inter quos non eſt propria ſocietas.

DD. non agnoſcentes hanc ſocietatē.

Cæterum in terminis etiam huius diſpoſitionis municipalis non contrahi ſocietatem inter fratres, nec intelligi contractam ex eo, quod fratres teneant hæreditatem ſimpliciter indiuiſā poſt mortem Patris clare indicat *Carpanus ad d. Statut. Mediolani 483. in verbo inter quos eſt quoddam ius ſocietatis n. 28.*, & cum eo notant *Decius conſ. 21. nu. 5. & conſ. 651. in princip.*, *Iaſon in l. 1. n. 7. C. qui teſtam. fac. poſ.*, *Boerius in ſuis conſuet. in rub. des Coſtumes de Tours tit. 22. art. 2. verſ. ſecundus eſt caſus Barbat. conſ. 37. n. 16. verſ. ſola ergo vol. 2.*

Etiam ſi eſſet ſocietas ex ſtatuto hæc tamē non intelligitur, ſi alter ex fratribus ſit inhabilis.

Aſſertio III. Quantumuis ex hoc Statuto intelligeretur ſocietas inter fratres cohabitantes, & habentes hæreditatem paternam pro indiuiſo non intelligeretur tamen inter eoſdem, quando alter eſſet inhabilis, puta pupillus, ſeu minor *Bartolus in l. ſi tertius in princip. n. 6. ff. de aq. pluuial. arc. & conſ. 39. n. 1. lib. 2.*, *Ludouicus conſ. 53. verſ. debet etiam*, *Rolandus conſ. 91. n. 44. lib. 1.* 4

Inter perſonas inhabiles nō poteſt eſſe præſumptio ſocietatis.

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, nempè ſtatuentes in hoc iure municipali præſumere, non fingere, nec inducere hanc ſocietatem, ſed non poteſt eſſe præſumptio huius ſocietatis inter perſonas inhabiles ad eandem contrahendam; vndè merito *Bartolus in d. l. ſi tertius in princip. ff. de aq. plu. arc. & d. conſ. 39. nu. 1. lib. 2.*, aſſerit, quod non intelligatur ſtatutum procedere, niſi quoad perſonas habiles in ea materia, de qua diſponit non obſtante generalitate; pupilli autem & minores 25. annorum ſine conſenſu tutorum & curatorum non intelliguntur habiles ad contrahendam ſocietatem *Carpanus ad d. Statutum Mediol. 483. verb.* ſocie-

Digitized by Google

ſocietates debent contrahi, Ioſeph Ludouicus in ſuis commun. concl. 53. verſ. & iſtæ ſocietates.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod *Carpanus & Ludouicus loc. cit.* intelligendi ſint ſolummodò quoad ſocietates expreſſas, quæ dependent ex propriæ voluntatis arbitrio, non autem quoad tacitas, quæ præſumuntur à iure; vndè ex terminis ſpecialiter huius ſtatuti, vt refert idem *Carpanus immediate ante verbum ſocietates debent contrahi*; notant *Alexander conſ. 49. n. 7. vol. 1. & conſ. 254. n. 4. vol. 6.* per textum *in l. ſi ſine §. Lucius ff. de adminiſ. tut. & in c. conſtitutus de in integ. reſtitut. Brunus tract. ſuper conſtit. in verb. ſtatuta regulariter comprehendunt &c. Cephalus conſ. 242. num. 13. vol. 2.*, quod ſtatuti huius diſpoſitio liget etiam fratres minores ad differentiam iuris communis, iuxta quod ſocietas non poteſt induci inter maiores & minores, vel pupillos, niſi in certis caſibus, prout notant *Alexander d. conſ. 49. n. 1. vol. 1., Iaſon in l. 1. n. 6. cum ſeqq. C. qui teſtamentum facere poſſint, Altiatus tract. de præſumpt. reg. 1. præſumpt. 25. n. 2.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi DD. procedunt ex falſa ſuppoſitione, quod ſtatutum abſolutè diſponat de illa ſocietate, ſecundum quam ſuppoſitionē poſſet eſſe verum, quod ligaret etiam minores, ſed hoc nos ſuprà reiecimus; non autem in ſuppoſitione, qua præſumat inter eoſdem fratres initam eſſe ſocietatem, in quo ſenſu nos ſupra probauimus procedere ſtatutum; in hac autem hypotheſi non poteſt præſumere initam eſſe ſocietatem cum minoribus, nec tacite, nec expreſsè, cum ſint ex alterius ſtatuti diſpoſitione inhabiles ad contrahendum, niſi ſuppoſitis certis conditionibus, de quibus alibi.

Procedit hęc inſtātia ex falſa ſuppoſitione,

Nec obeſſe poteſt ſecundò, ſi aſſeratur, quod in ijs, quæ proficua ſunt, & vtilia minori poſſit hic contrahere alterum ſibi obligando, non ſe obligando alteri per ea, quæ fusè alibi dicta ſunt; maximè autem quandòque expediens eſt minori, & pupillo contrahere ſocietatem cum cæteris fratribus maioribus, adeòque iura pro illa præſumunt. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis diſpoſitio hæc municipalis loquitur abſolutè non diſtinguens, quandò ſocietas proficua ſit minori, vel pupillo, & quandò noxia, ac proinde, vel abſolutè ipſum comprehendit, vel excludit. Deindè ardùum nimis videtur, quod poſſit velle ſocietatem, quando ipſi proficua eſt, & acquirere lucrum, & nolle eidem acquieſcere, quandò noxia eſt, & potius damnum infert, quàm vtile; quia hoc aduerſatur naturæ ſocietatis, de cuius ratione eſt æqualitas in damnis, & lucris; vnde attenta natura contractus ſocietatis iura non poſſunt legitimè præſumere in inhabili initam ſocietatem; vnde meritò docent *Menochius lib. 3. præſumpt. præſumpt. 56. nu. 9., Garonis d. conſ. de fratrib. nu. 27., Ludouicus conſ. 53. verſ. vnde videmus, Botellus conſ. 39. n. 11., Surdus conſ. 9. n. 51.*, quod non præſumatur ſocietas cum minori, quandò etiam eſſet expediens minori, quod eſſet inita.

Non valet in hoc regula, quod pupilli in proficuis alterum ſibi obligent.

Hac eadem ratione docet idem *Ludouicus d. conſ. 53. vers. vident, & vers. conſequenter* apud *Carpanum ad d. c. 483. vers. ſocietates debent contrahi in fin.*, quod mortuo Patre cum pluribus filijs, inter quorū aliqui ſint minores non cenſeatur contracta ſocietas, nec continuata inter eos, & Patruum, quamuis ſteterint ad vnum panē & vinum, & expediens etiam ſit pupillis contraxiſſe ſocietatem, vel iam cæptam continuare; Neque dicas, diſparem eſſe rationem, quia hæc diſpoſitio ſtatutaria non comprehendit Patruum & Nepotē, ſicuti comprehendit fratres comparatos adinuicem *Alexander conſ. 49. n. 8. vol. 1.*; contra enim impugnaberis, quia præfatus *Ludouicus loc. cit. verſ. item debet* loquitur præciſe ab inhabilitatem minorum, & pupillorum ad contrahendum; poſtquam enim dixerat ſocietates non præſumi initas inter perſonas inhabiles, poſteà ſubdit caſum, de quo loquimur, per particulam *ideò*, ſubdens, *& ideo mortuo Patre cum pluribus filijs, inter quos aliqui extant minores &c.* particula autem, *ideò* eſt cauſalis, & idem ſignificat, ac ob cauſam, ſeu ob id *Bartolus in l. demonſtratio §. quod aptè ſub nu. 9. ff. de condit. & demonſt., Rota deciſ. 29. n. 1. part. 2. recent.*, & illatiua eſt, quia infert ex prædictis *l. & ideo ff. de legat. præſtan., Natta conſ. 59. incip. circa num. 9. ad fin.*

Paritate euincitur aſſertio.

Excludit etiam à ſocietate inter fratres alterum ex fratribus, ſi fuerit Clericus, maximè ſi fuerit ſocietas in negotiatione attento etiam hoc iure municipali idem *Ludouicus d. conſ. 53. verſ. vndecima coniectura & vers. cum Clerici*, quod licet *Decius conſ. 114.*, *& Carpanus ad Statut. Mediol. 180.* aſſerant prouenire ex eo, quod Clerici non ligentur diſpoſitione huius Statuti, arbitror potiſſimum ex alia cauſa prouenire, quia ſcilicet Clerici non poſſunt contrahere ſocietatem negotiationis, quia ipſi ex vi proprij ſtatus non poſſunt conferre ad eandem negotiationem, cum Clericis ſit interdicta negotiatio, vt notat *idem Ludouicus d. conſ. 53. vers. cum Clerici.*

5 Non intelligitur ſocietas, ſi alter fuerit Clericus,

Aſſertio IV. Ex ſuppoſitione, quā ex hoc ſtatuto inter fratres indiuiſa bona

 tenen-

Digitized by Google

6 Vno negotiante, altero nõ, lucrũ correſpondẽs induſtriæ nõ eſt cõferẽdum.

tenentes intelligeretur ſocietas, & alter ex fratribus in negotiatione, quam ipſe exercet per propriam induſtriam ex bonis communibus lucrum acquireret, quod alij non acquirunt, cum non negotiêtur, probabilius non tenetur lucrum correſpondens induſtriæ, & labori proprio cum cæteris fratribus in diuiſione conferre. Ità ſentire videntur, quotquot ſuſtinent ſocietatem; quæ præſumitur inter fratres ex vi præſentis ſtatuti, non eſſe bonorum omnium, de qua re nos in ſequenti aſſertione diſſeremus. *Ludouicus in d. conſ. 53. verſ. & ſi vnus conſ. 69. n. 11., & 12., Gaſpar Gabell. milleloq. 427. Socinus Iun. conſ. 24. n. 9. vol. 2.*

Effet inæqualitas in ſocietate.

Ratio ex eo deducitur, quia probabile non eſt, quod ius municipale voluerit fauere fratri non induſtrio in præiudicium fratris laborioſi, & induſtrij, & duriſſimũ eſt fratri induſtrio videre, quæ ex ſuis laboribus acquiſita ſunt, trãsferri ad alios etiam ad fratres, cum hoc inuidiam generet, ruinas pariat, diſcordias ſeminet, vt ſupra retulimus *ex Bimio cons. 96. nu. 35. cons. 209. & cons. 247. nu. 45., Garronus in cons. de fratribus num. 64.* Confirmatur, quia, ſi ſecus eſſet decernendũ, nec indiuiſioni bonorum inter fratres conſeruandæ benè conſuleret ſtatutum, nec bonis ſocietatis, quandòquidem fratres induſtrij retraherentur a negotiatione, ne alij non induſtrij, & otijs dediti fructu ſuorum laborum congauderent, & anſam nõ induſtrijs non modicam conferret otiandi in ſuis deſidijs, & torporibus, dum laborum alienorum ad æqualitatem cum laborantibus, & deſudantibus fructus capeſcerent; vndè ius naturale dictat; vt operarius gaudeat mercede laborum ſuorum.

Non eſſet ſocietas omnium bonorum.

Ratio ſecundo ex eo deduci poteſt, quia, quantumuis ex communi DD. conſenſu in ſocietate omnium bonorum ſint conferenda cum ſocijs etiam lucra induſtriæ & laboris, non ſic tamen in ſocietate particulari, vt ex plurimorum ſententia, quos refert, commendat *Carpanus ad d. Statum Mediolani 483. à n. 113. vſque ad n. 135.*, ſed ſocietas, quæ dicitur reſultare ex hoc ſtatuto inter fratres ex indiuiſione bonorum non eſt ſocietas omnium bonorum, vt in ſequenti aſſertione probabimus, ergo &c.

Dices Statutum indiferenter diſponere de quocunque lucro, ſiue pecuniæ, ſiue induſtriæ, quod explicat per particulam generalem, *quidquid*, quæ nihil penitus excludit *l. in hoc articulo ff. de hæred. inſtit. & l. fin. ff. de pen. leg. & in l. ſi quis ff. de pecul. leg.*, ergo &c. Sed contra, quamuis illa particula ex genere ſuo extendatur ad omnia per allegata iura, reſtringitur tamen ratione ſubiectæ materiæ, vt, per *Boerium deciſ. 158. num. 14. prope medium*, quem refert *Cened. poſt lib. pract. & cap. qq. ſingul. 25. num. 4.*; cum autem hic non ſit ſermo de ſocietate bonorum omnium, in cuius ratione veniunt omnia quocunque iure acquiſibilia, ſed de particulari, vt infrà, hinc eſt, quod illa diſpoſitio, quantumuis concepta ſincategorematе vniuerſali debeat reſtringi ad naturam eiuſdem, vt notat *Carpanus ad d. Statutum Mediolani in verb. vt quidquid*, quæ non exigit communicationem lucrorum, quæ fiunt per ſpecialem induſtriam.

Propoſitio vniuerſalis reſtringitur ad ſubiectam materiam.

Aſſertio V. Dato etiam, quod ex hoc ſtatuto intelligeretur ſocietas inter fratres habentes bona indiuiſa, & cohabitantes, hæc tamen non eſſet ſocietas omnium bonorum, ſed particularis *Bartolus in l. Titium §. altero n. 6. ff. de adminiſt. tut., Alexander conſ. 49. n. 2. vol. 1., Iaſon in l. 1. nu. 7. verſ. ſecundo caſu C. qui teſtamentum facere poſſint, Socinus Senior cons. 192. q. 3. n. 3. vol. 2., Menochius tract. de arbitr. lib. 2. cent. 2. caſ. 127. nu. 4., Carpanus ad Statut. Mediol. 483. in verbo, vt quidquid, Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 19. vers. quarto quæritur*,

7 Etiam ſi talis ſocietas adeſſet, non non eſſet omnium bonorum.

Mitto rationem illam, qua plurimi vtuntur ad hoc aſſertum comprobandum, quod ſcilicet ſocietas omnium bonorum, non niſi expreſsè contrahatur per textum *in l. 3. §. cum ſpecialiter ff. pro ſocio, & gloſ. in l. cum duobus §. idem Papinianus ff. eod.*, adeo vt, ſi fiat ſimpliciter, non cenſeatur vniuerſalis *l. coire, & l. quæſitus, & l. nec adiecit ff. pro ſocio, Bartolus in l. 2. ff. commun. diuidun., Baldus in l. 1. q. 11. C. pro ſocio, Rimmaldus in l. 1. nu. 1. & 2. C. qui teſtamentum facere poſſint, Iaſon in l. ſi vnus in princip. ff. de pactis*, quæ tamen ratio & iura, quibus innititur, non carent efficaci fundamento, & magna probabilitate, quandoquidem, vbi expreſsè actum non eſt, non deeſt concluſio iuris, qua præſumatur, quod quis nolit conferre in commune commodum & lucrum id, quod pleno iure tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum ad ſe ſpecialiter pertinet independenter ab alijs, prout notant *Decius cons. 21. nu. 11., Socinus Senior cons. 92. nu. 15. vol. 1.*, & ſic in dubio ſupponitur, & præſumitur pro ſocietate particulari *Pariſius conſ. 44. n. 16. vol. 1., Merlinus de legit. lib. 2. tit. 2. q. 26. nu. 22., Corneus conſil. 9. nu. 1. vol. 1.*, vndè frater contendens & agens pro ſocietate omnium bonorum, vbi expreſsè actũ non eſt, debet concludenter illam probare *Cephalus conſ. 247. n. 20., Surdus cons. 138. n. 9. Rot. Rom. in Tudert. ſocietatis 4. Aprilis 1639.*

Iura probantia nõ eſſe ſocietatẽ omnium bonorũ, niſi expreſsè ſit actum.

Pro-

Digitized by Google

Probatur iam primo alia ratione, quia in ſocietate omnium bonorum ſunt omnia bona ex quacunq; cauſa prouenientia conferenda *Michael Salonius de contract. ſocietatis art. 2. num. 2., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 17. vers. primo quaritur, Ludouicus in ſuis commun. concl. 13. vers. nam ſocietatis*, & hæc eſt communis concluſio iuris, adeo vt communicari debeant bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia *l. qui ſtipendia ff. de Procurat. & l. cum duobus §. idem Papinianus ff. pro socio*, item quæcunque bona, quæ acquiruntur ex labore, opera, & induſtria, negotiatione, donatione, legato & hæreditate *l. ea vero ff. pro socio*; item quę acquiruntur ex iniuria, & damno accepto *l. ſi fratres §. socium ff. pro socio*, & alia omnia, ſiue præſentia, ſiue futura, item omnia damna & expenſæ, prout latè docuimus *tom. 3. sub tit. Contract. VII. de societate pranot. 25. per totum*. Sed in hoc eodem Statuto cautum eſt, quod non omnia inter fratres habentes bona pro indiuiſo, & cohabitantes conferantur, cum plura in eodem excipiantur, quæ non ſunt conferenda, cuiuſmodi ſunt acquiſita ex ſucceſſione inteſtati, per cauſam teſtamenti, & codicillorum, per donationem inter viuos, & cauſa mortis, & alia, *vt in eod. Statut. 483.*, ergo non interuenit inter ipſos ex diſpoſitione huius Statuti ſocietas omnium bonorum *arg. textus in l. coire, & duabus seq. & l. ſi adijciatur ff. pro socio*.

Ex ipſo Statuto colligitur non eſſe ſocietatē omnium bonorum.

Probatur ſecundo, quia ſtatuti huius diſpoſitio nō habet locum in debitis contractis, vt ſint communia, niſi probetur pecuniam verſam fuiſſe ad vtilitatem aliorum fratrum, prout notant *Baldus in l. ſi Patruus n. 10. C. communia vtriusq; Iud. & in cons. 412. nu. 3. vol. 2., Caſtr. cons. 68. col. 1. vers. hæc etiam vol. 1. Capra cons. 142. n. 5., Alciatus in l. ſi seruus creditoris n. 2. C. de pactis, & in rub. ff. de acq. poſſes. nu. 10.*, ergo ex vi huius diſpoſitionis municipalis non intelligitur ſocietas omnium bonorum, niſi aliundè ex conſenſu, vel expreſſo, vel tacito, ſi hoc fieri poteſt, concludatur inducta.

Debita cō tracta non conferuntur, niſi probentur verſa eſſe in cōmunem vtilitatem.

8 Ex his facilè erit deducere, quod bona caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia non veniant ſub ſocietate inter fratres, niſi expreſsè actum fuerit de ſocietate omnium bonorum *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 19. vers. quinto quaritur, Lucas de Penna in l. iubemus vers. patet etiam C. de ſilentiarijs lib. 12., Capra cons. 142. n. 2. & 3., Romanus cons. 145. n. 2., Iaſon in auth. qui locum n. 6. circa finem C. de collat.*, & in terminis præſentis Statuti *Carpanus ad d. c. 483. n. 257.* Nec obeſſe poteſt, quod hoc ſtatutum excipiat ſolummodò caſus aliquos in eodē numeratos, inter quos non numerantur bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum per hoc ſtatutum non intelligatur inducta ſocietas omnium bonorum, vt ſupra probauimus, hinc eſt, quod hoc ſtatutum debeat interpretationem paſſiuam ſumere à iure communi, ſecundum quod bona caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia non conferuntur in ſocietate, quæ non ſit bonorum omnium, prout in his terminis docet *Carpanus ad d. ſtatut. 483. n. 265.*; Neque dicas, quod Statutum Mediolani *in c. 174.* diſponat, quod verba Statutorū debeant intelligi ad literam, prout iacent, adeoque, quod non debeat fieri extenſio ad ea, quæ ſunt de iure communi; contra enim impugnaberis, quia dato, quod verba Statuti debeant accipi literalitèr, prout iacent, hoc debet intelligi ſecundum id, quod ſpecialitèr, & expreſsè diſponunt, non autem excluſiuè quoad ea, circa quę expreſsè non diſponunt, niſi ponant particulam excluſiuam; nam tunc quoad ea, in quibus non eſt ſpecialis, & expreſſa diſpoſitio in tali Statuto, interpretatio ſumenda eſt paſſiuè ab eodem iure communi, quinimmò generalis regula eſt, quod non debeat intelligi per Statuta municipalia derogatum iuri communi, niſi fiat ſpecialis exceptio in eodem iure municipali, & per verba, prout iacent; cum igitur Statutum hoc Mediolani, de quo loquimur, excipiat ſolummodò caſus in eodem numeratos, & de bonis caſtrenſibus non loquatur, debet intelligi quoad ipſa firmum manere idem ius commune. Dici etiam poteſt, quod caſus exceptuati non excludant caſus ſimiles, etiam ſi eſſet dictio taxatiua, vt in his terminis notat *Alexander conſ. 130. n. 6. & 7. vol. 4., Pinnus tract. Statut. famin. exclud. art. 12. q. 16. cas. 3., Socinus Sen. cons. 38. col. 1. & cons. 51. col. 1. vol. 1., Boſſius in praxi crimin. tit. de remiſ. merc. public. num. 36. vers. item ex conuentione*. Tandem dici poteſt, quod exceptio in præmemoratis caſibus in Statuto firmet regulam quoad ea, quæ continentur ſub regula eiuſdem Statuti; bona autem caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia non continentur ſub prædicto Statuto, vtpotè, quod non infert ſocietatem omnium bonorum, ſed particularem tantum, niſi aliquo modo inter eoſdem fratres intelligatur inita per ſpeciales conuentiones, ſiue tacitè, ſiue expreſsè talis ſocietas omnium bonorum.

Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia nō veniūt in ſocietate inter fratres.

Interpretatio Statuti.

Cum autem dictum fuerit, quod ſocietas, quæ præſumitur in tali Statuto non ſit omnium bonorum, ſed duntaxat particularis, oritur immediatè hic difficultas in inquirendo, qualis ſit hæc ſocietas,

Digitized by Google

tas, & in ordine ad quæ bona, & ad quem effectum extendatur. Pro quo aduerte cum *Ognate tom.3. part.2. tract.28. diſp.97. ſect.3. num.41. verſ.2. deferunt*, triplex eſſe genus ſocietatis per iura & DD., quę, ſeu quos ibi allegat; alterum eſt ſocietatis vniuerſalis, ſeu bonorum omnium, de quo ad ſocietatem ſupra, & per ipſum omnia conferuntur tam præſentia, quam futura, omnia lucra & damna, prout ſupra. Alterum ſocietatis abſolutæ, &

Triplex genus ſocietatis exponitur.

per hanc non conferuntur, niſi bona pręſentia, prout latè probat *Ognate loc. cit. & nos etiam tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate pranot. 1. n.3.*, vbi diſcrimina aſſignauimus inter ſocietatem abſolutam, & vniuerſalem, & præcipuè in eo, quod ſocietas vniuerſalis, ſeu bonorum omniū reſpiciat, vt mox innuebamus, omnia bona tam præſentia, quàm futura per textum in *l. 1. ff. pro ſocio, & in l. ſi ſocietatem omnium fortunarum, & l. ſi quis ſocietatem contraxerit ff. eod. Antonius Gomez 2. var. c.5. n.3.*, & etiam nomina debitorum *l. ea vero 3. ff. pro ſocio*, & etiam acquiſita titulo lucratiuo, *Ognate loc. quo ſupra*; ſocietas verò abſoluta reſpicit dumtaxat præſentia, & non nomina debitorum *Molina diſp.412. n.1. Silueſter verb. peculium 2. n.3.*; alterum ſocietatis particularis, qua comprehenduntur, aliqua dumtaxat bona determinata, & particularia in ordine ad aliquod ſpeciale negotiationis genus, prout habetur in *l.1. & duab. ſeqq. & l. cum duobus §. ſocium, & l. cum ſocietatis 4. C. pro ſocio*. Huius triplicis generis ſocietatis communiter meminerunt DD., & pręcipuè *idem Silueſter d. verb. peculium 2. q.3. & nos etiam loc. cit.* Iam in ordine ad

9 Societas hæc præſumpta à Statuto, ſi verè eſſet, eſſet diuerſa in ordine ad diuerſas perſonas.

dubium excitatum diuerſimodè in ordine ad diuerſarum perſonarum genus diuerſas aſſignant ſocietates; ſi etenim perſonæ ſint negotiantes dicunt ſocietatem inter ipſos agnitam à Statuto eſſe ad quæſtum, & ad lucrum; ſi verò perſonæ ſint nobiles, & non deditæ negotiationibus, & lucris, dicunt eſſe præciſè ad vſum, vel ad victum, vel ad fructus bonorum hæreditariorum, & ſic in ordine ad diuerſas perſonas diuerſimodè iuxta munera, fines, & effectus &c. Silueſter in vniuerſum *d. verbo peculium 2. q.3.* aſſerit, quod quandò contrahitur ſocietas ſine vlla diſtinctione rerum ſemper intelligatur ſocietas abſoluta, quod probat per textum *in l. coiri ff. pro ſocio*, hacque ratione videtur dicendum, quod ſocietas, quam nouit Statutū Mediolani inter fratres habentes bona indiuiſa, & cohabitantes, cum in ea nulla ponatur diſtinctio, intelligatur de abſoluta. Ego in ordine ad qualitatem perſonarum, & finis diſtinguerem huiuſmodi ſocietates. Si tamen placeat adhærere Silueſtro, dicite eſſe abſolutam, ità tamen in illa non veniant lucra, quæ veniunt ex officijs, meritis, & induſtria perſonarum; vt videtur innuiſſe *idem Silueſter loc. cit.*

Hic vlterius venit inquirendum, quādonam præſumi poſſit, quod inter fratres habentes bona omnia indiuiſa inita ſit ſocietas omnium bonorum. Hæc ratio inquirendi non habet locum in ſententia aſſerente non poſſe eſſe ſocietatem omnium bonorum, niſi expreſsè inter ſocios actum fuerit de eadem; vt ſupra retulimus; in ſententia verò aſſerente poſſe etiam tacitè induci varij varia dicunt, Sit tamen

Aſſertio VI. Ad inducendam tacitè ſocietatem omnium bonorum inter fratres tria indiuiſibilitèr, & principalitèr requiruntur; primum, quod ſimul poſt mortem Patris cum hæreditate indiuiſa vixerint; ſecundum, quod omnia communicauerint ſine vlla exceptione, tam lucra caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia; quam prouenientia ex reditibus præbendæ & dotibus, & alia quęcunque ex quocunque titulo, ſiue lucra, ſiue damna, tertium, quod ſuper lucratis nulla ratio reddita ſit *Barbatius cons. 37. nu. 1. vol. 2.*, *Ioseph Ludouicus in ſuis commun. concl. 53. vers. ex eo, ad fin. cum verſ. ſeqq.*, *Carpanus ad Statut. Mediol. in cap. 483. num. 29. & ſeqq.* 10

10 Requiſita ad inducendam tacitā ſocietatem omnium bonorum inter fratres.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia talis præſumitur mens, qualis ex actibus colligi poteſt *arg. l. duo fratres ff. de acquirend. hæredit. l. reprehendenda in magis et C. de inſtit. & ſubſtit.*, ſed poſitis prædictis tribus conditionibus indiuiſim, & ſimul habetur vera ſocietas, ſeu actus ſocialis quoad omnia, ergo, & mens inter ſocios aſſociandi quoad omnia; Rurſus altera ex illis conditionibus deficiente non eſt propriè ſocietas quoad omnia, nam per ſolam cohabitationem, & indiuiſionem bonorum hæc non habetur per ſuperius allegata & probata, nec ex ſola communicatione lucrorum arguitur; quandoquidem poteſt eſſe talis communicatio ſine ſocietate cum poſſit quis bona, & lucra conferre ad finem pręciſè cōſeruationis eorundem, nō ad effectum, vt in diuiſione veniant in communicatione, nec ex non reddita ratione ſuper lucratis poteſt eſſe pręſūptio ſocietatis ſuper omnia bona, quandoquidem illa nō redditio rationis non indicat animum, quod lucrata debeant eſſe communia, ergo &c.

11 Niſi alter, & fratribus eſſet minor, vel pupillus.

Limita tamen primo in caſu, quo alter ex fratribus eſſet minor, vel pupillus, cum quo nō poteſt eſſe ſocietas omnium bono-

Digitized by Google

bonorum, quia hoc non poteſt expreſsè *l. in conductionibus ff. pro ſocio*, ergo nec tacitè *l. qui ad certum ff. locati*.

12 Limita ſecundo in caſu, quo alter ex fratribus eſſet Clericus per ea, quæ ſuperius fuerunt allegata, quia ſcilicet ipſe non poteſt venire in contractum, tum quia ipſe non poteſt conferre lucra negotiationis.

Item ſi eſſet Clericus.

Ex hucuſque dictis inferes, quantum pertinet ad præſens inſtitutum, quod grauitèr peccent fratres, qui in diuiſione rerum nolint conferre in partem præuiam ei, qui illud lucratus eſt, lucrum, quod acquiſiuit propria induſtria, & laboribus alijs non concurrentibus ad tale lucrum, prout tamen correſpondet præcisè induſtriæ ipſius, quandòquidem illud ſecundum illam rationem pleno iure ipſi debetur per ſuperius probata.

Illatio ex dictis.

PRÆNOTIO VIII.

De actionibus, in quibus interueniunt iniuſtæ acceptiones inter tutorem & curatorem, & inter pupillos, & minores.

SVMMARIVM.

Quis ſit propriè tutor & curator, & quomodo ad inuicem deffrant. 1.

Triplex eſt tutor, teſtamentarius, legitimus, & datiuus. 2.

Explicantur munera tutoris & curatoris. 3.

Peccant grauiter tutores & curatores, qui non fideliter bona ſuorum adminiſtrant, & non inſtituunt, & bonos mores illis non procurant. 4.

Peccant non ſolum contra ſibi commiſſos, ſed etiam contrà alios, cum quibus contrahunt, ſi ipſos lædant. 5.

Tutores & curatores tenentur de culpa lata, & leui, ſi ſalarium pro tutela & cura accipiant, de culpa lata & dolo ſolummodò, ſi illud non accipiant. 6.

Grauiter peccant tutores & curatores contrà iuſtitiam legalem, ſi per ſe, vel per interpoſitas perſonas res ſibi commiſſorum emant, & tenentur in pænam quadrupli. 7.

IN pluribus contingere poſſunt actiones inter tutores & pupillos, & inter curatores, & minores, & alios qui indigent curatione, ex quibus oriatur onus reſtitutionis, ſeu compenſationis, & reintegrationis, de quibus propterea inſtituitur hic titulus. Ad pleniorem notitiam

1 Aduerte primo, quod tutor propriè ſit caput liberati habens ius, & poteſtatem ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe tueri nequit, hocque ius, & poteſtas datum, ſeu data eſt a iure ciuili, prout habetur *in §. eſt autem Inſtit. de tutel.* Curator verò eſt, qui curam gerit alicuius defendendo ipſum, ſeu bona adoleſcentis adminiſtrando, ſeu alterius, cui à iure interdicta eſt adminiſtratio. Differunt autem in multis ab inuicem tutor & curator; primo in eo, quod tutor principalitèr datur perſonæ, ſecundario rebus, ſeu patrimonio; è conuerſo curator primario datur rebus, ſeu patrimonio, ſecundario perſonæ. Secundo, quia tutor datur impuberi, curator verò adulto ſcilicet furioſo, prodigo, amenti, ſurdo, muto, & ſimilibus, qui rebus ſuis præeſſe nequeunt. Triplex autem eſt Tutor, ſcilicet teſtamẽtarius, legitimus, & datiuus. Teſtamentarius eſt, qui datur à Patre in teſtamento, ſeu in vltima ipſius voluntate. Secundus eſt, qui conſtituitur à lege, vt cum nullus conſtitutus eſt tutor per teſtamentum, ex diſpoſitione iuris intelligitur conſtitutus ille, qui primo loco deberet ſuccedere ab inteſtato, & ſic ſucceſſiuè. Tertius verò, qui dicitur datiuus, qui ſcilicet datur à Iudice, quandò ſcilicet nullo dato tutore in teſtamento, nec extantibus conſanguineis idoneis iudex ex officio ipſum conſtituit.

Explicatur quis ſit tutor & curator.

Et quomodo ad inuicem differant.

2 Triplex eſt tutor teſtamentarius, legitimus, & datiuus

3 Aduerte ſecundo munera potiſſimum tutorum eſſe primo, vt pupillos à criminibus illæſos conſeruent: Secundò, vt res eorum præſeruent ab iniuria, prout habetur *in l. 1. ff. de tutor., & c. 1. 12. q. 1.*: Tertiò, quod pecuniam eorum, vel eorum mobilia, quando ſeruata ad nihilum valent, conuertant in bona fructifera, ſi commode poſſint: Quartò, vt conficiant inuentarium de rebus pupillorum, niſi cauſa neceſſaria, vel iuſtiſſima impediantur per textum *in l. Tutor, qui repertorium ff. de adm. tut.* hocque tenetur facere, quam primum poterit per textum *in l. hæc cond. ff. de cõdit. & demonſt.*; aliter videtur in dolo.

Explicantur munera tutoris.

Aduerte tertio. Curatorum munera eadem fere eſſe, quæ tutorum, cum ad eoſdem fermè effectus dentur, licet cum diuerſo ordine, cum ſemper dentur ad cõſeruationem rerum, & perſonarum, quæ eorum curæ mandantur. Hic iam in ordine ad vtroſque comparatiuè ad ſuos correlatiuos reſpectiuè inquiritur, an inter ipſos poſſint contingere actus iniuſtitiæ, & quandonam.

Et Curatoris.

4 Aſſertio I. Peccant grauiter Tutores & Curatores, qui non ſolum rectè, & fidelitèr bona ſibi commiſſorum non adminiſtrant, ſed nec etiam illis inſtitutionem, & bonos mores procurant. *Nauarrus in ſumma c. 25. num. 67., Fagundez de contract. in genere lib. 1. cap. 13. num. 26. Petrus*

Peccant grauiter fideliter non adminiſtrando, & non curando bonos mores

Petrus Valenderanus in comment. de priuileg. credit.

Ratio ex eo deducitur primo, quia non ſolum ex vi aſſumpti muneris obligantur ad rectè, & fidelitèr ſe gerendum circa mores, & bona ſuorum inferiorum, ſed etiam ex vi iuramenti, quod tenentur emittere in ſuſceptione curæ, & tutelæ de illis bene adminiſtrandis cum onere rationis adminiſtrationis reddendæ ſuo tempore cum reſtitutione reſiduorum *c. irreligioſum 5. diſt. 27., Gloſa in clem. quia contingit de Religios. domib. Cunha in præd. c. irreligioſum in comment. ſuper decreta fol. 754. col. 2.*, ergo ſi non adimpleant, quæ ſui muneris ſunt benè, & fideliter adminiſtrando, grauiter peccare dicendi ſunt.

Tutores male adminiſtrantes habentur loco furum.

Secundò, quia Tutores & Curatores bene, & fideliter adminiſtrantes res, & perſonas ſibi commiſſorum habētur loco Patrum; male verò, & infidelitèr adminiſtrantes habentur loco furum *l. qui fundum §. ſi tutor ff. pro emptore*, vndè ob malam adminiſtrationem teſte *Valenderano in d. comment. de priuileg. credit.*, tanquam fures notantur infamia *l. 1. ff. de his qui not. inf.*, & quidem maxima cum æquitate hæc pœna inducta eſt, quandoquidem valde rationabile eſt, vt qui fidem, quam oppignorauit, non ſeruat in fauorem pupillorum, ſeu minorum, qui nec ſe, nec ſua curare valent, graues contrahat ob infidelitatem notas infamiæ.

Dupliciter autem reſpectu tutorum & curatorum poteſt contingere mala, & infidelis adminiſtratio in bonis, & perſonis ſibi commiſſorum; primo, ſcilicet per commiſſionem; ſecundo per omiſſionem; per commiſſionem tunc contingit, vel quando ſine neceſſitate, vel ſine vtilitate alienat bona eorundem, vel implicat bona ipſorum in negotia noxia incōſideratè, vel diſperdit importune, vel ſibi iniuſtè applicat, & ſimilia; per omiſſionem tunc contingit, quando tutores, vel curatores nō vendunt res mobiles, quæ conſeruatæ nullam vtilitatem pariunt, & pretium non cōuertunt in bona immobilia, quæ vtilitatem parerent, ſi commodè poſſint, vel quando ſunt in culpa, vt pupilli, & minores actionem aliquam, & ius perdant; Si contingat primo modo mala adminiſtratio tenentur regularitèr ad omnia damna vltrà noxam, quam contrahunt, quæ inde obuenerunt pupillis, ſeu minoribus per textum *in l. Tutor qui repertorium §. 1. 2, & 3., & ibi Bartolus ff. de adminiſt. tut., Nauarrus in ſumma cap. 25. nu. 66., Bartolus in l. fin. C. de condit. indeb., Ioannes de Anan. c. quia in omnibus de vſuris, Silueſter verb. tutela Tutor & Curator q. 4. ad fin.* Si contingat ſecundo modo, tenentur Tutores & Curatores ad fructus, quos poterat habere pupillus, ſeu minor, ſi mobilia fuiſſent in bona immobilia fructifera conuerſa deductis expenſis, & periculis, prout docent *Silueſter, Bartolus, & Ioannes de Anan. loc. cit.* Intellige, ſi potuerint Tutores, & Curatores ſine periculo, & graui incommodo bona illa mobilia infructifera conuertere in res fructiferas, vt notat *Silueſter d. verbo tutela &c. d. n. 4. Nauarrus loc. cit. n. 66.*

Peccāt, & per commiſſionē, & per omiſſionē.

Peccant non ſolū contra ſibi cōmiſſos, ſed etiam cōtrà alios, cum quibus contrahunt, ſi ipſos lædant.

Aſſertio II. Tutores & Curatores non ſolum peccant peccato iniuſtitiæ aduerſus pupillos, & minores eorum bona male, & infideliter adminiſtrando, ſed etiam aduerſus alios, cum quibus contrahunt ex bonis pupillorum, ſi mutuent ad vſuram cum lucro ſcilicet ob ſolam temporis dilationem, vel dent ad lucrum ſalua ſorte, ſi excipias contractum trium contractum, de quo latè egimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſq. 6. § 8. n. 5. pag. 275.*, & in hac hypotheſi aſſertionis tenentur ad reſtitutionem illius lucri acquiſiti, ſi pupilli & minores non reſtituant *Nauarrus in manual. c. 25. n. 66. verſ. ſexto qui dedit*, & in hoc conſentiunt quotquot ſuſtinent vſuras eſſe reſtituendas. 5

Ratio ex eo deducitur, quia per huiuſmodi contractus cauſam dedit iniquæ, & vſurariæ acceptioni, ergo, quia iniquè dedit cauſam, peccauit, quia vſurariè, tenetur ad reſtitutionem iuxta ea, quæ habet *D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 3.*-- Ibi-- *Idcircò vſurarium reſtituere teneri fructus rei per vſuram acquiſita, quia ſunt fructus rei, cuius dominium apud eum perſeuerat, à quo per vſuram illa accepit.* Nec obeſt, ſi dicatur, quod vſurę penes ipſum nō permaneant, ſed penes pupillos, vel minores, quorum negotia geſſerunt; Non obeſt, inquam, quia onus reſtitutionis non ſolum conſurgit ratione rei acceptę, ſed etiam iniuſtæ acceptionis, & licet primo loco teneatur ad reſtitutionem, qui rem alienam detinet, vt videbimus in ſequentibus, vbi tamen hic nolit reſtituere, vel non poſſit, tenentur illi, qui ad iniuſtam acceptionem, vel Phyſicè, vel moralitèr concurrerunt.

Si pupilli moniti renuāt reſtituere poſſūt vti cōpenſatione.

Verum tamen eſt, quod, ſi pupilli, vel minores præmoniti noluerint reſtituere, & ipſi ex ſuis reſtituerint, poſſint tutores, ſeu curatores occulta compenſatione accipere tot, quot ex ſuis ſatisfecerint, ſi aliundè miniſterio Iudicis ſine graui incommodo non poſſint conſequi id, quod pro pupillis ex hac cauſa perſoluerunt. *Nauarrus in manual. cap. 17. num. 112. cum ſeqq. & cap. 25. num. 66. vers. ſexto qui dedit.*

Aſſer-

Digitized by Google

6 *Tenentur de lata, & leui, ſi ſalariũ accipiãt, nõ niſi de lata, & dolo, ſi non accipiant.*

Aſſertio III. Regulariter loquendo tenentur Tutores, & Curatores quoad bona pupillorum, & minorum de culpa lata, & leui ſolummodò, ſi eiſdem ſalarium pro pretio, & labore tutelæ fuerit aſſignatum, nonniſi ex dolo, & lata culpa, ſi ſine ſtipendio tutelam, & curam adminiſtrarint. Ità quoad primam partem in his terminis *Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 8. dict. 3., Rebellus de oblig. iuſt. 2. parte lib. 17. de offic. tut. & curat. q. vnica n. 17., Valaſcus in prax. partit. c. 8. n. 18., Fagundez de contract. in genere lib. 1. c. 13. nu. 28.,* & in ſimilibus *Baldus in l. pignoris C. de pignor. act., Bonacina de contract. diſp. 3. q. 1. punct. 6. n. 7., Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 293. n. 23., Azorius 3. part. lib. 6. c. 4. §. tertia regula.* Quoad ſecundam expreſsè in his terminis *Fagundez loc. cit. n. 29. Cunha in c. irreligioſum 5. diſt. 77. in comment. ſuper decreta fol. 755. col. 1. nu. 5.*

Prima pars deducitur primo ex textu *in l. quidquid 7. C. arbitrium tutelæ;* Secundo ex generali regula, quam tradunt omnes DD. tam Theologi, quam Canoniſtæ, & iuris Ciuilis interpretes, quod ſcilicet quandò contractus eſt in vtriuſque contrahentis vtilitatem, tunc detinens, ſeu adminiſtrans teneatur ſolùmodò de culpa lata, & leui, non autem leuiſſima per textum *in l. contractus ff. de reg. iuris,* & docent DD. omnes pro prima parte aſſertionis allegati; nec incongrua ratione hæc regula ſtatuitur, quandòquidem ratio naturalis poſtulat, vt in hac hypotheſi vtilitatis vtriuſque accipiens, ſeu adminiſtrans ſolum teneatur eam diligentiam adhibere, & illud periculum præuidere, quod ſolent homines diligentes, & ſolertes præuidere, non autem prudentiſſimi, & ſolertiſſimi, vt latè alibi commendauimus; ſed quando Tutoribus & Curatoribus aſſignatum eſt congruum ſtipendium pro laboribus curæ, & tutelę contractus intelligitur in vtilitatem vtriuſq; contrahẽtis, vt per ſe patet, ergo &c.

Contractus eſſet in vtriuſq; vtilitatẽ.

Secunda pars deducitur etiam primo *ex l. 2. C. ſi tutor., & curat.* Secundo etiam ex generali regula, qua dicitur, quod, quando contractus eſt præcisè in alterius vtilitatem, alter cum ipſo contrahens non tenetur, niſi de dolo, & culpa lata, prout notant *Silueſter verb. culpa nu. 2., Antonius Gomez tom. 2. var. c. 7. nu. 3., Bonacina de contract. diſp. 3. q. 1. punct. 6. nu. 6. & 10.,* prout colligitur ex l. *ſi vt certo §. interdum ff. commodati, & l. 1. §. is quoque ff. de act. & oblig.,* ſed, quando nullum aſſignatum eſt ſtipendium Tutoribus, & Curatoribus, contractus eſt ſolummodò in vtilitatem minorum, ſeu pupillorum, vt per ſe patet, ergo &c.

Aſſertio IV. Grauitèr peccant Tutores, & Curatores contrà iuſtitiam legalem, ſi per ſe, vel per interpoſitas perſonas res ſuorum minorum, ſeu pupillorum emant, & tenentur in pęnam de iure communi ad ſolutionem quadrupli. *Rodericus à Cunha in decretal. ad cap. irreligioſum 5. diſt. 77. fol. 755. n. 6., Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 488. de conductionibus eorun. bonor., Fagundez de contract. in genere lib. 1. c. 12. n. 16. vers. Tutores verò.* 7 *Tutores, & Curatores non poſſunt emere res ſibi commiſſorum ſub pęna quadrupli*

Iura diſponentia de huiuſmodi inualiditate contractus inter pupillum, & minorem, & tutorem, & curatorem, & de pænis, prout in aſſertione, fundantur in præſumptione fraudium, quæ ex parte tutorum & curatorum poſſunt contingere in præiudicium minorum, ſeu pupillorum, & quidem iure merito hæc inducta ſunt; propter ſubiectionem etenim, quam habent pupilli, & minores ad illos, non præſumuntur libere contrahere, ſed inuoluntariè mixtè propter periculũ, ne deſtituantur in tutela, & cura. Quod autẽ nequeant emere Tutores, & Curatores à minoribus, & pupillis clarè colligitur *ex l. ſi emptione §. fin ff. de contrahend. empt.* Ibi *-Tutor rem pupilli emere non poteſt, idemque porrigendum eſt ad ſimilia, id eſt ad curatores, Procuratores, & qui aliena negotia gerunt,* & ſimiliter de pæna allegata habetur *in l. licet, & l. ſi empt. ff. de eod.*

Aſſertio V. Grauitèr peccant pupilli & minores, ſi poſtquam facti fuerint puberes, & maiores, & poſt redditam rationem iuſtæ, & bonæ adminiſtrationis à Tutoribus, & Curatoribus eiſdem denegent ſolutionem ſalarij conuenti, aut arbitrati. 8 *Pupilli, & minores tenentur ſoluere ſalarium tutoribus, & curatoribus.*

Ratio eſt manifeſta, quia Tutores, & Curatores habent legitimum ius ad idem ſalarium acquirendũ, & pupilli, & minores tenentur actione tutelæ, & negotiorũ geſtorum erga eoſdem, ergo, ſi denegent, lædunt legitimum ius, adeòque peccant.

PRÆNOTIO IX.

De Actionibus, in quibus contingere poſſunt iniuſtæ acceptiones in bonis fortunæ inter Maritum, & Vxorem.

SVMMARIVM.

Triplex genus bonorum, de quibus poteſt eſſe controuerſia. 1.

Maritus grauiter peccat vſurpando bona paraphernalia Vxoris. 2.

Peccat Vxor accipiendo bona propria Mariti ipſo inuito, vel quorum ipſe habet adminiſtrationem. 3.

Digitized by Google

Excipe in caſu, quo quid modicum acciperet ad pias eleemoſinas, & congruas proprio ſtatui. 4.

Poteſt etiam ſine peccato aliquod inſumere ad ſubueniendum extremè, vel grauitèr indigenti. 5.

Etiam quoad ea, quæ inſumit in victu, & veſtitu neceſſarijs pro familia. 6.

Etiam ad ornatus congruos, & moderatas recreationes. 7.

Et ad damnum Marito vitandum, ſiue temporale, ſiue ſpirituale. 8.

Et ſi inſumat ex bonis paraphernalibus, & acquiſitis propria induſtria ſuppoſitis conſuetis obſequijs præſtitis familiæ. 9.

Poteſt etiam aliquid expendere moderatè, ſi maritus in amentiam inciderit, vel in longinquas partes abierit non relicto moderatore. 10.

Etiam ex datis à Marito, & conuentis ad ſubueniendum familiæ, ſi ex illis aliquid reſeruauerit ex propria parſimonia. 11.

Et ſi aliquid acquiſierit per extraordinarios labores. 12.

Vergente Marito in decoctionem poteſt agere, vt dos transferatur ad mercatorem ad congrua lucra. 13.

Poteſt etiam ſine peccato conſulere proprio Patri, & Matri, & etiam filijs prioris matrimonij grauitèr indigentibus. 14.

Lucra acquiſita tempore contracti matrimonij non ſunt communia Marito, & Vxori, ſed propria Mariti. 15.

Quoad bona illicitè acquiſita ab vxore poteſt hæc de illis diſponere. 16.

Non currit paritas de acquiſitis illicitè à filio familias, & quare. 17.

Ea, quæ acquiſiuit Vxor ex adulterio, non tenetur conferre Marito. 18.

Tenetur Maritus de damnis illatis in proprietate dotis, ſi non ſolum poſitiuè damna intulerit, ſed etiam negatiuè non adhibendo congruam diligentiam. 19.

Deterioratio dotis, ſi contingerit ex culpa Mariti, compenſatio facienda eſt ſecundum valorem, quem dos habitura fuiſſet pro tempore reſtitutionis. 20.

Si dos tradita fuerit in pecunia determinata in certo genere cum pacto, vt reſtituatur ſecundum eandem æſtimationem, & valorem tam intrinſecum, quàm extrinſecum vtique reſtituenda eſt ſecundum æſtimationem conuentam. 21.

Non ſufficit in data ſuppoſitione, ſi reſtituatur ſecundum eundem valorem extrinſecum. 22.

Si dos tradita fuerit in pecunia in certo genere cum pacto, vt tot reſtituantur in eodem genere, quot fuerunt recepta, nulla facta mentione incrementi, vel decrementi, & tempore reſtitutionis mutata fuerit quoad valorem extrinſecum ſufficit, quod reſtituatur ſecundum numerum, quo fuit recepta. 23.

Si dos fuerit tradita in tot ducatis nullo adiuncto pacto reſtituendi, vel in eodem, vel in diuerſo genere, vel ſecundum diuerſum, vel eundem valorem ſufficit, ſi fiat reſtitutio in equiualente pecunia iuxtà valorem ad tempus traditæ dotis, ſiue in eodem genere pecuniæ ſecundum valorem pro tempore reſtitutionis. 24.

Si dos tradita fuerit æſtimata æſtimatione non faciente venditionem periculum pertinet ad vxorem, ſi verò æſtimatione faciente venditionem pertinet ad Maritum. 25.

Si dos tradita fuerit æſtimata cum mentione pretij nullo alio adiecto pacto inducit venditionem. 26.

Si tradita ſit cum expreſſione pretij arbitrandi à perſona electa cenſetur vendita. 27.

Etiam ſi expreſſio pretij ſit deterior valore dotis. 28.

Si æſtimatio facta fuerit ex interuallo ſine alia expreſſione non facit venditionem. 29.

Si dos tradita fuerit Marito inopi cum expreſſione pretij etiam ſupponitur facere venditionem. 30.

1 **Triplex genus bonorum.**

BOna, de quibus poteſt procedere præſens titulus, ſunt in triplici differentia; alia ſunt propria Mariti, quæ habet, vel ex hæreditate paterna, vel alio titulo independentèr ab vxore; alia bona dotalia, quæ Maritus habuit ab Vxore titulo dotis, quæ ſunt eiuſdem Vxoris quoad proprietatem, quoad vſumfructum verò, & adminiſtrationem Mariti, quouſque matrimonium perſeuerauerit; alia tandem bona propria Vxoris, quæ ſcilicet Marito non detulit in dotem, & eidem Vxori contigerunt ex alia cauſa a dote, quæque labore ſuo, induſtria, & acu acquiſiuit; atque hæc ſunt potiſſimùm bona paraphernalia, de quibus loquitur *D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8. ad ſecundum*, & alij apud *Fagundez de iuſt. & contract. lib. 4. c. 5. n. 21.*

2 **Maritus peccat vſurpando bona paraphernalia vxoris.**

Aſſertio I. Maritus grauiter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, qui aliquid notabile accipiat ex bonis, quæ præter dotem Vxor habet ſiſtendo in iure communi, quæ bona in iure appellantur paraphernalia *l. vlt. C. de pact. conuent.*, *Nauarrus in ſumma c. 17. nu. 153.*, *D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8. ad ſecundum.*

Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi bonorum nedum proprietas, ſed etiam vſusfructus, & adminiſtratio pertinet ad Vxorem per textum *in l. ſi ergo §. dotis ff. de iur. dot.*, ergo Maritus eadem vſurpans in magna, & notabili quantitate grauitèr peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quandoquidem verificatur, quod alienum

num vſurpet inuito domino.

3 *Etiā vxor vſurpādo bona mariti, vel quorū ipſe habet adminiſtrationē.*

Aſſertio II. Peccat grauiter Vxor, quæ notabilem quantitatem ex bonis Mariti, vel quorum ipſe habet adminiſtrationem eodem Marito inuito accipit regularitèr loquendo *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 14. n. 82., D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8., Nauarrus c. 17. n. 153., Gabriel in 4. diſt. 15. q. 4. art. 3. dub. 2. & ibi Durandus q. 8. n. 6., D. Bonauentura art. 2. q. 1.*

Probatur, quia hæc accipiendo ſurripit ea, quæ ſunt alterius, vel quoad dominium, vel quoad adminiſtrationem eodem inuito, ergo non eſt, cur propriè furtum non committat.

Dixi in aſſertione, *quorum ipſe habet adminiſtrationem*, propter bona dotalia durante matrimonio, quæ licet quoad proprietatem pertineant ad vxorē, quoad adminiſtrationem tamen, & vſumfructū conſtante eodem matrimonio pertinent ad maritum, cum data ſint in ordine ad onera eiuſdem matrimonij ſuſtinenda, quæ onera vtpotè ad caput ad eundem maritum ſpectant. Si igitur hæc bona etiam ſurripiat in maxima quantitate, ſeu tali, vt Maritus ſupponatur rationabiliter grauitèr inuitus, certè alienum ſurripit, adeòque peccat peccato iniuſtitiæ; per ea etenim, quæ ſuperiùs probabamus, nomine rei alienæ, in qua conſiſtit iniuſta, ſeu furtiua acceptio, venit etiam vſusfructus, ſeu vſus; Neque obeſſe

Soluuntur rationes oppoſitæ.

poteſt, ſi aſſeratur, eximi à ratione furti in acceptione bonorum dotalium, ſi acceperit cum voluntate computādi, quod accepit, in ſortem ſoluto matrimonio, quemadmodum, nec pupillus tenetur de ſuis clam acceptis à tutore, nec deponens pecuniam, ſi eam occultè cæperit, prout ſenſiſſe videtur *Paludanus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 6. concl. 2. caſ. penult.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia per talem ablationem præiudicium infertur marito pro tempore contractus matrimonij, pro quo tenetur ſuſtinere illa onera, & pro illo priuaretur rebus illis dotalibus acceptis per vxorem. Ad illud, quod ſubditur de pupillo accipiente clam a Tutore, & deponente clam accipiente à depoſitario res ſuas, vel loquimur quoad iniuſtam acceptiōnem, & culpabilem, vel quoad onus reſtitutionis; ſi quoad culpabilem acceptionem, vtique congruenter dici poteſt cum *D. Thoma 2. 2. q. 66. art. 5. ad tertiam*, quod peccat, quandòquidem grauat Tutorem, & depoſitarium, quia tenetur ad reſtituendam rem ſublatam, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium; vnde manifeſtum eſt, quod peccat, & tenetur ad reuelandum grauamen; ſi verò quoad onus reſtitutionis iam patet ex ſe diſparitas, quandòquidem depoſitarius & Tutor, cum res depoſitas, & pupillorum non detineant in ſui fauorem, ſed ſolum in illorum gratiam in nullo lęduntur, nec damnum patiuntur, Maritus verò, cum res dotales detineat in ſui commodum, & matrimonij, per illarum clandeſtinam acceptionem læditur, & damnum patitur, adeòque &c. Hocque expreſsè notat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 91.*

Dixi, *regularitèr loquendo*, non enim negauerim in pleriſque caſibus, vel ex præſumpto tacito conſenſu Mariti, vel ex æquitate quadam, vel congruentia ſtatus, poſſe in quadam quantitate de bonis Mariti, vel eorum, quorum habet adminiſtrationem, diſponere. Plures in particulari expono, ad quorum normam alios vos poteritis efformare.

Excipiuntur nonnulli caſus.

Primus eſt, quod poſſit in moderata quantitate ad pias, congruas proprio ſtatui, & conſuetas eleemoſinas diſponere, prout ſentiunt *Nauarrus in manual. c. 17. n. 153. verſ. quinquageſimo primo, quæ vxor Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 82.*; tum quia, nec Maritus præſumitur rationabilitèr inuitus, tum quia conſuetudo, quæ vim legis quodamodò habet, dat ipſi ad hoc facultatem. Circa hunc caſum oritur difficultas, an, ſi Maritus eidem vetet præſtare huiuſmodi eleemoſinas, adhuc poſſet illas facere licite, & quidem, ſi præcisè prohibuerit vxori eleemoſinas in genere, non exprimendo de moderatis & conſuetis, etiam, & tunc adhuc crederem poſſe illas facere, quia per illam prohibitionem præſumendus eſſet vetare dumtaxat excedentes, non moderatas, & conſuetas, prout notant *Corduba in ſumma q. 125. diſt. 6., Silueſter verb. eleemoſina q. 5. dict. 5. & verb. donatio q. 11., D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 19. §. 1.*; ſi verò expreſsè prohibuerit etiam moderatas, & conſuetas, tunc diuiſos inuenio DD. Alij etenim, inter quos *D. Antoninus loc. cit., Nauarrus in manual. d. c. 17. num. 153.* ſuſtinent in ea hypotheſi teneri vxorem ab his moderatis, & conſuetis eleemoſinis abſtinere, quia eſt contrà expreſſam voluntatem Domini; alij verò è contrà inter quos *Silueſter loc. cit., Paludanus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 6. concl. 2., Gabriel in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 3. dub. 2. prop. 3., Angelus verb. Eleemoſina §. 7.*, ſentiunt non obſtante illa voluntate expreſſa poſſe illas eleemoſinas moderatas, & conſuetas facere, eo quia ius, quod habet vxor ad illas eleemoſinas præſtandas, non fundatur præcisè in præſumpta voluntate mariti, ſed in iuriſdictione, quam habet a conſuetudine habente vim legis;

4 Non peccat accipiendo, quid modicum ad congruas eleemoſinas.

Etiam ſi maritus eidē prohibuerit eleemoſinas facere.

& ſicuti vi extaret ius aliquod poſitiuũ, & ſcriptum, quod facultatem vxoribus conferret ad huiuſmodi eleemoſinas, poſſent vtique illas conferre etiam maritis inuitis, ita ſi extet ius conſuetudinarium, & non ſcriptum, quod conferat talem facultatem, nõ video, cur illa nõ poſſent vti etiam inuitis eiſdem maritis; atq; huic opinioni, tamquã valdè probabili ad hærendum exiſtimo, addens etiam quod, cum ita exigat conditio ſtatus, & conſuetudo, mariti ipſi ſint ad hoc irrationabilitèr grauitèr inuiti. Hoc tamen vnum monerem, quod, ſi vxores præuiderent, poſita præcipuè illa prohibitione maritos eſſe ægre laturos illarum eleemoſinarum largitionem, illamque fore rixarum originẽ, & diſſidiorum inter ipſos, deberent ob bonum pacis maximè palam ab illis abſtinere, ne id, quod intuitu pietatis, & charitatis fit, in cauſam impietatis, & odij vertatur; hoc tamen non proueniret defectu iuris, ſed ab extrinſeca cauſa, vt per ſe patet.

Etiam ſi prohibitio ſit ad moderatas, & cõgruas,

5 Etiam ad ſubueniẽdum grauitèr indigenti.

Secundus caſus eſt, quod poſſit Vxor aliquid bonorum Mariti, vel illorum, quorum habet ipſe maritus adminiſtrationem, elargiri ad ſubueniendum extremè, & grauiter indigenti iuxtà ea, quæ diximus in præcedentibus de filijs reſpectu bonorum paternorum *Nauarrus in ſumma c. 17. num. 153., Corduba in ſumma q. 125. diſt. 9., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. n. 82.* Rationes ſupra allatę *ſub hoc eodem tit. de reſtitutione pranot. 5. ſub aſſert. 5. verſ. limita 3.*, quæ euincunt pro filio accipiente de bonis paternis quoad huc effectum, euincunt etiam pro Vxore ad ſimilem effectum accipiente de bonis Mariti, vel quorum ipſe habet adminiſtrationem.

6 Et ſi inſumat in rebus neceſſarijs ad victũ, & veſtitũ pro familia.

Tertius caſus eſt, quando id, quod accipit, inſumit in rebus neceſſarijs in victu, veſtitu pro familia, cum Maritus non conferat, vel non niſi ægrè cum indignatione, diſſidijs & ſimilibus *Mercatus c. 13., Petrus à Nauarra de reſtitut. lib. 3. c. 1. n. 86.*; nec difficilis probationis eſt hæc exceptio, quandoquidem vxor in hac hypotheſi id præſtat, quod tenetur præſtare maritus, qui propterea non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus quoad illas expenſas neceſſarias, ſeù etiam vtiles pro familia.

7 Etiam ad proprios ornatus cõgruos, & honeſtas recreationes.

Quartus caſus eſt, ſi aliquid inſumat etiam in ordine ad ſe ipſam ad congruos ornatus proprio ſtatui, ad honeſtas recreationes, quæ regulariter conceduntur à maritis vxoribus ſimilis conditionis; non enim ad hæc omnia poteſt maritus præſumi rationabiliter inuitus; vnde quoad hoc non damno conſuetudinem vxorum, quæ ferè vbique retinẽt fructus, quos præſtitis conſuetis obſequijs marito, & familiæ ex laboribus proprijs, & filiarum ſuarum acquiſierunt, potiſſimum, quia de his ſolent aliquibus neceſſitatibus ſaltem proprij veſtitus, vel filiarum conſulere; pro quibus tenentur mariti, vel fortè etiam ijs vtuntur ad eoſdem ornatus congruos, & conſuetas, & honeſtas recreationes, vt mox dicebam.

8 Et ad dãnum marito imminenter vitandum ſiue temporale, ſiue ſpiritale.

Quintus caſus eſt, cum aliquid inſumit ad aliquod damnum temporale marito vitandum, vt cum ſcilicet nouerit eidem maximum periculum, vel in vita, vel in rebus imminere, cui non proſpicit, vel aliunde abſtractus non vult proſpicere ipſe maritus, & ipſa tunc aliquid confert ad grauiori illi damno obuiandũ, ob quod in Sacra Scriptura 1. *Reg.* 23. maximè prudentiæ commendatur Abigail ob ſimiles ſumptus ob euitandum damnum mariti. Ex quibus à fortiori poteris deducere, quod poterit ſimilia inſumere ad obuiandum damno ſpirituali eiuſdem mariti, prout notant *Paludanus in 4. diſt. 15. qu. 3. art. 6. concl. 2., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 85., Nauarrus in man. c. 17. nu. 154.* Hoc eueniret in caſu, quo maritus in peſſimam frugem declinaret in detrimentum propriæ ſalutis, & familiæ etiam, & aliorum ob ſcandalum, & ipſa vxor moderatè in pauperes, aliaſq; pias perſonas effunderet ad effectum, vt eorum orationibus moueatur Deus ad ipſum illuminandum, & ad pænitentiam conuertendum. Ratio eſt, quia in his omnibus optimè gerit negotium eiuſdem mariti, & ſi effundendo in pias eleemoſinas, dummodo ſint moderatæ, iuxtà ſuperiùs dicta licitè hoc præſtat etiam in ordine ad ſe ipſam, non video, cur licite hoc non præſtet vrgente illa cauſa damni temporalis, vel ſpiritualis mariti in ordine ad ipſum maritum?

9 Et ſi inſumat ex bonis paraphernalibus, & proprio inſueto labore acquiſitis.

Sextus caſus eſt, ſi inſumat ex bonis paraphernalibus, & ex bonis, quæ ex arte propria texendi, aut ſuendi, aut acu pingendi præſtitis prius familiæ conſuetis obſequijs acquiſiuit, prout expreſsè habent *D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8. ad ſecundum, Nauarrus in man. c. 17. n. 154.*, quia quoad hæc vxor habet plenum ius; Neque his, quæ hic dicuntur, officere poteſt limitatio, quam ponit *D. Thomas loc. cit.*, dum ſubdit. *Moderatas tamen; ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur*, quibus verbis videtur indicare eorum bonorum plenum ius non competere vxori, dum ius diſponendi limitatur ad moderatam quãtitatem, cum hoc etiam competat in ordine ad bona mariti, & eorum, quorum habet ipſe maritus adminiſtrationem, de quibus in ordine ad vſus in præcedentibus

Digitized by Google

bus recitatos, poteſt vxor moderatè diſponere; Non inquam, officere poteſt, quia illa limitatio, quam ponit D. Thomas non eſt defectu iuris inexiſtentis in ipſa Vxore, ſed quia, ſi Maritus vergeret in inopiam, ex lege charitatis potius vxor teneretur eidem ſubuenire, quam alteri.

10 Etiam ſi maritus incideret in grauẽ amentiã, vel in lõginquas partes abijſſet non relicto moderatore, moderatè tamen.

Septimus caſus eſt, quandò Maritus, vel incideret in amentiam, vel in longinquas partes tranſiret nullo relicto moderatore ſuæ domus, rerumque ſuarum, tunc etenim vxor poſſet aliquid inſumere moderate in honeſtos vſus, & proprio ſtatui conuenientes *Medina C. de eleemoſina c. 4., Paludanus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 6. concl. 2., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 86.*, quidquid ex aduerſo dixerit *Nauarrus in manual. d. cap. 17. num. 154.* volens, quod vxor in illo caſu amentiæ, vel abſentiæ mariti non poſſit plus inſumere, quàm ſolitus fuerit inſumere eiuſdem maritus. Ratio ex eo deducitur, quia deficiente viro mulier ipſo iure, vbi aliud nõ fuerit ſtatutum, eſt veluti caput filiorum, propriæq; domus gubernatrix; vnde etiam mortuo viro, nulloque relicto tutore teſtamentario ſuccedit in tutela filiorum, & bonorum paternorum ipſa vxor *auth. Matri, & auia C. quando mul. tut. off. fung. poteſt, & Ariſtoteles* 8. *Ethicor.* vult regimen viri, & vxoris in domo eſſe ſecundum dignitatem, & non dominari virum in omnibus, quod clariùs explicans *ſecundo Œconomicorum*; dicit mulierem omnibus, quæ intus ſunt, dominari, ergo eodem marito deficiente poterit à fortiori adminiſtrare, eaque, quæ moderata ſunt, & congrua familiæ ſtatui peragere.

11 Poteſt eſſe etiam ſine peccato inſumere id, quod ſuperfuit ex bonis datis, & conuentis cum marito ad ſubueniẽdum familiæ.

Octauus caſus eſt, quando inter maritum, & vxorem facta eſſet conuentio, quod maritus eidem vxori tradat certam ſummam pro expenſis familiaribus totius anni, quod pleriſq; in locis practicari ſolet, & ipſa vxor partius viuendo aliquod de illa ſumma non inſumeret, illudque in proprium commodum, vel aliorũ poſtea expenderet, prout docent *Nauarrus in manual. cap. 17. num. 154., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. num. 8.*, qui pro ſe etiam citat Silueſtrum; Ratio ex eo deducitur, quia illud eſt fructus propriæ parſimoniæ, ad quam non tenetur, & ſicuti, ſi plus expendiſſet, teneretur de ſuo, ita ſi minus ex propria induſtria, & parcitate, illud plus debet ſibi acquirere, & hoc fundatur in præſumpta voluntate eiuſdem mariti, qui non debet eſſe rationabilitèr inuitus ad illud lucrum vxoris, ex quo illud iam a ſe abdicauit tantum conferendo pro expenſis illius anni conuentis. Hoc tamen limitarem in hypotheſi, qua illa parcitas non eſſet in præiuditium totius familiæ, ſed eiuſdem mulieris tantummodo, quæ pepercit expenſis in ordine ad propriam perſonã, prout limitat *Petrus à Nauarra loc. quo ſupra*.

12 Et ſi aliquid acquiſierit per extraordinarios labores.

Nonus caſus eſt, quando per inſuetum laborem, & extraordinarias induſtrias, quæ extendũtur vltra ea, quæ exigit ſtatus familiæ, & conditio eiuſdem mulieris, aliquid acquiſiuit; tunc etenim quoad illud lucrum, quod conſecuta eſt ex illa extraordinaria induſtria, poſſet aliquod in ſui, aliorumq; fauorem expendere, vel ſibi retinere ad proprium commodum abſque eo quod Maritus ipſe poſſit eſſe irrationabiliter inuitus. Ratio autem ea eſt, quia maritus nullum ius poteſt habere ad illum inſuetum laborem, & extraordinariam induſtriam, cum vxor ipſa ex vi proprij ſtatus; & contracti matrimonij ad illa onera non teneatur ergo, neque ad lucrum dependentèr ab illis acquiſitum.

13 Si Maritus vergat in decoctionẽ poteſt agere, vt dos deferatur ad mercatorem.

Hic ſolum oritur difficultas in inquirendo, an ſi maritus vergat in decoctionẽ poſſit vxor conſtante adhuc matrimonio ab illo dotem repetere. Reſpondendum eſt in ea hypotheſi vergente marito ad inopiam poſſe Vxorem agere, vt dos à manibus mariti transferatur ad manus mercatoris in ordine ad ſecuram negotiationem, vt dos ipſa ſalua ſit, & lucrum aliquod acquiratur pro ſuſtinendis oneribus matrimonij. Hoc expreſsè habetur *in c. per vſuras de donat. inter Vir., & Vxor.*

14 Etiam vt ſubueniat proprio Patri, & Matri, & filijs prioris matrimonij indigẽtibus.

Decimus caſus eſt, ſi Pater, & Mater Vxoris ſint pauperes, adeò vt ſecundum proprium ſtatum viuere nequeant; tunc etenim poteſt Vxor illis moderatè ſuccurrere, item eodem pacto poteſt conſulere filijs prioris matrimonij, ſi tali egeſtate premantur, quinimmò etiam fratribus, & ſororibus in ſimili paupertate conſtitutis. Ita quoad primam partem, & ſecundam, *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 12. dubit. 14. n. 88. verſ. vndecimo, ſi Pater, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. n. 159., Corduba in ſumma q. 125.* Quoad tertiam *idem Leſſius ibid. n. 89., & Petrus à Nauarra loc. cit. n. 161.* Ratio primæ, & ſecundæ partis ex eo deducitur, quia de iure naturę tenetur iſtis ſuccurrere, ſi poteſt, & iſti ius habent ad alimenta ab eadem petenda, nec maritus poteſt eſſe rationabilitèr inuitus. Ratio tertiæ partis deducitur *ex l. mutus ff. de iur. dot.*, & ex paritate oneris, quod habet maritus ſuccurendi fratribus in ſimili egeſtate, vt docent communitèr *DD. cum gloſ. in l. qui filium ff. vbi pupillus educ. deb.*

Aſſer-

15 Aſſertio III. Nec de iure diuino, nec de iure naturæ, nec de iure communi poſitiuo cõſtante matrimonio lucra acquiſita tempore eiuſdem matrimonij intelliguntur communia eidem Vxori, & Marito, adeò vt ratione eiuſdem communionis poſſit vxor aliquid accipere de eiſdem lucris, vel ante, vel poſt mortem Mariti. *Petrus Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 96., Corduba in ſumma q. 129, Trullench in expoſitione decal. lib. 7. c. 1. dub. 8. n. 3., Molina de iuſt. & iur. diſp. 422. in princip.*

Lucra acquiſita conſtante matrimonio ſunt propria mariti.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia tota ratio, quæ poteſt aduerſari præſenti aſſertioni, ea eſt, quia ex vi matrimonij ſupponitur contracta ſocietas omnium bonorum, ſed hæc nullo modo ſubſiſtit per ea, quæ latè tradidimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſociet. prænot. 28. n. 2. per totum*, ad quæ vos remitto, ne tenear actitata repetere; vbi omnia obiecta ſoluta adinuenietis.

Non eſt contracta ſocietas.

Hinc potes deducere primo, quod vxor de ſuperlucratis pro tempore matrimonij non poſſit diſponere pluſquam de bonis proprijs Mariti, vel dotalibus iuxtà expoſitas ſuperius regulas; vndè cum in Doctoribus paſſim legitur, quod bona ſuperlucrata partim pertineant quoad proprietatem Marito, partim Vxori, hoc intelligendum eſt quoad iura municipalia aliquorum regnorum, prout nos docuimus *eodem tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſociet. prænot. 28. n. 4.*, & docent etiam *Couarruuias in epit. de matrim. part. 2. c. 7. §. 1. nu. 5., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 18. verſ. primo quæritur.*

Deducere potes ſecundo, quod ſiſtendo in iure naturæ, diuino, & poſitiuo communi ſocietas, ſi quæ eſt, ſit dumtaxat ad cohabitandum, & ad generandum, & ad mutua obſequia matrimonialia præſtanda, non tamen ad diuidendum cum altero bona lucrata pro tempore matrimonij; vndè, ſi quæ iura afferantur, probant dumtaxat de ſocietate largo modo quoad amorem, cohabitationem, & generationem, non quoad lucra, prout notat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. num. 96.*

Societas eſt ſolummodò ad mutua obſequia matrimonialia.

16 Aſſertio IV. Quoad bona illicitè acquiſita ab Vxore conſtante matrimonio poteſt eadem Vxor de illis diſponere etiam inſcio Marito. In hanc opinionem propendere arbitror quotquot ſuſtinent de iure communi non intercedere ſocietatem inter Maritum, & coniugem, niſi expreſsè de hoc actum fuerit; procedit etenim aſſertio de iure communi ſolummodò; procedit item ſolumodò de acquiſitis illicitè ob turpem cauſam cum vera acquiſitione dominij, non de acquiſitis per iniuſtitiam, quæ obnoxia ſunt reſtitutioni. Eſt contra *Sotum lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 1. ad ſecundum, Petrum à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. nu. 130.*, qui tamen procedunt iuxtà iura municipalia Regnorum Hiſpaniæ, & Galliarum, in quibus intelligitur ſocietas omnium bonorum inter Maritum & Vxorem, de quibus hic nos non loquimur.

Quoad bona illicitè acquiſita ab vxore poteſt hæc de illis diſponere.

Ratio huius aſſertionis ex eo deducitur, quia Maritus ex vi præciſè iuris communis non habet ius, niſi ad obſequia matrimonialia, ad dotem & ea, quæ data ſunt cauſa dotis, & ad lucra eiuſdem durante matrimonio, ad generationem, cohabitationem, & ſimilia, non autem ad alia, quæ ex illicito quæſtu independenter ab illis mulier acquiſiuit, ergo Vxor illa illicitè acquiſita non tenetur conferre Marito, ſicuti non tenetur conferre alia, quæ ex propria, & extraordinaria induſtria vltra obſequia matrimonialia acquiſiuit, quęque non contulit pro dote ipſi Marito; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. de reſtitutione primò prænot. 5. ſub aſſert. 5. in fin. verſ. in in ordine ad ſecundam*, de filio familias, qui, ſi lucra aliqua illicitè acquiſierit, vtique quoad proprietatem ſibi acquiſiuit, licet 17 quoad vſumfructũ Patri, ergo etiam &c. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quandòquidem de iure communi omnia lucra filij independentèr à ſucceſſione paterna, & a bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, tanquam bona aduentitia acquiruntur Patri quoad vſumfructum, vt vulgata iura præcitata clamant; eo autem, quæ acquiruntur ab vxore ex propria ſpeciali induſtria, vel alio titulo extra ea, quæ debentur ex contractu matrimoniali nullo iure acquiruntur marito; non enim ita comparatur vxor ad maritum, ſicuti filius ad Patrem, nec valet in hoc, quod quidquid acquirit vxor, acquirat marito, ſicuti quidquid acquirit filius, acquirat Patri.

Non currit paritas de acquiſitis illicitè à filio familias, & quare.

Maior difficultas eſt, an ea, quæ acquiſiuit vxor conſtante matrimonio ex adulterio teneatur marito conferre? Affirmant *Silueſter verb. adulterium q. 6. & alij* ob duplicem rationem; primò, quia mulier adulterans iniuriam maximam inurit marito, ergo illam tenetur compenſare. Secundò, quia vxor non eſt domina ſui corporis, ſed vir, ergo fructus corporis vxoris debent cedere viro. Alij ex aduerſo ſuſtinent non teneri conferre, ea moti ratione, quia quidquid lucratur ſocius extra ſocietatem ſibi lucratur, non ſocietati, ergo cum mulier non ex ſocietate, ſed contra illam ex adulterio acquiſierit, ſibi acquiſiuiſſe, non ſocietati

ma-

18 Ea, quæ acquiſiuit vxor ex adulterio non tenetur conferre marito.

matrimonij cenſenda eſt. Quid ergo in hac controuerſia concludendum? Abſolutè arbitror, non teneri conferre, quandòquidem maritus non habet ius ad ea, quæ ex turpi lucro vxor acquirit, non enim hoc ius habet ex titulo ſocietatis, cum nulla de iure communi quoad bona temporalia interueniat, & quandò etiam interueniret, hæc non eſt ad acquiſita illicitè, & ex turpi lucro, cum in rebus inhoneſtis nulla detur ſocietas, vt fatetur *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 131. Didacus Perez in l. 2. ordina., Rodericus Suarez in repet. l. 1 tit. de lucris §. poſſet aſſignari*; neque ex titulo matrimonij, cum hoc ſolum conferat ius marito ad bona dotalia, & ad ea, quæ ex ipſis conſequuntur, & ad obſequia matrimonialia; Neque dicas, quod maritus ratione matrimonij non ſolum ius habeat in corpus vxoris, vt ipſi reddat debitum coniugale, ſed etiam ne vxor alteri det, aut concedat, adeòque, ſi alteri dederit, cum dederit contra ius mariti, eidem teneatur ad idem ius reſarciendum, in quantum poteſt; contrà enim impugnaberis, quia re vera ex vi matrimonij habet ius maritus in corpus vxoris non ſolum, vt ſibi debitum reddatur, ſed etiam, vt alteri cuicunque denegetur, hoc etenim exigit bonum fidei, & mulier adulterans vtique peccat contrà iuſtitiam aduerſus eundem maritum; non tamen ſequitur, quod ipſe maritus habeat ius ad illud lucrum acquiſitum ex adulterio, quia iniuria facta marito non eſt æſtimabilis pecunia, ſicut, nec honor, nec membrum, vt infra latè videbimus. Deindè dato etiam, quod poſſet fieri compenſatio in bonis fortunæ, non propterea, ſequitur, quod teneatur eidem tradere, vel conferre, quod ex adulterio conſecuta eſt, ſed ſecundum quod æſtimetur valor iniuriæ. Ex quibus poteris deducere, quid reſpondeas ad argumenta per Silueſtrum adducta de compenſatione facienda marito per iniuriam eidem allatam ab vxore per adulterium; dic etenim hanc non eſſe pretio compenſabilem per pecuniam. Ad illud, quod ſubdit idem Silueſter de iure, quod habet maritus in corpus vxoris, dicendum eſt, quod non habeat ius in corpus vxoris, ita vt de illo poſſit diſponere, ſicuti de re propria, puta de veſte, pallio &c. ſed tantum in ordine ad vſum coniugalem, adeoque &c.

Soluitur argumentũ ex aduerſo oppoſitum.

Hic latè diſputant DD. circa plura ex ſuppoſitione, quod ex iuribus municipalibus ſit ſocietas bonorum inter maritum, & coniugem ex vi matrimonij, ſed quia nos procedimus dumtaxat de iure communi, vel de iuribus municipalibus noſtrarum regionum, ideò abſtinemus ab ijs, quæ ad exteras regiones pertinent.

Aſſertio V. Si maritus conſtante matrimonio damnum inferat in re dotali, adeo vt eidem præiudicet quoad ſubſtantiam, & proprietatem tenetur ad compenſationem in reſtitutione eiuſdem dotis, & hoc non ſolum, ſi poſitiuè damnum intulerit, vel alienando, vel conſumendo, vel alio modo, ſed etiam quodamodò negatiuè non adhibendo diligentiam, quam ſolertes adhibere ſolent, adeò vt non ſolum teneatur de dolo, & culpa lata, ſed etiam leui, non tamen leuiſſima, ſi ob defectum talis diligentiæ res dotales perierint, ſeu deteriores factæ fuerint *Antonius Gomez ad l. 50., Tauri nu. 43. paulo poſt initium*, vbi alios plures allegat, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 16. n. 58.* 19

19 Tenetur de damnis in dote maritus, & quomodo.

Colligitur expreſsè *ex l. vlt. in princip. ff. ſolut. matrim.*, & quidem recta ratione deducitur ex ijs, quæ ſupra, & alibi ſparſim dicta ſunt; quippe regulare eſt, vt in contractibus, qui fiunt in vtriuſque contrahentis vtilitatem, & commodum, vnus teneatur erga alterum de dolo, culpa lata, & leui, non tamen de leuiſſima ad differentiam aliorum contractuum, qui ſunt ſolum in vtilitatem recipientis, qui obligatur etiam de leuiſſima, vel illorum, qui ſunt ſolum in vtilitatem conferentis, in quibus detinens obligatur ſolum de dolo, & culpa lata; ſed contractus dotalis eſt in vtriuſque vtilitatem, & cum onere ex vtraque parte, nam ſi maritus commodum habet in receptione dotis, etiam onus contrahit in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda, & ſi vxor onus habet perſoluendi dotem, etiam vtile acquirit, vt à viro alatur, & decenter manuteneatur, ergo &c.

In cõtractibus, quæ ſunt in vtriuſque vtilitatem tenetur detinẽs etiã de culpa leui.

Colligitur vlterius ex ijs, quę ſuperius dicta ſunt, nam, ſi Pater præiudicium inferat in bonis aduentitijs filij quoad proprietatem, tenetur ad compenſationem, & in ipſius defectum hęredes eiuſdẽ, ergo etiam, ſi maritus præiudicium inferat in bonis dotalibus vxoris quoad proprietatem, tenebitur verſus eandem ad compenſationem, & in reſtitutione eiuſdem ſoluto matrimonio hęredes obligabuntur ad earum æſtimationem. Conſequentia videtur rectè deduci ex paritate rationis, quandòquidem proprietas in vtroque caſu eſt, quoad bona aduentitia in filio, & in rebus dotalibus in vxore, & vſusfructus ſolum in Patre, & marito reſpectiuè.

Hic ſolum oritur difficultas, an compenſatio facienda ſit, vel per maritum, vel per eius hæredes iuxta valorem, quem

res

Digitized by Google

20 Deterioratio cōpenſanda eſt iuxtà valorem, quem dos habuiſſet pro tempore reſtitutionis.

res dotales habebant in conſtitutione eiuſdem dotis, an verò dumtaxat ſecundum valorem, quem res ipſæ dotales habituræ fuiſſent pro tempore reſtitutionis earundem. Probabilius exiſtimo, vbi aliud conuentum non fuerit, reſtituendas, ſeu compenſandas fore ſolummodò iuxta valorem, quem habituræ fuiſſent pro tempore reſtitutionis. Conſentit *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de dote c. 16. num. 58.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi res dotales non eſſent factę deteriores ex culpa mariti, ſoluto matrimonio reſtituendæ eſſent, prout iacent, adeò vt, ſi decrementum contigiſſet ſecundum valorem, tale decrementum cederet ipſi vxori, vt per ſe patet, ergo, quantumuis factæ fuerint deteriores ex culpa mariti, erunt dumtaxat reſtituendæ, ſeu compenſandæ ſecundum æſtimationem, quam fuiſſent habituræ pro tempore reſtitutionis eiuſdem dotis, non ſecundum valorem, quam habebant ab initio conſtitutionis dotis, quandoquidem quoad damnum illatum ex culpa decreuerunt quidem ex cauſa mariti, non quoad valorem illum extrinſecum, nam etiam ſi deteriores factæ non fuiſſent, adhuc in illo valore decreuiſſent, & decrementum quoad valorem extrinſecum cedit ſolum proprietario, ſeu domino rei.

Dubium quoddam excitatum quoad dotem.

Hic ſuboritur alia difficultas, an, ſi dos tradita fuerit marito in pecunia, cuius valor poſteà ſit mutatus, diminutus ſcilicet, vel auctus diſſoluto matrimonio ſit reſtituenda ſecundum valorē, quem pecunia ipſa habuit in ipſa conſtitutione dotis, an verò ſecundum eum, quem habet adauctum, vel dimminutum pro tempore reſtitutionis faciendę. Iuxtà diuerſam conſiderationem dirimenda eſt hæc difficultas; vel etenim pro dote, ſeu in dotem determinata pecunia tradita eſt in certo genere cum pacto, vt in caſu reſtitutionis reſtituatur ſub eadem æſtimatione de tempore contracti matrimonij, ſeu inſtrumenti dotalis. vel tradita eſt cum pacto, vt tot reſtituantur in eodem genere monetæ, quot fuerunt recepta nulla facta mentione decremēti, vel augmenti ſecundum valorem extrinſecum; vel tradita eſt in pecunia determinata in certo genere ſine vllo pacto, quod reſtituenda ſit, vel in eodem genere, vel ſecundum eundem, vel diuerſum valorem, ſi contigerit variari.

21 Reſtituēda eſt dos ſecundum ęſtimationem conuentam.

Iuxta primum ſenſum, ſecundū quem tradita fuit determinata pecunia in certo genere cum pacto, vt reſtituatur ſecundum eandem æſtimationem, & valorem tam intrinſecum, quàm extrinſecum eiuſdem de tempore contracti matrimonij, ſeu inſtrumenti dotalis, vtique facienda eſt reſtitutio ſecundum illam æſtimationem conuentam *Campeggius de dote part. 2. q. 89., Coarruuias de nummiſmatibus c. 7. §. vnico n. 5., Antonius Sola in tract. de monetis c. 14., Ioannes Guidius Volateranus in ſuis tract. var. lib. 3. de monetis nu. 7., Ioannes Angelus Boſſius de dot. c. 16. n. 70., & c. 19. n. 72., Bartolus in l. Paulus ad fin. ff. de ſolut., & in l. penult. §. mancipia ff. ſolut. matrimon.* quiquid Campeggius eundem Bartolum in contrarium ſenſum attraxerit. Ratio ex eo deducitur, quia tale pactum omninò ſecundum ſe licitum eſt, nec aliqua ratione aduerſatur naturæ, ſeu ſubſtantiæ contractus, ergo non eſt, cur ſeruari non debeat, & ſuum ſortiri effectum. Antecedens non videtur pati difficultatem, quandòquidem per tale pactum non conſtituitur aliqua inæqualitas inter contrahentes, ſeu paciſcentes, cum etenim pecunia illa æquè ſubeſſe poſſit incremento, vel decremento quoad valorem extrinſecū non incongruum eſt, quod non attento periculo decrementi, nec ſpe incrementi ſtatuatur per contrahentes valor ad rationem eius, quod tunc valet, quandò confertur, cum tunc vterque ſe ſubtrahat a fortunæ alea, vel amittendi, vel acquirendi, ſi vel contigerit valorem acreſcere, vel decreſcere.

Dixi, *ſecundum eandem æſtimationem, & valorem tam intrinſecum, quàm extrinſecum*; nam ſi reſtituat ſecundum ęſtimationem, & valorem extrinſecum dumtaxat, & non ſecundum intrinſecum rei, quatenus reſtituat in eodem genere pecuniæ eam appretiando ſecundum valorem extrinſecum, quem habebat tempore contractus, ſeu inſtrumenti dotalis, ſed tradat in eodem genere pecuniam diminutam ſecundum valorem intrinſecum, quia non ſit eiuſdem, ſed inferioris ligæ, ſeu ponderis, tunc certè non ſatisfacit conuentioni, niſi ſimul ſecundum æſtimationem ſatisfaciat pro diminutione illa valoris intrinſeci iuxtà textum *in c. cum canonicis & c. olim de cenſibus*, & tradunt *Bartolus in d. l. Paulus ff. de ſolut. & in l. cum quid ff. ſi certum petatur, Bartholomæus Socinus conſ. 298., Corneus conſ. 229. lib. 1., Sola in tract. de monetis c. 5. nu. 2.*

22 Non ſufficit, ſi reſtituatur ſecundum eundē valorem extrinſecū.

23 Dos tradita in certo genere pecuniæ cū onere, vt tot reſtituantur, ſufficit, vt reſtituantur tot in eodē genere, quāuis in valore extrinſeco fuerint mutata.

Iuxta ſecundum ſenſum, ſecundum quem pecunia in certo genere tradita eſt cum pacto, vt tot reſtituantur in eodem genere, quot fuerunt recepta nulla facta mentione incrementi, vel decrementi ſecundum valorem extrinſecum, ſi tempore reſtitutionis mutata fuerit quoad valorem extrinſecum pecunia, ſatis eſt, quod reſtituatur ſecundum numerum, quo fuit recepta, nec neceſſe eſt, quod reſtituatur ſecundum valorem, quem tunc

Digitized by Google

tunc habet eadem ſecundum æſtimationem, *Bartolus in d. l. Paulus num. 10. ff. de ſolut., Boerius deciſ. 329. nu. 4. & 9., Petrus Barboſa in l. ſi æſtimatis n. 40. ff ſolut. matrim.* Ratio ex eo deducitur, quia conuentio dotali pecunia in eodem genere reſtituenda ſecundum ſe licita eſt, quia ea, quæ quis dat cum onere reſtitutionis, poteſt iuſtè exigere in ipſa reſtitutione, & ex eo, quod nihil expreſſerit de incremento, vel decremento in valore extrinſeco, præſumitur, quod ſe expoſuerit fortunæ aleæ, adeò vt, ſi creuerit, acquirat incrementũ, ſi decreuerit, ſubiaceat decremento.

Iuxtà tertium ſenſum, ſecundum quem pecunia tradita eſt in certo genere, puta in tot ducatis nullo adiecto pacto, vel in eodem genere, vel ſecundam diuerſum, vel eundem valorem reſtituendi, reſtitutio ſufficienter fit, ſiue fiat in æquiualenti pecunia iuxtà valorem ad tempus traditæ pecuniæ, ſiue in eodem genere pecuniæ traditæ ad valorem, quem habet pro tempore reſtitutionis. Ita ſentire videtur *Bartolus in d. l. Paulus verſ. ſed quæro ff. de ſolut., Bartholomæus Socinus in d. conſ. 298., Abbas in c. quarto ad fin. de iure iur., Ioannes Guidius Volateranus d. lib. 3. de monetis nu. 71.*, & ſic, ſi in conſtitutione dotis dictum fuerit *Trado tibi centum libras v. g. in ducatis aureis in dotem*, tunc ſufficiet, quod, vel reſtituantur tempore reſtitutionis centum libræ, vel ducatos aureos iuxtà æſtimationem, quam tunc habent quandò ſunt reſtituendi. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi debitum dotale conſtitutum eſt in centum libris, & ſolum indicatur, in qua pecunia facta ſit ſolutio illatum librarum centum, nec deductum in pactum, quod reſtitutio fiat potius in vno, quàm in altero genere pecuniæ; vndè bene notat *Ioannes Guidius Volateranus d. lib. 3. de monetis n. 71.*, quod dicere *Soluo, & do in dotem centum libras in ducatis*, idem ſit, ac dicere *do tibi iſtos ducatos inſolutum pro dote, iſtos ducatos pro centum libris.*

24 Quomodò reſtituenda ſit quandò tradita eſt in certo genere ſine pacto.

Maior difficultas eſt, an, ſi dati fuerint mille Phylipi effectiui v. g. in dotem ſine vlla expreſſione valoris eorundem, nec quod debeant reſtitui in caſu diſſolutionis matrimonij, vel reſtitutionis dotis ſecundum valorem, quem tunc habent, vel habebunt, quandò ſunt reſtituendi, oriatur obligatio reſtituendi illos Phylippos effectiuos, ſiue in valore extrinſeco creuerint, ſiue decreuerint; an verò oriatur obligatio reſtituendi ſecundum valorem, quem habebunt pro tempore eiuſdem reſtitutionis, adeò vt, ſi tunc decreuerint, teneatur maritus, vel eius hæredes contribuere ſupra dictos mille Phylippos tot, quot adæquent valorem, quem habebant pro tempore collationis illorum; ſi verò creuerint, poſſint tantum de illis diminuere, quantum reducantur ad valorem, quem habebant tempore collationis. Abſolutè ſentio, ſatis eſſe, ſi reſtituantur ipſi mille Phylippi effectiui quoad numerum, quantùmcunq; eorum valor extrinſecus fuerit mutatus, diminutus, vel auctus, dummodò debitor non fuerit in mora *Bartolus in d. l. Paulus n. 10. ff. de ſolut., Boerius deciſ. 327. nu. 4., Petrus Barboſa in l. ſi æſtimatis n. 40. ff. ſolut. matrim.*, & adhoc poſſunt compelli maritus, vel eius hæredes, vndè, ſi valore creuerint, cenſendi ſunt creuiſſe eidem vxori, ſi decreuerint, eidem decreuiſſe. Rationem ex eo deducerem, quia vxor ius habet, vt ſibi reſtituantur ea, quæ perſoluit in eo genere, in quo perſoluit; cum igitur perſoluerit tot Phylippos nihil exprimens de valore, vel præſenti, vel futuro, ad eoſdem Phylippos ſolummodò repetendos poteſt actionem dirigere, nec poteſt cogere maritum, vel hæredes eius ad maiorem numerum, ſi fuerint in valore diminuti, vt notant *Bartolus in d. l. Paulus ff. de ſolut., Curtius Iunior conſ. 24. n. 6., Socinus conſ. 6. lib. 1.*

Rationes ſuadentes intentum.

25 Quandonam periculum dotis pertineat ad vxorem, & quandò ad maritum.

Aſſertio VI. Si res, ſiue mobiles, ſiue immobiles traditæ fuerint in dotem æſtimatæ æſtimatione non faciente venditionem, periculum, & commodum circa eas eueniens abſque culpa mariti ad vxorem pertinet; vndè maritus non tenetur ad reſtitutionem ſecundum æſtimationem, quam habebant, ſi deteriores factæ fuerint; ſi verò traditæ fuerint æſtimatæ æſtimatione faciente venditionem, tunc periculum, & commodum ipſarum, ſeu circa ipſas obueniens pertinet ad maritũ. Ità quoad primam partẽ *Couarruuias pract. var. q. 28. n. 5. verſ. quarto ſine, Petrus Barboſa in l. æſtimatis nu. 1. & 5. ff. ſolut. matrimon., Rot. Rom. deciſ. 136. & deciſ. 157. part. 2. diuerſ., Ludouicus Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 426. n. 4., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 5. q. 2. n. 8.* Quoad ſecundam *Baldus in l. quoties C. de iur. dot. & in l. plerumque ff. eod. tit., Carpanus ad Statutum Mediol. 455. n. 63. Molina de iuſt. & iure tom. 2. diſp. 426. n. 8., Auguſtinus Barboſa ad d. l. quoties C. de iur. dot., Rot. Rom. deciſ. 257. part. 4. diuerſ. n. 1.*

26 Quomodo præſumendum ſit, quod æſtimatio faciat venditionem, & quandò non.

Pro clariori notitia præſentis aſſertionis aduertendum eſt, quomodo, & quandò præſumendum ſit, quod res æſtimatæ traditæ ſint in dotem æſtimatione faciẽte venditionem, & emptionem, & quomodò, & quandò non efficiant venditionẽ, ſeu faciant, vt pro ipſa non præſumatur. Dicendum eſt igitur primo, quod quãdò res dantur in dotem ſimpliciter æſtimatæ

cum mentione pretij nullo alio expreſsè pacto adiecto, æſtimatio ipſa efficiat emptionem, & venditionem, ſeu faciat præſumere pro eiſdem *Alexander in l. æſtimatis ff. ſolut. matrim., Coaruuias pract. var. c. 28. n. 1., Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 74. num. 3., Franciſcus Molinus de rit. nupt. lib. 3. q. 57., Iacob. Cancer. var. reſol. part. 1. c. 9. num. 122., Camillus Borellus in ſumma deciſ. part. 3. tit. 5. n. 226. & 230., Ludouicus Molina de iuſt. & iur. tract. 2. diſp. 426. n. 55.*, vndè in hac hypotheſi docent prædicti DD., & alij, quod quandò res dotales per vxorẽ marito traduntur æſtimatæ, cum mentione pretij, cenſeatur veluti quedam venditio celebrata inter coniuges, cum vxor videatur res æſtimatas vendere marito, & ipſe tanquam emptor ſe obligare ad ſolutionem earundem ſecundum illam æſtimationem poſt ſolutionem matrimonij, vel ad tempus reſtitutionis de dote faciendæ; ſicque duplicem quodamodò contractum in illa traditione dotis æſtimatæ cum mentione pretij contingunt; alterum, quo vxor res illas æſtimatas vendat marito, & ab illo recipiat illud pretium; alterum, quo pretium illud, quod fingitur recepiſſe, veluti breui manu cenſeatur transferre titulo dotis in maritum, qui per conſequens intelligatur obligatus ad illud reſtituendum ad tempus diſſolutionis matrimonij. Hæc colligo *ex d. l. quoties C. de iur. dot. & l. plerumque ff. eod. tit. de iur. dot. & l. ex commmione C. de pactis*, & ratio ex eo deducitur, quia vbi fit mentio pretij in dubio emptio reſultat *l. fin. & ibi Gloſa C. de præd. decur.*, & pretiũ videtur eſſe cauſa finalis emptionis, & venditionis, quæ ſine pretio non conſiſtit *§. pretium Inſtit. de empt. & vendit.* Ex quibus ex aduerſo poteris deducere, quod, ſi nulla facta ſit mentio pretij determinati, nec quantitatis certæ, æſtimatio non efficiat venditionẽ *Coaruuias pract. var. c. 28. n. 7. in princip., Petrus Barboſa in d. l. æſtimatis ff. ſolut. matrimon. n. 1., Mantica de tacit. & ambig. lib. 12. tit. 28. nu. 22., Franciſcus Molinus de rit. nupt. lib. 3. q. 57. n. 10., Fontanella de pact. nupt. clauſ. 5. gloſ. 8. part. 13. n. 6. & n. 52. & ſeqq.* Hoc autem contingeret, quandò in inſtrumento dotali dicerentur tradi res dotales æſtimatæ non declarato valore earundem rerum, vel quandò traditæ ſunt res dotales, prout fuerint æſtimatæ ſine nominatione perſonæ, à qua ſunt æſtimandæ cum onere mariti ad eaſdem reſtituendas ſecundum illam æſtimationem, quandò perſona æſtimatoris non eſt nominata, prout notant *Mantica de tacit., & ambig. conuent. lib. 12. tit. 28. n. 9., Surdus deciſ. 114. n. 25., & teſtatur ita fuiſſe decisum in Senat. Mantuano*, & in hoc currit argumentum à contrario ſenſu, quia ſcilicet, quandò non fit mentio pretij, non cenſetur emptio, & venditio.

Ratio, cur præſumatur pro venditione.

27 Si tradita ſit cũ expreſſione pretij æſtimandi à perſona ad hoc electa cenſetur vendita.

Dicendum ſecundo, quod quandò res dotales traditæ ſunt marito non cum expreſſione pretij tunc æſtimati, ſed cum expreſſione pretij, quod æſtimabitur à perſona ad hoc electa ex communi conſenſu partium, cenſeantur traditæ marito cum titulo transferente in ipſum dominium, & faciente venditionem *Coaruuias pract. var. c. 28. nu. 1. verſ. primo, Mantica de tacit., & ambig. conuent. lib. 12. tit. 28. n. 10., Petrus Barboſa in d. l. ſi æſtimatis n. 1. ff. ſolut. matrim., Stephanus Gratianus diſcep. for. tom. 2. c. 254. n. 56.*, Ratio deducitur *ex §. præterea Inſtit. de empt. & vendit., & l. fin. C. de contrah. empt.*, vbi dicitur conſiſtere emptionem, & venditionem rei, vbi pretium per vtramque partem remiſſum fuerit in arbitrium tertij. Quid verò ſit arbitrandum, ſi arbitratores pretium de illa re non decreuerint, ſeu non potuerint decernere; tunc fauore dotis cenſendum eſt ad alios arbitratores recurrendum, & illorum arbitrio quoad æſtimationem ſtandum, & quandò hi non decreuerint, erit locus arbitrio boni viri, vel intelligetur pretium taxatum ab ipſa lege, prout notat *Menochius de præſumpt. præſumpt. 74. n. 5.*

28 Etiam ſi expreſſio pretij ſit deterior valore dotis.

Quod, ſi ſupponamus æſtimationem rerum dotalium factam quidem eſſe, & cum expreſſione pretij, ſed longè minoris, ac res ipſæ dotales valeant, tunc aliqui arbitrantur, non cenſeri per illam traditionem cum illa æſtimatione, & mentione pretij factam venditionem marito, prout inter cæteros docent *Iaſon in l. ex conuentione C. de pactis, Iacobus Cancerius var. part. 1. c. 9. n. 222., & alij* per textum *in l. quoties verb. & iure æſtimata C. de iure dot.* maximè ſi appretiatio facta fuerit cum læſione vltra dimidium, prout ſpecialitèr notant *Coaruuias pract. var. c. 28. num. 9., Menochius de præſumpt. præſumpt. 74. n. 23.* Nihilominus arbitrandum eſt, intelligi illam traditionem cum æſtimatione efficiente venditionem. Conſentiunt *Mantica de tacit. & ambig. conuent. lib. 12. tit. 28. n. 24., Petrus Barboſa in d. l. ſi æſtimatis n. 21. ff. ſolut. matrimon., Ludouicus Molina d. diſp. 426. num. 12., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 5. q. 2. nu. 24.* Ratio ex eo deducitur, quia emptiones, & venditiones ex genere ſuo non irritantur ob læſionem contingentem in pretio, ſed tantùm datur actio ad complementum cognita læſione, & etiam quandò læſio eſt vltrà dimidium non intelligitur ipſo iure irrita venditio, ſed ad ſummum datur actio ad reciſionem

per

Digitized by Google

per textum *in l. 2. C. de reſcind. vendit.*, & fortè melius ad complementum, ſeu reintegrationem ad iuſtum pretium. Sed, an quandò læſio contingit in æſtimatione circà pretium, ſed non vltrà dimidium, ſed intrà, ſuccurratur vxori, & æſtimatio reducenda ſit ad iuſtum pretium; Sunt, qui negant eidem in data hypotheſi ſuccurrendum, quia regulare eſt in omnibus emptionibus, & venditionibus, quod ſolummodò ſuccurratur interueniente læſione vltrà dimidium iuxtà diſpoſitionem textus *in l. 2. C. de reſcind. venditione*. Nihilominus tutius ſentiendum eſt, aliter rem ſe habere in translatione rerum dotalium in maritum, & hoc ob ſpecialem fauorem dotis, nam quoad hanc ſuccurritur vxori etiam in læſione intrà dimidium *Cuiaccius lib. 17. obſeruat. c. 1.*, *Afflictus deciſ. 120. nu. 3.*, *Petrus Barboſa in d. l. æſtimatis nu. 22. & 24. ff. ſolut. matrimon.*, *Auguſtinus Barboſa collect. ad l. ſi circumſcripta ff. ſolut. matrimon.* hocque clarè indicant textus *in l. iure ſuccurſum in fin. & l. ſi res § 1. ff. de iur. dotium, & in l. ſi circumſcripta ff. ſolut. matrim.*, & iure quidem congruo inducta eſt hæc exceptio à communi regula emptionum, & venditionum quoad res dotales traditas marito cum æſtimatione, quia in rebus dotalibus bonum, & æquum præcipuè obſeruatur *l. eas ff. de cap. diminut.*, quinimmò non ſolum ſuccurritur vxori per reintegrationem iuſti pretij, quandò eſt læſa in æſtimatione rerum dotalium, ſi ſit maior, ſed etiam, ſi ſit minor, ipſi ſuccurritur per reſtitutionem in integrum, prout latè docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 8. à n. 187.*

Succurritur per reſtitutionē in integrum.

Duo dubia excitata.

Circa ea, quæ dicta ſunt de traditione dotis æſtimatæ æſtimatione faciente venditionem duo occurrunt dubia; quorum primum eſt, an, ſi talis æſtimatio facta fuerit ex interuallo poſt traditum fundum dotalem, adhuc intelligatur inducere venditionem; ſecundum, an, ſi fundus dotalis traditus fuerit marito æſtimatus cum mentione pretij, ſed maritus ſit inops, nec in bonis habeat illius valorem adhuc intelligatur inducta venditio, & in ipſum maritum translatum dominium fundi dotalis.

29 **Si æſtimatio facta fuerit ex interuallo ſine alia expreſſione non facit venditionem.**

In ordine ad primum abſolutè aſſerendum exiſtimo, non intelligi inductam venditionem, niſi expreſsè actum fuerit in illa æſtimatione ex interuallo *Iaſon in l. ex conuentione ff. ſolut. matrimon.*, *Maſcardus de probat. concl. 620. n. 3.*, *Ioſeph Ludouicus deciſ. Peruſina 89. num. 4.*, *Stephanus Gratianus tom. 1. diſcept. for. c. 38. num. 31.* Ratio eſt, quia non eſt præſumendum, quod vxor per illam æſtimationem factam ex interuallo voluerit inducere nouationem, & recedere à priori contractu, cum nouatio non præſumatur, niſi exprimatur per textum *in l. fin. C. de nouat.*, præſumitur igitur facta ſolummodò illa æſtimatio ex interuallo ad effectum, vt poſſent poſteà innoteſcere meliorationes, & deteriorationes, ſi quæ poſtea contigerunt, vt docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 16. n. 18. in fine.*

In ordine ad ſecundum etiam abſolutè ſentiendum eſt, non obſtante paupertate, & inopia mariti cenſendam eſſe illam æſtimationem cum mentione pretij inducere tacitam venditionem *Coaruuias pract. var. c. 28. n. 8.*, *Menoch. de præſumpt. præſumpt. 74. n. 22.*, *Carpanus ad Stat. Mediol. 455. nu. 59.* Ratio ex eo deducitur, quia paupertas, & inopia mariti pro tempore contracti matrimonij, & dationis illius dotis æſtimatæ cum mentione pretij non poteſt officere contractui implicito tacitæ illius venditionis, cum pro tempore reſtitutionis dotis poſſit fieri ditior, vel conſeruando res dotales pro illo tempore illas diſtrahere, & pretium inde receptum vxori reſtituere. Sed quid erit, ſi pro tempore reſtitutionis maritus, vel ipſius hæres non ſit ſoluendo? tunc inquiram quid erit, ſi tempore conſtitutionis dotis erat diues, & pro tempore reſtitutionis conſtitutus ſit pauper, & non ſoluendo? Dicendum eſt igitur, nec quidem incongruè, quod, ſicuti dos ipſa habet priuilegium hypothecæ in omnibus bonis mariti, & prælationem quoad alios omnes creditores chirographarios, & etiam tacitè hypothecarios, ità dos illa æſtimata cum mentione pretij habeat, ſeu quodammodo ex diſpoſitione iuris conſtituat hypothecam generalem in omnibus bonis mariti, adeòque etiam in illis bonis æſtimatis, quæ fuerunt tradita eidem marito, & facta eiuſdem titulo illius tacitæ venditionis, adeòque, quod titulo talis hypothecæ poſſit res illas à cuiuſcunque manibus vendicare per textum *in l. in rebus C. de iure dot.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in hypotheſi paupertatis, & inopiæ mariti pro tempore conſtitutionis illius dotis æſtimatæ cum mentione pretij non poſſit intelligi ficta illa traditio pretij facta per eundem maritum, & translatio in ipſum breui manu facta per vxorem, de qua ſupra locuti fuimus, adeòque non poſſit ſubſiſtere illa venditio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in ea fictione præcisè non conſiſtit venditionis natura, quandòquidem de iſtius ratione non eſt, quod fiat ſolutio incontinenti, ſed quod fieri debeat, quamuis regularitèr pretiū incontinenti ſoluatur;

30 **Non obſtare paupertate mariti præſumitur pro venditione.**

Rationes ſuadentes intentum.

Digitized by Google

Non eſt neceſſe, quod fiat ſolutio in contineti. vndè iuxta hanc regulam conſuetam iura illam ſolutionem confingunt; cæterum cum etiam poſſit ſtare conuentio emptionis, & venditionis expectato pretio ad tempus conuentum, & determinatum, non video, cur remota etiam illa fictione non poſſit ſtare illa tacita conuentio, ſeu venditio. His ſic pro notitia ſuppoſitis

Probatur iam aſſertio quoad primam partem, quia quandò æſtimatio illa propriè non inducit venditionem dominium rei traditæ in dotem ſpectat ad vxorem, ſiquidem hoc regulare eſt in contractu dotali attenta præcisè natura dotis, quod dominium pertineat ad vxorem ipſam, vſusfructus verò, & adminiſtratio ad maritum in ordine ad ſuſtinenda onera matrimonij, ſed etiam regulare eſt, vt periculum, & commodum rei cedat Domino rei per textum *in l. plerumque ff. de iure dot.*, & alijs concordantibus iuribus, ergo &c. **Periculū pertinet ad dominum.**

Probatur quoad ſecundam partem, quia in caſu tacitæ illius venditionis dominium rei dotalis tranſijt in maritum, ergo ad ipſum pertinet periculum, & commodum eiuſdem rei, ſiquidem ad eum pertinent pericula, & commoda rei, ad quem pertinet dominium rei, quod potiſſimum verum eſt ex eo, quod ex quo illæ res datæ ſint in dotem æſtimatæ non remanent ampliùs dotales, niſi quodamodò in ſubſidium, ſed tunc dos in pecunia, ſeu in illarum rerum pretio conſiſtit *Baldus in d. l. quoties C. de iur. dot.*, *Menochius de præſumpt. præſumpt. 74. n. 4.*, *& alij communitèr.*

Hic plura alia remanerent examinanda circa bona dotalia, & paraphernalia vxoris, ſed quia latior occurret ſermo in diſceptationibus de dote, ideo ea illuc remiſſimus, & interim ad alia properamus.

PRÆNOTIO X.

De Actionibus, in quibus conſurgere poteſt iniqua acceptio in bonis fortunæ inter Religioſum, & Monaſterium.

SVMMARIVM.

Attenta præcisè natura ſtatus Religioſi non eſt illicitum Religioſo habere redditus vitalitios à parentibus, vel conſanguineis pro ſuarum neceſſitatum ratione, dummodò paratum habeat animum illos dimittendi ad nutum Superioris. 1.

Profeſſi, qui vouerunt paupertatem ſecundum obſeruantiam conſtitutionum tunc vigentium in viridi obſeruantia, ſi poſtea obſeruantia declinet per conſuetudinem non eximuntur à graui noxa, ſi declinent à prima obſeruantia, nec conſuetudo illos excuſat. 2.

Si verò vouerint poſt inductam conſuetudinem ad normam conſuetudinis non peccant. 3.

Stante diſpoſitione Concilij Tridentini non eſt licitum Religioſis reditus vitalitios habere. 4.

Non obſtante tali diſpoſitione Concilij aliqua mobilia poſſũt Prælati cõcedere ſuis ſubditis ad vſus neceſſaria, vel etiã ad pia opera. 5.

Non poſſunt licitè Religioſi in reſignatione propriorum bonorum conuenire cum parentibus reſignatarijs de certa quantitate tribuenda quot annis, ſi petierint, vel non contribuenda, ſi non petierint. 6.

Poſſunt tamen conuenire conſentiente Superiore, ità tamen, vt ius illud pertineat ad Monaſterium, & reſideat penes officialem. 7.

Secus non poſſunt ſic conuenire. 8.

Ex ſuppoſitione, quod ſic conuenerit conſentiente Superiore cum illa conditione tenetur ſingulis annis illam quantitatem exigere. 9.

Si Religioſus non conuenerit, quod dominium remaneat penes parentes, ſed tantum, vt ſingulis annis tribuant tot, ſi petierit peccat exigendo, & conſumendo in proprios vſus. 10.

Reſeruato dominio penes parentes non obſtante diſpoſitione Concilij Tridentini non peccat Religioſus ſi de facultate Superioris illos quandoque exigat, & expendat in vſus ſibi conceſſos. 11.

Extante conſuetudine non abolita, quod Monaci, vel Moniales tranſmittant ſua cubicula cum ſupellectili in ſuos alumnos, vel allumnas non peccant ſic transferendo. 12.

Religioſi expendentes in ludis alijſque vſibus profanis conceſſa ad proprios vſus peccant. 13.

Limita in caſu, quo quid modicum, & moderatum expenderetur in ludis conſueta, & Religioſa recreationis. 14.

Inſumere vltrà quatuor Paolos ex bonis Monaſterij, vel bonis ſibi relictis in vſus profanos, & à Superiore ſibi non permiſſos eſt peccatum lethale contra paupertatem. 15.

Legatum relictum Religioſo ea conditione, vt nihil vſus pertineat ad Monaſterium, ſed plenè ad Religioſum cum facultate tamen reuocabili tenet. 16.

Legatum relictum ſub conditione, vt abſolutè Religioſus legatarius independente à voluntate Superioris illud pleno iure acquirat non ſubſiſtit. 17.

Grauitèr peccat Superior negando Religioſo ea, quæ neceſſaria sunt ad victum, & veſtitum iuxta ſtatum ordinis. 18.

Caſus

Digitized by Google

Caſus, in quibus licet expendere ſine expreſſa Superioris facultate. 19.

Caſus, in quibus dubium eſt, an Religioſus poſſit expendere ſine expreſſa Superioris facultate. 20.

Religioſus profeſſus non eſt capax dominij.

CErtum eſt quemlibet Religioſum legitimè profeſſum non eſſe capacem dominij, & hoc ratione voti ſolemnis paupertatis, vndè vulgatum illud emanauit adagium, quod *quidquid acquirit Monachus, acquirat Monaſterio*, quod intelligendum eſt, ſi Monaſterium ſit capax dominij, ſeu proprietatis, ſin minùs Monaſterium ſit capax quoad dominiū, & proprietatem acquiſitum per Monachum pertinet ad Romanum Pontificē, ſeu Sedem Apoſtolicam; nec refert, quod dicatur *Ioannem XXII. in extrauag.*, quæ incipit *Ad conditorem*, à ſe abdicaſſe, & à Sede Apoſtolica omne dominium harum rerum, ne fratres minores præſumant illud eſſe apud Sedem Apoſtolicam; Non, inquam, refert, nam quando fideles diſponunt ad fauorem huiuſmodi Religioſorum de bonis ſuis, ſi non intendunt dominium illorum apud ſe conſeruare donec conſumantur immediatè transferunt ad Sedem Apoſtolicam, & licet præfatus Pontifex à ſe abdicauerit illarū rerum dominium, & à Sede Apoſtolica; Pontifices tamen ſucceſſores illud iterum aſſumpſerunt, vt habetur *in priuilegijs minorum verbo Paupertas*.

Et etiam nonnulla Monaſteria.

Suppoſita igitur hac incapacitate dominij in particularibus ſingulis Religioſis, quantumuis Monaſterium, ſit capax, vel etiam incapacitate Monaſterij ex ſpeciali diſpoſitione reſpectu eiuſdem remanet ad ſummum, quod poſſint gaudere vſu earundem rerum, qui vſus poteſt eſſe reuocabilis ad nutum Superioris, in ordine ad quem vſum multæ poſſunt oriri rationes dubitandi ſub præſenti titulo, & primò, an cum tali vſu poſſit compati detentio redituum vitalitiorum, quos Religioſis aſſignant parentes, vel conſanguinei pro eorundem neceſſitatum ratione. Secundò, an cum ſolo vſu ſubſiſtere poſſit illa conſuetudo ſecundum quam Religioſi aliqui, & regularitèr Moniales detinent cubicula quæddam cum ſua ſuppellectili in ſuis Monaſterijs eo iure, vt ipſis decedentibus tranſeant in ſuas alumnas, vel conſanguineas. Tertiò, an ſi vſum habentes rerum, ſeu pecuniarum illas expendant in ludos, vel fortè etiam vſus turpes intelliguntur iniuſtè impendere, & peccare peccato iniuſtitiæ. Quartò, in quanam quantitate committatur peccatum graue iniuſtitiæ per Religioſum, ſi propria auctoritate inſumat res, vel pertinentes ad Monaſterium, vel ab alio ipſi relictas. Quintò, an peccet Monaſteriū, ſeu Superior denegans, ſeu non permittens ea, quæ neceſſaria ſunt ad victum, ſeu veſtitum, aliaque Religioſo. Sextò, an ex aliquibus cauſis excuſetur à graui culpa Religioſus, ſi inſumat ea, quæ ſunt Monaſterij, vel alio titulo eidem relicta inſcijs, & inconſultis Superioribus.

Rationes dubitandi circa præſentem titulum.

Aſſertio I. Attenta præciſè natura paupertatis, ſeu ſtatus Religionis non eſſet illicitum habere particularem Religioſum redditus vitalitios à parentibus, vel conſanguineis pro ſuarum neceſſitatū ratione, dummodò paratum animum habeat illos, ſeù ius ad illos dimittendi ad nutum ſuperioris, *Sanchez in ſumma tom. 2. lib. 7. c. 22. num. 11.*, qui etiam latiùs videtur procedere hoc eſt non ſolum conſiderata natura, & ſtatu Religioſo, ſed etiam attenta diſpoſitione *Concil. Trident.*, dum aſſerit Concilium tantum declarare ius antiquum, per quod id prohibetur Religioſis in ordine tantum ad vſus ſuperfluos, & profanos, non verò nouum ius condere; atq; ita etiam ſentire videntur *Bannes 2. 2. q. 62. art. 5.*, *Petrus de Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. nu. 175.*, qui tamen arbitratur non licitum eſſe, attenta moderna diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 2. de Reg.*, *Nauarrus comment. 2. de Reg. n. 15., & 18.*, idem ſentire videtur *Diana p. 3. tract. 2. reſol. 65., & reſol. 98., & p. 7. tract. 9. reſol. 15.*

1 Poteſt particularis Religioſus habere ānuos redditus ad nutum Superioris ammouibiles.

Ratio ex eo deducitur, quia votum paupertatis ex genere ſuo excludit dumtaxat dominium, & proprietatem, non autem vſum ad nutum Superioris reuocabilem, vt eſt communis DD. conſenſus, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, Religioſus quoad redditus illos vitalitios ſibi a parentibus, & conſanguineis relictos pro ſuarum neceſſitatum ratione propriè non gauderet dominio, ſed tantū vſu ad nutum Superioris amouibili; quandoquidem tunc dominium illud redditū vitalitiorum, vel remanet penes parentes, & conſanguineos, vel intelligitur tranſlatum in Monaſterium, & ſi Superior ius ad illos recipiendos reuocaret nullum penitùs ius haberet idem Religioſus, ergo &c. Confirmatur, quia nō eſt repugnans ſtatui Religionis, quod Religioſus de ſuorum Superiorum licentia recipiat a parentibus, vel ſpontè offerentibus, vel ad inſtantiam bona aliqua, eaque expendat in proprios vſus rationabiles, & licitos, ergo neq; eidem erit repugnans, quod redditus vitalitios per eoſdem parentes diſpoſitos, & deſignatos in ordine ad ſuos vſus licitè recipiat, dummodo paratus ſit deponere ad nutum Superioris.

Votū paupertatis nō excludit vſum ad nutum ſuperioris reuocabilem.

Dixi

Digitized by Google

Dixi *attenta præciſè natura paupertatis, ſeu ſtatus Religioſi*; non etenim negauerim primò, quod attenta diſpoſitione iurium municipalium in aliquibus Religionibus, ſeu ordinibus approbatis non ſit licitum habere, ſeu retinere ius ad illos redditus vitalitios, quod contingeret, ſi conſtitutiones illius ordinis præciperent, ne quis poſſit habere huiuſmodi redditus vitalitios, nec de facultate ſuorum Superiorũ, prout expreſsè ſentire videtur in his terminis *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 186.* Ratio autem ex eo deducitur, quia votum Religioſorum ſumitur iuxta Religionis conſuetudinem, in qua profitentur, & vouent; non enim votum paupertatis ex genere ſuo in omnibus conſiſtit in indiuiſibili, ſed in aliquibus ordinibus latiùs eſt, in alijs ſtrictiùs, in aliquibus cum omnimoda abdicatione dominij, & vſus, niſi in certis rebus neceſſarijs; in alijs cum abdicatione dominij, non autẽ vſus dependentis etiam quoad aliqua, quæ non ita ſunt neceſſaria, ergo in ordinibus, in quibus extat, & viget conſtitutio, per quam vetatur huiuſmodi redditum vitalitiorum detentio, non erit licitum eos, ſeu ius ad illos detinere, quinimò peccaminoſum contra votum paupertatis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod conſtitutiones Religionum regularitèr non obligent ad peccatum læthale, quinimmò, nec veniale, adeoq; in eiſdem Religionibus, in quibus vigent huiuſmodi conſtitutionibus non committi peccatum læthale per detentionem huiuſmodi redditum vitalitiorum, & conuerſionem eorundem in proprios vſus licitos, & honeſtos, cum natura paupertatis ſecundum ſe poſſit compati cum illo vſu dependenti à nutu Superioris, vt in aſſertione probauimus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia conſtitutiones Religioſorum ordinum duplicitèr poſſunt concipi; primò, quatenus præciſè ſunt præceptiuæ, & pertinentes ad obedientiam. Secundò, quatenus ſtatuunt modum, & formam, ſecundũ quam debeat elici votum; primo modo non obligant ſub peccato læthali, niſi quatenus interueniat præceptum in virtute Sanctæ Obedientiæ, vel niſi quatenus tranſgreſſio eſſet in ſpretum, vel contemptum, quia conſtitutiones ipſæ non obligant ad tale peccatum, niſi ſub tali forma; Secundo modo obligant ſub læthali, quia propriè conſtituuntur materia voti, quod tranſgredi ex genere ſuo peccaminoſum læthalitèr eſt. In præſenti autem hypotheſi conſtitutiones ſtatuunt materiam ſecundum particularem modum, circà quam verſari debeat votum in talibus ordinibus, adeò vt vouens debeat ſe ad illam obligare; vndè, ſi tranſgrediatur, dicitur peccare contrà votũ, adeòque læthalitèr. Hoc ſpecialitèr conſideratur in conſtitutionibus circà materiam paupertatis, nam circà materiam obedientiæ ſub tali onere non obligant, niſi exprimatur, vel niſi intercedat præceptum, vt ſuprà, vel niſi tranſgreſſio ſit in ſpretum, & contemptum; in materia verò caſtitatis, cum hæc ex genere ſuo obliget ad abſtinentiam à quibuſcunque venereis, ſiue in coniugio, ſiue extrà coniugium, videtur conſiſtere in indiuiſibili, nec pati latitudinem inter magis, & minus; materia verò paupertatis patitur magis, & minus; adeòque in ſingulis ordinibus per ſpeciales conſtitutiones poteſt limitari talis materia ad normam earundem conſtitutionum.

Votũ Religioſorũ ſumitur ſecundum normã regulæ, & conſuetudinis.

Materia paupertatis patitur magis, & minus.

Hic ſolum oritur difficultas, an extante in aliquo ordine Regulari conſtitutione limitante materiam paupertatis ad certum quendam vſum, & non vlterius, ſi ex contraria conſuetudine illa limitatio non ſeruetur peccent Religioſi tranſgredientes illam conſtitutionem, & Superiores permittentes tranſgreſſionem, & an poſſint ſub læthali cogi ad obſeruantiam. Videtur, quod contrà vota non detur præſumptio, adeòque, quod ſemper obligent ſecundum modum, & formam, ſecundum quam in conſtitutionibus ſunt præſcripta, quandòquidem aduerſus Deum, cui cedit obligatio in voto, non præſcribitur. Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim loquimur reſpectu illorum, qui vouerunt ſecundum conſtitutionem in ſuo robore vigentem, quæ deindè è vigore ob temporum peruerſitatem, ne aliud dicam, quoad obſeruantiam declinauit; & tunc arbitror abſolutè illos ſic tranſgredientes non eximi à graui culpa, & quoad hoc currit ratio ſuperius adducta, quod contrà vota non detur præſcriptio, cum ipſi ſe obligauerint per votum ad paupertatem ſecundum formam præſcriptam per talem conſtitutionem, à qua obligatione declinare peccaminoſum eſt, nec conſuetudo ob prauitatem temporum introducta ipſum excuſat, quandòquidem eſt in mala fide, & quoad promiſſa non poteſt præſcribere aduerſus Deum; vel loquimur reſpectu illorum, qui ſucceſſerunt ad illam conſuetudinem ſic inductam, & vouerunt, ſeu profeſſi ſunt poſt illam, & ſic non damnarem eos grauis culpæ, ſi ad normam conſuetudinis, non conſtitutionis paupertatem in tali Religione ſeruarent, & ſic, ſi ex conſuetudine Religio-

2 Qui vouent ſecũdum conſtitutiones in viridi obſeruãtia exiſtentes nõ excuſãtur à peccato, ſi declinent ab obſeruantia ratione cõſuetudinis poſteà inductæ.

Digitized by Google

ligioſi retinent redditus vitalitios ad nutum tamen Superioris reuocabiles, non iniuſtè retinent, nec grauitèr peccant. Ita in ſimilibus ſuſtinent *Diana part. 1. tract. 6. reſol. 32. §, ex his. & alij*. Ratio ea eſt, quia iſti vouerant paupertatem

3 iuxtà conſuetudinem Religionis, in qua

Si vouerunt iuxta ſtam conſuetudine ad normam conſuetudinis non peccant.

profeſſi ſunt, nec alitèr poſſunt adſtringi, cum fortè alitèr non profeſſi fuiſſent, nec votum obligat vltrà intentionem vouentis; quod ſi dicatur intentionem vouentis in Religione approbata debere eſſe ad normam eorum, quæ in Religione præſcribuntur; tunc dicam hoc verum eſſe, ſi ea in Religione illa ſint in vſu, & in viridi obſeruantia, ſecus, ſi contraria conſuetudine ſint quodamodò abolita, quia tunc intentio non refertur ad inſtituta abſolutè accepta, ſed ad eadem, vt moderata per conſuetudinem. Hac ratione docet *Diana loco quo ſupra*, non eſſe damnandam illorum ordinum conſuetudinem, qui certos redditus annuatim pro victu, & veſtitu Religioſis aſſignant, vt ſi quid deſit, ipſi ſibi procurent, ſi quid ſuperſit de Superiorum licentia honeſtis vſibus applicent, & excuſandos eſſe etiam aliquot Religioſos, ſi eo, quia ſunt Magiſtri ordinis, & regula relaxata eſt, & à veteri conſuetudine ſic interpretata amplos redditus teneant propria induſtria, & laboribus comparatos in proprios vſus inſumendos; Vndè ex hoc merito docent nonnulli, quod, ſi in reformatione ordinis exiſtẽtes, & iam profeſſi renuant eidem reformationi quoad hanc conſtitutionem non ſint compellendi, licet poſſint alij profeſſuri compelli; vel non admitti ad profeſſionem, niſi voueant ad normam conſtitutionis.

Dixi vlterius, *attenta præcisè natura paupertatis, & ſtatus Religioſi*; nam ſtante moderna diſpoſitione *Concil. Tridentini ſeſſ. 25. c. 2.*, vbi ſic legitur *Nemini igitur Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat*

4 *bona mobilia, vel immobilia, cuiuſcumque*

Stante diſpoſitione Concilij Tridentini non eſt licitũ Religioſis redditus vitalitios habere.

qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere, vel retinere, ſed ſtatim Superiori tradantur, conuentuique incorporantur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, aut Conuentuum ad ſolos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat, apertè colligo non amplius licitum eſſe particulari Religioſo huiuſmodi vitalitios reditus retinere, & adminiſtrare, nec etiam Superioribus permittentibus *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 175.*, *Corduba in ſumma q. 54. fol. 147.*, *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 4. dub. 5. n. 31.*

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod ſicuti officialis, apud quem ex diſpoſitione Concilij debet eſſe depoſitio, & adminiſtratio huiuſmodi redditunm vitalitionem eſt elegibilis, & amouibilis ad nutum Superioris, vt præfertur in dicta Concilij diſpoſitione. Ibi *Ad ſolos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles*, ità ipſi, cui traduntur hi reditus vitalitij poſſit ſpeciatim in ordine ad horum adminiſtrationem eligi ab eodem Superiore, qui per conſequens citrà aduerſitatem ad idem Concilium poſſit detinere, & adminiſtrare; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in electione talis perſonæ, cuius in vſum ſunt aſſignati illi redditus vitalitij non ſaluatur cauſa finalis, quam intendit Concilium Tridentinum, quæ cauſa finalis fuit, ne de facili prodigerentur in vſus profanos, & ne animus Religioſorum diſtraheretur ad curas ſæculares, quod certè facilè eueniret, ſi huiuſmodi redditus eſſent ſub poteſtate, & dominio illius, in cuius fauorem ſunt aſſignati, & non ità facilè, ſi apud publicum Officialem detentio, & adminiſtratio reſideat, prout rectè adnotauit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. nũ. 177.*, & concilium potuit non ſolum velle auferre conceſſionem illorum redditiuum in vſus profanos, ſed etiam quãcunque ſuſpicionem de illa.

Cauſa finalis talis diſpoſitionis Concilij.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi aſſeratur *Concilium Trident. loc. cit.*, non inducere nouum ius, ſed tantum declarare antiquum *in c. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach.*, prout notat *Nauarrus comment. 2. de regul.*; ius autem antiquum aliud non interdicebat, quam proprietatem, & cõceſſionem ſuperfluam, aut ad quoſuis vſus etiam profanos; ex quo ſequitur, quod, ſi huiuſmodi redditus detineat, & adminiſtrat ad vſus licitos, & rationabiles non cadat ſub diſpoſitione eiuſdem Concilij, prout non cadit ſub diſpoſitione illius canonis *in c. cum ad Monaſterium*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt bene notant *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 4. dubit. 5. n. 30.*, *Petrus à Nauarra d. lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 175.* Concilium non ſolum declarat, ſed etiam diſponit, ſupra quod diſponit ius commune antiquum, quod non vetabat huiuſmodi conceſſiones, niſi quatenus eſſet ad vſus ſuperfluos, & profanos; cum autem Concilium aduerterit in huiuſmodi conceſſionibus ex temporum prauis conditionibus abuſus plurimos irrepere, hinc ſpecialitèr prohibuit huiuſmodi cõceſſiones, tum ad huiuſmodi abuſus extirpandos, tum ob ſpeciem

Concilium Trident. aliquod diſponit, de quo nõ diſponebat ius antiquum.

pro-

proprietatis, cum regulares huiuſmodi bona adminiſtrantes videantur de illis, tanquam de ſuis diſponere, & in quoſuis vſus exponere. Hoc igitur ſingulariter diſponit Concilium Tridentinum, quod non diſponebat ius antiquum, quod ſcilicet inpoſterum adminiſtratio huiuſmodi bonorum non permittatur ſingulis, & particularibus Religionis, ſed ad ſolos Officiales pertineat; atque ſic declaraſſe Sacram Cardinalium Concilij Tridentini interpretum Congregationem teſtatur *Leſſius loc. quo ſupra*, qui etiam addit eandẽ Sacram Congregationem ne nobiliſſimis quidem perſonis hanc adminiſtrationem voluiſſe permittere ob tale Concilij Tridentini decretum.

Circa hanc Concilij Tridentini diſpoſitionem oritur modo ratio dubitandi, an ſub eadem cadant etiam bona mobilia, adeò vt, nec Superiores eadem poſſint concedere ſuis ſubditis ad vſus neceſſarios, & etiam ad opera pia? Videtur abſolutè affirmandum eſſe, etiam bona mobilia cadere ſub illa diſpoſitione Tridentini, quandoquidem in illa de ijs manifeſta ſit mentio — Ibi — *Nemini igitur liceat bona mobilia, vel immobilia cuiuſcunque qualitatis fuerint etiam quouis modo tanquam propria &c.* Nec valet dici cum *Petro à Nauarra d. l. 3. de reſtitut. c. 1. nu. 179.*, quod quoad hæc mobilia per Tridentinum interdicatur ſolummodò proprietas, nihilque per ipſum Tridentinum innouatum ſit ad ius antiquum, & naturale; non, inquam, valet dici; quia Concilium non ſolum prohibet mobilia detineri tamquã propria, ſed etiam nomine conuentus poſſideri — Ibi — *Tanquam propria, aut nomine conuentus poſſideri, vel retinere*, quod quid aliud importat à proprietate; quod enim nomine alterius poſſidetur, non poſſidetur tamquam proprium. Nihilominus reſpondet poſſe Superiores concedere aliqua mobilia ſuis ſubditis ad

5 *Poſſunt Superiores concedere ſuis ſubditis mobilia neceſſaria ad vſus, & ad pia opera.*

vſus neceſſaria, vel etiam ad pia opera non obſtante tali Concilij diſpoſitione *Leſſius de iuſt., & iure lib. 2. c. 4. dub. 5., Petrus à Nauarra loc. cit. n. 179.*, & in fortioribus terminis *Sanchez in ſumma tom. 2. lib. 7., c. 22. n. 11.*, dum aſſerit poſſe concedere etiam annuos redditus in vſus licitos reuocabiliter tamen ad nutum ipſorum, quod tamen à nobis negatur. Ratio ex eo deducitur, quia hoc exigit neceſſitas, quoad veſtes, libros, & ſimilem ſupellectilem accommodam tamen ſtatui Religioſo, & non ſuperfluam, & hoc euincit communis praxis; ſolum difficultas eſt, an etiam aliquam pecuniam poſſint concedere non ſolum ad certos vſus, & determinatos, ſed etiam ad incertos; & quidem in ordine ad certos, & determinatos, ſi tamen honeſti ſint, & vtiles, non eſt dubium; ſicuti enim poſſunt libros, aliaque concedere, ita poſſunt concedere pecuniam ad illos acquirendos, nec hoc diſcordat à diſpoſitione Concilij, quandoquidem ideò ſtatuit, vt redditus vitalitios regulares tradant officiali, vt poſſit dignoſci in quos vſus ſint inſumendi, & non expendantur in ſuperfluos, & profanos, ſi igitur pecunia moderata concedatur in ordine ad certos, & determinatos vſus honeſtos, non erit contra diſpoſitionem &c. Ad illud, quod dicebatur de iure Concilij, quod etiam in diſpoſitione illa mentionem facit expreſſam de mobilibus, dicendum eſt Concilium mentionem facere dumtaxat in principio capituli de bonis mobilibus

Explicatur ſenſus Concilij, quoad mobilia.

non quomodocumque, ſed de illis, quæ nondum erant incorporata Monaſterio, aut abſq; licentia iuſtà Superioris detinebantur; cæterum loquens poſteà de facultate non concedenda à Superioribus ſingularibus perſonis Religioſis diſpoſitionem reſtringit ad bona dumtaxat ſtabilia nulla penitùs facta mentione de mobilibus — Ibi *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere etiã ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationẽ, vel commendam*, quod ſignum eſt in tali prohibitione non inuoluere bona mobilia in ordine ad vſus licitos, moderatos, & honeſtos.

Hic immediatè ſuboritur alia difficultas, an ſi quoad vitalitios redditus, & etiã quoad aliqua bona mobilia per parentes, vel conſangnineos perſonæ Religioſæ, vel per alios fiat diſpoſitio in hunc modũ, vt ſcilicet ſe obligent tradere, vel quotannis, vel ad certum tempus Religioſo certam pecuniæ quantitatem ad ipſius vſum diſpenſandam, ſi illam exigat, reſeruantes ſibi interim dominium illius pecuniæ, vel ſi non exigat, non teneantur ipſum contribuere; ſi, inquam, quoad hæc ita fiat diſpoſitio, an peccet primo Religioſus

Variæ rationes dubitandi excitantur.

ille aſſignatarius, ſi ità conuenerit, vel in reſignatione bonorum cum parentibus, vel conſanguineis, vel alio modo quoad illam diſpoſitionem. Secundò, an peccet, quantumuis de illa diſpoſitione non conuenerit, ſi poſteà exigat illa bona, & in ſuos vſus quantumuis licitos expendat; Tertiò, an ſtante illa diſpoſitione reſeruationis dominij, non obſtante diſpoſitione Concilij Tridentini ſupra relata poſſint Superiores adminiſtrationem illorum bonorum, prout ſoluuntur, concedere Religioſo aſſignatario.

In ordine ad primum abſolutè non eximerem à graui culpa Religioſorum, qui vel

Digitized by Google

vel in reſignatione propriorum bonorū, vel alio modo ità conuenerit, vel cum parentibus, vel cum conſanguineis de illa quantitate contribuenda quot annis, ſeu tempore conuento, ſi petierit, vel nō contribuenda, ſi non petierit. Ratio ex eo deducitur primò, quià hoc ius, quod habet Religioſus aſſignatarius enumeratur inter bona, quæ cadunt ſub diſpoſitione Concilij Trident., ſi ſit de vitalitijs redditibus quotannis exigendis ad arbitrium eiuſdem aſſignatarij, quandoquidem illud ius computatur inter bona ſtabilia, ſi verò ſit de bonis ſemel tantum erogandis, etiam eſt in ea parte aduerſus idem Concilium Tridentinum, in qua præſcribit, quod nemo Regularis poſſit bona mobilia retinere, quæ nondum ſunt incorporata Monaſterio, vt notat *Leſſius d. lib. 2. de iuſt., & iur. c. 4. n. 34. in reſponſ. ad inſtantiam*, vel retinere ſine iuſta licentia Superioris. Secundò, quia ad ordinem paupertatis non modo ſpectat, quod Religioſus non recipiat, & detineat pecuniam, ſed etiam, vt non habeat ius ad pecuniam ex contractu, vel pacto ab eodem inito, vt expreſsè notat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. nu. 188.*, ergo contrà votum paupertatis operatur conueniendo de illis redditibus annuis ſibi conferendis quotieſcunque petierit. Tertiò, quia illa conuentio eſt in fraudem legis paupertatis, ſi quidem eſt, vt illis redditibus vtatur ſine dependentia à Superiore. Sed quid dicendum erit, ſi Superior facultatem dederit ſic conueniendi cum parentibus, vel conſanguineis? an tunc peccet ſic conueniendo, & retinendo ius illud exigendi? Secundò, quid dicendum erit; ſi quot annis non exigat illos redditus vitalitios, cum in ipſius poteſtate ſit exigere? Dico primò ad primum cum diſtinctione; vel etenim Superior facultatem dedit Religioſo conueniendi cum parentibus, vel conſanguineis ea conditione, vt ius illud, quod acquiritur, acquiratur Monaſterio, & remaneat penes Officialem eiuſdem, & vt ipſe Religioſus teneatur petere exigente Monaſterio, & redditus illos deponere penes eundem Officialem, vel facultatem dedit abſolutè ſic conueniendi nomine proprio, & exigendi pro arbitrio illos redditus; Iuxtà primum ſenſum, ſeu primum membrum diſtinctionis aſſero illam conuentionem licitam eſſe, nec Religioſum peccare ſic conueniendo, quandòquidem ius illud hoc modo acquiſitum abſolutè pertinet ad Monaſterium, quod illius capax ſupponitur, & Religioſus ipſe ſe habet ſolum, vt miniſter, & inſtrumentum eiuſdem Monaſterij ad exigendum, & reponendum apud Officialem; Iuxtà ſecundum ſenſum, ſeu ſecundum membrum diſtinctionis ſentio non obſtante illa facultate Superioris, quod Religioſus peccaret iuxtà illam conuentionem exigendo redditus, & illis vtendo; ratio deducitur ex ſuperius dictis, quia eſt directè aduerſus diſpoſitionem dicti Concilij Tridentini, quandòquidem retineret penes ſe illud ius, quod in eodem Tridentino vetitum eſt, nec ampliùs Superior poteſt concedere. Dico ſecundo ad ſecundum, quod teneatur quot annis illos redditus exigere, illoſq; Monaſterio conferre apud Officialem, nec immunis erit à culpa, ſi non exigat. Ratio eſt, quia illud ius acquiſitum eſt abſolutè Monaſterio, cum ipſe illius ſit incapax ſtante decreto eiuſdem Concilij, ergo non exigendo præiudicat iuri iam acquiſito eiuſdem Monaſterij, adeòque grauitèr peccat.

6 Non poſſunt licite Religioſi in reſignatione ſuorū bonorum conuenire cum parentibus, vt teneantur ſingulis annis conferre certā quātitatem, ſi petierint non teneantur, ſi nō petierint.

7 Poſſunt tamen cōuenire cōſentiente Superiore, ita tamen, vt ius illud pertineat ad Monaſterium, & ſit penes Officialē.

8 Secus nō poſſūt ſic cōuenire.

9 Tenetur ſingulis annis illā quātitatē exigere.

In ordine ad ſecundum doctiſſimus *Caramuel in reg. D. Benedicti diſp. 60. reſolut. 7. nu. 883.* ſentit in ea ſuppoſitione Religioſum vtendo illa pecunia non peccare; atque ea ratione mouetur, quia vſus, & dominium per ipſum realitèr diſtinguuntur, & ſic poteſt dominium retineri, & vſus alienari, ergo non peccat Religioſus vtens illa pecunia. Nihilominus rectius ſentiunt *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 2. ſect. 3. n. 50., Diana part. 7. tract. 11. reſol. 18.* grauitèr peccare illum Religioſum ſic vtentem illa pecunia. Ratio eſt, quia votum paupertatis Religioſæ non ſolum obligat ex genere ſuo ad carentiam dominij, vel iuris alicuius ciuilis, ſed etiam facultatis vtendi independentèr à voluntate Superioris, nam vt bene notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 4. dub. 5. n. 27. verſ. vbi notandum eſt*, iura potius reſpiciat poteſtatem vtendi, quam dominium ipſum, ſi quidem parui momenti eſt dominium, cuius vſus eſt impeditus, & dependens; vndè ipſe aſſerit, quod non eſt de eſſentia paupertatis Religioſæ, vt reddat hominem dominij incapacem, ſeu dominio priuet, ſed tantum, vt priuet poteſtate vtendi, adeò vt abſque Superioris conſenſu non poſſit illa re vti, vel de illa diſponere, & volente Superiore tenetur etiam illius dominium abdicare; quod tamen non ità abſolutè concederem. Hoc in ſpecie docet idem Leſſius de ſcolaſticis, & approbatis coadiutoribus in ſua ſocietate poſt emiſſum votum paupertatis acceptatum ab Eccleſia, qui vere Religioſi ſunt, nec tamen ſunt incapaces dominij, ſed illud retinent quandiu Superiori videtur, non tamen poſſunt habere vſum illorum bonorum

10 Si Religioſus nō cōuenerit, quod dominium remaneat penes parentes, ſed tantū exigat annuos redditus, & expendat in proprios vſus licitos peccat.

norum ſine Superiorum conceſſu, prout patet *Ex conſtit. Gregorij XIII., quæ incipit Aſcendente Domino*. Sed quidquid ſit de iis, hoc vnum certum eſt, quod votum paupertatis priuet facultate vtendi independentèr à conceſſione Superioris, cæteroqui, vt bene notat Diana, Religioſus vix peccaret contrà votum paupertatis accipiendo aliquid ab exteris inſcio Superiore, quia poſſet præſcindere à dominio, & pro libertate re vti, ergo Religioſus ſic vtendo re illa independentèr à Superiore grauitèr peccaret.

11 **Reſeruato dominio penes parentes, & exiſtente iure illos exigendi apud officialem nõ peccat Religioſus de facultate Superioris exigẽs, & expendẽs.**

In ordine ad tertium non damnarem grauis culpæ, nec Superiorem concedentem, nec Religioſum conceſſionarium in ea ſuppoſitione reſeruationis dominij, ſi retento iure illos redditus exigendi apud Officialem Monaſterij ipſe Religioſus nomine Monaſterij eoſdem exigeret pro aliqua vice, & de licentia Superioris in proprios vſus impenderet. Ratio eſt, quia hoc non aduerſatur diſpoſitioni Concilij Tridentini, & hoc non eſt habere redditus, ſed vti bonis mobilibus de facultate Superioris; hoc enim eſt perinde, ac, ſi ex bonis communibus, vel particularitèr acquiſitis à Religioſo aliqua concederet ad vſus licitos eiuſdem Religioſi; non enim aliquod ius reſidet in ipſo Religioſo, cum dominium ex vna parte reſideat penes eum, qui ſoluit, ius ad exigendum penes Monaſterium, ſeu Officialem eiuſdem.

12 **Exiſtente conſuetudine, quod Monaci, & Moniales tranſmittant ſua cubicula cum ſuppelectili ad ſuas alumnas non peccãt ſic transferẽdo.**

Aſſertio II. Quamuis non ſit valdè commendabilis conſuetudo illa iam in aliquibus ordinibus) ſiue virorum, ſiue mulierum recepta, quinimmò maximè expediens, & commendabile foret, ſi conſuetudo illa aboliretur, non eſſet tamen grauitèr peccaminoſum, ſi vigente adhuc illa conſuetudine Monaci, ſeu Moniales in illa perſeuerarent tranſmittendo cubicula cum ſupellectili in ſuas alumnas, ſeu conſanguineas ad normam eiuſdem conſuetudinis, dummodò ſupellex moderata ſit, & non excedens ſtatum Religioſum, & dummodò ſit animus paratus deponendi ad nutum Superioris.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia conſuetudo tranſmittendi cubicula cum ſuppellectili in ſuas alumnas, vel conſanguineas videtur inducere quandã ſpeciem proprietatis cum iure quodammodo diſponendi de illis rebus, quod certè non videtur congruere cum ſtatu Religionis, qui debet præſcindere non ſolum à proprio, ſed etiam à quacunque ſpecie proprij, ergo &c.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia extante illa conſuetudine, nec repugnat iuribus municipalibus loci, nec naturæ paupertatis, nec diſpoſitioni Concilij Trident. Non iuribus municipalibus loci, quia, ex quo admiſit illam conſuetudinem, videntur ſtatuta interpretationem recepiſſe ab illa conſuetudine, & ipſi Religioſi, vel Religioſæ vouerunt ad normam eiuſdem conſuetudinis, extrà quam fortaſſe non vouiſſent; Non naturæ paupertatis ſecundum ſe ſumptæ, quæ tantum reſpuit proprietatem, non vſum ad nutum Superioris reuocabilem, & ſicuti ex dictis in præcedentibus, ſi præſcindamus à diſpoſitione Concilij Tridentini, non aduerſatur ex genere ſuo paupertati, quod quis retineat, & adminiſtret cenſus, ſeu redditus vitalitios ad ſui commodum, & vſus licitos, dummodò ſit paratus deponere ad nutum Superioris, ità nec videtur aduerſari, quod retineat vſum cubiculi cum eiuſdem ſupellectile, & quod alia eidem ex conſuetudine ſuccedat, dummodò vtraque parata ſit deponere ad nutum Superioris; neque illa ordinata ſucceſſio aliquid videtur demere de paupertate, & inducere ius proprietatis; non, inquam, videtur ea efficere, quia hæc ſemper eſt cum voluntate implicita Superioris ſe conformantis illi conſuetudine talitèr tamen, vt ſi velit, poſſit remouere illam poſſeſſionem, & interrumpere illam ſucceſſionem. Non tandem diſpoſitioni Concilij Tridentini, quia hoc prohibuit dumtaxat poſſeſſionem, & adminiſtrationem ſtabilium eo motiuo, & cauſa finali præſumptionis, ne in vſus ſuperfluos, & profanos redditus profunderentur ex commoditate, qua gauderet Religioſus eadem adminiſtrandi, quod euenire non poteſt ex ſimplici vſu cubiculi cùm ſupellectili eiuſdem cum conſuetudine illud, ſeu illius vſum cum ſupellectili transferendi in alumnas, vel conſanguineas, ergo &c.

Nulli iuri aduerſatur.

Confirmari poſſunt ea, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte ex eo, quod per conſuetudinem poſſunt per Religioſos præſcribi ea, quæ poſſunt per Romanũ Pontificem ex ſpeciali indulto concedi *Felinus c. quæ in Eccleſiarum nu. 27. de conſtitut.*, *Nauarrus comment. 2. de reg.*, *Tapia auth. ingreſſi verb. ideoque, nec de his c. 1. n. 6. C. de Sacroſanct. Eccleſ.*, *Sanchez de decal. tom. 2. lib. 7. c. 8. nu. 62. verſ. cæterum in omnibus caſib.*, quia, quæ per priuilegia fieri poſſunt, valent quoque conſuetudine legitimè præſcripta induci *arg. l. hoc iure §. ductus aquæ ff. de aqua plu. & c. ſuper quibuſdã ff. de verb. ſignif.*, *& l. venditor §. conſtat ff. commun. præd.*, ſed per Pontificis priuilegium Religioſi, quantumuis profeſſi, poſſunt teſtari maximè in ordine ad cauſas pias *Baldus in l. ſi quando 35. in fin. princip.* **Cõfirmatur plena ratione.**

C. de

C. de inoff. teſtam., *Decius in auth. ingreſſi nu. 12. C. de Sacroſ. Eccl.*, *Pariſius in c. in præſentia nu. 171. de probat.*, *Silueſter verb. teſtamentum 1. q. 3. verſ. 11.*, *Nauarrus tom. 2. n. 57. de regul.*, *& alij innumeri apud Sanchez tom. 2. in decal. lib. 7. cap. 8. num. 45.* Quæ omnia, ſi verificantur ratione conſuetudinis quoad diſpoſitionem teſtamentariam, non videò, cur verificari nõ poſſint quoad ius aliquod transferendi domicilium cum ſuppellectili non quoad dominium, ſed quoad vſum dumtaxat ad nutum ſuperioris reuocabilem.

13 Religioſi expendẽtes in ludis, aliſq; vſibus profanis conceſſa ad proprios vſus peccant.

Aſſertio IV. Religioſi profeſſi expendentes pecunias, quas habent ex facultate ſuorum Superiorum in ordine ad proprios vſus in ludis, aliiſque vſibus profanis grauitèr peccant. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 177. & n. 182.*, *Nauarrus comment. 2. de Regul. n. 15. & 18.* *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 4. dub. 5. n. 33.*

Ratio ex eo deducitur, quia ius expendendi in ludis, aliſque vſibus profanis, nec poteſt prouenire ex conceſſione Superioris, vel expreſſa, vel præſumpta, nec ex alio iure eidem Religioſo profeſſo competente, ergo ſic expendendo grauitèr peccat contrà votum paupertatis profeſſæ.

Non eſt præſũpta voluntas Superioris.

Antecedens probatur facta prius ſuppoſitione, quod omnia bona, quæ habet, vel acquirit Religioſus etiam ex facultate Superioris, ſint quoad dominium Monaſterij; quo poſito ſic argumentor. Superior bonorum Monaſterij propriè non eſt dominus, ſed ſimplex diſpenſator, & adminiſtrator, & quidem ad normam eorum, quæ præſcribunt inſtituta ordinis, & decreta, & Sanctiones Conciliorum, & Pontificum, ſed adminiſtratores ſimplices, & diſpenſatores non poſſunt adminiſtrare, & diſpenſare aduerſus inſtituta ordinum, & iura Pontificum, quæ ſunt, vt non expendantur extrà cauſas licitas, & honeſtas, cæteroqui patrimonium Chriſti profunderetur in res illicitas, & profanas, ergo ex illorum facultate non poſſunt ſubditi de bonis, ſeu pecunijs ſibi conceſſis in illos vſus ludi, alioſque profanos effundere, ſeu diſponere, ſiquidem ceſſante cauſa concedendi ceſſare debet etiam facultas vtendi. Probatur item idem antecedens quoad ſecundam partem, ſiquidem nullus Religioſus habet ius vtendi de bonis Religionis independentèr à voluntate Superioris, quinimmò omnia iura clamant pro negatione talis iuris, & præcipuè *c. Ioannes frater de Regul. & c. Monaci de ſtatu Monach., & c. ſuper quadam, & c. cum Monaſterium eod. tit.*

Limitarem tamen in caſu, quo quid modicum, & moderatum expenderetur inter Regulares in ludis conſuetæ, & Religioſæ recreationis permiſſis ab inſtituto, vel Superioribus, quia tales vſus non computarentur inter illicitos, & profanos, ſed honeſtos, & licitos; non etenim dedecet ſtatui Religioſo, quod ad ſubleuandos animos à conſuetis curis Religionis permittẽtibus Superioribus huiuſmodi ludi habeantur, & in eis quid modicum impendatur; ſi etenim in huiuſmodi ludis poſſunt exponi paruæ imagines, cur æquiualens eiſdem non poterit exponi? 14

14 Niſi expenderetur quid modicum in ludis conſuetę, & Religioſæ recreationis

Aſſertio V. Regularitèr loquendo Regulares profeſſi inſumendo ex bonis ſibi relictis, vel ex bonis Monaſterij vltrà quatuor Paolos Romanos, ſeu vltrà libras tres imperiales in vſus profanos, & à Superiore ſibi non permiſſos peccant læthalitèr contrà votum paupertatis *Rebellus prima part. lib. 3. q. 15. ſect. 13. nu. 22.* *Hieronymus Flamma in 3. part. methodi n. 9. §. 12.* 15

15 Eſt graue peccatum expẽdere vltrà quatuor Paolos ſiue facultate Superioris.

Ratio ex èo deducitur, quia inſumere independenter à voluntate Superioris habet manifeſtam ſpeciem proprietatis per textum *in c. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, Ioannes Andræas in hoc c. cum ad Monaſterium, Silueſter verb. Religio VI. q. 7. & alij communiter*; in ijs autem, quæ reſpiciunt proprietatem tam conſiderata conditione eius, qui vouit paupertatem, tam Monaſterij, quod illud votum recepit non videtur eſſe admittenda lata interpretatio, ſi quidem Religioſus, qui eſt pauper paupertate voluntaria non debet extendi vltrà modica, & Monaſterium, quod debet ſeruare inſtituta quoad ſubditos, & maximè curare de obſeruantia eorundem non debet eſſe rationabilitèr nimis indulgens quoad maiora; illa autẽ quantitas ſic in aſſertione taxata, & Religioſum continet intra modica, & Monaſterium non extendit quoad præſumptam voluntatem extra congrua quantum ad inducendam noxam læthalem, ergo Religioſus inſumendo vltrà quantitatem taxatam grauitèr peccat contrà votum paupertatis.

Hic non libenter acquieſco illorum rationi, qui comparantes Religioſos filijs familias aſſerunt, quod, ſicuti maior quãtitas requiritur ad conſtituendum peccatum graue in filio in acceptione bonorum paternorum, ac requiratur in alijs non ità coniunctis, ità maior requiratur quantitas in acceptione Religioſi, tam in bonis Monaſterij, tam in acquiſitis ab eodem Religioſo; Non, inquam libenter acquieſco, quandòquidem tam ſuperior, quam Religioſus profeſſus ſe accomodare debet ſtatui, cuius ſit profeſſio,

I 2 nec

Non currit paritas de filio ad bona Patris, ac de Religioſo ad bona Monaſterij.

nec ſuperior poteſt profundere ex affectu in ſuum ſubditum tantum, quantum poteſt profundere ex propenſione erga filium Pater, ſi quidem Pater eſt abſolutè Dominus rerum ſuarum, Superior autem non niſi adminiſtrator bonorum Monaſterij, quæ propterea vltrà modica non præſumendus eſt concedere, niſi expreſſerit.

Minus acquieſcere poſſum illorum opinioni, qui ſtatuunt requiri tantam quantitatem ad conſtituendum peccatum læthale in diſpoſitione rerum Monaſterij, vel aliundè acquiſitarum per Religioſum profeſſum ſine conſenſu Superioris, quanta requiritur ad committendum furtum læthale in alijs. Minus, inquam, acquieſcere poſſum, quandòquidem quantitas furti ad peccatum læthale requiſita non eſt eadem in omnibus, & in ordine ad omnes perſonas per ea, quæ ſupra probauimus, ſed diuerſa in ordine ad diuerſas perſonas, penes quas eſt inuoluntarium illud furtum, cum vnus per ablationem vnius argentei v. g. grauitèr lædatur, alter per ablationem eiuſdem non niſi leuiter; vndè grauitas, & bonitas peccatorum in furtis, quæ committuntur, deſumitur, vt aſſerebam, à rationabili fundamento grauis, vel leuis indignationis eius, aduerſus quem furta committuntur; grauitas autem, & leuitas in peccatis iniuſtitię contrà votum paupertatis deſumitur ex alijs cauſis nempè à conditione perſonæ Religioſæ, & à iure Superioris, ſeu præſumpta voluntate eiuſdem; conditio autem perſonæ religioſæ addictæ voto paupertatis exigit, ne vltrà modica ſine facultate Superioris expendat, ſeu inſumat, ne ſubijciatur graui noxæ, cum iuri quoad huiuſmodi bona renuntiauerit, & Superior, cum non ſit dominus, ſed merus diſpenſator, non præſumitur velle laxare habenas aduerſus ea, ad quæ ſubditus ſe obligauit, & ad præiudicium Monaſterij.

Reijcitur alia opinio.

16 Legatum relictū Religioſo ea conditione, vt nihil vſus, & commoditatis pertineat ad Monaſterium, ſed ad eūdem Religioſum cū facultate tamen Superioris reuocabili tenet ità tamen, vt dominium ſpectet ad Monaſterium.

Dixi, *ex bonis ſibi relictis*, quia eo ipſo, quod eidem ſunt relicta, intelliguntur eſſe bona Monaſterij *c. non dicatis 12. qu. 1.*, *Silueſter verb. Religio VI. q. 7.* Circa, quæ bona hic modo inſurgit difficultas, an, ſi legatum fuerit relictum particulari Religioſo etiam cum conditione, vt nihil acquiratur Monaſterio, ſubſiſtat illud legatum, & Religioſus illud acquirat. Cum diſtinctione huic difficultati reſpondendum eſſe exiſtimo; vel etenim illud legatum relictum eſt ea conditione ſub intellecta, vt nihil vſus, & commoditatis pertineat ad Monaſterium, ſed ad eundem Religioſum cum facultate tamen ſui Superioris reuocabili ad nutum, ità tamen, quod dominium pertineat ad Monaſterium, & in hac hypotheſi arbitror, legatum illud ſubſiſtere, prout docent *Bartolus in auth. excipitur C. de bon. quæ liber.*, *Panormitanus c. Monaci de ſtatu Monach. nu. 8.*, *Molina de iuſt. & iur. tract. 2. diſp. 140. verſ. ſi aliquid teſtamento*, *Molſeſius tom. 1. tract. 7. c. 20. nu. 50.*, *Diana part. 3. tract. 2. reſol. 34.* Quod, ſi Superior non conſentiret, vt commoditas, & vſus pertineret ad Religioſum, tunc communius ſentiunt legatum illud reſolui, & deuolui ad hæredem legantis *Panormitanus*, *Molina*, *Molſeſius*, *& Diana mox allegati*, ſi verò fuerit relictum ſub conditione, vt abſolutè Religioſus legatarius independentèr à voluntate Superioris, & cum pleno iure; illud acquirat, tunc aliqui aſſerunt conditionem illam, vt impoſſibilem, & turpitèr adiectam vitiari, & legatum ſubſiſtere cum pleno iure in fauorem Monaſterij, cum illa conditio habeatur pro non adiecta; alij verò aſſerunt vitiare abſolutè cōtractum, ſeu legatum, illudque reddere irritum. Siſtendo in terminis præſentis difficultatis ſentio cōditionem illam irritare legatum, quod proptereà tranſit ad hæredes legantis iuxtà mentem DD. omnium præallegatorum, atque etiam ſic ſentire videtur *Silueſter verb. conditio q. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia illa conditio nedum eſt impoſſibilis reſpectu legatarij, ſed etiam aduerſatur naturæ, & ſubſtantiæ legati, ſiquidem eſt ad perſonam, quæ omninò eiuſdem legati incapax eſt; conditiones autem, quæ aduerſantur naturæ actus, actum ipſum irritant per textum *in c. fin. de condit. appoſ.*, *Bartolus in l. 1. ff. de lib. & poſth.*, & facit textus *in l. cum hi §. ſi præter ff. de tranſact.*

17 Non ſubſiſtit, ſi ſit ſub conditione, quod Religioſus illud acquirat independenter à Superiore.

Aduerte hic tamen, quod ea, quæ dicta ſunt, quandò legatum intelligitur relictum Religioſo quoad illam conditionem reſpicientem dumtaxat vſum, & cōmoditatem quoad ipſum Religioſum, intelligenda ſint ſolummodò, dummodò vſus illi, ſeu commoditates ſint liciti, vel licitæ, & dependenter à voluntate Superioris, nam ſecus grauitèr peccaret Religioſus eiſdem aliter vtendo, cum quoad vſus illicitos, nec Superior poſſit concedere, quoad licitos verò non poteſt vti independenter à voluntate Superioris. Hic ſolum remanet ambigendi locus, quommodò poſſit ſubſiſtere tale legatum quoad vſum, & commoditatem quoad Religioſum, licet dominium ſit quoad Monaſterium ſtante moderna diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 2. de Regul.*, quod adminiſtratio, ſeu poſſeſſio quorum-

Dubium excitatū, & reſolutum.

runcunque bonorum pertineat ad Officialem Monaſterij. Sed huic rationi dubitandi poſſum occurrere aſſerens ea, quæ dicuntur de acquiſitione legati quo ad vſum, & commoditatem, debere intelligi ſecundum ordinem iuris, quod ſcilicet ad eundem pertineant ſecundum modum, ſecundum quem iura eidem permittunt habere, ſcilicet penes Officialem Monaſterij,& expendat in vſus congruos ſtatui Religioſo iuxtà mentem, vel expreſſam, vel tacitam Superioris, nec aliter, nec alio modo.

Dixi etiam, *vel ex bonis Monaſterij*; non enim illorum habet aliquod ius tanquam proprietarius, ſed ad ſummum tanquam vſuarius non quidem in ordine ad omnia, ſed tantum quoad ea, quæ ipſi permiſſa ſunt à Superiore, circa quæ tenetur eam diligentiam præſtare in ordine ad conſeruationem ipſorum, quam præſtare tenetur vſuarius, qui precario vtitur re aliena, & per conſequens tenetur vitare culpam latam, quam vitare tenetur quicunque precario accipiat per textum *in l. quæſitum eſt §. eum quoque ff. de precario*, quinimmò, cum res concedatur etiam, & præcipuè in commodum eiuſdem Religioſi, videtur etiam teneri de culpa leui per textum *in l. in rebus verb. hoc itaque ff. commodati, & c. vnico de commodato*;

Tenetur vitare culpam latã.

Nec ſolum grauitèr peccat inſumendo in illa quantitate in rebus ſibi relictis, vel à ſe acquiſitis, vel de rebus Monaſterij contrà voluntatem Superioris, ſed etiam ab alijs ſurripiendo; in qua hypotheſi tamen ſurreptionis ab alijs, duo cõſidero, & peccatum ſcilicet contrà votum paupertatis, & iniuſtitiam aduerſus eum, a quo ſurripit; primum colligo *ex d. c. cum ad Monaſterium §. ſi quidquam alicui de ſtat. Monach.*, vbi dicitur, quod non poſſit ab externis quidquam accipere abſque Superioris conſenſu, adeòque multo minus ſurripere; Secundum verò ex læſione, quæ fit ei, à quo Religioſus ipſe ſurripit. Conſiderata tamen iniuſtitia, prout ex hoc capite præciſè reſultat, non limitarem grauitatem læthalem huius delicti ad illam quantitatem quatuor Iuliorum, ſeu librarum trium Imperialium, ſed reducerem ad regulam generalem ſuperius traditam, ſecundum quam grauitas, & leuitas delicti deſumitur ex fundamento grauis, ſeu leuis rationabilis indignationis perſonæ læſę, quod in ordine ad diuerſas perſonas poteſt eſſe diuerſum.

Peccat etiam ab alijs ſurripiendo.

18 Aſſertio VI. Grauitèr peccat Superior, ſi de bonis Monaſterij, vel de acquiſitis per Religioſum, vel eidem relictis irrationabiliter deneget eidem Religioſo ea, quæ neceſſaria ſunt ad victum, & veſtitum iuxtà ſtatuta ordinis. Conſentit in hoc *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 196.*

Grauitèr peccat Superior denegãs Religioſo ea, quæ neceſſaria ſunt ad victũ, & veſtitũ iuxtà ſtatum ordinis.

Ratio ex eo deducitur, quia Superior ſimilia denegando irrationabilitèr denegat,& aduerſus Religioſum, cui denegat, bellum ex ſua parte iniuſtum gerit, ergo grauitèr peccat. Antecedens probatur, quia ex diſpoſitione iuris bona Monaſterij communia conſtituta ſunt, vt neceſſaria ſubditis miniſtrentur; non enim Superior eſt dominus illorum bonorum, ſed diſpenſator iuxtà exigentiam Monaſterij, & ſubditorum ipſum conſtituentium, ergo &c. Confirmatur primò, quia inter Religioſum, & Monaſterium ex vi profeſſionis ille videtur implicitè initus contractus, vt Religioſus, quidquid ex propria induſtria, operibus, & laboribus acquirit, Monaſterio acquirat, & èconuerſo Monaſterium teneatur omnia neceſſaria ad victum, & veſtitum ſecundum ſtatum ordinis impendere; cum etenim Religioſus ex vi profeſſionis omnibus ſe priuet non ſolum quibus gaudebat ante eandem profeſſionem, ſed etiam iure ad acquirendum ſibi, ſolumque ius retineat ad acquirendum in fauorem Religionis æquum maximè fuit, & iuſtum, vt Religio ipſa eidem ſe obligaret quoad neceſſaria ad victum, & veſtitum, ne neceſſarijs auxilijs vndequaque deſtitueretur, ergo, ſi Superior huiuſmodi deneget, grauitèr peccat aduerſus hunc contractum implicitè initum. Confirmatur ſecundò, quia omnia iura canonica, omneſque Pontificum conſtitutiones exigunt in promouendis ad Sacros Ordines, quod habeant, vel beneficium Eccleſiaſticum, ex quo habeantur redditus ſufficientes ad congruam ſuſtentationem promouendi, vel congruum patrimonium, ne vile exercitium contra ſtatum Eccleſiaſticorum teneantur habere, & tamen quoad Religioſos etiam non mendicantes hæc non exigunt, ſed promouent, vel titulo Religionis, vel paupertatis, ergo, quia ſupponunt, quod Religio, vel ex bonis, quibus in communi gaudet, ſi ſit capax proprietatis teneatur Religioſos ſuſtentare, vel ex eleemoſinis, ſi non ſit capax dominij, quas exigit, teneri eiſdem Religioſis contribuere ad eorum congruam ſuſtentationem, quantum poteſt, ne compellantur in vilibus exercitijs contrà ſtatum Sacerdotalem detineri. Confirmatur tertio, quia dignus eſt operarius mercede ſua, nec conuenit os alligare boui trituranti, ergo, cum Religioſus operetur, & operationes ſuas in beneficium Religionis impendat, ius habet ab eadem recipiendi

Rationes ſuadentes aſſertum.

Digitized by Google

piendi neceſſaria ad ſui ſuſtentationem, adeò vt, ſicuti ex Apoſtolo: *Qui altari ſeruit, de altari viuere debet*, ità qui Monaſterio, ſeu Religioni ſeruit de Monaſterio, ſeu Religionis bonis iuxtà ſuum ſtatum viuere debet.

Ex quibus poteris deducere, quod Superiore denegante neceſſaria ad victum, & veſtitum poſſit Religioſus ſine peccato, & abſque omni voti paupertatis præiuditio eadem accipere, quandòquidem Superior iniuſtè denegat, & ad illa in ordine ad ſuam ſuſtentationem ius habet; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in hac hypotheſi exerceret actum dominij, cuius omninò incapax eſt ex ſuperiùs probatis, ſi quidem eadem acciperet, vt ſibi debita, & quaſi ius habens ad communia bona Monaſterij, & vſurparet ſine illa Superioris licentia, quinimmò expreſsè contra ipſius voluntatem; Non, inquam, obeſſe poteſt, tùm quia iniuſta Superioris denegatio habetur pro conceſſione, cum ius ipſum ſuppleat defectum voluntatis eiuſdem Superioris; tùm quia Superior ipſe eſt irrationabilitèr inuitus ad illam acceptionem; tùm quia hoc non eſt actum dominij, ſeu proprietatis habere, ſed tantum vſum rerum neceſſariarum, quod voto non repugnat; vndè etiam plerique docent, quod, quandò quis in extrema neceſſitate conſtitutus ex rebus alteri addictis ſibi conſulit nõ acquirat illarum dominium, ſed tantum vſum ad ſibi ſubueniendum in illa neceſſitate.

Ius ſupplet defectum volũtatis Superioris.

Aſſertio VII. In pleriſque excuſatur à graui noxa contrà votum paupertatis Religioſus, ſi ſine expreſſa Superioris voluntate, vel ex bonis ſibi relictis, ſeu à ſe acquiſitis, vel ex bonis Monaſterij ſuprà taxatam quantitatem quatuor Iuliorum, ſeu trium librarum imperialium expendat in vſus licitos, & honeſtos. Conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 41. dub. 9. n. 80. verſ. alterum eſt, & ſeqq., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 196.*

19 **Caſus in quibus licitum eſt expendere ſine expreſſa Superioris licentia.**

Expono in particulari caſus aliquot, in quibus licet ſic expendere, & alios in quibus non licet, vel dubium eſt, an liceat. Primus caſus, in quo licet, eſt quandò neceſſitas vrget, nec Superior præſto eſt, vt notat *Leſſius loc. cit.*, quia tunc ſupponitur conſenſus præſumptus Superioris; non enim præſumendum eſt, quod Superior in ea hypotheſi nolit, vt Religioſus agat, quod ratio, & neceſſitas dictat. Secundus caſus, in quo licet, eſt, quandò illa inſumptio ſupra illam quantitatem taxatam eſt in euidentem vtilitatem Monaſterij, quatenus per illam quid maius eidem Monaſterio acquirat; tunc etenim etiam præſumitur tacità voluntas Superioris, qui rationabilitèr debet velle bonum Monaſterij. Tertius caſus eſt, quandò licet, cum in aliquibus ordinibus, ſeu Monaſterijs intelligitur, vel à conſuetudine, vel à Superioribus conceſſa facultas generalis; hæc etenim ſufficit, vt non peccet Religioſus contrà votum dando, vel accipiendo, retinendo, vel vtendo. Quoad caſus, in quibus non licet, clarè eluceſcit ex ſerie præactorum ſub vniuerſo hoc titulo.

20 **Caſus in quibus dubium eſt, an poſſit Religioſus expẽdere ſine expreſſa voluntate Superioris.**

Primus caſus eorum, in quibus dubium eſt, an liceat expendere vltrà taxatam illam quantitatem ſine expreſſa Superioris voluntate, eſt, quandò, ſi facultas illa expendendi ſupra illam quantitatem peteretur, de facili concederetur. Circa quem caſum ſentit *idem Leſſius d. c. 41. dubit. 9. num. 80. verſ. reſpondeo*, quod non liceat; cuius aſſerti duplicem reddit rationem; primam deductam ab abſurdo ſitam in eo, quia hac ratione omnes donationes, acceptationes, & vſus, qui à Superioribus concedi ſolent petentibus, eſſent liciti abſq; expreſſa licentia, quod non videtur dicendum, ſecus nimis laxarentur habenæ contra votum paupertatis; Secundam deductam ab intrinſeco rei ſitam in eo, quod ex eo, quod de facili Superior concederet, ſi peteretur, non intelligatur actu concedere, nec præſumatur actus voluntatis concedendi, ſicuti ex eo, quod ego detineam rem alienam, quam Dominus de facili donaret, ſi peterem, non intelligor illam donatam habere. Conformis eſt hæc doctrina alteri, quam nos alibi in ſimilibus terminis tradidimus, cui propterea ſubſcribimus.

Secundus caſus eorum, in quibus dubium eſt, an liceat, tunc eſt, quandò Religioſus expendit vltrà taxatam quantitatem ſibi præſumens ex nimio affectu Superioris erga ſe ſibi eſſe libentiſſimè conceſſurum, huncque affectum radicatum habet in pluribus alijs ſimilibus conceſſionibus. Sed in hac hypotheſi crederem non peccare, ſi ſic expenderet, dummodò eſſet in vſus licitos, & honeſtos, non etenim tunc eſt ſolummodò voluntas habitualis concomitans Superioris, ſed voluntas virtualis æquiualens actuali latens in illo expreſſo affectu.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO XI.

De iniuſtis acceptionibus inter Dominos, & Seruos, Principes, & Vaſallos.

SVMMARIVM.

Quinam veniant nomine proprio Seruorum. 1.

Seruus iure captiuitatis in bello poteſt fugere ſecluſo vitæ periculo. 2.

Quid ſentiendum ſit, ſi Seruus fugiens adhuc detineatur intra confinia Regni. 3.

Si habeat, quo ſe redimat, non poteſt ſe ſubtrahere per fugam. 4.

Seruus iure venditionis ex propriæ voluntatis arbitrio non poteſt ſe ſubtrahere per fugam, & ſi ſe ſubtrahat, tenetur ſe reſtituere. 5.

Diuerſa ratio de Seruo captiuo, ac de Seruo emptitio. 6.

Serui domi nati ex matre bello capta poſſunt à Dominis fugere, non ſic domi nati ex matre ſerua effecta per legitimam ſui venditionem. 7.

Serui in pluribus ſibi acquirunt, non Dominis. 8.

Enumerantur caſus, in quibus ſibi acquirunt. 9.

Vaſallorum bona ſubſunt iuriſdictioni Principum in ordine ad publicas Reip. neceſſitates, & quomodo. 10.

Poſſunt Principes in neceſsitate publica non admittente temporis moram compellere ditiores ad ſubrogandum tot, quod ſufficiant ad neceſsitatis reparationem, tenentur tamen poſtea ex communibus collectis eiſdem reſtituere quantum ſufficit ad iuſtitiam diſtributiuam. 11.

Ad ſubleuamen exercitus poſſent compellere priuatos, & aliquas Communitates, cum onere tamen compenſandi ex communibus collectis. 12.

Poſſunt Principes non ſolum ob publicas neceſsitates, ſed etiam ad congruas ſui recreationes aliquid à Subditis accipere. 13.

Gabellarum impoſitio quamuis iuſta non obligat tamen niſi ſeruatis conditionibus. 14.

Vaſalli contrahentes cum Principe, & è contrà validè contrahunt. 15.

NOmine Seruorum non veniunt hic illi, qui certa mercede, ſeu ſtipendio ad obſequia, & operas famulares Domino præſtandas conducuntur; ſed mancipia, ſeu ſerui municipales; qui vel ſeruati ſunt à morte, vel alio titulo ideſt iure belli, vel alio modo ad ſeruitutem legitimè redacti, de quibus nos egimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate Diſq. 11. §. 3. nu. 3.*

1 Quinã ve-niant nomine proprio Seruorum.

In ordine ad iſtos comparatiuè ad Dominos multa ſub hoc titulo contingunt dubitari, & primò, ſi iſti ſe ſubtrahant per fugam à Dominis, grauitèr peccent, & an teneantur, & quo modo ad reſtitutionem. Secundò, an quamuis regularitèr verificetur effatum illud iuriſticum, *Quidquid ſeruus, acquirit, acquirit Domino*, in aliquibus tamen verificetur, quod ſibi acquirant, ita vt Domini, ſi illa ad ſe detrahant, peccent contra iuſtitiam. Tertiò, an ea, quæ Serui propriè accepti acquirunt artificio aliquo, quod tempore à ſeruitio Domini ſibi ſuperſtite exercent, ſibi acquirant, an verò Domino, adeò vt, ſi de illis liberè diſponunt independentèr à voluntate Domini, licitè, & validè diſponant, & alia ſimilia.

Articuli examinãdi circa ſeruos.

In ordine verò ad Vaſallos comparatiuè ad Principes inquiretur primò, an bona ipſorum Vaſallorum ſubſint iuriſdictioni eorundem Principum, adeò vt iſti poſſint ſine ſolutione pretij illa ſibi tribuere; ſecundò, in quibus iſti inuicem poſſint lædi cõtra iuſtitiam, adeò vt conſurgat in lædente onus reſtitutionis.

Articuli examinãdi circa Vaſallos.

Aſſertio I. Seruus iure captiuitatis in bello ſeruituti addictus poteſt ſine peccato fugiendo ſe ſubtrahere à domino ſecluſo vitæ periculo, nec tenetur eidem ſe reſtituere *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 2. art. 2. concl. 3, Couarruias primo var. c. 2. n. 10. ad mediũ & in reg. peccatum 2. part. §. 11. num. 6. Bannes 2. 2. q. 40. art. 1., Ioſeph Angles in florib. 4. ſentent. q. de dominio art. 2. concl. 5., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 200. Alexander Alenſis 3. par. q. 48., memb. 2. art. 3.* contra *Nauarrum in manual. c. 17. n. 103.*

2 Seruus iure captiuitatis in bello poteſt fugere, ſecluſo vitæ periculo.

Ratio ex eo deducitur, quia, vel eſt addictus ſeruituti iure captiuitatis in bello iniuſto, vel iuſto; ſi in bello iniuſto vix videtur poſſe eſſe difficultas, quandoquidem, ex quo titulo iniuſto detinetur ius habet ſe ſubtrahendi ab onere iniuſtè illato; vbi etenim non eſt ius detinendi, nec poteſt eſſe onus permanendi; ſi ex bello iuſto, adhuc aſſertio ſic euincitur. Ad vitandam mortem naturalem, mutilationem, & fuſtigationem ſibi imminẽtem ex delicto poteſt quis licitè fugere à carcere, in quo iuſtè detinetur, ergo etiã ad vitandam mortem ciuilem, quæ habetur per ſeruitutem perpetuam poterit ſe ſubtrahere per fugam à Domino. Conſequẽtia probatur; tùm quia æque videtur pretioſa libertas, quàm membrorum integritas, tùm quia natura ipſa tribuit vnicuique pleniſſimam poteſtatem libertatis conſequendæ.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac probatione, æquè verificantur, ſiuè fidelis in bello iuſto, ſeu iniuſto teneatur apud fideles, ſiuè apud infideles, quandoquidem ſemper

Siue detineatur apud fideles, ſiue apud infideles.

per viget eadem ratio iuris naturalis ad conſequendam libertatem.

Neque obeſſe poteſt primò, ſi dicatur, quod ille ſic captus in bello iuſto poterat iuſtè occidi, ergo commutata morte naturali in perpetuam ſeruitutem ſic captus tenebitur illam ſeruare, nec poterit effugere. Ità contrà ſe argumentatur *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. nu.* 200.; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt bene notat idem *Petrus à Nauarra loc. cit. nu.* 204. ille ſic captus non liberè, & voluntariè conſentit in illam perpetuam ſeruitutem, quantumuis illa commutata fuerit cum morte naturali, quæ iuſtè poterat ipſi inferri, adeòque non tenetur illam ſeruare, ſi poſſit ſe ſubtrahere non ſe exponendo periculo vitæ; nemo etenim tenetur ea adimplere, quibus coactè conſentit.

Non liberè conſentit captiuitati.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi dicatur, quod damnatus ad perpetuum carcerem, exilium, ſeu triremes ex iuſta, & legitima cauſa non poſſit ſe licitè ſubtrahere, quandòquidem ſententia, per quam damnatus eſt, ſupponitur iuſta, & legitima, quam non ſeruare omninò eſt iniuſtum. Non, inquam, obeſſe poteſt, primò, quia non ità certum eſt, vt ſupponitur, quod licitè nequeat ſic damnatus ſe ſubtrahere ab illis pœnis, cum æquiualeant morti naturali, nec poteſt officere, quod bellum ſit ex vtraque parte iuſtum, quandòquidem etiam damnatus ad mortem iuſtè in carcere detinetur, & tamen ratione iuris naturalis iuſtè poteſt fugere. Secundò, quia, vt notat *Petrus à Nauarra loc. quo ſupra n.* 208. prædicta nempè carcer, exilium, & triremes nõ ita grauia ſunt, ſicuti eſt ſeruitus, & captiuitas, ratione cuius ſeruus, & captiuus quaſi comparatur ad Dominum, tanquam iumentum ad ſuum poſſeſſorem, & ſic damnati plura libere poſſunt, quæ non poſſunt ſerui, & captiui.

Soluitur alia obiectio.

Neque obeſſe poteſt tertiò, ſi aſſeratur obſtare textum *in c. 1. & c. ſi quis ſeruum* 17. *q.* 4.; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt bene explicat *Sotus lib.* 4. *de iuſt. & iur. q.* 2. *art.* 2. textus ille intelligendus eſt de ſeruis emptitijs, qui ſe ipſos ſpontè, & voluntariè vendiderunt, quod colligitur ex eo, quod in textu non dicuntur captiui, ſed ſerui, de quibus erit ſermo in ſequenti aſſertione.

Iura procedunt de ſeruis emptitijs.

Circa ea, quæ dicta ſunt, duplex hic oritur difficultas. Prima eſt, an, ſi captiuus in bello iuſto ſe retraxerit à Domino, ſed adhuc remaneat in eodem regno, in quo eſt Dominus, adhuc remaneat ſeruus & captiuus, & teneatur ſeruire. Secunda, ſi ſic captiuus haberet pecuniam, qua poſſet ſe redimere, teneretur ſe redimere, vel manere, adeò vt, ſi ſe ſubtraheret, non ſe redimendo grauitèr peccaret, & teneretur ad reſtitutionem, vel ad pretij æquiualentis ſolutionem.

Duplex difficultas excitata.

In ordine ad primum *Petrus à Nauarra d. lib. 3. de reſtitut. c. 1. nu.* 201., *Bannes* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1., *Alexander Alenſis* 3. *part. q.* 48. *membr.* 2. *art.* 3. abſolutè aſſerunt adhuc ſeruum permanere, quouſque per regnũ vagatur, & in illo permanet, & teneri ſeruire. Ratio ex eo deducitur, quia, dum adhuc detinetur inter confinia regni dicitur adhuc eſſe ſub iure Domini, & iura fauent in ordine ad eximendum à iure ſeruitutis, quandò ſeruus eſt extrà iuriſdictionem Principis, in cuius territorio detinebatur, non quando eſt intra confinia eiuſdem, quia tunc perindè habetur, ac, ſi eſſet ſub poteſtate Domini, cum territorium Principis ſit terminus captiuitatis; vndè conformitèr ad hanc doctrinam docet *Alexander Alenſis dict.* 3. *part. q.* 48. *memb.* 2. *art.* 3. recipientes eos intra limites regni grauitèr peccare contrà iuſtitiam, niſi illos retineant, vt liberent à vexatione Domini iniuſta. Quidquid ſit de hac prima difficultate videant Lectores.

3 Quid ſentiendũ ſit, ſi ſeruus adhuc vagetur intra confinia regni.

In ordine ad ſecundam abſolutè ſentirem in caſu, quo ſe poſſet redimere pecunia, teneri ſic redimere, & ſic grauitèr peccare, ſi ſine redemptione ſe ſubtraxerit à Domino. Conſentit *Petrus à Nauarra d. lib. 3. de reſtitut. c. 1. n.* 202. Ratio ex eo deducitur, quia denegari non poteſt, quin iure captiuitatis in bello iuſto iuſtè detineatur, & ſit ſeruus, ergo in tantum ſolummodò poterit ſe ab illa captiuitate ſubtrahere, in quantum ius naturę tribuit eidem facultatẽ ſe liberandi, quod certè ius naturæ præualet cuicunque poſitiuo, & etiam iuri gentium; ius autem naturæ non tribuit talem facultatem, niſi in caſu neceſſitatis, qua ſcilicet aliter non poſſit ſe ſubtrahere, eo modo, quo idem ius naturæ non tribuit facultatem ad accipiendum alienum, niſi in caſu neceſſitatis extremæ, vel grauis per ea, quæ alibi diximus.

4 Si habeat, quo ſe redimat, nõ poteſt ſe ſubtrahere per fugam.

Aſſertio II. Seruus iure venditionis ex propriæ voluntatis arbitrio non poteſt licitè per fugam ſe ſubtrahere à Domino, vndè, ſi ſe ſubtraxerit, tenetur ad ſe reſtituendum *Dominicus Sotus lib.* 4. *q.* 2. *art.* 2., *Petrus à Nauarra d. lib. 3. de reſtitut. c. 1. num.* 208., & alij contra *Nauarrum in manual. c.* 17. *nu.* 104., atque hanc eſſe communem teſtatur *Molina de iuſt. & iur. tract.* 2. *diſp.* 37. *in princip. verſ. quæſtio ergo ſolum.*

5 Seruus iure venditionis voluntarię nõ poteſt fugere, & ſi fugiat, tenetur redire.

Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte licitum eſt homini ſe vendere, & in

Digitized by Google

in ſeruitutem redigere concurrentibus nonnullis conditionibus, de quibus latè *Molina de iuſt. & iur. tract. 2. diſp. 33. verſ. tertius titulus eſt* per textum *in l. 1. & 4. ff. quibus ad libert. proclam. non liceat, & l. liberis ff. de liberal. cauſ.*, ex alia parte ſuppoſita valida venditione ex propriæ voluntatis arbitrio nullus titulus ſuppetere poteſt vendito ſe ſubtrahendi ab onere, cui ſpontè ſe ſubmiſit; quod enim eidem ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt; nec ipſum eximit ab onere titulus, quod ipſi nimis graue ſit, ſiquidem illud elegit volens, non coactus, & ſibi imputare debet, quod tali oneri ſe ſubiecerit; nec item ipſum eximit ius libertatis, quod videtur eſſe naturale, & fortius quocunque alio iure poſitiuo humano, & etiam gentium; Non, inquam, eximit, quia ſeruitus non contrariatur, nec derogat iuri naturali; non etenim natura prohibet ſeruitutem tanquam peccatum, alias nunquam eſſet licita, quod eſt contrà omnium DD., etiam Theologorum conſenſum. Deindè in ordine ad ſenſum huius aſſertionis dicere poſſumus, quod ad ſummum eſt naturale ius libertatis ſecundum eam rationem, qua nemo ſubijci poſſit ſeruituti contra propriam ipſius voluntatem, non autem ſecundum eam rationem, ſecundum quam non poſſit volens ſubijci, cum libertas poſita ſit in ipſius conſilio iuxtà illud Eccleſiaſticis *Fecit Deus hominem rectum, & poſuit eum in manu conſilij ſui*. Quod, ſi dicatur ex hoc inferri non poſſe eſſe ſeruitutem iure captiuitatis, nec etiam in bello iuſto, quandòquidem hæc intelligitur contrà voluntatem eiuſdem captiui, adeòque contrà ius naturale cuicunque inditum a natura; tunc reſpondebo primò, cum *Soto lib. 4. de iuſt. q. 2. art. 2. in reſp. ad augmenta*, dupliciter aliquid poſſe eſſe intentum à natura; primò ſecundum primã intentionem; ſecundò, quantum ad intentionem ſecundam; primo modo, ſeu iuxtà primam intentionem intendit v. g. generationem ad conſeruationem ſpeciei; Secundo modo, ſeu quantum ad ſecundam intentionem intendit corruptionem neceſſariam ad generationem; ſic applicando doctrinam hanc generalem præſenti inſtituto aſſero, quod natura intendit libertatem ſecundum primam intentionem, quatenus ordinauit omnes homines eſſe natura ſua liberos; defficiente verò hac prima intentione propter peccatum originale irrepſit pæna, quæ eſt naturæ corruptæ conformis, quandòquidem orta eſt inordinatio, ſubſecuta ægeſtas, & bellorum diſſidia, & per conſequens etiam occaſio legalis ſeruitutis, quæ ex bellis oritur. Secundo ius naturę duplex quodamodò eſt, aliud ſtrictum, ſeu ſecundum prima principia, & hoc vtique indiſpenſabile eſt, aliud latum, & ſecundum ſubſequentia, & hoc interueniente legitima cauſa eſt diſpenſabile etiam per ius poſitiuum, & gentium. Hac ratione ius naturę omnia fecit communia, quia tamen hoc non eſt ius commune naturæ ità ſtrictum non abſtulit quominus per ius gentium potuerit induci diuiſio, & appropriatio dominiorum per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic prænot. 1.*; ſic etiam ad præſens inſtitutum libertatem omnibus contulit, non tamen abſtulit, quominus interueniente ratione peccati, inordinatione ne dum potentiarum, ſed etiam hominum inter ſe poſſet per ius gentium induci ſeruitus in ordine ad particulares perſonas, quod maximè habetur per ius belli.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Quibus modis aliquid dicatur inditũ à natura.

Hic non poſſum acquieſcere *Nauarro in manual. c. 17. n. 104.*, qui indefinitè ſentiens ſeruum non poſſe a Domino ſe ſubtrahere per fugam non diſtinguens inter ſeruum emptum, & ſeruum bello quantumuis iuſto captum damnat Sotum, & alios inconſequentiæ eo, quod affirment ſeruum emptum non poſſe licitè fugere, negent verò de ſeruo bello iuſto capto; atque, vt hunc ſuum ſenſum confirmet, aſſerit in primis nullum eſſe fundamentum diſtinguendi inter ſeruum emptitiũ, & bello captum; tum quia textus, qui allegantur per Sotum, non diſtinguunt inter ipſos; tùm quia in alio iure, ſiue canonico, ſiue ciuili non reperitur diuerſimodè diſpoſitum. Deindè hanc addit rationem ſatis prima fronte efficacem; quod ſcilicet plus ius Domino tradere potuit publica auctoritas, quam priuatus conſenſus *arg. l. liber homo ff. ad leg. Aquil. & c. contingit de ſent. excommun.* cum plus polleat publica poteſtas, quam priuata cuiuſcunque hominis ſecundum ſe ſumpta, & publica poteſtas quoad hoc plures in innumeris bellis conſeruarit à morte, quod non præſtat priuata; Non, inquam, poſſum acquieſcere, quia diuerſa omninò militat ratio in ordine ad ius ſe ſubtrahendi à Domino, quandò quis conſtitutus eſt ſeruus iure captiuitatis in bello, ac quandò conſtitutus eſt iure venditionis ex propriæ voluntatis arbitrio, per ea, quæ ſuperiùs probata ſunt, cum libertas ſit in manu, & conſilio hominis conſtituta, & ſi quandòque in pænam in manu alterius etiam ſit poſita denegari nõ poteſt, quod reſpectu alligati ſeu capti non ſit coacta, à qua propterea, cum ſit grauis, & quodamodò compa-

6 Diuerſa ratio de ſeruo capto in bello, ac de ſeruo emptitio.

Digitized by Google

retur morti naturali non eſt, cur non poſſit ſe ſubtrahere per fugam, ſicuti poteſt ſe ſubtrahere ad euitandam mortem, quandò iuſtè detinetur in carcere; Neque ea, quæ affert Nauarrus, poſſunt officere; non primum, quia, pręterquamquod ſuperiùs notatum eſt videri ſcilicet textum in *c. ſi quis ſeruum* 17. q. 4. limitatè loqui de ſeruo emptitio, cum loquatur in præciſis terminis ſerui, qui potius intelligitur de emptitio, quam de capto in bello, cum hic dicatur captiuus, vel mancipium, adhuc ratio ſuadet de eodem emptitio præciſè eſſe intelligendum; nam hæc diſpoſitio eſt correctoria quodamodò iuris naturæ, ſecundum quod cuicunque inditum eſt ſeruare, vel conſequi libertatem; ius autem correctorium iuris naturæ ſemper eſt ſtrictiſſimè interpretandum, & prout verba ſonant, in ſtrictiori, & rigorioſiori ſenſu; verba autem loquuntur præciſè de ſeruo, qui potiùs refertur ad emptitium, quam ad captum in bello, qui rigoroſè dicitur mancipium, prout ſupra; Non ſecundum, quia, præterquamquod DD. non minimi nominis interpretantur *Gloſam ſuper c. ius gentium diſt.* 1. relatiuè *ad c. ſi quis ſeruus* 17. q. 4. dumtaxat de eiſdem ſeruis emptitijs, iura adhuc interpretationem debent recipere ab alijs iuribus præcipientibus in correctorijs limitationem ad caſum ſtrictũ, & rigoroſum, qualis eſt de ſeruitute voluntaria, non coacta; Non tertium, quia publica poteſtas eſt ſolummodò coactiua, & directiua quoad perſonas, & bona priuatorum, poteſtas autem priuata in ordine ad perſonam, & bona propria eſt quodamodò dominatiua, & tanquam in rem propriam; illa obligat quodamodò vim inferendo, hæc per voluntariam ſubiectionem iuribus etiam comprobantibus; in illa concurrit ſolummodò ius publicum ſine voluntate captiui; in iſta concurrit cum iure publico voluntas etiam perſonæ, quæ in ſeruitutem redigitur; vndè, quamuis ius publicum iuſtè adigat in ſeruitutem captiuos iure belli, non propterea demit ius, quod habent ipſi captiui ſe ſubtrahendi ab illa per fugam, ſicuti quamuis iuſtè delinquentes damnet ad mortem, non tollit, quod, ſi ſe ſubtrahant ab illa per fugam, licitè ſubtrahant, cum mors, & perpetua ſeruitus quodamodò ſibi æquiualeant, & vtique ſubijciantur per vim, & coactè, quod non euenit, quandò ex propriæ voluntatis arbitrio ſe ſubmiſſerunt perpetuæ ſeruituti; quia tunc ceſſerunt iuri ſe ſubtrahendi.

Soluuntur rationes contrariæ Nauarri.

Aſſertio III. Serui domi nati ex Matre bello capta probabilius poſſunt à Dominis fugere, non ſic domi nati ex Matre ſerua effecta per legitimam ſui venditionem.

Pro intelligentia aſſertionis aduerte 7 præter commendatos titulos ſeruitutis, nempè iure belli, & iure venditionis aliũ ad numerari, qui dicitur ex natiuitatis conditione, & tunc eſt quandò quis naſcitur ex Matre ancilla manente ſub poteſtate Domini, & dicitur ſeruus domi natus. Dixi *ex Matre ancilla*, quia partus ſequitur ventrem *l. partum C. de rei vendic. §. penult. Inſtit. de iure perſon. §. ſed & ſi quis Inſtit. de ingenuis, & c. vnico de natis ex libero ventre*, hocque intelligitur, ſiue Pater fuerit liber, ſiue ſeruus, ſiue ipſe partus fuerit conceptus, & natus ex legitimo matrimonio, ſiue ex copula fornicaria, prout notat *Molina tract. 2. de iuſt. & iur. diſp. 33. in fin.*, & iure quidem congruo inductum eſt, vt partus ventrem ſequatur, tum quia de Matre conſtat, de Patre verò nihil poteſt eſſe certum; tum quia Mater periclitatur in partu, non ſic Pater; tum quia plus concurrit Mater ad nutritionem, & educationem, quam Pater, plus impeditur à Domini obſequijs eadem Mater tam dum grauida eſt, quàm cum proles educatur, ac impediatur Pater; vndè merito nos etiam docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. diſq. 2. §. 13. nu. 3.*, quod filij quoad ſeruitutem ſequantur conditionem Matris, quod etiam docent *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 4 in corpore*, *Baldus in l. fin. paulo poſt princip. ff. de ſeru. fugit.*, *Salicetus in l. partum in fin. C. de rei vendic.*, *Angelus §. ſed & ſi quis Inſtit. de ingenuis*. Quibus pro notitia ſuppoſitis

Serui nati ex Matre captiua poſſit fugere, non ſic ſerui nati ex Matre emptitia.

Quinam ſint ſerui domi nati.

Probatur primò quoad primam partem. Parentes huius prolis ſerui effecti iure captiuitatis in bello poſſunt licitè ſe ſubtrahere per fugam à Dominis, ſub quorum poteſtate ſunt conſtituti per ea, quæ in prima aſſertione commendauimus, ergo etiam eadem proles nata ex his parentibus ſeruis iure captiuitatis in bello poterunt ſe à Dominorum ſeruitute ſubtrahere per fugam. Conſequentia probatur, tum quia, & ipſi intelliguntur coactè in ſeruitutem redacti coactione parentum perſeuerante in filios; tum quia ipſi ſequuntur ius parentum, & conditionem ipſorum, adeò vt, ſi illi poſſunt ſe ſubtrahere, etiam filij eodem iure idem poſſint efficere; tum quia pro filijs captiuorum videtur ſpecialis ratio, quæ non militet pro ipſis captiuis, quandoquidem ipſi ſunt innocentes, qui propterea non videntur poſſe detineri, niſi iure, quo parentes detinentur; ſicuti igitur parentes poſſunt fugere non eſt, cur non

Filij ſequuntur ius, & cõditionem parẽtum.

non

Digitized by Google

non poſſint, & ipſi filij innocentes fugere.

Probatur ſecundo quoad ſecundam partem, quia filij quoad ſeruitutem, & libertatem ſequuntur conditionem parentum cum omnibus iuribus, & oneribus ipſorum, ſed parentes, qui ſe ſpontè, & ex propriæ voluntatis arbitrio ſe vendiderunt, non poſſunt licitè ſe ſubtrahere per fugam à ſeruitute Dominorum per ea, quæ ſuprà probauimus, ergo nec eorum filij; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod parentes ſint conſtituti ſerui ſpontè, & ex propriæ voluntatis arbitrio, qui propterea non poſſunt ſe ſubtrahere à ſeruitute; filij autem tales conſtituti ſunt ſine eorundem conſenſu, & voluntate, qui propterea videntur maius ius habere ſe ſubtrahendi, ſicuti dictum eſt de Patribus captis in bello propter eam rationem, qua ſine propriæ voluntatis aſſenſu illi ſeruituti ſubijciantur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ex quo filij accedunt Dominis iure materno, ſeu acceſſionis eodemmet iure acquiruntur Dominis, quo parentes, ſeu mater ſine alio voluntatis actu, ſeu ſine alia aprehenſione, & filij ipſi debent imputare propriæ conditioni, quod ſine proprio voluntatis actu talitèr ſubijciantur, cum natura ipſa ſuppleat defectum voluntatis, nec ab extrinſeco vim inferente compelluntur ad talem ſeruitutem, ſed à propria conditione, ſeu à natura ipſa natiuitatis.

Filij accedunt dominis iure acceſſionis ad Matrem.

8 Serui in pluribus ſibi acquirunt, non Dominis.

Aſſertio IV. Quamuis regularitèr verum ſit, quod *quidquid acquirunt ſerui propriè ſumpti, acquirant Dominis*; in pluribus tamen verificatur, quod ſibi acquirant, non dominis, adeò vt grauitèr peccent ipſi domini, ſi ſic acquiſita ſibi vſurpent per ea, quæ docuimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſociet. diſq. 2. §. 3.*, *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 38. num. 5.*, *Fagundez de iuſt. & contract. lib. 1. c. 20. nu. 2.*, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. nu. 216.*

Ratio ex eo deducitur, quia ſerui propriè ſumpti, ſeu mancipia non ſunt incapaces dominij ad differentiam regularium profeſſorum, prout docent *Rebellus lib. 1. de oblig. iuſt. q. 11. ſect. 2.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 4. dub. 4.*, *Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 38.*, *Sayrus in claui Regia lib. 9. c. 6. n. 37.* *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 24. nu. vlt.*, *Fagundez tom. 2. decalogi lib. 7. ad tertium præceptum*, ergo non erit, cur in ſpecialibus caſibus impediantur, quo minus ſibi acquirant, non Dominis.

9 Enumerantur caſus, in quibus ſibi acquirunt.

Caſus autem, in quibus ſibi, non Dominis acquirunt, iam expendimus. Primus eſt, quandò intercedit pactum inter Dominum, & ſeruum, vt hic ſingulis hebdomadibus, vel menſibus, vel annis tribuat Domino determinatam ſummã, reliquum verò, ſi acquiſierit, ſibi acquirat *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 38. num. 5.*, *Fagundez de iuſt., & contract. lib. 1. c. 20. nu. 2. & 4. & nos ipſi d. tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietate diſq. 2. §. 3. n. 5. verſ. aduerte quarto*; ex quo etenim capax eſt dominij, nullus eſt modus accommodatior ad illud acquirendum, quam conuentio cum Domino.

Primus caſus.

Secundus caſus.

Secundus caſus eſt, quandò Dominus aliquid eidem ſeruo donat, vel eidem ab altero donatum, vel propria induſtria acquiſitum concedit libere habere *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 24. num. vlt.*, *Fagundez loc. cit. n. 4.*; quinimmò his poterit ſe à Domini ſeruitute redimere *l. 1. §. ſeruus ff. de offic. prætor.*

Tertius caſus.

Tertius caſus eſt, quandò aliquid ſeruo donatur, vel legatur ſub ea conditione, vt ad Dominum non perueniat; tunc etenim donatum, & legatum videtur pleno iure pertinere ad ſeruum ipſum, prout notat *Leſſius d. lib. 2. de iuſt. c. 4. dub. 4. n. 16. verſ. ſi ſeruo aliquid donetur*, *Fagundez loc. cit. n. 4.* Sed, an in hoc caſu, ſi Dominus renuat aſſentiri eidem donato, ſeu legato in fauorem ſerui, hoc nõ obſtante acquiratur eidem ſeruo, an verò deperdatur, & redeat ad donantem, vel legantem, ſeu ad hæredes ipſorum. Petrus *à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 216.*, *Leſſius d. lib. 2. c. 4. dub. 4. n. 16.* videntur ſentire legatum, ſeu donatum amitti, & redire ad donantem, ſeu legantem, vel ad hæredes ipſorum, eo quia arbitrentur independentèr à voluntate Domini eſſe incapacem dominij, quod enim in Religioſo facit votum, id præſtat in ſeruo conditio ſeruilis cum hoc tamen diſcrimine, quod Religioſus, nec etiam ex voluntate Superioris poteſt dominium acquirere, ſeruus autem ex volũtate Domini poteſt acquirere. Ex aduerſo alij ſentiunt non obſtante voluntate reluctante Domini adhuc legatum illud, ſeu donatum acquiri ſeruo ipſi, quandòquidem, ex quo dominij eſt capax, & illud aliundè obueniat, quam ex operibus, & laboribus ipſius ſerui, non videtur poſſe à Domino impediri ad illud aſſequendum. Quid ergo in hac controuerſia aſſerendum? Fagundez *de iuſt. & contract. lib. 1. c. 20. nu. 4. verſ. ad primum, & verſ. ad tertium* cognoſcens dependenter à iuribus competere ſeruis aliquod dominium ſaltem imperfectum abſque præiudicio Dominorum, quatenus licitè res aliquas acquirant, eiſque poſſint vti, & frui, ità tamen limitatè, vt Dominus, ſi velit, poſſit eos ſpoliare tali dominio, poſſet per conſequens dicere in præſenti hy-

Digitized by Google

hypotheſi, quod legatum illud, ſeu donatum ſeruo acquireretur,ità tamen, vt à Domino poſſet ſpoliari. Nihilominus abſolutè ſentio non obſtante reluctantia voluntatis Domini acquiri abſolutè ſeruo, nec intelligi legatum, ſeu donatum caducatum propter rationem adductam pro hac opinione.

Quartus caſus.

Quartus caſus eſt, quandò aliquid relinquitur ſeruo non intuitu Domini, ſed contemplatione eiuſdem ſerui abſolutè, & ſine vlla conditione *Fagundez, & Leſſius loc. cit.*, & hoc non ſolum propter rationem adductam pro præcedenti caſu, quæ militat à fortiori in iſto, ſed etiam, quia in hoc intelligitur interuenire tacita voluntas Domini.

Quintus caſus.

Quintus caſus eſt, quandò aliquid confertur ſeruo ex ſententia Iudicis, vel ab ipſo Domino, vel ab aliquo extraneo in compenſationem in aliquo, quod non ſpectat ad ipſum Dominum, puta pro mutilatione, vel aliquo ſimili, quia vt notant *Leſſius, & Fagundez loc. cit.*, id, quod ſic datur, datur in ſolatium, & leuamen doloris, non vt Dominus diteſcat.

Sextus caſus.

Sextus caſus eſt, quandò ſeruus ex inſuetis laboribus, ad quos erga Dominum non tenetur, aliquid acquirit, vel de conceſſis ad proprium, & conſuetum vſum aliquid ſubtrahit illud ſibi reſeruans dummodò non ſit in præiudicium Domini, quatenus illis inſuetis laboribus, & ſubtractione reddatur minus habilis ad præſtanda obſequia Dominis. Alios ſimiles caſus vide apud DD.

Si autem hic inquiras, quomodò hæc conſentiant cum communi regula, qua dicitur, quod *quidquid acquirit ſeruus, acquiret Domino;* ſtatim reſpondebo, vel cum *Molina d. tract. 2. de iuſt. diſp. 38.* regulam illam non verificari abſolutè, ſed tantum regulariter, vel cum *Leſſio d. lib. 2. de iuſt. c. 4. dub. 4. n. 17. in fine* eſſe iam per conſuetudinem regulam illam mitigatam.

10 Vaſallorũ bona ſubſunt iuriſdictioni Principũ in ordine ad publicas Reip. neceſſitates, & quomodò.

Aſſertio V. Vaſallorum bona ſubſunt iuriſdictioni Principum in ordine ad publicas Reipublicæ neceſſitates, adeò vt iuſtè, & licitè poſſint ex bonis ſubditorum collectas imponere ad eaſdem neceſſitates ſubleuandas *Egidius Luſitanius in l. ex hoc iure ff. de iuſt. & iur. c. 1. nu. 26. & c. 4. n. 15. Menchacha lib. 1. illuſtr. controuerſ. c. 1. nu. 16., Surdus conſ. 210. nu. 33. vol. 2., Fagundez de iuſt. & contract. lib. 1. c. 20. n. 6. verſ. quatenus vero Principes.*

Ratio ex eo deducitur, quia Princeps intelligitur a Republica conſtitutus, tanquam Cuſtos, & Rector eiuſdem Reipublicæ ad eandem ſcilicet tuendam, conſeruandam, ipſiuſque bonum procurandum, ergo ex vi proprij muneris vrgente aliqua graui neceſſitate poterit ſubditos compellere ad ea eroganda, quæ ad eandem neceſſitatem euertendam, & bonum eiuſdem Reipublicæ acquirendum, vel conſeruandum ſunt neceſſaria; ſi etenim obligatur ad finem, vtique habere debet media proportionata ad eundem finem conſequendum, & cum finis ipſe intelligatur eſſe in vtilitatem ſubditorum, vtique ex bonis ipſorum debet acquiri.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Confirmatur primò, quia Princeps comparatur ad Rempublicam, tanquam tutor, & curator ad pupillos, & minores; ſed tutores, & curatores ex bonis pupillorum, & minorum conſulunt eorum neceſſitatibus, eorumque commoda, & vtilitates comparant, & damna euertunt, ergo & Principes ex bonis ſubditorum debent eorum conſeruationem, incolumitatem, & vtilitates comparare, eorumque damnis, & periculis obuiare. Confirmatur ſecundò, quia *ex D. Thoma 2. 2. q. 58. art. 6.* iuſtitia legalis principalitèr, & architectonice reſidet in Principe, ſed ad iuſtitiam legalem ſpectat procurare bonum commune Reipublicæ, & cæteras virtutum functiones ad hoc deſtinare, &, ſi Reſpublica verſetur in periculo, omnibus modis eam tueri, ordinare media ad illius incolumitatem, & conſeruationem, prout docet *ibidem idem D. Thomas*, ergo in ordine ad hæc munera poterit vti bonis partium eiuſdem Reipublicæ, cui etenim cedit commodum conſeruationis, & reparationis, cedere debet, & incommodum ſolutionis ad eandem obtinendam, & conſeruandam. Confirmatur tertio, quia Principes ad conſeruationem regni, & retentionem bonorum honoris, & famæ poſſunt de iure gentium bellum hoſtibus indicere, & vaſallorum, & ſubditorum perſonis poſſunt licitè, & iuſtè vti in bello, vt eſt in confeſſo apud omnes, & communi praxi comprobatur, ergo à fortiori poterunt vti rebus illorum vrgente neceſſitate *arg. textus in l. ſancimus 1. circa fin. C. de Sacroſanct. Eccleſijs;* vndè in ea hypotheſi iuſti belli poterunt collectas imponere vaſallis, & ſubditis vaſallorum.

Nonnullæ dubitationes excitatæ circa præſẽs aſſertum.

Hic ſolum nonnullæ oriuntur difficultates, an extante aliqua graui in Republica neceſſitate poſſint Principes iuſtè compellere aliquos ex ſua ditione, ſeu Principatu ditiores ad contribuendam totam ſummam requiſitam ad reparationem illius neceſſitatis, & ſi hoc præſtiterit, teneatur ad illius reſtitutionem, & ex quibus bonis. Secundo, an, ſi Principes ad ſubleuandam v. g. exercitus neceſſitatem acceperint ex bonis ſolummodò aliquarum perſonarum, vel alicuius determina-

Digitized by Google

minatæ communitatis teneantur compenſare eiſdem perſonis, ſeu communitati ex bonis à tota vniuerſitate colligendis, vt ſeruetur proportio inter omnes. Tertiò, an ſolum poſſint Principes accipere ex bonis vaſallorum, ſeu ſubditorum in ordine ad neceſſitates Reipublicę communes, an verò etiam in ordine ad neceſſitates proprias, quinimmò etiam congruas recreationes.

11 Poſſunt compellere ditiores in neceſſitate vrgēti Reipublicæ erogare, ſi poſteà ex collectis communibus eiſdem cōpenſent.

Ad primum aſſero, vrgente graui neceſſitate, & non admittente temporis moram, vel ad euitanda damna Reipublicæ imminentia, vel bona comparanda poſſe Principes compellere aliquos ditiores ex ſua ditione ad contribuendam ſummam neceſſariam pro tali neceſſitate, teneri tamen, ſi reparatio damni, vel comparatio boni fuerit in communem Reipublicæ vtilitatem ex communibus collectis eiſdem tantum contribuere, quantum ſufficit ad conſtituendam congruam proportionem, & diſtributionem ad normam iuſtitiæ diſtributiuæ inter omnes, quinimmò etiam ad compenſationem damnorum, ſeu lucri ceſſantis, ſi quæ ipſis ditioribus obuenerint ex illa integra ſolutione facta vrgente neceſſitate ad exigentiam Principum. Conſonat cum illis, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de mutuo, & vſuris prænot. 2. n. 2. & diſq. 5. §. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia ęquum non eſt, vt determinatæ perſonę onera totius Reipublicæ in proprijs bonis ſuſtineant, & Princeps cum non ſit proprietarius bonorum ſuorum ſubditorū, ſed ad ſummum Ecconumus in caſibus neceſſitatis Reipublicæ debet æquè omnes reſpicere in ordine ad iura, & onera, commoda, & incōmoda eo modo, quo in regimine Eccleſiaſtico quoad decimas in ordine ad onera Eccleſiæ obeunda reſpiciuntur ſingulæ perſonæ ad ratam bonorum earundem, vt ſcilicet ſinguli cum proportione conferant, ergo, ſi determinatæ perſonæ ſic exigente Principe in caſu neceſſitatis pro omnibus contribuerint, erunt ex omnium bonis ad ratam compenſandæ, & ad hoc Princeps abſolutè tenetur. Dixi *quinimmò etiam ad compenſationem damnorum, ſeu lucri ceſſantis*, quandòquidem, cum damna illa, ſeu ceſſationem lucri illæ perſonæ ditiores paſſæ fuerint ex cauſa Reipublicæ, ſeu ob vtilitatem omnium ſubditorum, ex bonis omnium debent compenſari.

12 Ad ſubleuamen exercitus poſsūt cōpellere priuatos,

Ad ſecundum etiam aſſero, quod, ſi ad ſubleuādam exercitus neceſſitatem à priuatis perſonis, vel a priuata communitate pecuniam, ſeu bona acceperit, & exercitus fuerit ad totius Principatus vtilitatem ordinatus, teneatur collectas ab

& cōmunitates cū onere tamen compenſandi ex cōmunibus collectis.

vniuerſo Principatu exigere, & compenſare ad ratam perſonas, ſeu Communitatem illam particularem, quæ bona illa contulerunt; ſi verò exercitus fuerit ordinatus ad ſpecialem vtilitatem illius Communitatis, ſeu perſonarum, non tenetur quid contribuere pro illis bonis, quæ accepit. Ratio primæ partis deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti dubio; cum etenim expenſæ factæ fuerint in ordine ad bonum publicum, & ſingulorum ſubditorum, de bonis omnium ſunt reficiendæ. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cauſa priuata aliquarum perſonarum, ſeu particularis, & priuatæ Communitatis non exigit commune diſpendium, verum tamen eſt, quod cum bonum vnius Communitatis ſub eodem principatu maximè in ordine ad bellum, vt plurimum conferat ad bonum totius Principatus, & damnum, quod in vna parte ſequitur, redundat in damnum totius, videantur teneri cæteræ partes ad conferendum, potiſſimum cum id, quod modo contingit in vna, poſſit poſteà in alia contingere, & partes debeant confluere ad bonum totius, & regularitèr intelligitur de conſenſu populorum ſub eodem Principe hæc lex tacitè conſtituta, vt in eodē corpore politico partes adinuicem ſibi ſubueniant. Si verò ſupponatur, quod ad ſubleuandam exercitus neceſſitatem fuerint in tranſitu per aliqua loca bona aliqua accepta, cum penuria victualium tam pro hominibus, quàm pro iumentis tunc fuerit, abſolutè crederem, tunc non teneri ad aliquam compenſationem, cum hic ſit effectus conditionis belli, & ſi modo hoc in vna parte Prouinciæ contingat, poſſit poſteà in alia contingere.

13 Poſſunt Principes nō ſolum ob publicas vtilitates, ſed etiam ad congruas recreationes de bonis ſubditorum accipere.

Ad tertium reſpondeo, non ſolum in ordine ad publicas Reipublicæ neceſſitates poteſt Princeps de bonis ſubditorum accipere, ſed etiam in ordine ad proprias, quinimmò ad congruas etiam proprio ſtatui recreationes. Quoad primam partem conſentiunt ferè communitèr DD., & præcipuè *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 229.* loquens in terminis tributorum. Quoad ſecundam conſonat cum ijs, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contract., vt ſic in diſq. §. 2. n. 8. verſ. probatur tertia pars.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia quæcunque naturalis æquitas poſtulat, vt Princeps, cui onus incumbit in temporali regendi in pace ſubditos, & expellendi hoſtes externos à finibus Reipublicæ, ſubueniatur de bonis eiuſdem Reipublicæ non ſolum quoad conſuetas neceſſitates, ſed etiam quoad extraordinarias, ſi quæ obuenerint, ſicuti enim ex vi proprij muneris

tene-

Digitized by Google

tenetur quoad Rempublicam non ſolum ad defenſiones ordinarias, ſed etiam quoad inſuetas, & extraordinarias, ità & ipſi ſubuenire debent quoad omnes ſuas neceſſitates etiam inſuetas, & extraordinarias. Ratio quoad ſecundam partem ex eo deducitur, quia ad Rempublicam ſpectat conſeruare ſplendorem, & dignitatem Principis, cum hoc redundet in maximum decus, ſplendorem, & dignitatem eiuſdem Reipublicæ, ſed conueniens eiuſdem Principis recreatio maximè confert ad ſplendorem, & dignitatem ipſius, ergo ad Rempublicam ſpectat ad eandem conferre ſubminiſtrando &c. Confirmatur, quia, ſicuti Princeps in vniuerſalibus negotijs maximum ſentit incommodum, & premitur, ità æquum eſt, vt ex publicis bonis ſentiat commodum, & ſubleuetur. Hac ratione docuimus *eod. tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic in diſquiſ. §. 2. n. 8.* poſſe Principes ad congruam ſui recreationem nedum in proprijs fundis, ſed etiam in communibus prohibere venationem, illamque ſibi reſeruare.

14 Aſſertio VI. Quantumuis vectigalium impoſitio iuſte ſit, & iuſtè inducta, quatenus fuerit per legitimam poteſtatem, & ex iuſta, & legitima cauſa, attenta tamen intentione Principis imponentis, voluntate populorum huiuſmodi impoſitionem acceptantium, locatione iuris ad exigendum, & modo, quo exiguntur, non peccant populi regularitèr loquendo in fraudandis huiuſmodi gabellis, ſeu vectigalibus. Conſonat cum ijs, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. diſq. 4. §. 9. à n. 3. vſque ad fin.* Idemque ſentire videntur *Angelus verb. pedagium §. 6., Nauarrus c. 17. n. 202.*, & latius *c. 23. nu. 55. & 60., Sotus lib. 3. de iuſt. q. 6. art. vlt. ad fin.*; quod idem ſentire videntur *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 674. nu. 9., & Lugus tom. 2. de iuſt. diſp. 36. ſect. 4.* dum aſſerunt monendos eſſe populos ad tributa ſoluenda, & antefactum conſulendos eſſe, ne defraudent, poſt factum tamen non eſſe cogendos ad reſtitutionem.

Quamuis gabellarū impoſitio in radice ſit iuſta, ex modo tamē exigendi non obligat.

Dixi, *quantumuis impoſitio ſit iuſta, & legitimè inducta,* non quod negauerim impoſitiones gabellarum iuſtas eſſe ſoluendas, cum per Sacram Scripturam aperte innoteſcat principibus eſſe ſoluenda vectigalia *ad Rom. 13. & Matth. 22.*, ſed quia ex alio capite exactio ipſa reddatur iniuſta, & defraudatio ex alio motiuo euadat licita, vt infrà.

Probatur igitur primo aſſertio attenta intentione præſumpta Principis imponentis, & populorum acceptantium. Leges non obligant, niſi ſecundum intentionem rationabilitèr præſumptam legiſlatoris, & ſecundum eam rationem, ſecundum quem acceptantur à ſubditis, ſed præſumpta legiſlatoris mens eſt, vt ſoluantur dumtaxat vectigalia, quæ petuntur, & ſecundum eam quantitatem, ſecundum quam petuntur, & ſubditi attenta etiam timoratorum praxi, & communi conſuetudine approbante nō præſumuntur alitèr acceptaſſe, vel, ſi ab initio diuerſimodè acceptarunt, ad eam moderationem non reprobatam intelliguntur reduxiſſe, ergo in caſu, quo non petuntur non intelliguntur vectores non ſoluendo grauitèr peccare. Maior appellat fundamentum non obligandi in quacunque lege, & ius obligandi ad normam illius intentionis, & acceptationis. Minor probatur, quia non præſumitur mens legiſlatoris in impoſitione vectigalium velle plus exigere, quam exigat cauſa, propter quam imponuntur, cæteroqui eſſet iniuſta, ſicuti iniuſta eſt impoſitio vectigalium ſine cauſa, vt concedunt omnes vnanimiter tam Theologi, quam iuriſperiti, ſed, ſi extenderetur etiā ad non petita, ad plura extenderetur mens Principis, ad quæ non extenditur eius neceſſitas, ſi quidem per ſolutionem eorum dumtaxat, quæ petuntur, de facto ſatisfit neceſſitatibus eiuſdem Principis, ergo &c. Hæc omnia corroborant ea, quæ refert *Cardinalis de Lugo* de potentiſſimo Hiſpaniarum Rege Phylippo II., qui Miniſtris conquerētibus contrà fraudantes vectigalia reſpondiſſe fertur. *Sinite eos; furantur enim de ſuo.* Ex quibus habes, quod Principes in impoſitione vectigalium grauiora, quandòquidem ſtatuant, quàm exigat neceſſitas, ob quā imponuntur eo, quia nouerint non petita non eſſe ſoluenda.

Non poteſt exigi, niſi iuxtà cauſas.

Probatur ſecundò, attenta locatione iuris facta per Principem ad exigenda huiuſmodi vectigalia. Principes locantes ius vectigalium longè minoris locant, ac exigat ius ad eadem vectigalia exigenda, quod alia ratione non præſtant, niſi quia ſciunt à ſubditis in pluribus fraudari, & non petita non ſolui, & nihilominus per illam locationem deteriorem tantum exigunt à conductoribus, quantum poſtulat neceſſitas, ob quam ius ad vectigalia fuit impoſitum, ergo fraudantes vectigalia non ſoluendo ea, quæ non fuerunt petita, non peccant, quandòquidem nec lædunt ius Principis, nec gabellariorum, quandòquidem ille locauit detrahendo à ſuo iure ratione talium fraudationum, iſti acquiſiuerunt pro minori ſub eodem reſpectu acquirendo ad ſummum ius ad pænas labentiū in commiſſum, ſi fortè fraudantes

Minoris locatur ius gabellarum, ac in ſe valeat.

Digitized by Google

dantes capti fuerint, & inuenti in actu fraudandi; vndè videtur dicendum leges vectigalium, quantumuis præceptiuæ ſint tamen tantum pænales ſoluendi ſcilicet ſub pæna cadendi in commiſſum, ſi fraudans fuerit in fraudatione captus, non verò obligare ſub peccato, prout notant *Angelus, & Nauarrus, qui ſupra*.

Plura exigunt gabellarij, ac debeatur.

Probatur tertiò, attento modo, quo exiguuntur ab exactionibus huiuſmodi vectigalia; hi etenim contra iura Principum, & Eccleſiaſticum, & forte etiam diuinum exigunt ab Eccleſiaſticis, à quibus non poſſunt exigere; exiguunt quoad ea, quæ pertinent ad priuatorum vſus, & neceſſaria commoda, quæ nedum ex Principum diſpoſitionibus, ſed etiam ex omni æquitate etiam naturali ab huiuſmodi oneribus abſoluuntur. Rurſus exactores regularitèr loquendo ita ad rigorem exigunt, vt decimum quemq; nummum exactiſſimè expoſcant, immo, vt apertè afferit *Sotus lib. 3. de iuſt. q. 6. art. 7. in fin.* tanta eſt quæſtorum auiditas, vt iure ſibi credito abutentes in fraudem populi nedum, quod debitum eſt ad rigorem exigant, ſed longè plus, quam debeatur.

Iuſta querella Nauarri contra gabellarios.

Hinc non poſſum, quin inueham primo contra huiuſmodi exactores auidè inhiantes etiam contra intentionem piiſſimam Principum aduerſus præcipuè Eccleſiaſticos deferentes in Ciuitates res ad proprios vſus accommodas, ab eiſque exactiſſimè exigentes gabellas. Loquar terminis, quibus iuſta ira percitus contra eoſdem exactores, & gabellarios loquitur *Nauarrus in manual. c. 17. n. 202.*, nec erubeſco eiuſdem perſonam, quoad verba formalia, quæ ipſæ adhibet, induère, dum apte ad rem præſentem conſonant, ipſorumque nimium, & iniuſtè ſollicitudinē, quo nihil melius, explicant. *Rogatus*, ſic ipſe loquitur, *plura poſſem hic addere, quæ gratia breuitatis ommitto, contentus admonere, primo eos grauiſſimè in his peccare, Deum immunitatemq; Eccleſiaſticam offendere, cenſuraſq; horrendas etiam Bullæ Cænæ Domini incurrere, multos canones famoſos infringendo, in quibus ſunt* c. bene quidam 96. diſt. c. Eccleſia de conſtitut. c. aduerſus de immun. Eccl. c. nouerint de ſent. ex commun. c. quanquam de cenſib. lib. 6., *Secundo quod gloſa ſingul. clem. præſenti de cenſib. dixit, quod iuditio ſui auctoris tota Italia, ob hac eſt interdicta, & quod de alijs Prouincijs, qui earum facta norunt, teſtificentur, quod profectò auditu horrendum eſt; Tertio, quod atteſtamur ſæpius à nobis, & noſtris famulis ſatis huiuſmodi vectigalia in multis Regnis exacta fuiſſe; ideoq; iure vereri, ne Deus Omnipotens in dies magis, & magis iratus conſultores Principum, & Rempublicarum de prædictis canonibus parum curantes, & Principes, & Reſpublicas nimium illis credentes, & exactores ſoli auaritiæ inhiantes grauiſſimè tandem caſtiget; Quarto, demirari me, quod, cum tot has cenſuras incurrant, tam pauci tamen confeſſarij locorum, vbi hæc aguntur, eas pro dignitate æſtiment, & eas incurrentibus abſolutionem denegent, & tam pauci Epiſcopi, qui excommunicatas, & interdictas perſonas, & terras, vbi hæc fiunt, iubentur, & permittuntur, denuntient, cum præceptum eis ſit à Concil. Vennenenſi d. clem. præſenti, vt ſub pæna peccati mortalis id faciant, poſtquam de eo ipſis conſtiterit, quod tamen facile conſtare poteſt, quamuis parte vocata, & audita id fieri debent per glos. memorabilem eiuſdem clem. verb. conſtiterit. Quamquam etiam teſtor multos populos Italiæ., & Gubernatores, & exactores eorum annis, quibus ego Sacræ Pænitentiariæ ſeruio à ſummo Pænitentiario S. D. N. petiiſſe abſolutiones à cenſuris ob hæc incurſis reſtitutione promiſſa parata, vel facta, quos vtinam aliorum Regnorum populi, & Rectores imitarentur. Amen.* Hæc ille; ad quæ voco huiuſmodi delinquentes, vt tandem reſipiſcant, ne, dum plura iniuſtè lucrantur, animæ ſuæ detrimentum patiantur.

Cenſura contra gabellarios exigentes gabellas quoad ea, quæ ſunt victui neceſſaria, & deſtinata vſui familiæ.

Non poſſum ſecundò, quin inueham contra huiuſmodi Gabellarios, qui eo vſque lucris, & exactionibus inhiant, vt contra quamcunq; iuris diſpoſitionem pro rebus etiam ad vſum particularium perſonarum, earumque familiæ deſtinatis irremiſſibilitèr vectigalia exigant. Clamant aduerſus iſtos omnia iura, primò commune *in l. vniuerſi C. de vectig., & commiſ.*, vt ibi latè explicant *Auguſtinus Barboſa, & Bruneman.*, qui alios antiquiores colligunt *Peregrinus de iure Fiſci lib. 6. tit. 5. nu. 23. in princip.*, quæ adeò vera ſunt, vt nec contraria conſuetudine tanquam irrationabili poſſint aboleri *Natta conſ. 655., Roland. conſ. 34. num. 19., Bec. conſ. 96. num. 9., Surdus conſ. 307. num. 2., Bruneman, vbi ſup. Auguſtinus Barboſa vbi ſup. nu. 5.*, ſecundo municipale huius ditionis, ſeu dominij Mediolanenſis in nouis Conſtitut. *ſub tit. de public., & vectig. lib. 4.*, vbi ſic legitur *Pari modo conducere, & reconducere omnibus permiſſum eſt veſtes, tam nouas, quàm veteres, ſupellectilem, & vtenſilia domus pro vſu ſuo, & familia in dominio, & extra dominium ſine ſolutione Datij*; conformitèr ad quam diſpoſitionem extat capitulum 13. Impreſiæ conceptum in ſimilibus terminis idiomate Italico; in quo etiam capitulo definitur, quod vbi inter gabellarios, & aſportantes orriretur controuerſia, an res illæ pertineant ad vſum aſportantium, nec ne, definiatur per iuramentum eorumdem

dem aſportantium, cui ſtandum eſt, & hoc etiam latè probant de iure communi *Auguſt. Barboſa vbi ſup. num. 2., Bruneman. vbi ſup. in fin., Surdus vbi ſup. num 3.*, Quæ omnia, ſi verificantur in ordine ad particulares perſonas quoad ea, quæ pertinent ad earum vſum, non video, cur fortiori iure verificari non debeant quoad Religioſos in ordine ad ea, quæ pertinent ad eorum vſum, cum ipſis aſſiſtat ſpeciale ius ipſos eximens ab huiuſmodi oneribus ſoluendi vectigalia *Burſatus conſ. 42. num. 8. & per totum lib. 1., Cloq. de contribut. c. 3. nu. 121., & de Ærario lib. 2. c. 70. nu. 13., Gunzalez Tell. in c. non minus 4. de immunit. Eccl., & ibi Auguſtin. Barboſa*, quinimmò eiſdem aſſiſtit capitulum 25. Impreſiæ, quod diſponit deberi Religioſos immunes præſeruari ſecundum conſuetudinem, & praxim, quæ hactenùs inuiolabilitèr obſeruata eſt in ordine ad res neceſſarias pro eorum Monaſterijs, & Eccleſijs licet modo ex praua auiditate Gabellariorum præſumatur non ſeruari.

Cenſura eorũ quæ cõtra auctorem à gabellarijs opponuntur.

Sed clamo ad deſertum, vbi inhiantium lucris non debitis aures obſurdeſcunt; nec loquor inaniter, licet ad auras, ſeu quaſi aerem verberans, dum in cauſa mihi contingente loquor, quæ impugnatur, vt noxia; cum ſit omni iuſtitia repleta. Plurima iam typis edidi volumina, quæ teneor ex proprij ordinis præſcripto in ſingula Collegia cuiuſcunque Prouintiæ diſtribuere, a quibus ad ratam exemplarium pecunias excipio ad ſoluendas expenſas in impreſſionibus eorundem voluminum factas, cum alia via non ſuppeteret. Hic eſt mos mei ordinis, vt iuridicis docui documentis. Dum inſiſterem pro adimplemento mei oneris traiectioni prædictorum voluminum, & a Datiorum moderatoribus opportunam facultatem iuxtà exemptionem mihi debitam expoſcerem, quæ antecedentèr ad conductionem Gabellæ factam per modernos impreſſarios liberè nemine reluctante fuerat conceſſa, ecce turbo veniens ad diſpergendum me. Opponunt primo libros meos non eſſe neceſſarios, cum plurima extent volumina de eadem materia pertractantia, & iura intelligi de neceſſarijs, non aliter. Bone Deus! in quas manus incidimus? Quos cenſores noſtrorum operum nanciſcimur? Si ageretur de adinuentionibus ad lucrandum, & diteſcendum ex exactionibus indebitis, hoc ipſorum muneris eſſet. Si de pecude tondenda ad tegendam vellere propriam auiditatem, hoc gabellarijs concedendum, ſi de ingenioſo acumine ad lucra acquirenda, non abs re contenderent. Sed gabellarium aſſuetum ad teloneum, iudicare de librorum neceſſitate, vel vtilitate, vel ſuperfluitate eſt aſinum de crocitatione corui, & modulamine Phylomelæ iudicium ferre. Modo iumenta ponunt in cælum os ſuum. Opponunt ſecundò, quod venales habeantur huiuſmodi libri, ſed quo fundamento? ipſi iuxtà conſuetum ſuæ voluntatis arbitrium ſibi confingunt. Æquum non fuit ad has inſanias ipſis gabellarijs, vt potè iurium incapacibus reſpondere, ſed res delata eſt ad Tribunal, ſeu Magiſtratum reddituum ordinariorum apud quem reſidet plenum ius cognoſcendi in huiuſmodi Daciorum, ſeu vectigalium cauſis, in quo ſumma viget æquitas, maxima prudentia, & leges omnes iuſtitiæ in ſcrinio pectoris latent; apud quem adhuc lis pendet, & à quo expectatur huiuſce controuerſiæ reſolutio, vt indemnitas Religioſi hominis contra eorundem gabellariorum tenacem auiditatem ſeruetur, nec impoſterum non debitis exactionibus vexetur.

Sed lite adhuc pendente palam fiant oculis omnium rationes, quæ pro noſtra cauſa militant, donec ſurdorum aures fauente Deo pateſcant, vel ſuffragante pietate Illuſtr. Tribunalis cauſa per definitiuã ſententiã terminetur. Mitto pro nunc conditionem Eccleſiaſtici, & Regularis, licet hæc ex omni iure, ipſum, & eius Monaſteria immunem reddat ex onere cuiuſcunque Datij, & gabellæ, prout ex allegatis iuribus docent *Burſatus d. conſ. 42. num. 8., & per totum lib. 1., Gonzalez Telle in c. non minus de immunit. Eccles.*, & fauent etiam capitula impreſiæ præcipuè 25.

Rationes pro mea opinione.

Me refero præciſè ad ea, quæ ſunt communia laicis, Eccleſiaſticis, & regularibus, niſi fortaſſis ex propriæ voluntatis arbitrio velint excludere eos à communi iure, quibus iura ſpecialitèr fauent præcipuè in hoc genere. Iura igitur, tam communia *in d. l. vniuerſi C. de vectig., & commiſ.*, quàm municipalia *in nouis. Conſtitut. Mediol. ſub tit. de vectigalib. & publ. lib. 4., & in cap. 13. Impreſiæ* libere concedunt poſſe vnumquemque conducere, & reconducere veſtes, ſupellectilem, & vtenſilia domus pro vſu ſuo, & familiæ in dominio, & extrà dominium ſine ſolutione datij. Dicant quæſo, cur hac conceſſione debeo ego priuari in ordine ad meos libros in propria collegia transferendos ad vſum ipſorum? an ſtatus Religionis, ità exoſus eſt Reipublicæ, vt non mereatur iuribus communibus gaudere? An pænam aliquam ſubire debeo ſine delicto? Aſſignent quæſo gabellarij rationem talis negationis.

Dices

Digitized by Google

Libri veniunt nomine ſupellectilis.

Dices fortaſſe primò, libros huiuſmodi non comprehendi in diſpoſitione iurium præcipuè municipalium *in illo tit. de vectigalib. & publicanis*, cum libri non veniant nomine ſupellectilis, & vtenſilium; Sed contrà, quod reſpectu baiulorum, & gabellariorum nomine vtenſilium ad proprium vſum non veniant libri, libenter aſſentior, cum illorum proprium ſit ponere manum ad aratrum, iſtorum ad Teloneum; reſpectu verò Religioſorum, quorum munus eſt inſtruere populos, ſacramenta miniſtrare, conciones habere, publicè docere, conſultationes tradere in ijs potiſſimùm, quæ ad mores pertinent, propria ipſorum ſupellex, & vtenſilia ſunt libri. Deindè omnem ambigendi locum quoad hoc tollunt nouiſſimæ Conſtitut. Mediolanenſis dominij *ſub tit. de gymnaſ. Ticinenſ. & in eo ſtudent. immunit.* vbi immunes reddentes Doctores, & ſcholares à quocunque onere ſolutionis daciorum in ingreſſu, & egreſſu è dicta Ciuitate gymnaſij Papienſis, & è quacunque Ciuitate præſentis dominij quoad omnem ipſorum ſupellectilem enumerant cum eadem ſupellectili veſtes, libros &c. ergo quia veniunt nomine ſupellectilis, & vtenſilium.

Dices ſecundò, quod diſpoſitio municipalis verificetur ſolummodò de ſupellectili, & vtenſilibus pro perſona transferente, & ſua familia, non autem pro alijs familijs; in præſenti autem hypotheſi fieret traiectio pro pluribus, & pluribus familijs, hoc eſt Monaſterijs etiam in diuerſis Regnis, & Prouincijs. Sed contrà primò, quia Religioſorum familia, ſeu domus eſt quodcunque Monaſterium, ſeu Collegium, ſecundo quia vnumquodque Collegium, ſeu Monaſterium, ſi huc tranſmitteret pecunias ad edenda volumina, & deindè quodlibet ipſorum vellet hinc traducere exemplaria ad ſuũ vſum, & commodum, certe ſtante diſpoſitione communi, & municipali hoc poſſet præſtare ſine ſolutione datij. Iam, ſi vnumquodque hoc poteſt præſtare, cur non potero ego, vt Procurator illorum ad eadem Collegia tranſmittere? Solum igitur poterit eſſe difficultas, quod tranſmittendo ſimul in magna quantitate poſſit eſſe præſumptio, quod tranſmittantur ad finem negotiationis, non ad vſum Collegiorum; ſed huic difficultati ſatisfaciam in reſponſione ad ſecundum aduerſantium obiectum.

Iam ad aduerſantium Gabellariorum obiecta diſſoluenda accedo. Ad primum gratis omninò dicitur non eſſe neceſſarios hos libros. An gabellarij reuoluerunt ea, quæ in eiſdem continentur? An ex eo, quod Bartolus ſcripſerit in materia legum ciuilium, fruſtranei ſunt DD. libri, qui poſt ipſum ſcripſerunt in tali materia? An omnia, quæ continentur in meis voluminibus continentur in illis aliorum? Deindè, ex quo conijciunt moderni Gabellarij, & eorum fautores, quod requiratur abſoluta neceſſitas? Iura hanc non præſcribunt; ex quo ipſi præſcribere præſumunt? Non ſunt neceſſaria alicui plura veſtimenta, an ipſi limitare audebunt immunitatem ad vnum? Ad rem præſentem in eadem materia de iuſtitia, & iure ſcribunt *Molina, Sotus, & Leſſius*; an ex quo quis habet Leſſium denegabunt extractionem ab hac Vrbe, & dominio Molinæ, & Soti? Oh ſi bene perponderent hæc omnia, quam turpitèr ſua auaritia deceptos ſe agnoſcerent?

Soluitur primum obiectum aduerſantium.

Ad ſecundum dico iam me ſufficientèr docuiſſe, & docere, non poſſe eſſe ſuſpicionẽ venalitatis, & negotiationis quoad huiuſmodi libros, quandòquidem mei ordinis ſtatuta expreſsè obligant Auctores ad ſubminiſtranda cuiucunque Collegio ſuorum operum exemplaria, & de hoc authenticè conſtat, & præſto ſum probare, Collegiorum numerum exhibẽdo. Ad ratam, ſeu numerum Collegiorum taxetur exemplarium numerus; vbi poteſt eſſe præſumptio venalitatis, & negotiationis? Deindè in dubio, & controuerſia ex diſpoſitione iuris municipalis, & communis ſtandum eſt iuramento traicientis. Quam maiorem probationem ipſi poſſunt exigere, quam illam, quam iura præſcribunt. Præſto fui, & ſum ad illud exhibendum conſcius veritatis. Quid amplius exigunt? Non falſa manduco iuramenta, ſicuti ipſi abſorbent ex iniquis exactionibus pocula iniquitatis.

Non poteſt eſſe ſuſpicio venalitatis.

Aſſertio VII. Vaſſalli contrahentes cum Principe, & Principes contrahentes cum ſubditis, & vaſſallis validè contrahunt, & obligantur ad inuicem nedum naturalitèr, ſed etiam ciuilitèr *Antonius Gomez tom. 2. var. c. 1., Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 261., Fagundez de iuſtitia, & contract. lib. 1. c. 20. n. 6., & alij magis communitèr.* 15

Vaſſalli cõtrahentes cum Principe, & Princeps cum vaſſallis validè contrahunt.

Ratio ex eo deducitur, quia Principes duplicem quodamodò induunt perſonam in ordine ad diuerſa munera; alteram quaſi publicam in ordine ad regimen, & poteſtatem directricem populorum, alteram quaſi priuatam in ordine ad proprios contractus, ſecundum quam conſideratur, vt ciuis, & pars eiuſdem Reipublicæ, ſed partes, ſeu ciues eiuſdem Reipublicæ valide inter ſe contrahunt, & obligantur adinuicem naturalitèr, & ciui-

Digitized by Google

Principes induunt diuerſam perſonã.

ciuilitèr, ergo etiam Princeps in ordine ad priuatos contractus cum ſubditis validè contrahit, & adinuicem obligantur tam naturalitèr, quàm ciuilitèr. Communis praxis hoc euincit, ſecũdum quam Principes locant ſubditis iura ad vectigalia exigenda facta conuentione de certa, & determinata ſolutione, & adinuicem ſibi fidem obligant. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicebantur, Principes ſcilicet comparari ad ſubditos tanquam Tutores, & Curatores ad pupillos, & minores; ſed Tutores, & Curatores nequeunt validè contrahere cum pupillis, & minoribus iuribus vndequaque obſiſtentibus, ergo &c. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, quantumuis ſecundum aliquam analogicam proportionem ità ad inuicem comparentur in ordine ſcilicet ad regimen, & poteſtatem gubernatiuam, & directiuam, ſecundum tamen aliam conſiderationem in ordine ſcilicet ad priuata commoda propria non comparantur adinuicem, vt tales, ſed vt Reipublicæ ciues, ea proportionali ratione, qua Pater, & filius poſſunt adinuicem comparari, qua tales ſunt, & ſub hoc reſpectu nequeunt ad inuicem contrahere, vel qua ſunt eiuſdem Reipublicæ ciues, puta in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, & ſic poſſunt validè adinuicem contrahere. Deindè, quod Tutores, & Curatores nequeant contrahere cum pupillis, & minoribus, eſt ex ſpeciali diſpoſitione iuris ciuilis poſitiui; æquum autem non eſt, quod Principes in ordine ad contrahendum cum ſuis ſubditis ſub hac diſpoſitione iuris poſitiui comprendantur, tum quia in Principibus non poteſt eſſe illa præſumptio fraudium, quæ præſumitur à iuribus in Tutoribus, & Curatoribus; tum quia Principes vix poſſent ſibi conſulere in rebus, & iuribus proprijs, ſi non poſſent cum ſubditis contrahere; Tutores autem, & Curatores poſſunt ſibi conſulere contrahendo cum alijs à pupillis, & minoribus.

Non in omnibus comparãtur, vt tutores, & curatores, & quare.

PRÆNOTIO XII.

De Cooperantibus tam poſitiuè, quàm negatiuè ad iniuſtas actiones, ſeu acceptiones.

CONcurrunt ad iniuſtam acceptionem, læſionem, ſeu damnificationem non ſolum cauſæ Phyſicæ, quæ ſcilicet per ſe immediatè, & directè per actionem Phyſicam influunt in damnum alterius, ſiue cum commodo proprio, vt fit in furto, & rapina, ſiue etiam ſine proprio commodo, & vtilitate, vt fit in combuſtione, mutilatione, præcipitatione rerum in flumen, & ſimilibus, ſed etiam cauſæ morales, quæ per ſe, & immediatè phyſicè non influunt, ſed tantum moralitèr alios mouendo ad damnum illud inferendum. Hæ cauſę morales ſunt in duplici quodamodò differentia; aliæ enim ſunt poſitiuæ moralitèr, poſitiuè influentes, aliæ verò negatiuæ actionem iniuſtam non impedientes. Omnes ſub illis verſiculis continentur.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Enumerãtur cauſæ morales cooperantes iniuſtę actioni.

Cauſæ contentæ ſub primis ſex nominibus ſunt poſitiuæ; reliquæ tres ſub vltimis tribus nominibus negatiuæ. De his omnibus ſub præſenti titulo peragendum eſt, de quibus latè *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7., Gabriel in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3., Silueſter verb. reſtitutio 3. qu. 6., Adrianus in quarto tract. de reſtitut. q. 1. §. circa prædicta, Ioannes Medina C. de reſtitut. qu. 7. & 8., Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 3., Coarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 12., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. per totum, Nauarrus in Manuali c. 17. à nu. 17., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. per vniuerſas ferè dubitationes eiuſdem capitis*; ſed quia in immenſum protraheretur prænotio, & difficultates inde confunderetur, ſi omnes indiſcriminatim ſub eadem agitarentur, ideò placuit eandem in plures ſectiones diuidere, in quibus omnia ſingillatim diſcutiantur.

SECTIO I.

De Cooperantibus iniuſtitiæ, & iniuſtæ actioni per iuſſionem.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine iuſſionis, & rationes circa ipſam dubitandi. 1.

Si mandatarius abſque mandato æquè bene fuiſſet damnum illaturus, quamuis nulla alia cauſa ſimilis eſſet superuentura mandans non tenetur ad reſtitutionem. 2.

Si mandans mãdatarium diſpoſitum ad damnum quoad ſubſtantiam mouerit ad nouum modum, & circunſtantiam ad nihil tenetur, ſi verò mouerit ad maius damnum, tenetur ad exceſſum. 3.

Non eximitur mandans ab onere reſtitutionis ex eo, quod, ſi ipſe non mandaſſet, alius ab ipſo mandauiſſet. 4.

Si mandatum fuerit reuocatum ante executionem non obligat mandantem ad reſtitutionem. 5.

Intellige, ſi reuocatio innotuerit mandatario. 6.

Man-

Digitized by Google

Mandans non eximitur ab onere reſtitutionis, ſi poſt executionem mandati mandet mandatario, vt reſtituat, & ipſe non reſtituit. 7. Ratum habens maleficium patratum ſuo nomine, quod ipſe non mandauit, non obligatur ad reſtitutionem. 8.

I Quid veniat nomine iuſſionis.

NOmine iuſſionis venit hic mandatum, quod quis dat alteri ad damnificandum, vel lædendum, de quo contingunt plura hic dubitari, & primò, an mandatum ad hoc, vt inducat grauem noxam, & obligationem ad reſtituẽdum, debeat eſſe tale, vt ſine ipſo damnum non fuiſſet illatum, adeò vt, ſi ſine ipſo adhuc damnum fuiſſet illatum, nec inducat grauem noxam, nec obliget. Secundò, an mandatum ſit obligatorium quoad mandantem, quandò re vera mouit mandatarium ad exequendum damnum, quod tamen damnum æquè ſecutum fuiſſet ipſo mandato non exiſtente, eo quod alius non defuiſſet, qui mandaſſet. Tertiò, an in ſuppoſitione, qua executor æquè eſſet illaturus damnum ſine mandato, ſed mandatum influxerit, vel ad diuerſo modo inferendum damnum, vel in diuerſis circunſtantijs, vel in maiori quantitate, mandatum ipſum obliget ad totum id, in quo alter damnificatus eſt, an verò tantum ad id, quod importat diuerſus modus, diuerſa circunſtantia, & diuerſa quantitas imperata. Quartò, an, ſi mandatum fuerit reuocatum per mandantem, antequam mandatarius illud fuerit executus, obliget ipſum mandantem ad reſtitutionem, ſeu compenſationem. Quintò, an, ſi mandans poſt executam actionem iniuſtam, quam mãdauerat, mandet reſtitutionem, deobligetur ab onere reſtituendi. Sextò, an, ſi quis non mandauit, nec expreſsè, nec tacitè damnum alterius, ratum tamẽ habuit maleficium ſuo nomine factum teneatur ad compenſationem, & his ſimilia

Rationes circa ipſam dubitandi.

2 Mandatarius, ſi ſine mandato erat diſpoſitus, mãdans non tenetur.

Aſſertio I. Si mandatarius abſque mandato æquè benè, & eodem modo damnum fuiſſet illaturus, quamuis nulla alia cauſa ſimilis eſſet ſuperuentura, mandans nullo modo tenebitur ad reſtitutionem ex mandato *D. Antoninus part. 2. c. 1. tit. 12. §. 12., Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 6. §. 3., Adrianus in 4. §. de concurrentibus cum fure, Nauarrus cap. 17. num. 17., D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. ad tertium;* nec in hoc diſſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. n. 4., & alij magis communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia mandans per tale mandatum non poteſt in hac hypotheſi propriè dici influxiſſe, nec moralitèr in illud damnum alteri illatum per mandatarium, nec propriè cauſa Phyſica, vel moralis illius damni, ergo non eſt, cur teneri debeat ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem. Antecedens probatur, quia mandatarius independenter ab illo mandato iam erat plenè, & perfectè diſpoſitus ad illud damnum inferendum, & ſic non fuit motus per illud mandatum, quod propterea non poteſt eſſe cauſa moralis illius, cùm cauſa moralis habeat ex genere ſuo tantum intentionalitèr mouere; Neque dicas, quod, quantumuis mandatarius eſſet iam perfectè diſpoſitus ad illud maleficium, ſeu damnum alteri inferendum independentèr à mandato, potuit tamen damnum illud etjam ab ipſo mandato accedente ante executionem operis prouenire, ſicuti idem numero effectus poteſt prouenire à duplici cauſa efficiente Phyſica æquè benè applicata ante productionem eiuſdem effectus; contrà enim impugnaberis primò, quia cauſa moralis conſideratur potiſſimum in ordine ad motionem voluntatis eius, qui debet operari; quandò autem voluntas iam eſt ſufficientèr mota ad illum effectum exequendum ex aliquo motiuo valido efficaci precedente, motiuum ſubſequens non poteſt eſſe efficax in ordine ad illam, ſicuti, quandò effectus iam poſitus eſt ab vna cauſa, altera de nouo adueniens inefficax eſt ad illum effectum iam poſitum. Secundo dicere etiam poſſumus, quod, quantumuis daremus mandatum concurrere ad illam actionem non propterea obligare mandantem ad reparationem damni ex illa ſecuti, quandòquidem illa actio, quatenus damnoſa ſecundum ſuam ſpeciem iam erat diſpoſita in voluntate efficaci damnificantis, & æquè poſita fuiſſet, ſiue acceſſiſſet, ſiue non acceſſiſſet mandatum.

Damnum oriri debebat etiã independenter à mandato.

Dixi, *æquè bene, & eodem modo,* nam, ſi verè executor, ſeu mandatarius erat paratus ad illud damnum inferendũ quoad ſubſtantiam, ſed mandans per mandatum induxit ad diuerſum modum, circunſtantiam, vel ad maius damnum, tunc controuerſia eſt inter DD., an tunc mandans ſaltem in ſubſidium teneatur ad totum damnum reparandum, an verò tantum ad illum exceſſum, vel ad illud plus, ad quod ipſe per mandatum mouit. D. Thomas *in 4. diſt. 15. qu. 1. art. 5. ad tertium, D. Antoninus part. 2. c. 1. tit. 12. §. 12.* ſuſtinent non teneri ſic mandantem ad aliquam reſtitutionem, etiam ſi mandatarium, ſeu executorem mouerit ad citius, animoſius; vel in alia circunſtantia exequendum damnum, ſeu furtum, quod fuiſſet alioqui perpatraturus quoad ſubſtan-

Ad quid teneatur, ſi mouerit tantum ad modũ, & nõ ad ſubſtantiam.

Digitized by Google

Opinio D. Thomæ aſſerẽs ad nihil teneri.

ſtantiam, licet non cum illa celeritate, animo, & in illa circunſtantia, ſi verò mouerit ad maius teneatur dumtaxat ad exceſſum, ad quem mouit per ſuum mandatum. Mens D. Thomæ colligitur ex verbis eiuſdem loco citato, vbi ſic habet *Requiritur, vt probabilitèr credat conſilium ſuum fuiſſe efficax, & quod ſine eo iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet*; vbi nota, quod duo copulatiuè requirantur, & quod mandatum, ſeu conſilium ſit efficax, & quod executor abſque mandato facturus non fuiſſet, ergo, ſi cæteroqui fuiſſet facturus, licet mandatum eſſet efficax, quatenus mouerit ad citius, & animoſius agendum, non tenebitur mandans ad cõpenſationem. Rurſus, ſi mouerit ad aliquod maius, ad quod mãdatarius nõ erat diſpoſitus, tunc certè ad illud maius tenetur, cum in ordine ad illud, & mandatum fuerit efficax, & ſine ipſo illud maius non fuiſſet commiſſum. Mens verò D. Antonini colligitur ex illis eiuſdem verbis, *Si ſine conſilio, vel mandato fuiſſet nihilominus facta rapina, vel damnificatio, & nihil ampliùs per illa eſt additum, non tenentur, niſi quantum ad eos de rapina peruenit, ſi verò aliquid ampliùs ex mandato, vel conſilio factum eſt, ad illud ampliùs tenentur inſolidum*.

Tenetur tamen ad exceſſum.

Alij verò è contra abſolutè ſuſtinent teneri ad quodcunque damnum, quod ex illa actione prouenit ſtante mandato inducente diuerſam circunſtantiam celeritatis, animoſitatis, & maioris quantitatis ab illa, in qua fuiſſet damnum illatum, ſi non acceſſiſſet illud mandatum. Rationem ex eo deducunt, quia mandatum, ſeu conſilium eſt cauſa totius actionis, prout hic, & nunc fit, ergo mandans, ſeu conſulens tenetur ad quidquid prouenit ex illa actione, quod vlterius confirmant ex eo, quod quis non poteſt eſſe cauſa iſtorum accedentium, & circunſtantiarum, niſi etiam ſit cauſa eiuſdẽ actionis quoad ſubſtantiam. Quid igitur concludendum in hac hypotheſi? Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 2. num.* 10. aſſerit vtramque opinionem probabilem eſſe; ſed exiſtimat his temporibus in ſcholis hanc ſecundam eſſe receptiorem, & amplectendam.

Contraria ſententia obligans ad totum damnum.

Abſolutè ſentio primam, cui fauent *D. Thomas, & D. Antoninus* amplectendam eſſe, vtpotè quæ probabilioribus innititur fundamentis. Moueor non ſolum auctoritate præcitatorum DD., quibus plurimum in ſimilibus eſt deferendum, ſed etiam ratione, cui innititur aſſertio, quandoquidem, ſi quandò mandatum ad nihil contulit, cum executor fuerit aliundè diſpoſitus, ſimplicitèr ad illud damnũ, ipſe mandans ad nihil tenetur, cum mandatum non fuerit efficax, & damnum ſine mandato obueniſſet, etiam quandò damnum iam erat diſpoſitum in voluntate executoris antecedentèr ad illud mandatum quoad ſubſtantiam, & ſolum mandatum contulit ad aliquam circunſtantiam, vel maiorem quantitatem, mandans ad ſummum tenebitur quoad illam circunſtantiam, & maiorem quantitatem, non autem ad ſubſtantiam, cum in ordine ad ſubſtantiam non fuerit efficax, & effectus fuiſſet ſubſecutus quoad eandem ſubſtantiam independentèr à mandato. Loquendo verò de circunſtantia, vel celeritatis, vel loci vix videtur poſſe conferre ad damnum, cum non videatur ſecundum ſe damnificare magis læſum, ac ſi damnificaretur ſine illa, adeòq; &c. Quoad maiorem verò quantitatem certè tenetur mandans, cum mandatum in ordine ad illam fuerit efficax, & in illa non eſſet ſecuta damnificatio ſine mandato.

Præfertur opinio D. Thomæ.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Ad rationes, quæ pro aduerſa opinione afferebantur, reſpondendũ eſt, & quidem ad primam dico, onus reſtitutionis in hac hypotheſi oriri præcisè ex ratione damnificationis, non à ratione cauſalitatis quomodocunque; damnificatio autem in præſenti hypotheſi adæquatè quoad ſubſtantiam æquè prouenisſet ex voluntate antecedenter mota executoris ex alio motiuo, & proptereà mandatum fuit inefficax. Dato igitur, quod, quamuis mandans fuerit cauſa totius illius actionis in indiuiduo, prout hic, & nunc fit, non tamen ſequitur, quod fuerit cauſa damnoſa, cum illa actio ſecundum ſuam ſpeciem iam eſſet diſpoſita, & determinata in cauſa exequente, & omninò ponenda; nec nouum debet apparere, quod quis ſit cauſa totius alicuius actionis in indiuiduo, prout fit in aliquo determinato tempore, & loco, nec tamen intelligatur cauſa damnoſa quoad ea, quæ ex tali actione conſurgunt, nam hoc pluribus elucet exemplis, primo in eo, qui diſpoſitum ad furandum hodie à Patre mandat differri furtum in craſtinum; hic certè eſt cauſa illius indiuiduæ actionis, quæ committitur in craſtinum, quæ certè damnoſa eſt, nec tamen damnum illatum eidem imputatur quantum ad onus reſtitutionis, quia illud damnum independentèr ab illius mandato erat ponendum. Secundo in eo, qui paratum occidere in aliquo loco mandat, vt in alio loco occidat ad cauendum maius ſcandalum; hic certè eſt cauſa illius actionis, prout in alio loco fit, nec tamen tenetur ad damna. Ad ſecundum idem ferè reſpondeas.

Satisfit rationibus oppoſitis.

Aſſer-

Digitized by Google

4 Aſſertio II. Non eximitur à graui noxa, & ab onere reſtitutionis mandans, qui ſua iuſſione mouit mandatarium ad inferendum alteri damnum ex eo, quod, ſi ipſe non iuſſiſſet, nec mouiſſet, non defuiſſet alter, qui iuſſiſſet, & mouiſſet. Conſentiunt *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 2. n. 2. verſ. dico primo, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 47.* atque pro hac opinione idem Leſſius citat *Caietanum 2. 2. q. 62. art. 6., Ioannem Medinam C. de reſtitut. q. 7., Sotum lib. 4. de iuſt., & iur. q. 7. art. 3.*

Nō excuſatur ex eo, quod, ſi ipſe nō mandauiſſet, alter mādaſſet.

Antequam accedam ad probationem præſentis aſſertionis placet aſſignare diſcrimen, & rationem diſcriminis, quod, ſeu, quæ intercedit inter hanc, & præcedentem aſſertionem, quod diſcrimen prima fronte vix videtur intercedere, adeòque videntur aſſertiones inter ſe inuoluere contrarietatem; ſi enim in prima aſſeritur, quod mandans ad nullam teneatur reſtitutionem, quia etiam ſine ipſius mandato executor intuliſſet illud damnum, ità videtur aſſerendum, quod nec in ſecunda teneatur, cum etiam, ſi ipſe non iuſſiſſet, alter non defuiſſet, qui mandaſſet, & æquè ſecutus fuiſſet effectus ille damnificationis, maximè accedente doctrina D. Thomæ ſupra allegata, quod ſcilicet ad inducendum onus reſtitutionis duo copulatiuè requirantur primò, vt *probabilitèr mandans credat mandatum ſuum fuiſſe efficax*, ſecundò, *quod ſine eo iniuſta ablatio commiſſa non fuiſſet*; hęc autē iniuſta ablatio in hypotheſi præſentis aſſertionis etiam ſine eo commiſſa fuiſſet, cum non defuiſſet alter, qui damnificationem illam, ſeu iniuſtam ablationem iuſſiſſet. Nihilominus inter vtramque manifeſtum intercedit diſcrimen, nam in caſu præcedentis aſſertionis mandans non propriè influit in illam damnificationem, cum executor independentèr ab illo eſſet efficacitèr diſpoſitus ad illud damnum inferendum; in caſu autem præſentis aſſertionis re vera, & efficacitèr mandans mouet ad illam damnificationem, & poteſt dici verè moralis cauſa efficax illius damni illati; nec obeſt, quod, ſi ipſe non mouiſſet, alter ſubſequenter ad ipſum mouiſſet; non obſtat, inquam, quia quod alius feciſſet, non tollit, quin hic antecedentèr fecerit, & ſit cauſa illius iniuſtæ actionis tactæ, & per conſequens teneatur ad compenſationem, prout expreſsè præter præcitatos DD. ſentiunt *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7., & ibi Caietanus, & in ſumma verb. reſtitutio verſ. non obſtat.* Tollitur ne, quod ego Petrum occiderim ex eo, quod, ſi ego non occidiſſem, alius occidiſſet eundem? Deindè, *neceſſe eſt*, aſſerente Chriſto Domino, qui veritas æterna eſt, & infallibilis, *vt veniant ſcandala*, & tamen non obſtante tali neceſſite grauis comminatio incutitur contra inducentem ſcandalum; *veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Si ergo non obſtante, quod ſcandalum ſit futurum ab alio, ſi ego illud non dedero, non eximor à comminata pæna, ſi re vera dederim, cur eximetur ab onere compenſandi damnum illatum ille, qui cauſam damni dedit per mandatum, ex eo, quod, ſi expreſsè mandatum non dediſſet, alter dediſſet? Porro, ſi quis per actionem realem Phyſicam executus fuerit damnum, certè non eximitur ab onere reparationis ex eo, quod, ſi ipſe non executus fuiſſet, alius damnum illud intuliſſet, vt omnes ferè teſte *Petro à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 11.* concedunt, ergo etiam, ſi aliquis per influxum moralem mandando intulerit illud damnum, non eximetur ab onere reſtitutionis, ſeu compenſationis ex eo, quod ſi ipſe non mandaſſet, alius mandatum ſimile contuliſſet. Tandem loquendo in Phyſicis, quis negaret ignem A. eſſe cauſam cōbuſtionis reſpectu huius ligni, quod re vera combuſit ex eo, quod ſi ipſe non combuſſiſſet, combuſtio ab alio igne proueniſſet?

Aſſignantur diſcrimina inter hanc, & præcedētem aſſertionē.

Rationes ſuadentes diſcrimina.

Dices quod data hac noſtra doctrina deſtrueretur communis acceptio cauſæ, quæ huiuſmodi eſt, quod cauſa propriè ſit illa, qua poſita ponitur effectus, & qua non poſita non ponitur effectus, ſi ergo ſine ipſa adhuc ſequeretur effectus ille damnificationis, quomodo poteſt dici cauſa illius? Sed contra illa cauſæ deſcriptio non eſt eſſentialis, nec neceſſaria; Quis enim diceret, quod combuſtio non procedat ab hoc igne actu comburente ex eo, quod ſi hic non combureret, alius combureret? Quis negaret me damnum Antonio imminens reparaſſe per ablationem ignis excitantis incendium in rebus ipſius ex eo, quod, ſi ego ignem illum non abſtuliſſem, alius abſtuliſſet? Cauſa igitur eſt illa, per quam fit effectus, ſeu vt loquitur *Ariſtoteles lib. 2. Phyſicorum* principium, vndè motus fit; hoc autem habetur dependentèr ab hoc principio, etiam ſi ex alio principio applicato poſſet eſſe motus. Dicere tandem poteris illam cauſæ acceptionem competere cauſæ præciſè, quatenus remota quacunque cauſa effectus eſſe non poſſit, nō autem cauſę in particulari ſufficienti, reſpectu cuius ſufficit, quod ipſa poſita ſequatur effectus, nec deſtruitur ipſius efficacia, ſeu cauſalitas ex eo, quod ille effectus poſſit eſſe ab alia ſimili cauſa, cum eiuſdem effectus poſ-

Exponitur inſtantia aduerſus dicta, ac diſſoluitur.

Digitized by Google

poſſint eſſe plures cauſæ ſufficientes. His igitur ſic pro notitia explicatis.

Probatur iam aſſertio; ex eo, quod alius per mandatum æquè damnum illud intuliſſet, quod ego per prius mandatum intuli, non tollitur, quin ego damnum illud intulerim per actionem moralem iniurioſam Domino, ergo non eſt, cur ego non tenear ad illius damni reparationem, qui enim cauſam damni dedit, damnum per ſe ipſum dediſſe videtur, & tenetur ad illius compenſationem erga Dominum. Confirmatur primò, quia ex eo, quod alius eſſet mandaturus, ſi ego non mandaſſem, non ſequitur, quod ille mandauerit, & ego non mandauerim, ſeu damnū per mandatum nō intulerim, ergo actio illa iniurioſa non eſt alteri imputanda, qui non mandauit, ſed mihi, qui mandaui; vndè iura reſpiciunt id, quod factum eſt, & à quo factum eſt, non autem id, quod factum non eſt, & à quo factum non eſt, ſed ad ſummum faciendum, ſi prius factum non fuiſſet. Confirmatur ſecundò, quia ſi alius, qui dicitur iniquè facturus, ſi ego nōn feciſſem, verè feciſſet vtique teneretur ad onus reſtitutionis, ergo ex eo, quod ego fecerim, non obſtante, quod alius eſſet facturus, ſi ego non feciſſem, vtiq; tenebor ad compenſationē.

Prima ratio ſuadens aſſertum.

Probatur ſecundò, ſi alius non eſſet illaturus illud damnum, ego, qui attuli, teneor ad reparationem illius damni, ergo etiam teneor, quantumuis alius eſſet illaturus, ſi ego non attuliſſem. Conſequentia probatur, quia alterius innocentia non debet mihi obeſſe, nec alterius futura iniquitas debet mihi iniquo, & facinoroſo prodeſſe, ergo ſi ex eo, quod alius futurus ſit innocens, non eximor ab onere reſtitutionis, ſi ego per mandatum iniuſtè damnum intuli, neque eximendus ſum ex eo, quod alius futurus ſit damnificans, ſi ego damnum non intuliſſem, quia ſemper verificatur, quod ego damnum intuli.

Secunda ratio eandem concludens.

Probatur tertiò, quia ſi executor iam ſit efficacitèr diſpoſitus ad damnum inferendum, mandatum meum intelligitur inefficax ad illud, nec ego teneor ad reſtitutionem, quantumuis damnum illud mandauerim, ergo, ſi executor ex mandato meo efficacitèr fuerit motus ad illud damnum inferendum, non eximor ab onere compenſationis, quantumuis alius per ſimile mandatum damnum illud eſſet illaturus, quia iam executor ſupponitur ex meo mandato efficacitèr motus ad illud damnum.

Tertia ratio eandē comprobans.

5 **Mādatum reuocatū ante executionem non obligat mandantem.**

Aſſertio III. Si mandatum fuerit per mandantem reuocatum, antequam mandatarius maleficium mandatū fuerit executus, & reuocatio innotuerit ipſi mandatario, mandans ex illo maleficio ad nihil obligatur, quantumuis maleficium ipſius nomine fuerit perpatratum *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 12. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 27. Medina C. de reſtit. q. 7. & alij magis communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia omnis actio, & ratio agendi in mandatarijs dependet à voluntate, ſiue implicita, ſiue expreſſa mandantis, ſine qua non agit, vt mandatarius, & nomine mandantis, ſed vt principalis, & nomine proprio, in quo caſu actio non imputatur mandanti, ſed ipſam exercenti, ſed, quando mādatum intelligitur reuocatum, & reuocatio intimatā mandatario, non eſt amplius voluntas mandantis influens in illam actionem, ſed potiùs remouens ab eadem, ergo non eſt amplius ratio agendi in mandatario nomine mandantis, adeóq; actio illa, ſi euenerit, non erit imputanda mandanti, nec obligatoria eiuſdem ad reparandum damnum, ſi indè euenerit.

6 **Intelligē ſi reuocatio innotuerit mādatario.**

Dixi, *& reuocatio innotuerit ipſi mandatario*, nam ſi mandatarius conſcius non fuerit reuocationis, & interim exequatur mandatum, vtique actio mandanti eſſet imputanda, quandòquidem apud ipſum mādatarium adhuc perſeuerat ratio agendi ex ipſius voluntate; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. 1. prænot. 5. ſect. 7. n. 5.* nempè, quod reuocatio mandati dati ad contrahendum ſponſalia, vel matrimonium, ſi fuerit facta ante eadem ſponſalia, vel matrimonium contractum, ſufficiat ad effectum inualiditatis eiuſdem matrimonij, quantumuis reuocatio non innotuerit mandatario, prout etiam docet *Gloſa clem. vnica de renunt. verb. ignorantem Felinus c. edoceri nu. 11. & c. ex parte num. 9. de reſcriptis, Vera Crux prima part. ſpecul. art. 16. dub. 6., Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. num. 264.* ergo etiam mandatum ad maleficium, ſi verè fuerit reuocatum ſat erit ratione reuocationis ad eximendum mandantem ab onere reſtitutionis, ſeu cōpenſationis, etiā ſi reuocatio eidem mandatario non innotuerit; ſi enim ad inualidandum contractum ſponſalium, vel matrimonij initum per Procuratorem ſufficit reuocatio procuræ, ſeu mandati, nec requiritur intimatio eiuſdem reuocationis, ita ad eximendum mandantem ab onere reſtitutionis videtur ſufficere reuocatio mandati, nec requiri neceſſario intimatio eiuſdem reuocationis; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, quod non ſit neceſſaria intimatio, ſeu notitia legitima reuocationis procuratoris ad contrahenda ſponſalia, vel matrimonium, ſed ſufficiat præcisè reuocatio ad effe-

Soluitur inſtantia de reuocatione mādati in ordine ad ſponſalia.

Digitized by Google

effectum, vt ſit inualidus contractus eſt ex ſpeciali iure *in c. fin. de procurat. in 6.* iuxtà naturam eorundem ſponſalium, ſeu matrimonij, quæ diſpoſitio non eſt extendenda in ordine ad alios contractus, in quibus non militat eadem ratio, prout *docuimus tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſalib. I. Prænot. 5. ſect. 6. n. 6.*, & tradit etiam *Sanchez lib. 2. de matrimon. diſp. 11. n. 6.* quod colligitur *ex clement. vnic. de renunciation. c. ex parte de reſcriptis l. mandatum ff. mandati l. 1. §. fin. ff. de contrah. empt.* Si autem inquiras rationẽ diuerſitatis quoad hoc inter contractum matrimonij, vel ſponſalium, & inter cæteros contractus; reſpondebo rationẽ ſitam eſſe in eo, quod ad validitatem actus matrimonialis requiritur abſolutè conſenſus non ſolum externus, ſed etiam internus, & vtique omninò liber, conſenſus autem internus omninò liber non eſt, quando Procurator contrahit, cum intelligatur reuocatus; iura autem in alijs contractibus ſaltem præſumptiuè poſſunt ſupplere defectũ conſenſus contrahentium, & ad hunc poſſunt compellere; in contractu verò matrimonij, vel ſponſalium iura nec ciuilia, nec canonica poſſunt talem defectum ſupplere, nec ad ipſum compellere, adeòq; &c.

Ratio diſcriminis inter matrimoniũ, & cæteros cõtractus.

7

Si mandatarius iuſſus à mandãte poſt opus executum vt reſtituat, & non reſtituit, mandans non eximitur ab onere reſtituendi.

Aſſertio IV. Si mandans poſt peractam iniuſtam, & iniurioſam actionem, quam mandauerat, mandet mandatario reſtituere, vel compenſare damnum, non eximitur ab onere reſtitutionis, vel compenſationis, ſi mandatarius in effectu inobediens huic ſecundò mandato non reſtituerit, ſeu compenſarit. *Alexander Alenſis 4. part. q. 86. membro 3. art. 4. §. 2., Gabriel in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. ſub lit. P., Medina C. de reſtitutione q. 8.* à quibus non diſſentiri videtur *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 28.* quamuis ibi videatur aliorum placita recenſere, nihil de proprio ſenſu ſtatuere.

Probatur primò, quia ipſe per mandatum fuit cauſa efficax damnificationis in effectu poſitæ reſpectu damnificati, & non ſolum voluntatis damnificandi; ergo ad eximendum ſe ab onere debet per contrarium mandatum ita operari, vt non ſolum auferat voluntatem executoris, ſed etiam actualem damnificationem, quæ ex ipſius mandato poſita eſt. Cõfirmatur, quia mandans per illud iniquum mandatum duos quodamodo læſit, executorem ſcilicet, in quo cauſauit iniquam illam voluntatem iniuſtè damnificandi, & damnificatum ipſum, cuius res actu ſublatæ ſunt, vel iniquè conſumptæ; ergo ad diſſoluendum vinculum iniquitatis vtriq; debet ſatisfacere, executori ſcilicet, ſtudendo vt voluntatem reſtituendi, qua ſuripuit, habeat, damnificato, vt actu res ſuas, quibus iniquè ſpoliatus eſt, recuperet; Neque obſtare poteſt textus *in c. omnis res 27. q. 2.* vbi dicitur, quod res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluatur, nec textus *in Inſtit. quib. mod. tol. oblig. lib. 3.* vbi ſic legitur. *Conſentaneum enim viſum eſt verbis factam obligationem, alijs poſſe verbis diſſolui*, adeòq; ſi mandato vinculum reſtitutionis contraxit, pari mandato poſſe vinculum illud diſſoluere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt benè notat *Medina C. de reſtitut. q. 8. corrol. 4. in ſolut. ad obiect.* obligatio in mandante non oritur ſolum ex mandato ſimplicitèr ſumpto, ſed ex mandato efficaci cum opere ſubſecuto, ſi enim mandatum acceſſiſſet, & effectus non fuiſſet indè ſecutus, mandans non obligaretur ad aliquam reſtitutionem, vt per ſe patet; ſi igitur debet eiſdem cauſis vinculum ſolui, qua natum eſt, debet ſolui per mandatum, non quomodocunque acceptum, ſed per mandatum efficax, ſcilicet cum ablatione damni illati.

Rationes concludẽtes circa aſſertum.

8

Ratum habens præcisè non obligatur ad damni reparationem.

Aſſertio V. Si quis, nec expreſsè, nec tacitè maleficium mandauit, ſed poſt factum ſuo nomine ratum habeat, non obligatur, quantum eſt in foro interno, ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damni ex illo maleficio ſubſecuti. *Medina C. de reſtitut. q. 7. in ſolut. ad 4. argumen., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. n. 13. & alij magis communitèr* contra *Nauarrum in manual. c. 17. n. 133.*

Ratio ex eo deducitur, quià ratihabitio reſpectu damni antecedentèr illati nullam habet cauſalitatem, etiam ſi ille, qui damnum intulit, operatus fuerit nomine illius, qui poſteà damnum ratum habuit, quandòquidem damnum illud iam patratum ſupponitur, antequam accederet actus ratihabitionis; nec obeſt, quod ipſe patrator operis, ſeu executor damni motus fuerit ad patrandum, ſeu exequendum ex voluntate præſumpta eiuſdem ratihabentis, ex fine ſcilicet eidem gratificandi, ſine quo damnum illud, ſeu maleficium non perpetraſſet, & propterea nomine illius perpetrauit; non obeſt, inquam, nam ex hoc ſequitur tantum, quod executor motus fuerit ex voluntate gratificandi, tanquam ex cauſa finali eiuſdem operis, non autem tanquam ex cauſa efficiente, & voluntaria mouente ad eiuſdem operis executionem, & damni illationem; cauſa autem efficiens, & voluntaria mouens obligatur ad compenſationem, ſeu reparationem damni, non autem cauſa finalis, qua ex ſuo arbitrio mouetur operans.

Ratihabitio nõ habet cauſalitatem in damnum iam cauſatum.

Neque hic audiendus eſt *Nauarrus in manual. d. c. 17. n. 133.* cum alijs nonnullis docentes huiuſmodi ratihabitionem retrotrahi,

trahi, & æquiparari mandato per textum *in c. ratihabitionem de regul. iur. in 6.* Non, inquam, audiendi ſunt, quia, quantumuis hoc verum eſſet in foro externo, quod maximè innititur præſumptionibus, non ſic in foro interno animæ, in quo præciſè, & nudè attenditur veritas, in foro, inquam, externo quantumuis hoc eſſet verum, (quod tamē non auſim abſolutè dicere, niſi cum multis limitationibus de quibus alibi) hoc eſt ſolummodò, quando ratihabitio à iure acceptatur loco mandati, vt acceptari ſolet in ordine ad firmandos aliquos contractus, & in ordine ad incurrendas aliquas pænas, vndè, ſi lex aliqua, ne detur occaſio ſcelerum ſub ſpe futuræ ratihabitionis, in pænam ratihabitionis obligaret ratihabentem ad reſtitutionem, conſurgeret obligatio reſtituendi non ex natura rei, nec ex vi ratihabitionis præciſè, ſed ex diſpoſitione legis, & titulo pœnæ. Deindè dici poteſt, ratihabitionem æquiparari mandato, quandò ratihabens ſciens delictum perpatrandum, & vtique ſuo nomine, cum prohibere teneretur, ipſumq; perpatratum punire, approbauit potius, & ratum habuit, tunc etenim dignus eſt, vt puniatur, ac ſi eius mandato perpatratum fuiſſet delictum; eſt enim veluti quoddam mandatum tacitum.

Ratihabitio non retrotrahitur verè, & quare.

Aduerſus aſſertionem multa congerit argumenta *idem Nauarrus d. c. 17. n. 133. verſ. nec obſtat.*, & primò deductum *ex c. cum quis de ſentent. excommunicat. in 6.* quod ille, qui ratificat percuſſionem Clerici ſuo nomine factam incidat in pænam excommunicationis ipſo iure. Secundò, ex eo, quod faciliùs, & fortiùs obligatur quis ad compenſandum damnum, quàm ad ſubeundam pœnam, nam pœnam nemo tenetur ſubire nec in foro interno, nec in externo, antequam condemnetur; reſtituere autem tenetur independenter à quacunque ſententia, & condemnatione; ergo ſi in ordine ad pœnas ratihabitio computatur pro mandato, à fortiori computanda eſt pro mandato in ordine ad reſtituendum ablatum. Tertiò, ex eo, quod ratificans rem ſuo nomine acceptam, vel iniuſtam acceptionem fingitur accepiſſe propter ſuam ratificationem, & ità non ſolum peccat, quia placet peccatum, ſed etiam, quia fit perſona peccantis ſecundum totam vtriuſque iuris prudentiam. Ità ille ſub his ferè terminis.

Nonnulla obiecta contra aſſertum.

Sed facili negotio ad hæc omnia obiecta poſſum occurrere, & quidem ad primum dico, hoc verificari iuxtà ea, quæ mox diximus, quod ſcilicet in ordine ad aliquas pænas iura obligent ratihabentem, perindè, ac, ſi eſſet mandatarius, ad eaſdem pænas, quod propterea euenit ex vi diſpoſitionis legalis, non ex natura rei, & ex vi ratihabitionis. Deindè in ordine ad cenſuras æquè poſſunt iura punire ratihabentem, ac mandantem, cum in vtroque interueniat grauis noxa, ſi exprimant, quod non militat in alijs, in quibus expreſsè non diſponunt. Ad ſecundum dico, quod licet, quandò cætera ſunt paria, fortiùs quis obligetur ad compenſandum damnum, quam ad ſubeundam pænam, non ſic tamen, quandò cætera non ſunt paria; in præſenti autem hypotheſi ex diſpoſitione iuris cætera non ſunt paria, cum in ordine ad damna illata non æquiparent ratihabitionem mandato, ſed velint tunc tantum contrahi obligationem, quandò quis eſt cauſa damni. Deindè obiectum procedit ex ſuppoſitione, quod quis obligetur ad compenſandum damnum, non autem probat, quod ex ratihabitione ſubſequenti oriatur obligatio compenſandi damnum ſecutum, quod vtique erat probandum, vt poſſet procedere argumentum. Ad tertium dico, gratis dici ratificantem fingi accepiſſe, cum facta fuerit acceptio antecedentèr ad ipſius ratihabitionem, nec in acceptione ratihabens fit perſona peccantis, cum peccans non habeat in ipſa acceptione voluntatem ratihabentis, tanquam cauſam efficientem, ſed ad ſummum tanquam cauſam finalem. Quod, ſi ſupponas, quod, vel ipſe ratihabens poſt acceptionem ſit cauſa per ipſam ratihabitionem, quod executor non reſtituat, cum cæteroqui eſſet reſtituturus, vel quod res accepta in ipſius manus deuenerit; tunc reſpondebo, quoad primum, quod iam incipiat eſſe cauſa iniqua illius detentionis, & hoc modo habeatur pro mandante, & conſulente, qui proptereà tenetur; quoad ſecundum, quod teneatur ratione rei acceptæ, quæ apud ipſum perſeuerat.

Solutiones eorundem argumentorum.

SECTIO II.

De Cooperantibus iniuſtæ actioni per conſilium.

SVMMARIVM.

Conſilium quot modis accipiatur. 1.
Diſcrimina inter conſilium, & mandatum. 2.
Conſulens ex ſtipendio non ſolum tenetur de malo conſilio ex dolo, vel culpa lata, ſed etiam ex leui. 3.
Conſulens non ex ſtipendio, ſed quia Doctor eſt, vel Theologus tenetur de ignorantia craſſa, & culpa lata, non leui. 4.
Non tenetur conſulens, ſi reſpondeat ſecundum opinionem verè probabilem. 5.

Ex

Ex conſilio noxio cum ignorantia craſſa, & culpa lata tenentur Aduocati, Doctores, & Theologi etiam in ordine ad contractum. 6.

Malè conſulens tenetur verſus eum, contrà quem dedit conſilium, non verſus eum, cui dedit. 7.

Aduerſus malè conſulentem circa delictum conceditur actio ex delicto. 8.

Sic malè conſulens non tenetur de culpa leui. 9.

Si conſulens fuerit inexpertus, & imperitus non obligatur, ſiue ſpontè conſulerit, ſiue requiſitus. 10.

Si quis conſuluerit oſtendendo vtilitatem, & honorem, quem operans conſequetur ex opere iniquo, non deobligatur, ſi conſilium reuocauerit. 11.

Si conſuluerit nullam vtilitatem oſtendẽdo, & reuocando conſilium, eximitur ab onere. 12.

Licitum eſt alicui iam diſpoſito inferre aliquod graue damnum conſulere, vt eidem minus inferat. 13.

Si conſulens diſpoſito inferre vni maius malum ſuaſerit, vt inferret alteri minus, de quo ille non cogitauerat, tenetur ad compenſationem. 14.

Si executor cogitauerit de inferendo vni graue damnum, & alteri minus, & anceps eſſet, cui inferret conſulens minus damnum in genere, non tenetur ad reſtitutionem. 15.

Si executor diſpoſitus ad inferendum vni maius damnum fuerit efficacitèr motus à conſulente ad alteri minus conferendum, de quo ſolum cogitauerat, tenetur ad reſtitutionem. 16.

1 *Quot modis ſumi poſſit cõſilium.* Conſilium multiplicitèr poteſt ſumi; primo ex parte conſulentis, vel quatenus conſulit cum ſcientia, & directè, vel quatenus nociuè conſulit ex ignorantia; Secundò ex parte recipientis conſilium, vel quatenus conſilium ſit tale, vt euidentèr oſtendat perſonæ illud recipienti vtilitatem ipſi proficuam, quæ ex illius executione proueniet, vel quatenus ſit tale, vt quamuis ſecundum ſe non ſit efficax, ex peruerſitate tamen recipientis executioni demandetur; Tertio ex parte materiæ circa quam, vel quatenus verſatur circa delictum, vel circa contractum; Quartò ex parte concomitantium, vel quateuus conſilium fuerit cum dolo, vel ſine dolo; Quinto ex parte perſonæ, à qua procedit, quatenus, vel ex officio, vel ex ſtipendio teneatur conſulere, ſeu quatenus non teneatur, ſed ad conſulendum ipſa ſuo arbitrio ſe ingerat.

Quomodocunque autem ſumatur conſilium, hoc ſemper habet diſcrimen à mandato, quod in mandato omnis ratio agendi prouenit ab ipſo mandante, cuius nomine opus illud, ſeu maleficium exequitur, adeò vt remoto mandato per reuocationẽ ceſſet quodcunque motiuum actionis; in conſilio verò, cum hoc dirigatur ad perſonam, quæ conſilium recipit, & ſit in ipſius vtilitatem, ratio agendi potiſſimum pendet ex ipſo operante, qui conſilium recepit, qui propterea operatur nomine proprio, non nomine conſulentis, & quantumuis reuocaretur conſilium, non propterea ſemper ceſſaret quodcunque motiuum agendi, cum motiuum eiuſdem actionis ſit vtilitas, quæ elucet ex conſilio in fauorem eiuſdem recipientis conſilium, quæ viget adhuc remoto per reuocationem conſilio. 2 *Diſcrimina inter cõſilium, & mandatum.*

His pro tali quali notitia ſuppoſitis ſynopſim eorum propono, quæ ſub hoc titulo examinabuntur, & primo loquendo in ordine ad conſultorem, vel ex officio, vel ex ſtipendio recepto pro conſulendo inquiretur, an ex ſolo dolo, an verò etiam ex culpa, & quanam peccet, & teneatur ad reſtitutionem, ſi quod dãnum ex ipſius iniquo conſilio prouenerit. Secundo in ordine ad conſiliarium nociuè, & ex ignorantia, qui tamen non teneatnr conſulere ex ſtipendio, ſed quoquo modo ex prærogatiua, qua gaudet, cuiuſmodi eſt Parochus, Confeſſarius, Iuriſconſultus, Theologus &c. inquiretur, ex quanam culpa peccent, & obligentur ex eodem conſilio nociuo. Tertio in ordine ad conſiliarios, quibus nec ex officio, nec ex ſtipendio conuenit conſulere, ſed, cum ſint imperiti, vel ipſi ſe ingerunt, vel ad inſtantiam conſulunt, inquiretur, an teneantur ad compenſationem damnorum, quæ ex ſuo conſilio prouenerunt. Quartò, quandò conſilium eſt manifeſtè in vtilitatem eius, ad quem dirigitur, inquiretur, an, ſi per conſiliarium ante executionem operis reuocetur, & nihilominus adhuc per eum, qui recepit conſilium, executioni demandetur, obliget ipſum conſiliarium. Quintò, an, ſi quis parato maius damnum inferre, conſulat minus, obligetur. Sextò, quid ſentiendum ſit de conſilio, vel circà delictum, vel circà contractum, & alia his ſimilia. *Articuli examinãdi circa præſẽtem titulum.*

Aſſertio I. Si conſiliarius teneatur ex ſtipendio ad conſulendum non ſolum tenetur ex malo conſilio de dolo, & culpa lata, ſed etiam de leui *Bartolus in l. non ſolum §. ſi mandato ff. de minor. circa fin. & l. ſi remunerandi §. ſi tibi eod. tit.*, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. nu. 23.*, & alij magis communiter, contra *Leſſium lib. 2. de iuſt. & iure c. 7. dub. 7. n. 33.* 3 *Cõſulens ex ſtipendio tenetur etiam de culpa leui.*

Ratio ex eo deducitur, quia, ex quo conſulens pro conſulendo ſtipendium accipit

M

Digitized by Google

cipit, videtur inter conſulentem, & eum, qui recipit conſilium intercedere contractus quidam in vtilitatem vtriuſque, quandòquidem, ſi ille, qui conſilium recipit, ſortitur commodum, quod ex conſilio prouenit, ille, qui dat, recipit vtilitatem ſtipendij, ſed in contractibus, qui ſunt in vtilitatem vtriuſque, oritur obligatio etiam ex leui culpa, vt tradunt cõmunitèr DD., & nos alibi fusè docuimus per textum *in l. contractus ff. de reg. iur.* & admittit etiam *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 7. dub. 8. n. 42.*, ergo conſulens accepto ſtipendio tenetur etiam de leui.

Intercedit cõtractus in vtilitatem vtriuſque.

Dices ex Leſſio, conductum ad certa onera ex ſtipendio non obligari ex vi illius conductionis ad maiorem diligentiam, quam communitèr debent homines eiuſdem officij; ſed homines eiuſdem officij non tenentur ad maiorem diligentiam illa, quam adhibent ſolertes in tali officio, nec tenentur adhibere illam, quam adhibent ſolertiores, ergo, nec ille ſic conductus ad quid magis tenetur, adeòque obligatur tantum de culpa graui, non de leui. Sed contrà, quia iam ipſe Leſſius recedit à generali regula, quam ipſe commendat, de obligatione ſcilicet ex leui, quandò contractus eſt in vtriuſque fauorem. Deindè maior eſt obligatio, quandò quis conſulit ſimul ex quadam præeminentia, ſeu munere, & ſimul ex ſtipendio, quam quandò ſolum conſulit ex quadam præeminentia, & prærogatiua, qua gaudet, ſed quandò conſulit ſolummodò ex quadam præeminentia, vel quia Theologus eſt, vel Confeſſor tenetur ex culpa lata, ergo quandò conſulit ſimul ex illa prærogatiua, & ex ſtipendio tenebitur etiam ex culpa leui.

Inſtantia Leſſij eiuſque ſolutio.

4 Aſſertio II. Quandò quis conſulit requiſitus ex aliqua prærogatiua, qua gaudet, vel quia Doctor eſt, vel Theologus, vel Confeſſor tenetur ex malo conſilio, ex quo damnum ſecutum eſt, ex ignorantia craſſa, & ex culpa lata, non tamen ex leui *Ioannes Medina C. de reſtitut. q. 7., Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 7. dub. 7. n. 33. verſ. dico ſecundo, Nauarrus in manual. cap. 17. n. 132., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. nu. 22., D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 12. §. 12., & alij magis communitèr.*

Cõſulens ſine ſtipẽdio ex aliqua prærogatiua, qua gaudet, nõ tenetur de leui.

Ratio ex eo deducitur, quia culpabilitèr tale conſilium præſtitit, quod fuit cauſa illius damni ſecuti, ſeu commiſſi delicti, ſi quidem actiones, quæ ex ignorantia craſſa procedunt in ijs, quæ pertinent ad proprium ſtatum, & profeſſionem, maximè ſi ſint damnoſæ imputatur ignoranti, ſeu exercenti illas ad culpam, cum ex vi proprij ſtatus teneretur ſcire, & in conſulendo, ſeu reſpondendo errorem, vel negligentiam vitare, ergo, ſi ex ignorantia craſſa, vel culpa lata conſuluerit, & ex conſilio damnum emanauerit, tenebitur &c. Confirmatur, quia denegari non poteſt, quod ex vi illius conſilij fuerit cauſa efficax illius delicti commiſſi, & damni ſecuti, ſi quidem, ſi ipſe non conſuluiſſet, actio illa non fuiſſet poſita in eſſe; nec poteſt excuſari de iniquo conſilio, ſi quidem cum ſciret conſilium fuiſſe poſitum in ordine ad actionem, ſi ignorabat, debebat abſtinere, donec &c. vel conſuetam in ſimilibus diligentiam adhibere, ergo, ſi non adhibuit, & peccauit, & tenetur &c.

Rationes efficaces pro aſſerto.

Hic tamen aduertendum eſt, quod, ſi conſulens reſpondeat ſecundum opinionem, quæ ſit verè probabilis, non peccet, nec ad aliquam compenſationem teneatur, ſi ex illo conſilio damnum aliquod emanauerit, quandòquidem proceſſit iuxtà dictamen prudentis rationis, prout notauit *Leſſius lib. 3. de iuſt. & iur. c. 7. dub. 7. n. 33. verſ. aduerte tamen, & prima ſecunda q. 19.*; nec item peccat, nec tenetur ad reſtitutionem, ſi propriè non conſulat, ſed præcisè aperiat mentem ſuam, indicans tamen ſe dubitare, quia tunc actio potius computãda eſt operanti, quia nemo poteſt aggredi opus aliquod licitè ſine prudenti, vel probabili iudicio, quod non habet ex illo conſilio, cum conſulens indicet dubitare. 5

Non tenetur tamen conſulens, ſi reſpõdeat ſecundum opinionẽ vere probabilem.

Ea, quæ dicta ſunt in præcedenti aſſertione, videntur procedere, quandò conſilium ex illa ignorantia, ſeu culpa lata eſt in ordine ad delictum, ſed quid dicendum ſit, quandò huiuſmodi conſilium fuerit in ordine ad contractum? Petrus à Nauarra *d. lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 23.* loquendo de conſulentibus, qui ratione ſuæ profeſſionis videntur excellere, cuiuſmodi ſunt Aduocati, Theologi, Doctores, & ſimiles, expreſsè aſſerit ex tali conſilio etiam in ordine ad contractum teneri, quod etiam videtur ſentire *Ioannes Medina C. de reſtitut. q. 7. in ſol. ſecundi argumenti*; cum quibus ſit

Aſſertio III. Ex conſilio nociuo dato cum ignorantia craſſa, & culpa lata tenentur Aduocati, Doctores, Theologi, alij que, qui ratione profeſſionis, quam exercent, & eminentiæ, qua periti in tali re, vel negotio habentur, etiam in ordine ad contractum. 6

Tenetur ex ignorãtia craſſa ex vi profeſſionis etiam in ordine ad cõtractum.

Ratio ex eo deducitur, quia etiam in ordine ad contractus denegari nõ poteſt, quin ex errore in conſulendo cauſa fuerit illius iniuſtitiæ, quæ in contractu reſultat, quem errorem ex vi proprij muneris vitare tenebatur, ergo ex illo errore

ſi

Digitized by Google

ſi fuerit per ignorantiam craſſam, ſiue per culpam latam tenebitur iuxtà textum *in c. fin. de iniur. & damn.* nam ſicuti ex illo conſilio in ordine ad delictum diceretur cauſa moralis illius delicti, ità ex illo conſilio in ordine ad contractum cenſendus eſt cauſa moralis iniuſtitiæ, quæ in illo contractu reſultat.

Quæſita nonnulla circa aſſertum.

Circa ea, quæ dicta ſunt in præſenti, & præcedenti aſſertione, multæ conſurgunt rationes dubitandi, quas mox profero, & explano. Prima eſt, an malè conſulens, ſiue in ordine ad delictum, ſiue in ordine ad contractum, teneatur verſus eum, cui conſilium dedit, an verò verſus eum, contra quem conſuluit, vel cui damnum prouenijt. Secunda, an aduerſus ſic conſulentem concedenda ſit actio ex dolo, an verò ex maleficio, ſi conſilium fuerit in ordine ad delictum, an verò ex contractu, ſi fuerit in ordine ad contractum iniuſtum. Tertia, cur etiam non teneatur ſic malè conſulens ex culpa leui.

Malè conſulens tenetur verſus eum, côtrà quē conſuluit, nō verſus eum, cui côſuluit.

7 In ordine ad primam arbitror, ſic malè conſulentem teneri verſus eum, contrà quem conſilium illud præſtitit, non verſus eum, cui conſilium dedit, ſaltem regularitèr loquendo. Conſentit in hoc *Petrus à Nauarra d. lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 22. & lib. 2. c. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia vel loquimur in ordine ad noxam peccati, vel in ordine ad onus reſtitutionis; ſi in ordine ad primum, clarè liquet non obligari ex lege iuſtitiæ, quia quantumuis grauitèr peccarit ſic conſulendo, nullam tamen iniuriam intulit ei, cui tale conſilium contulit, quandòquidem ſcienti, & volenti non fit iniuria ex vulgatiſſimis iuribus, vbi autem non eſt iniuria, nec eſſe poteſt iniuſtitia, nec obligatio reſarcendi, atque ita teſte *eod. Petro à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 2. nu.* 10. ſentiunt *Siluester verb. reſtitutio 3. qu.* 1., *Cordoua in ſumma qu.* 172., *Pedrazza qu. 5. §. 7., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. concl. 3., Mercatus tract. vlt. de reſtitut. c. 2., D. Thomas opus.* 17. & 19.; Neque obeſſe poteſt; ſi dicatur, quod per illud iniquum conſilium induxerit ad tale peccatum iniuſtitiæ, adeòque teneatur erga illum ex maleficio, ad quod induxit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia per illud conſilium propriè non induxit compellendo, quia voluntas, in qua peccatum conſiſtit, propriè cogi non poteſt *c. non eſt* 25. *q.* 1., ſed ad ſummum alliciendo, quod non tollit rationem voluntarij, & ſic recurrit regula, de qua ſupra, quod *ſcienti, & volenti non fiat iniuria*; vndè non ex onere iuſtitiæ, ſed ad ſummum lege fraternæ correctionis tenebitur conſulens inducere ad bonam frugem, & criminis perpatrati emendationem propter illam rationem, quia æquitas poſtulat, vt is, qui eſt occaſio mali, præ cæteris laboret, vt emendetur. Quod ſi ſupponas, quod intantum ille, qui conſilium recepit, operatus fuerit opus ex genere ſuo malum, inquantum ex illo conſilio fuit motus, nec arbitratus fuerit eſſe opus malum ſibi ſuadens conſilium illud eſſe ſecundum dictamen rectæ rationis; tunc etiam ratione peccati non tenetur de aliquo circa ipſum operantem, cum hic in nullo deliquerit.

Nonnulla explicantur circa onus reſtitutionis quoad ſic conſulentem in ordine ad eum, qui recepit côſilium.

Si verò loquamur in ordine ad onus reſtitutionis; tunc adhuc diſtinguendum eſt, vel etenim ipſe, qui conſilium recepit ſciens iniquum eſſe, illi adhæſit, & operatus eſt, vel penitus ignorans iniuſtitiam conſilij, & operis; ſi primum; adhuc militat præcedens argumentum, quod ſcilicet voluntariè fecerit, adeòque, quod nullam paſſus fuerit iniuriam, & ſic debet ſibi imputare, cum ſciuerit, vel ſcire debuerit, ſibi non expedire; Deindè cum nouerit, vel nouiſſe debuerit iniuſtitiam, ſi actionem haberet aduerſus conſulentem, ex improbitate ſua commomodum reportaret aduerſus textum *in l. ità fullo ff. de furtis*; vel ipſe, qui conſilium recepit, penitus ignarus fuit prauitatis conſilij, & ſic, cum ipſe in nullo fuerit læſus, non habet aliquam actionem aduerſus eundem malum conſiliarium. Quod ſi dicas ipſum pati damnum ex illo iniquo conſilio, cum damnificatus in illo opere, ſeu maleficio actionem habeat aduerſus ipſum; tunc adhuc cum diſtinctione procedam; vel etenim ipſe, qui opus, ſeu maleficium compleuit ex illo iniquo conſilio aliquid ex ipſo maleficio, ſeu opere acquiſiuit, & factus fuit ditior, & tunc damnum non patitur, ſi ex actione damnificati teneatur reſtituere, quandòquidem cum ſine iure illud receperit, de iure tenetur reſtituere, & ſic damnum non patitur reddendo illud, quod iuſtè non poteſt retinere; vel ex illo opere, vel maleficio nihil acquiſiuit, cum tamen alteri damnum intulerit, ratione cuius compellatur à damnificato per actionem intentatam illud reſarcire, & tunc aſſero, non teneri verſus ipſum operantem directè, ſed tantum indirectè, quatenus tenetur compenſare id, quod ipſius nomine ipſe operans perſoluit; ex quo ſequitur, quod conſulens obligetur verſus damnificatum per ſe, & ſolum per accidens verſus operantem ex ipſius conſilio, cum regula iuris generalis ſit, quod actio mandatur læſo, ſeu damnificato.

Digitized by Google

8
Conſulẽs delictũ habet aduerſus ſe actionem ex tali delicto.

In ordine ad ſecundam *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. nu. 22.* ex Gloſa, quam ipſe citat, non tamen loco determinato, & cum ipſo in ſpecie *Innocentius 3. c. ſicut dignum de homicid. & c. ſi quis viduã diſt. 50.* præcipuè, ſi conſilium fuerit in ordine ad delictum, ſentiunt aduerſus ſic conſulentem non dari actionem ex dolo, ſed ex delicto, circa quod verſatur conſilium, vndè ſi conſuluit furtum, fur eſt, & agetur actione furtiua, ſi homicidium, homicida eſt, & agetur ex homicidio. Alij verò ſuſtinent aduerſus ipſum concedi actionem ex dolo, Quidquid tamen ſit de hoc, dummodò teneatur, parum referre poteſt, an ex vno, vel altero titulo teneatur; præcipuè tamen in ordine ad delictum, crederem, congruentiùs actionem concedendam eſſe ex eodem delicto.

9
Non tenetur de culpa leui.

In ordine ad tertiam dico, non teneri de leui culpa, quia, cum conſilium regularitèr ſit in fauorem eius, qui recepit conſilium, imitatur contractus, qui ſunt in fauorem tantum recipientis, in quibus obligatur tantum, qui dat ex culpa leui per ea, quæ alibi fusè commendauimus.

10
Cõſulens imperitus non obligatur.

Aſſertio IV. Si conſilium nociuum fuerit à perſona inexperti, & imperita eius rei, de qua agitur, nullo modo obligatur conſulens, ſiue ſe ingeſſerit ad conſulendum, ſiue requiſitus nociuè conſuluerit. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 25.* aduerſus *Ioannem Medinam C. de reſtit. q. 7. in ſolutione ad ſecundum arg.* in ea parte, qua aſſerit, teneri ſic conſulentem, ſi ſe ingerat ad conſulendum.

Ratio ex eo deducitur, quia executor operis ex illo conſilio nociuo debet ſibi imputare, quod conſilium illud adimpleuerit, cum nouiſſe potuerit, non poſſe procedere ex regula iuris, nec ex dictamine prudentis rationis, vtpotè procedens à perſona inexperti cuiuſcunque iuris, & regularum rationis imperita; vndè potius ex arbitrio propriæ voluntatis exequitur, quam ex motiuo illius conſilij, quod ſecundum ſe non eſt aptum efficacitèr mouere, ergo potiùs operanti, quam conſulenti opus executum eſt imputandum. Confirmatur argumento à contrario ſenſu deducto, quia, quandò ratione officij, eminentiæ, experientiæ, aut ſtipendij procedit conſilium nociuum, obligatur conſulens, ſiue ſe ingeſſerit, ſiue requiſitus conſuluerit, cum turpe ſit nobili, & patritio ignorare iura in ijs, circa quæ verſatur, aut verſari deberet per textum *in l. 2. ff. de origin. iuris*, ergo, quandò conſilium procedit à perſona idiota, & imperita non ſolum non obligat conſulentem, quandò requiſitus conſulit, ſed nec etiam, quandò vltroneè ſe ingerit ad conſulendum; in vtroque etenim caſu poteſt rationabilitèr præſumere ille, qui tale conſilium recepit, quod procedat ex imperitia, & ignorantia, qui propterea, ſi aliter contra talem præſumptionem operatur, debet ſibi imputare; cum enim expertes, doctoſque viros poſſet conſulere, & de veritate erudiri, acquieſcere voluit imperitorum conſilijs, in quo facto virtualitèr errare voluiſſe videtur.

Opus eſt operanti potius, quam cõſulẽti imputandũ.

11
Cum ex opere cõſulto elucet vtilitas operantis per reuocationem cõſilij cõſulens nõ liberatur.

Aſſertio V. Si quis conſuluerit verum attendendo vtilitatem, & honorem, quam, ſeu quem ille, qui recipit conſilium, ex opere iniquo conſequetur, ad eximendum ſic conſulentem ab onere reſtitutionis non ſufficit reuocatio conſilij, nec oſtenſio, quod res, quam conſuluit, ſit illicita. *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13 dub. 3. n. 16.* aduerſus *Petrum à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 27.*, *Salonium q. 62. art. 7. controuerſ. 6.*

Ratio ex eo deducitur, quia potiſſima, & principalis ratio, quæ mouet operantem ad executionem operis, eſt vtilitas, quam propoſuit conſulens reſultare ex illo opere, prout re vera reſultat, ſed non obſtante reuocatione conſilij illa ratio motiua adhuc perſeuerat; ergo, ſi non obſtante reuocatione adhuc operans perſeueret in voluntate iam mota ad operandum, & de facto operetur, adhuc conſulens ipſe obligabitur, quia ex cauſa ipſius, ſeu motione illa actio, ſeu effectus promanauit. Confirmatur primò, quia conſulens propoſita illa vtilitate, quæ reſultabit ex opere, eſt cauſa voluntatis motæ ad nocendum alteri; ergo, ſi non obſtãte reuocatione cõſilij effectus actualis nocumenti reſultabit, ipſi imputabitur opus, quantum ad effectum ipſum obligandi. Conſequẽtia probatur primò, quia, quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati per textum *in l. manumiſſiones ff. de iuſt., & iur.* Secundò paritate, quia, ſicuti, qui furenti arma ſuppeditauit conſulendo, vt inimicum occidat, non deobligatur ab onere homicidij, quantumuis conſilium retractet, & ſuadeat arma deponere, niſi de facto arma abſtulerit, ſi inimici mors ſequatur, ita qui per conſilium, ex quo manifeſtè reſultat vtilitas eius, qui conſilium recepit, incitauit animum ipſius ad nocendum, non deobligabitur ab onere reſarcendi nocumentum, quantumuis conſilium retractet, & ſuadeat conſilium non exequi, ſi executio dependentèr ab illo conſilio in effectu ſequatur. Confirmatur ſecundò, quia dans operam rei illicitæ, & potens præuidere mala, quæ ex tali opere poſſunt ſubſequi, quæque ipſe impedire non

Rationes concludẽtes pro aſſertione

Digitized by Google

non poterit, eſt voluntarius in cauſa quoad damna, quæ ex illa prouenient, ergo non eſt, cur non teneatur ad illorum reparationem, cum ſit cauſa efficax, & libera ſaltem in cauſa reſpectu ipſorum.

Aduerſus hanc aſſertionem militat argumentũ ſæpius repetitũ, quod res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluatur *c. omnis res 27. q. 2. & §. conſentaneum Inſtit. quib. modi tol. oblig. lib. 3.*, ergo, cum cauſa obligans ad reſtitutionem, ſi damnum proueniet, oriatur ex ſimplici conſilio cum oſtenſione vtilitatis, & honoris indè reſultantis; per reuocationem eiuſdem conſilij, antequam opus exequatur cum oſtenſione operis illiciti, eadem cauſa diſſoluetur, ac proindè conſulens deobligabitur. Sed iuxtà iam ſæpiùs repetita poteſt facilè occurri huic argumento, dicendo in correſpectiuis, cuiuſmodi eſt conſilium, quod eſt ad alterum, ad diſſoluendum vinculum non ſufficere, quod tollatur id ex parte cauſæ, quod per eandem præcisè poſitum eſt, niſi etiam tollatur id, quod in ſubiecto poſitum eſt, quod præcipuè verificatur, quando non eſt ampliùs in poteſtate cauſæ illud auferre; hoc exemplo elucet in donationibus inter viuos, in quibus non ſufficit reuocatio facta per donantem, niſi intercedat etiam cauſa à iure præſcripta ex parte donatarij, vel ſpontanea dimiſſio eiuſdem rerum donatarum. Idem contingit in præſenti hypoteſi, ſecundùm quam, conſulens cum per efficax conſilium mouerit voluntatem eius, qui illud recepit propoſita eidem euidenti vtilitate reſultante ex iniquo conſilio, & illa ratio motiua adhuc in eiuſdem voluntate perſeueret, non eſt ampliùs in ipſius poteſtate remouere id, quod per conſilium cauſauit in ſubiecto illud recipiente, adeoq; &c.

Semper vrget ratio motiua ad illud opus.

Aliud etiam argumentum militat deſumptum ex ſuperius dictis in præcedenti ſectione, quia ſcilicet mandans ſufficienter eximitur ab onere, quod conſurgere poſſet ex mandato, per reuocationem eiuſdem mandati; ergo etiam conſulens &c. Sed huic etiam argumento ex ſupradictis poteſt occurri aſſignando diſparitatem ſitam in eo, quod in mandato tota ratio agendi eſt in voluntate mandantis expoſita mandatario, & actio fit abſolutè nomine mandantis; in conſilio verò ratio agendi eſt in fauorem eius, qui recepit conſilium, cum ſit vtilitas propoſita per conſilium eidem, qui propterea non agit nomine conſulentis, ſed nomine proprio, adeoq; &c.

Non valet paritas de mandato, & quare.

Tertiùm argumentum deſumi poteſt ex eo, quod poſita noſtra doctrina vix poſſet eſſe aditus conſulenti antè executionem conſilij ſe ſubtrahendi ab onere eiuſdem conſilij nociui, & iniqui, ſi non ſufficeret reuocatio, quandòquidem, cum perſeueret etiam poſt talem reuocationem ratio motiua voluntatis (niſi ſpontè, vel precibus ille, qui recepit conſilium, ab operis executione deſiſteret) vix poſſet ſupereſſe ratio ab opere conſulto dimouendi, quod propterea, ſi poneretur, non obſtantibus quibuſcunque precibus, ſuaſionibus, & proteſtationibus, imputaretur eidem conſulenti. Huic argumento occurro aſſerens, quod conſulens prætèr reuocationem conſilij teneatur in primis hortationibus, & ſuaſionibus remouere ab executione operis oſtendendo iniquitatem conſilij; deindè obijcere detrimentum animæ prouenturum ex illo opere, quod præponderat cuicunque vtilitati in bonis fortunæ, & corporalibus; item proteſtari, ſe in illo conſilio erraſſe, ipſumq; ſub inani fundamento decepiſſe; deindè omnia media adhibere, omnem lapidem mouere ad remouendum &c. Quòd ſi his omnibus præſtitis adhuc conſultus perſeueret in voluntate exequendi opus, illudq; exequatur ex fine illius vtilitatis propoſitæ in conſilio conſequendæ, tunc *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. num. 27. Salonius 2. 2. q. 62. art. 7. controuerſ. 6.* ſentiunt conſulentem reddi immunem à quocunque onere, quia, quando fecit, quod potuit, vt conſilium priùs euerteret, oſtendendo omnibus conſideratis eſſe iniquũ, & non amplectendum, tunc executor videtur operari, non ex conſilio, ſed ex propria prauitate, cui propterea ſolummodò eſt imputandũ illud maleficium. Leſſius verò è contrà *lib. 2. de iuſt., & iur. c. 13. dub. 3. n. 18. in fine* ſentit veriùs eſſe, quod illis omnibus non obſtantibus conſulens ex illo conſilio teneatur, cum ſemper perſeueret ratio illa motiua vtilitatis propoſitæ in conſilio. Vtraque opinio videtur probabilis, minus tamen rigida reſpectu conſulentis prima Petri a Nauarra. 12

Quænam ſint agenda ad reuocandum efficacitèr illud conſilium.

Aſſertio VI. Si conſilium fuerit falſum, ſeu falſo innixum fundamento, vel nociuum, non tamen cùm expreſſione vtilitatis indè reſultantis, & fuerit ante executionem operis per conſulentem reuocatum, dicendo ſe eſſe deceptum in ſic conſulendo, & ſincerè veritatem explicando, ipſe conſulens eximitur à quocunque onere, ſi conſilium illud fuerit executioni demandatum. Ita expreſsè *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 15.*, & iuxtà hunc ſenſum præcisè arbitror locutos *Petrum à Nauarra d. lib. 3. de reſtitut.*

Conſilium ſine motiuo vtilitatis, & falſum ſi fuerit reuocatum, deobligat.

Digitized by Google

tut. c. 4. n. 27., & Salonium loco cit.

Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi nil aliud mouet executorem, quam dictum, & auctoritas conſulentis; non enim cauſa ex ſe mouet, cum ſupponatur falſa; non aliqua vtilitas propoſita ei, qui conſilium recipit à conſulente, cum nulla fuerit propoſita, ergo per retractationem eiuſdem voluntatis, aſſertionem deceptionis, & manifeſtationis veritatis, cum remoueatur tale dictum, ſeu auctoritas, non erit, cur ipſe conſulens obligatus remaneat ex illa actione, ſi fortè fuerit executa, cùm tunc non conſulentis auctoritate, ſed ſua dumtaxat malitia, vel priuata opinione executor moueatur.

Licitum eſt conſulere minùs damnum ad obuiandũ grauius.

13 Aſſertio VII. Non eſt illicitum iam parato, & diſpoſito inferre graue aliquod damnum certæ, & determinatæ perſonæ conſulere, vt eidem relicto grauiori minùs malum inferat. *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 3. n. 19., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 29., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 3. propè finem.*

Probatur primò ex ſuperiùs dictis, quia mandans, ſeu conſulens iàm efficacitèr diſpoſitum ad aliquod maleficium perpatrandum, vt illud perpatret non obligatur ad aliquam reſtitutionẽ, proùt etiam docent *D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 3. ad tertiũ, D. Antoninus parte 2. c. 1 tit. 12.*, & alij ſuprà allegati *ſub hac ead. prænot. 12. ſect. 1. aſſert. 11.*, ergo à fortiori conſulens minùs damnum reſpectu eiuſdem ad euitandum maius, ad quod damnificans erat efficacitèr diſpoſitus, & paratus non tenebitur ad aliquam reſtitutionem. Conſequentia probatur, quia in tãtum in caſu antecedentis non obligatur mandans, vel conſulens, in quantum executor independentèr ab illo mandato erat maleficium illud perpatraturus, ſed in hypotheſi etiam conſequentiæ, ex eo, quod ipſe executor erat diſpoſitus ad grauius maleficium, intelligitur etiam ad minùs diſpoſitus, cum hoc in illo contineatur, ergo &c.

Minus cõtinetur in maiori.

Neque dicas, quòd per illud conſilium induxit ad omninò diſtinctum maleficium ab illo, quod executor in corde ſuo diſpoſuerat; vt ſi v.g. ipſe ſe determinauerit ad furandum equum Petri ex generoſioribus, & pretioſioribus, & ipſe conſulens ſuaſerit pecudem minoris valoris furari; certè etenim, hoc minùs furtum eſt diuerſum ab illo equi generoſioris; contrà enim impugnaberis, quia tota malitia, quæ eſt in peccatis iniuſtitiæ, eſt ratione iniuriæ, & læſionis, quæ alteri infertur, & diuerſitas in entitate ablata ſolùm materialitèr ſe habet, licèt ergo res ablata ex conſilio ſit diuerſa in ſpecie ab entitate, ad quàm executor erat ex ſe antecedentèr diſpoſitus, formalitèr tamen in ratione iniuriæ vtraque ſub eodem genere continetur, & ſub hac conſideratione minùs continetur ſub maiori, & ſic qui erat diſpoſitus ad maiorem iniuriam per ablationem rei pretioſioris, intelligitur etiã diſpoſitus ad minorem per ablationem minoris, & ſic conſulens, quantitatem iniuriæ iam diſpoſitæ minuit, non illam propriè inducit, ſeu læſionem circa illam.

Nec officit, quod ſuadeat diuerſum furtum quantumuis hoc fuerit minùs.

Probatur ſecundò, ſi efficacitèr diſpoſito committere, furtum in aliqua determinata quantitate mandet, ſeu conſulat in maiori committere, non obligatur ad illam quantitatem, ad quam executor erat aliundè diſpoſitus, ſed tantum ad illud plus, ad quod non erat diſpoſitus per ea, quæ ſupra commendauimus, ergo à contrario ſenſu, ſi diſpoſito efficacitèr ad maius maleficium, ſuadeat, & per conſilium diſponat ad minus, ad nihil tenebitur, quia per tale conſilium potius tollit læſionem, quam conſtituat; & ſicuti in primo caſu antecedentis non conſtituit maleficium, prout damnoſum, niſi quoad exceſſum, ità in ſecundo conſequentiæ in nullo conſtituit, ſed potius ſaltem quoad partem deſtruit.

Potiùs benè gerit negotium læſi, quam ipſum lædat

Probatur tertiò, quia ſic conſulens, ſeu mandans potius prodeſt, quam obſit perſonæ, aduerſus quam dirigitur conſilium, ſeu mandatum, ergo verſus ipſam ad nihilum obligatur, cum potius illi profuerit, quam obfuerit ex illo conſilio, & potius ille pro negotio ſuo vtilitèr geſto debet gratiam pro beneficio rependere, quam actionem contrariam intentare.

Si diſpoſito vni cõferre maius malũ conſulat, vt inferat alteri minus, de quo non cogitauerat tenetur ad cõpenſationem illius minoris.

Aſſertio VIII. Si parato maius damnum intentare certæ perſonæ, quis ſuadeat, vt alteri minus damnum inferat, tenetur ad reſtitutionem, ſi ſic diſpoſitus nullo modo cogitauerit illud damnum illi alteri perſonæ inferre; ſi verò de vtroque cogitauerit, & anceps eſſet, cui ex duobus malum inferret, & conſulens ſuaderet in genere, vt minus malum inferret, nullo modo tenetur ad compenſationem illius mali; ſi tandem fuerit diſpoſitus ad inferendum vni maius malum, ſed ſimul, & ſemel cogitauerit de inferendo alteri minus, & conſulens ſuaſerit ad inferendum iſti minus mutando per tale conſilium voluntatem executoris ad maius, probabilius tenetur verſus illum, cui minus malum illatum eſt. Ità quoad primam partem *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 19., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 29., Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. propè fin.*, & alij magis communitèr, & 14

præ-

Digitized by Google

præcipuè *Caietanus in Geneſim* 19. Quoad ſecundam partem *Leſſius, & Sotus locis quibus ſupra*, quamuis in parte aduerſetur *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 30.* Quoad tertiam arbitror, eam ſuſtinere, quotquot ſuſtinent primam partem.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia non licet auertere animum diſpoſitum ad damnum, quantumuis maius vnius determinatæ perſonæ, & poſitiuè conuertere ad damnum alterius quantumuis minus, ad quod animus non erat diſpoſitus quandòquidem denegari non poteſt, quin læſus in minori ſit rationabilitèr inuitus de illo damno ſibi illato, cum poſitiuè prouenerit ex illo conſilio, ſine quo non proueniſſet; ergo quis per conſilium ſic conuertendo ad illud damnum, quantumuis minus à diſpoſito in ordine ad diuerſam perſonam, tenetur ad compenſationem illius damni, quandòquidem eiuſdem eſt cauſa propria, & efficax. Ad hoc maximè facit id, quod aſſerunt SS. PP., & DD. plurimi *de Loth. Geneſ.* 19. qui damnatur culpæ, eo quod gentibus Sodomorum in hoſpites actu nefando irruere conantibus ſuaſit potius ſtuprum puellarum, quod certè minus graue eſt, quam ſit actus peſſimus, in quem irruere contendebant, & licet plerique eum excuſent, quod, vel ex perturbatione animi hoc dixerit, vel ad declarandam ſceleris immanitatem, quam intentabant, denegari tamen non poteſt, quod, ſi ex his cauſis non fecerit, irretiretur graui noxa, quin immò, ex eo, quod huiuſmodi DD. per hoc excuſare intendant, intelliguntur aſſentiri, quod ſi aliter fecerit, non eximatur à noxa; ad quid enim has cauſas excuſantes adducere, ſi ſimpliciter id, quod mitius eſt ſuadendo, nullam noxam contraheret?

15 **Si de vtroque cogitauerit, & anceps ſit, cui inferat, conſulẽs minus damnum in genere non tenetur.**

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, quando quis cogitat ſimul, & ſemel de maiori damno vni inferendo, & de minori alteri, nec potius de vno determinat, quam de altero, conſulens minus malum in genere ſolum docet, & conſulit veritatem ſpeculatiuam, quæ ab omnibus amplectenda eſt, quod ſcilicet in concurſu duorum malorum minus ſit eligendum; Neque dicas, ex hoc ſequi, quod intendens alterum ex illis duobus malis determinetur ex vi illius conſilij ad inferendum illud damnum illi determinatæ perſonæ, quæ propterea poteſt legitimè conqueri, quod ſpecialiter fuerit damnificata; primò, quia independentèr ab illo conſilio probabiliùs fuiſſet illatũ alteri maius damnũ, cum ex genere ſuo maius bonum, quod nocenti reſultat, habeat fortiùs mouere, & attrahere. Secũ-

Inſtantiæ plurimæ contra aſſertionẽ.

dò, quia, quãdo quis eſt diſpoſitus ſub diſiuncto vel vni in maiori, vel alteri in minori damnum inferre, & non alijs, quid aliud eſt dicere. *Infer minus damnum*, quam dicere *Infer damnum iſti; cui diſpoſuiſti minus malum, ſeu damnum inferre*. vndè aliud eſt dicere, quod in communi liceat conſulere minus malum inferendum eſſe in concurſu maioris, quando ad nullum eſt determinatio; aliud ita conſulere, quando determinatio iam poſita eſt ad duos, quia tunc ex excluſione illius, aduerſus quem maius malum diſpoſitum eſt, neceſſariò ſequitur incluſio illius, cui minus malum eſt diſpoſitum; contrà enim impugnaberis, quia ſic conſulens ad ſummum indirectè ex veritate infallibili manifeſtata mouet ad nocumentum minus illi ſecũdę perſonæ inferendũ, non enim ipſe dicit fac huic potius iniuriam, quam illi, nec ipſe reuocat in memoriam malefico aliquid, quod prius non cogitaſſet, ſed tantum dicit in genere, quid ipſe faceret, & quid eſſet faciendum ſuppoſita determinatione ad nocendum; quod ſi poſtea diſpoſitus nocere ſub diſiuncto, vel vni, vel alteri, ſe determinet ad inferendum potius illi, cui minus malum ſub diſiuncto diſpoſuerat, quam alteri, cui maius, hoc non eſt imputandum ad iniurioſam actionem ipſius conſulentis, qui ſolùm tanquam Doctor, & iuris interpres pandit, & exprimit ius infallibile fundatum in naturali æquitate, & ratione, quod ſcilicet in concurſu duorum, minus malum ſit eligendum; & licet ex illo conſilio cum illa veritate ſic expoſito executor moueatur ad illud minus damnum inferendum, ad quod fortaſſe ſe non determinaſſet ſine illo, quin potius probabilius elegiſſet maius malum alteri, ex quo maior vtilitas ſibi reſultaret, nihilominus de hoc non poteſt conqueri ille, qui minus damnum perpeſſus eſt, cum non poſſit conqueri, quod quis explicet veritatem ſpeculatiuam; ex quo poſtea, ſi ſequatur ipſi damnum, debet imputare delinquenti, & proprio infortunio, quod ille de ſe cogitauerit potius, quam de alio, ſicuti non poſſet conqueri de libris iurium, ſi ille, qui cogitauerat de maius damnum alteri inferendo, & minus ſibi ſub diſiuncto, eoſdem libros voluens, & reuoluens exciperet regulam illam, quod de duobus malis minus ſit eligendum, & dependenter ab illa regula eligeret ipſi minus malum comparatiuè ad malum excogitatum de altero, inferre. Quid enim aliud præſtat ſic conſulens niſi exponere tanquam inſtrumentum, quod iura clamant? & ſuadere, quod illa præcipiunt in genere, non appli-

Ipſarum ſolutiones pondetur.

Cõſulens explicaret ſolum veritatem ſpeculatiuam.

Digitized by Google

applicando determinatæ perſonæ?

Minus officere poſſunt, quæ ſubduntur; non enim conſulens applicat ex ſe doctrinam illam generalem huic potius perſonæ, quam illi, cum non dicat *Infer damnum potius iſti, quam illi*, ſed generatim potius minus malum vni, quam alteri maius ſecundum regulas iuris eſſe inferendum, & illa determinatio prouenit ex peruerſitate operantis ſuppoſita illa doctrina ſic in genere explicata, cum iam diſpoſitus ſupponatur ad vni ex his duobus nocendum, non alijs, non ex ſuaſione, niſi ad ſummum indirectè conſulentis, qui tantum doctrinam veriſſimam explicauit, quam caſui particulari applicuit operans; Ex quibus etiam habes, quid reſpondeas ad ea, quæ ſequuntur, quod ſcilicet, quando eſt determinatio ad duos dumtaxat ex excluſione vnius ſequatur incluſio alterius; habes, inquam, quid reſpondeas, hoc ſcilicet procedere tantum, quando quis poſitiuè, & directè excludendo vnum, cui maius malum fuerit diſpoſitum, includit alterum ipſum exſo per illud conſilium determinando, in quo ſenſu ſolummodò fortè eſt locutus *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 30.* dum ſentit ſic cõſulentem minus malum etiam in ordine ad diuerſam perſonam per illud conſilium quodamodò determinando voluntatem dubiam operantis, teneri ad reſtitutionem, atq; ſic interpretatur eius mentem *Leſſius lib. 2 de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 22. in fin.* Non ſic autem procedit, quando incluſio vnius, & excluſio alterius de cogitatis ab ipſo operãte prouenit ex ipſo operante ſuppoſita illa doctrina ſic in genere applicata, ſeu melius explicata, vndè ad ſummum determinatio illa procedit dumtaxat ab ipſo conſulente, ſeu ſuadente.

Non applicat doctrinam generalè determinatæ perſonæ.

16 Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia, quando operans iam eſt efficacitèr diſpoſitus ad inferendum vni graue damnum non cogitans de alio, non licet eundem conſulere, vt inferat minus malum alteri per ea, quæ probauimus in prima parte huius aſſertionis, & ſi ſic conſulat tenetur verſus minus damnificatum ad reſtitutionem, ergo etiam, quando operans eſt efficacitèr diſpoſitus, & paratus ad inferendum vni graue damnum, quantumuis cogitauerit de altero, non tamen ad huic damnum inferendum ſit diſpoſitus, non licebit eidem conſulere, quod inferat iſti minus damnum, &, ſi ità conſulat, tenebitur ad reſtitutionem. Conſequentia probatur, tum quia, quod aliquo modo cogitauerit de minori damno iſti inferendo, non ſe tamen determinauit ad illud inferendum per voluntatem efficacem, & ex eo quod efficacitèr decreuerit inferre primo maius dãmnum, videtur receſſiſſe à voluntate illa ineſficaci, ſeu cogitatione inferendi iſti minus damnum; tum quia per illud conſilium mutauit voluntatem illam efficacem nocendi grauius primo, illamq; mutauit in voluntatem efficacem nocendi iſti in minori, & ſic poſitiuè influxit in damnum iſtius. Hæc tamen, quæ dicta ſunt in hac tertia parte aſſertionis intelligenda ſunt, quando poſitiuè, & determinatè conſulit huic damnum eſſe inferendum rogando, vt huic potius, quam illi fiat nocumentum; non verò quando in genere ſuaderet, vt faciat id, quod minus eſt, & indicaret, vtrum ſit minus, relinquendo ipſius iuditio, vtrum malit amplecti.

Si executor fuerit diſpoſitus ad vni inferendum maius dãnum, & ſimul cogitauerit de inferẽdo minori alteri cõſulens efficacitèr mouens ad hoc minus tenetur.

SECTIO III.

De cooperantibus ad iniuſtam acceptionem per conſenſum.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine conſenſus. 1.

Si poſt ſufficientia aliorum ſuffragia ad iniquã actionem alius concurrat per ſuum non tenetur ad reſtitutionem. 2.

Conferens tale vltimum ſuffragium non tenetur, quantumuis fuerit cauſa, vt citius, & acrius damnum exequeretur. 3.

Ferens inter poſtremos ſuffragium non liberatur, ſi cognoſci non poſſit, an ſuo, an aliorum ſuffragio damnum illud prouenerit. 4.

Si poſtremus contulerit ſuffragium neſciens illa aliorum eſſe ſufficientia, eximitur à reſtitutione, ſi cõſtiterit poſtea fuiſſe ſufficientia. 5.

Ferens primum ſuffragium iniquum ſciens alios independenter à ſuo concluſuros non liberatur. 6.

Si vota priorum fuerint reuocabilia, & poſtremus poſſit de facili reuocare, & non reuocet, probabilius tenetur. 7.

NOmine conſenſus venit hic influxus moralis, quem quis præſtat conſentiendo alterius damno. Hic autem conſenſus quaſi duplex eſſe poteſt; alter, qui eſt præciſè conſenſus, & non cauſa; alter, qui ſimul cauſa eſt, & conſenſus; primus eſt quando quis conſentit ad negotium, quod ab ipſius arbitrio non pendet; ſecundus eſt, quando negotium ab illius conſenſu tanquam à cauſa depẽdet, vt ſcilicet fiat, vel non fiat. I

Quid veniat nomine cõſenſus.

Circa hanc cauſam moralem per conſenſum plura contingunt in præſenti dubitari. Primò, an quando negotium à plurium conſenſu dependet, & iam per præ-

præcedentium conſenſum eſt abſolutum, ille, qui vltimo accedit ad ferendum conſenſum, ſeu ſuffragium ad actionem iniuſtam peccet, & teneatur ſimul cum alijs ad compenſationem. Secundò, an, ſi quis habens ius ad conſenſum circa negotium, ſeu ad ſuffragium ſimul cum alijs, & videns alios concurrere ad actionem iniuſtam non contradicat, peccet, & an teneatur ad reſtitutionem. Tertiò, an ſi quis per ſuum conſenſum non fuerit quidem cauſa damni quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad circumſtantiam accelerationis, ſeu modi diuerſi peccet, & teneatur. Quartò, an, ſi concurrentibus pluribus ad ſuffragium, & ſuffragia ipſa non ſint aperta, adeò vt poſtremus nequeat ſcire, an ſuo ſuffragio, vel illo aliorum præcedentium facta ſit læſio, teneatur, ſi iuxtà ſuum ſuffragium damnificatio fuerit ſecuta. Quintò, an, ſi quis ex primis tulerit ſuffragium pertinens ad iniquam actionem ſciens tamen, & confidens, quod alij ſequentes ſimile ſuffragium ſint laturi, ita vt etiam, ſi ipſe ſuffragium non ità tuliſſet, reliqui ſubſequentes ex ſe concluderent pro iniqua actione, peccet, & teneatur &c. Sextò, an, quantumuis primi tulerint ſua vota ſecundum ſe ſufficientia ad concludendum pro damno, talia tamen vota ſint reuocabilia, & ipſe poſtremus ferat ſuum votum ad idem tendens eximatur ab obligatione, an verò teneatur, & alia his ſimilia.

Synopſis eorum, quæ veniunt ſub hoc titulo.

2

Si vnus ex ſuffragantibus per ſuum ſuffragium concurrat ad actionem iniquã poſtquã, aliorũ numerus ſufficiẽtèr ſuffragatus eſt, nõ tenetur ad reſtitutionem.

Aſſertio I. Concurrentibus pluribus, à quibus negocium dependet per ſua ſuffragia ad actionem iniuſtam, ex qua conſurgat obligatio compenſationis, ſi poſtremus conſentiat per ſuum ſuffragium, poſtquam ſufficiens numerus ſuffragatus eſt iniquæ actioni, non tenetur ad aliquam reſtitutionem, quamuis peccet ſic ſuffragando. *Caietanus in ſumma verb. reſtitutio c. 1. §. conſenſus, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 33. & ſeqq., Nauarrus in manual. c. 17. n. 21., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 3. n. 23.* aduerſus *Medinam C. de reſtit. q. 7. ad quintum, Cordubam in ſumma q. 191.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primò, quia mandans iam efficacitèr aliundè diſpoſito ad inferendum alteri damnum ad nullam tenetur reſtitutionem per ea, quæ ſuperiùs latè commendauimus, ergo etiam ferens ſuffragium ad damnum inferendum, quod iam per præcedens aliorum ſuffragium erat ſufficientèr decretum, ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damnorum non tenebitur, ſiquidem per illud ſuffragium iam diſpoſitum antecedentèr ad illud attingit, nec aliquid ponit, quod non eſſet ponendum independentèr ab ipſo.

Secundò, quia independentèr ab illius poſtremi ſuffragio iam cauſa ſufficiens damni poſita eſt, & ſic in ordine ad illum effectum impertinentèr ſe habet illius poſtremi ſuffragium, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeras primo, *cum Medina C. de reſtit. q. 7. ad quintum,* quod quantumuis independentèr ab iſtius poſtremi ſuffragio ſit poſita ſufficiens cauſa illius iniuſtæ actionis; ex quo tamen ex omnium voluntate, & ſuffragio, ſeu voto, eorumq; nomine id, quod decretum eſt, executioni mandatur, omnibus, qui ſuffragium tulerunt, ſit eadem iniuſta actio imputanda, cùm vltimi cum reliquis prioribus facultatem ad rei executionem conferant; Secundò, cum *Innocentio de ijs, quæ fiunt à maior. part. cap.* quem citat *Medina loco quo ſupra* relato ſolummodò titulo, non capitulo, quod exiſtens in capitulo, ſi non contradicat aduerſus ea, quæ iniuſtè geruntur, habeatur pro conſentiente, ergo à fortiori habendus erit pro tali, qui non ſolum non contradixerit, ſed etiam ſuffragium tulerit, adeoq; hic tenebitur &c. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia, ſicuti ad iniuſtam illã determinationem de nocendo non confert poſtremi ſuffragium, ità neque videtur conferre ad illius executionem, quandòquidem, ſicuti ſine illo poſtremi ſuffragio iam res determinata ſupponitur, ità ſine illo iam eſſet executioni mandanda, vndè in ordine ad vtrumq; impertinentèr ſe habet illud poſtremum ſuffragium; Non ſecundum, quia Innocentius, ſi verè ità loquitur, vt præfertur, intelligendus eſt dumtaxat quoad culpam, quam contrahit quis ex concurrentibus non contradicendo iniuſtæ actioni, quam expreſsè videt fieri, non autem quoad onus reſtitutionis, & ſic idem intelligendum eſt, quando quis ſuffragium fert concluſo iam in cauſa per aliorum ſuffragia. Ex quibus iam habes, quid reſpondere debeas ad ſecundam rationem dubitandi in principio ſectionis propoſitam.

In ordine ad illud damnum impertinentèr ſe habet.

Non poteſt dici, quod illud ſuffragium conferat ad executionem damni.

3

Conferens vltimum ſuffragiũ, quando iã per aliorũ ſuffragia cõcluſum erat in cauſa, non tenetur, quantumuis fuerit cauſa, vt citiùs, & acriùs damnum illud inferretur.

Aſſertio II. Si ferens vltimum ſuffragium, quandò per præcedentium vota iam erat concluſum in cauſa quoad ſubſtantiam, fuerit cauſa, vt actio determinata citiùs, & acriùs executioni mandaretur, probabilius non tenetur ad aliquam reſtitutionem, niſi fortè fuerit cauſa maioris damni, quia tunc teneretur ad illius exceſſum. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. de reſtit. 1. hac prænot. 12. ſect. 1. ſub aſſert. 1. verſ. dixi aque benè, & eod. mod.*, atq; ità ſic ſentiunt

tiunt *D. Thomas in 4. diſt. 15. art. 5. ad tertium*, *D. Antoninus part. 2. c. 1. tit. 12. §. 12.*

Ratio primæ partis ex illo deducitur, quia ſuppoſita determinatione efficaci præcedenti poſita per ſuffragium priorum ſuffragantium ad illud damnum, quoad ſubſtantiam, illa circunſtantia accelerationis, ſeu modi, ad quam inducit poſterior ſuffragans vix conſiderabilis eſt quoad pretium ſecundum ſe. Quid enim magis officit damnificato, quod potius in hac die, & loco fuerit læſus, quam altero die, vel loco diuerſo?

Ratio ſecundæ partis, ex eo deducitur, quia in ordine ad illud maius damnum eſt verè cauſa propria, & efficax, quandòquidem ſine illius ſuffragio ille exceſſus damni non obueniſſet; ergo in ordine ad illum exceſſum obligatur. Confirmatur, quia ità ſe habet cauſa partialis ad partem, ſicut totalis ad totum, ſed cauſa damnificatiua totalis obligatur ad totum damnum; ergo damnificatiua partialis obligabitur ad partem damni, ſed quandò quis concurrit ad maius damnum illo, quod antecedentèr ad ipſum iam erat diſpoſitum, eſt cauſa partialis illius maioris damni, quoad illam ſcilicet partem, quæ eſt ſupra diſpoſitum; ergo &c.

Peccaret tamen grauitèr.

Non negauerim tamen in ordine ad primam partem præſentis aſſertionis, quod ille, qui concurreret per ſuum ſuffragium ad damnum prius per aliorum ſuffragium quoad ſubſtantiam celeriùs, & acriùs exequendum grauitèr peccaret, quandòquidem denegari non poteſt, quin ipſe ex propriæ voluntatis arbitrio concurrat ad actionem iniuſtam, & peccaminoſam, & per hoc firmatur ſecunda pars præcedentis aſſertionis, cuius probatio fuerat ex obliuione omiſſa; qui etenim cognita iniuſtitia cauſæ quantumuis ab alijs decreta ad eandem concurrit per ſuum ſuffragium denegari non poteſt, quin concurrat quantum in ſe eſt, ad actionem iniuſtam, & peccaminoſam.

4

Ferens inter vltimos ſuffragium non eximitur, ſi cognoſci non poſſit an ſuum, vel aliorum ſuffragium fuerit cauſa illius læſionis.

Aſſertio III. Si priorum ſuffragia non fuerint aperta, adeò vt cognoſci non poſſit, an ſuo, an aliorum ſuffragio facta fuerit illa læſio ferens inter poſtremos ſuffragium tendens ex ſe ad illam læſionem probabilius obligatur ad reſtitutionem. Conſentit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 38.*, & à fortiori *Medina C. de reſtit. q. 7. ad quintum.*

Ratio ex eo deducitur, quia ipſe dedit operam iniuſtæ actioni, ex qua actione conſecuta eſt illa damnificatio, ſeu læſio; ergo in concurſu plurium ad talem actionem, adeò vt cognoſci non poſſit, an ab vno potius, quam ab alio completa fuerit illa actio, prout damnoſa, omnibus ad ratam erit imputanda, & ſinguli, qui ſic concurrerunt, tenebuntur, cum non ſit maior ratio de vno, quam de alio.

Si fuerit vltimus, facilè cognoſci poteſt an ipſe damnū attulerit.

Dixi, adeò vt cognoſci non poſſit, *an ſuo, vel aliorum ſuffragio facta fuerit illa læſio*; nam ſi fuerit poſtremus, qui tulerit ſuum ſuffragium, de facili poterit cognoſci, an ipſe per ſuum ſuffragium compleuerit numerum requiſitum ad illud damnum, an verò numero iam ſufficienti acceſſerit; ſi etenim ſuffragia collata pro actione iniuſta in pluribus exceſſerit numerum requiſitum ad damnum inferendum, iam conſtat poſtremi ſuffragium non contuliſſe ad illud damnum, cum præceſſerint ſufficientia; ſi verò ſuffragia collata ſimul cum illo poſtremi attigerint ſolum numerum requiſitum, iam patet ſuffragium poſtremi contuliſſe ad illud damnum, quandòquidem ſine illo non fuiſſent ſuffragia ſufficientia, & cum illo fuiſſent ſatis; hæcque verificantur, ſi numerus ſuffragiorum occultè collatorum palam poſt collationem enuntietur; ſi enim ex ſtatuto, vel conſuetudine loci numerus ſuffragiorum non enuntietur, ſed dicatur præcisè concluſum eſt affirmatiuè, vel negatiuè ſuper propoſito, tunc cognoſci non poterit, an poſtremi ſuffragium contulerit ad illud damnum nec ne, & ſic valebunt ea, quæ dicta ſunt in aſſertione, quod ſcilicet hic poſtremus teneatur ad reſtitutionem.

5

Si contuleriti ſuffragium neſciens, an illa priorum fuerint ſufficiēti eximitur à reſtitutione ſi cōſtiterit poſtea fuiſſe ſufficientia.

In caſu autem, quo numerus ſuffragiorum poſt illorum collationem palam denuntietur, & ex tali denuntiatione conſtiterit poſtremi ſuffragium acceſſiſſe ſupra numerum requiſitum ad illam damnificationem ponendam, oritur hic difficultas, an cum poſtremus acceſſerit neſciens, an præcedentes iam ſufficienter cauſam damni intulerint, quod ſolum cognouit poſt latum idem ſuffragium, & poſt denuntiationem omnium ſuffragiorum, eximatur ab onere reſtitutionis, an verò ſimul cum alijs ad illam teneatur. Ratio dubitandi, ex eo deſumitur, quia cum ignarus fuerit ſuffragiorum præcedentium, & ipſe tulerit ſuffragium tendens ad illam iniuſtam actionem, videtur quantum eſt ex ſe, intendiſſe abſolutè illam actionem non ſimplicitèr, ſed cum illa qualitate, vt eſſet damnoſa, ſicq; abſolutè cōcurriſſe ad damnum illud, quod propterea videtur teneri reparare. Nihilominus, quamuis grauitèr peccet ſuffragium illud conferendo cum illa praua intentione, arbitrarer tamen non obligari ad reparationem illius damni. Ratio eſt, quia ad onus reſtitutionis non ſufficit intentio

Digitized by Google

tentio nocendi, & praua voluntas damnificandi, ſed requiritur læſio, ſeu damnificatio in effectu; ſed damnificatio in effectu, ſeu cauſa damnificationis illius effectus ſecuti iam poſita intelligitur antecedentèr ad illius poſtremi ſuffragium, cui, ſeu in ordine ad quem effectum impertinentèr ſe habuit, ergo &c. Accedit, quod, ſicuti ad ſatisfaciendum non ſufficit medium rationis, ſed requiritur medium rei, ità ad damnificandum, quantum ad onus poſteà reſtituendi, requiratur medium rei, non ſufficiat medium rationis; medium autem rei non habetur per ſolam voluntatem nocendi.

6 Ferês primum ſuf. fragiũ iniquũ ſciens illa aliorũ debere eſſe iniqua, & ſufficiẽtia independentèr à ſuo non liberatur.

Aſſertio IV. Si quis ex primis contulerit ſuum ſuffragium ordinatum ad iniuſtam actionem ſciens tamen certo ſequẽtes ſimile ſuffragium iniquum collaturos, adeò vt ſuffragia debeant excedere numerum requiſitum ad illam damnificationem non eximitur ab onere reſtitutionis. Conſentiunt *Caietanus in ſumma verb. reſtitutio c. 1. §. conſenſus*, *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 23. in fin.*, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 36. verſ. 3. putarem.*

Ratio ex eo deducitur, quia in ipſo concurrunt omnia, quæ requiruntur ad legitimè obligandum ad reſtitutionem, ſeu reparationem damni; ipſe etenim per ſuum ſuffragium fuit cauſa non ſolum iniuſta quomodocunque reſpectu illius effectus damnificationis, ſed etiam cauſa damnoſa, ipſiuſque ſuffragium verè, & propriè in effectum influxit; nec obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod, ſi ille per ſuum ſuffragium cauſam damni non contuliſſet, contuliſſent alij ſequentes, quorum ipſe moralem certitudinẽ habebat, adeòque ipſe non fuerit cauſa ſine qua non, nec propterea obligata ad reſtitutionem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *Petrus à Nauarra loc. cit.*, licet ſine illo alij ſubſequentes damnificarent, tamen non tollitur, quin ipſe primus, quantum fuit ex ſe, cauſam efficacem contulerit damnificationis, & concurrerit poſitiuè ad eam læſionem, & licet ſine illo fieret, tamen ſine illo non eſt factum. Hic etiam applicari poteſt doctrina, quam affert *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 2. n. 2.* nempè illam intelligi cauſam, ſine qua non, vt ſi ipſa, vel alia ſimilis non moueret, non ſequeretur effectus; ſicuti enim aſſerit ipſe, non eſt de ratione cauſæ, vt illa non poſita effectus non ponatur, ſed tantum, vt illa poſita effectus ponatur, cum idem effectus poſſit poni per multas cauſas, ità cauſa, ſine qua non, eſt, ex cuius cooperatione ſequitur effectus, ità vt, niſi ipſa, vel ſimilis

Ipſe ex ſe contulit cauſam.

ſuperueniens cooperetur, non ſequatur effectus. Hæc ille. Quam doctrinam applicando præſenti hypotheſi dicit, quod ille, qui primus ſuffragium contulit, dici poſſit cauſa, ſine qua non, cum fuerit cauſa, ſine qua non fieret damnum nulla alia ſimili cauſa accedente.

7 Poſtremus ſuf. fragator potens cõtradicẽdo reuocare vota priorum, & nõ reuocans obligatur.

Aſſertio V. Si vota priorum, qui tulerunt ſuffragium ad iniquam actionem ſint reuocabilia, & poſtremus, qui ferre debet ſuffragium, de facili poſſit alios à ſuffragio reuocare, & contradicendo non reuocet, probabilius tenetur, tanquam cooperator iniuſtæ, & damnoſę actionis. *Nauarrus in manual. c. 17. n. 21. verſ. ex his ſequitur Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 3. n. 24. in reſponſ. ad inſtantiam in fin. à quibus non videtur recedere Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 36. verſ. quarto denique, qui tamen ſatis obſcure loquitur.*

Ratio ex eo deducitur, quia in ijs, in quibus in capitulis Conciſtorijs, aut alijs vniuerſitatibus ſtatur maiori parti iuxtà textum *in l. quod maior ff. ad municip. c. 1. de his, quæ fiunt à maior. part. cap.* ſinguli ſuffragantium tenẽtur ex officio proprio damnum, quod præuident, impedire, ſi commodè, & de facili poſſint, ergo, ſi poſſit, & id non præſtet, quod neceſſarium eſt ad reuocandum, ſeu remouendum damnum, quinimmò per ſuum ſuffragium concurrat ad illam actionem, ex qua damnum conſurgit, haberetur pro conſentiente, & eius conſenſus cauſa illius damni partialis diceretur.

Singuli tenentur ex officio.

SECTIO IV.

De cooperantibus per laudationem criminis, ſeu adulationem.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine palpatoris, & quomodò palpator concurrat. 1.

Palpans, vel per collandationem, vel per exprobationem tenetur ad compenſationem damni, ſi quod indè euenerit. 2.

Concurrente conſulente cum palpatore hic non tenetur, ſi operans iam erat ſufficientèr motus per conſulentem. 3.

Si conſulens efficacitèr non mouerit, ſed quoquo modo diſpoſuerit, adeò vt accedente collaudatione vterque mouerit, vterque tenetur ad ratam. Ibid. & n. 4.

Quandò ſolus palpator mouit, ille ſolum tenetur. 5.

In dubio, an palpo damnum illud contulerit, non tenetur reſtituere. 6.

PAlpo in præſenti idem ſonat, ac laudator criminis, ſeu adulator, & ſub

Digitized by Google

1 Quid veniat nomine palpatoris & quomodò hic concurrat.

hoc nomine venit quiſquis, vel plaudendo, vel laudando, vel etiam exprobrando, irridendo, murmurando, aliove ſimili quocunque modo mouet ad inferendum iniuſtum damnum proximo, ſi quis v. g. aut iniuriam illatam exprobando, aut propriam alicui nobilitatem exaggerando ipſum impellat ad ſumendum vindictam de proximo, vel vt loquitur *D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 12. §. 12.*, ſi quis derideat, vel vituperet eum, qui non furatur, aut nō damnificat, vel ſi dicat amico eſſe ſtolidum, aut ignauum, ex quo pudore ſuffuſus occidit, aut aliud damnum infert, quod non inferret, niſi ità exprobraretur.

Dubia circa eundē palpatorem.

Circa huiuſmodi palpatorem nonnulla hic occurrunt dubia nunc diluenda. Primum eſt, an teneatur ad reſtitutionem, ſeu damni compenſationem, ſi quod damnum indè obuenerit. Secundò, an in concurſu cōſulentis cum huiuſmodi palpatore, ſeu adulante hic eximatur ab onere reſtitutionis, & à noxa. Tertiò, an huiuſmodi Palpo, ſeu adulator in dubio, an damnum ex ipſius laudatione, vel exprobratione ſecutū ſit, teneatur reſtituere, ſeu compenſare damnum illatū.

2 Palpo tenetur ad compēſationem damni, ſi quod obuenerit.

Aſſertio I. Palpator ſiuè per collaudationem criminis, & adulationem, ſiuè per exprobationem tenetur ad reſtitutionem, ſeu reparationem damni, ſi quod inde obuenerit. *Siluester verb. reſtitutio 3. q. ſexta verſ., & quarto tenetur in ſolidum Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 37., Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 17. dub. 3. nu. 25., & in hoc communitèr conſentiunt.*

Non difficilis probatio huius aſſertionis, quandòquidem ſic collaudans, exprobans non minus inducit ad delictum perpatrandum, ac inducat conſulens, ſiquidem ſine tali collaudatione, & exprobatione collaudatus, & exprobratus delictum illud non commiſiſſet, ergo, ſicuti conſulens per ſuperius allegata, & probata tenetur ad reſtitutionem, ità ad eandem teneri cenſendus eſt collaudator, & exprobrator; aduertendum tamen eſt, quod, ſi collaudarit poſt patratum delictū, ad nihil teneatur, ſiquidem ipſe non influxit per talem collaudationem ad delictum, cum iam illud eſſet antecedentèr commiſſum; atque hoc eſt, quod dicit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 27.*, dum aſſerit, quod laudatio criminis, ſeu adulatio, ſi tantum eſt lætificatiua, non obliget ad reſtitutionem, benè tamen, ſi eſt cauſatiua iniuſtitiæ.

Excipe, niſi laudauerit poſt commiſſū delictum.

3 Concurrente conſulente cū palpatore hic non obligatur, ſi operans erat efficacitèr motus per cōſilium.

Aſſertio II. Concurrente ſimul cum cōſulente palpatore, ſeu adulante hic nō tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſi operans iam erat antecedentèr per conſilium ſufficientèr efficacitèr motus ad actionē illam iniuſtam; ſi verò non erat per conſilium ſufficientèr motus ad illam actionem, ſed ſolummodò diſpoſitiuè, adeò vt accedente collaudatione efficacitèr fuerit motus ad illam, tunc vterque ad ratam motionis tenetur, ſi vnus ſine altero, nec alter ſine primò efficacitèr mouiſſet, ſed vterque ſimul; ſi verò adequatè mouerit palpator, adeò vt præſcindendo etiā à conſilio præcedenti effectus fuiſſet ſubſecutus damnificationis per ſolam eiuſdem collaudationem, ad quem effectum acceſſoriè ſolum concurrerit conſilium; tunc ſolus palpator tenebitur.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quandò operans iam intelligitur per conſilium vnius præcedens efficacitèr motus ad aliquam actionem iniuſtam, tunc conſilium alterius ſubſequens omninò inefficax eſt ad illam actionem, ac propterea ſecundus conſulens non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem, prout ſupra docuimus in terminis mandati *ſub hoc eodem tit. de Reſtit. 1. prænot. 12. Sect. 1. aſſert. 1. ex D. Antonino part. 2. c. 1. tit. 12. §. 12., Adriano in 4. §. de concurrentibus cum fure D. Thoma in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. ad 3., aliiſq; ibi allegatis*, ergo etiam quando operans iam eſt efficacitèr diſpoſitus ad illam actionem iniquam per conſiliū efficax vnius, tunc alteriùs collaudatio ſuperueniens non erit efficax ad illam actionem, nec collaudator tenebitur ad aliquam compenſationem. Conſequentia probatur, quia ex genere ſuo non videtur magis efficax collaudatio ad agendum, ac ſit cōſilium, ergo, ſi quando operans per præcedens conſilium intelligitur efficacitèr promotus ad actionem, conſilium ſuperueniens non cenſetur efficax ad illam actionem, multominus intelligetur efficax alterius collaudatio, ſeu adulatio.

4 Si vterque partialitèr mouerit vterque partialitèr tenetur.

Ratio ſecundæ partis ex eò deſumitur, quia, quando duæ cōcauſæ concurrunt ad eundem numero effectum, qui à neutra ipſarum in particulari proueniat, ſed ab vtraque ſimul, tunc effectus vtriq; ſaltem partialitèr imputatur, ergo, cum in præſenti hypotheſi actio illa non intelligatur, nec efficacitèr promota, vel ab vna, vel ab altera cauſa ſingillatim accepta, ſed ab vtraque ſimul, vtrique imputabitur ſaltem ſecundum partialem influxum, adeòque vtraque ſaltem ad ratam tenebitur. Dixi *ſaltem ad ratam*, propter aliquos, qui aſſerunt, quod, quandò vtraque cauſa cooperatur ad idem damnum indiuiduum vtraque teneatur in ſolidum, de qua re tamen erit infrà ſermo ex profeſſo.

Ratio

Digitized by Google

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia primum conſilium inefficax ſupponitur ad illum effectum damnificationis ponendum; & collaudatio ſubſequens non ſolum ſufficiens fuit ad mouendum, ſed, & efficacitèr mouit, adeout etiam non intercedente priori conſilio mouiſſet, ergo tota actio iniuſta tribuenda eſt eidem palpatori, ſeu collaudatori, adeoq; ipſe totaliter tenebitur ad compenſationem illius damni; neque dicas, quod licet

5 actio illa prouenerit à collaudatione tàm quam ab vltimato motiuo, fuerit tamen ſaltem diſpoſitiuè pro mota ab eodem conſilio præcedente, quod, cum fuerit anterius ad ipſam collaudationem non poteſt dici acceſſorium ad eandem, ſed aliquo modo ſaltem præparatoriè diſpoſuiſſe in illam, & quoquo modo influxiſſe; contra enim impugnaberis, quia quod præceſſerit illud conſilium, nil amplius præſtat, ac ſi fuerit ſubſecutum, cum antecedentèr ad collaudationem nihil præſtiterit, nec aliquo modo mouerit; vndè, cum ſupponatur eadem collaudatio ſecundum ſe ſufficiens, & efficax ad mouendum, quinimmo talis, vt etiam mouiſſet independentèr ab illo conſilio, ipſa præcisè cenſenda eſt cauſa illius effectus damnificationis, & illud conſilium, cum non mouerit antecedentèr ad ipſam collaudationem per ordinem ad effectum perindè habendum eſt, ac ſi fuerit poſitum ſubſequenter ad eandem collaudationem, & ſic conſilium comparandum eſt ad voluntatem operantis ſuppoſita collaudatione, ſicuti comparandum eſt aliud conſilium, ſiue efficax, ſiue inefficax ad voluntatem iam efficacitèr motã per aliud conſilium efficax præcedens.

Quando ſolus palpator mouit ille ſolum tenetur.

6 Aſſertio III. In dubio, an Palpo, ſeu collaudator damnum illud per ſuam collaudationem, ſeu exprobrationem contulerit, probabilius eſt, quod non teneatur ad reſtitutionem *Villalobos tom. 1. tit. 1. diff. 20. n. 9., Strodouerdos ff. 2. 2. q. 62. art. 8. diſp. 9.* quibus non modicum fauere videtur *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7.*, dum ait; *tunc ſolum tenetur conſulens, cum probabilitèr æſtimari poteſt, quod ab eo iniuſta cauſa ſubſecuta ſit*; vbi autem eſt dubium non eſt probabilius ratio inclinans ad aſſerendum, quod ab eo iniuſta actio proceſſerit. Quod, ſi hæc verificantur in ordine ad conſulentem; non videò, cur verificari non debeant in ordine ad collaudantem. Eſt tamen aſſertio contrà *Merollam tom. 1. diſp. 3. cap. 3. corrol. 6. n. 41. & 44.* Eſt item ſecundum quid contrà *Molinam tom. 3. de iuſt. diſp. 736. num. 8.* volentem teneri ſaltem ad partem damni pro quantitate dubij.

In dubio, an palpo damnũ illud intulerit non tenetur reſtituere.

Probatur, quia in dubio ſemper melior eſt conditio poſſidentis præcipuè, vbi agitur in odioſis, quæ ſemper ex vulgatis iuribus ſunt reſtringenda, ergo, cum ipſe palpo, ſeu collaudans ſit in poſſeſſione rerum ſuarum ex dubio, quod ipſe contulerit damnum per collaudationem, non debet ſuo iure, ſuaque poſſeſſione ſpoliari; Neque obeſſe poteſt, ſi argumentum retorqueatur aſſerendo, quod poſſeſſio ſtet pro obligatione; collaudatio etenim certo poſita eſt, & damnificatio ſecuta, & dubium ſolum eſt, an ex collaudatione, vel alio motiuo illud damnum prouenerit; vndè præſumptio videtur eſſe contrà ipſum collaudantem, ipſique in foro externo incumbere onus probandi, quod damnum non ſit ſecutum ex ſua collaudatione. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia poſſeſſio deberet ſtare pro obligatione, quandò certum eſſet, quod eadem obligatio orta eſſet; quod enim non eſt, non poteſt dici poſſidere, & dubium, quod poſſit eſſe orta talis obligatio non debet præualere alterius poſſeſſioni, quam certo habet in rebus ſuis, nec ipſum eadem poſſeſſione expoliare, & licet certũ ſit, quod ipſe collaudationem in ordine ad illum effectum poſuerit, non propterea certo ſequitur, quod effectus ex illa fuerit poſitus, cum dubium, quod ſuper ea re habetur poſſit referre, & referat eundem effectum ad alias cauſas, &, cum verſemur in odioſis, non debemus ità adſtringere in tali dubio ipſum collaudantem, vt obligemus ipſum ad probationem contrarij, cum ius ipſum odioſorum ipſum liberet, ne dum à pœnis, ſed etiam à probationibus.

In dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Hæc, quæ dicta ſunt in ordine ad palpatorem, ſeu collaudatorem in dubio æquè intelligenda ſunt de mandante, conſulente, participante, & ſimilibus, cum pro omnibus militet eadem ratio poſſeſſionis rerum, & odioſitatis, vt per ſe patet.

Hic ſolum oritur difficultas, an, vbi ageretur contrà collaudantem in illo dubio pro damno illato, ſufficientèr eximeret ipſum à quocunque onere aſſertio rei, ſeu executoris, qua diceret, ſe non ob ipſius collaudationem damnum illud cõtuliſſe. Enriquez *lib. 14. c. 16. n. 3.* expreſsè aſſerit ſufficere eandem executoris, ſeu rei aſſertionem, cum enim res hæc ſit difficilis probationis, vt potè, quæ verſatur circa internas motiones voluntatis, quæ poſſunt eſſe à multiplici cauſa, quod potius ab vna, vel ab altera prouenerit, non poteſt aliundè innoteſcere, quam ex confeſſione eius cuius voluntas mota eſt, ac proindè talis confeſſio admittenda eſt

In dubio ad eximẽdum collaudatorẽ à reſtitutione ſufficit, quod executor aſſerat ſe ab illo nõ fuiſſe motum.

San-

Digitized by Google

Sanchez verò *tom.1. ſumma lib. primo c.19. n.44.* vltra aſſertionem rei, ſeu executoris ad eximendum collaudantem ab onere compenſationis, vlterius requirit, quod ipſo reus ſit alias fide dignus, vel quod concurrant aliæ coniecturæ inclinantes pro eodem reo. Sed quamuis fortius, & congruentius eximeretur collaudans ab illo onere, ſi interuenirent vltra aſſertionem rei illæ conditiones, ſeu coniecturæ, quas requirit Sanchez, nihilominus, quãuis non interuenirent, adhuc ex ſola aſſertione illum eximerem, quia perſeuerante dubio poſt congruas diligentias ipſa aſſertio ſupra dubium haberet rationem ſufficientis probationis, cum alia haberi non poſſet. *Diana part. 3. tract. 5. reſol. 84.*

SECTIO V.

De cooperantibus ad actionem iniuſtam per recurſum.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine recurſus. 1.

Receptator furis, & rerum per ipſum ablatarum peccat, & tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ indè obuenerunt. 2.

Caſus, in quibus receptator eximitur à culpa, & à reſtitutione. 3.

Receptator, qui fuit cauſa iniuſta damni, tenetur actione furti. 4.

Receptator furis eundem occultans, dum inquiritur, tenetur ad reſtitutionem, ſi poſteà ille damnum intulerit, ſi ſpem contulerit ſimilis receptationis. 5.

Receptans rem furto ſublatam, ſi non reſtituerit Domino, vel in cauſa fuerit, ne ad ipſum deuenerit, tenetur ipſam reſtituere. 6.

Qui iniuſtè pro homine interueniunt, ne res vero Domino reſtituatur, tenentur ad reſtitutionem. 7.

1 Quid ſit recurſus. Recurſus hoc loco idem ſignificat, ac receptio, & ſumitur actiuè pro eo, qui recipit, ſeu receptat. Sub hac appellatione in præſenti comprehenditur quicunque, vel furem recipiendo, vel prædam ſeruando, vel occultando aliquo modo in cauſa eſt, vt damnum iniuſtè inferatur, aut vt iniuſtè illatum non reſtituatur.

Rationes dubitandi circa ipſum. Circa huiuſmodi receptatorem multa occurrunt dubia ſcitu digna ex profeſſo hic examinanda, & primò, quandonam obligetur receptator pro receptione furis, vel rei ab eodem ſublatæ. Secundò, quandò ex receptione fuit cauſa damni, qua actione teneatur. Tertiò, an receptator furis eundem occultans, dum à ſatellitibus quæritur, teneatur ad reſtitutionem, ſi poſteà ille damnum intulerit. Quartò, ſi rem furtiuam in cuſtodiam receperit, vt furi ſeruet, an obligetur erga Dominum, ſi ipſam non ipſi Domino, ſed furi reſtituerit. Quintò, an teneantur ex hoc titulo, qui pro homine apud Iudicem, & Principem interueniunt, ne ablata reſtituere cogantur, vel fauore impediunt, quo minus poſſint ablata recuperari, factum excuſando, hominem defendendo, & ſimilia.

Aſſertio I. Receptator furis, & rerum per eundem iniuſtè ablatarum regularitèr loquendo grauitèr peccat, & tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex illa receptione obuenerint. *Sylueſter verb. reſtitutio 3. q. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c.13. dub.3. n.27., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 38., Medina C. de reſtitut. q.2. propè fin., Sotus lib 4. de iuſt. & iur. q.7. art. 3. concl. 3., & alij communitèr.* Intellige tamen, ſi per talem receptationem fuerit quoquo modo cauſa illius damni. 2 Receptator furis, & rerum furtiuarũ tenetur ad reſtitutionem.

Ratio ex eo deducitur, quia ſic recipiendo, vel nutrit, vel conſeruat maleficum, & maleficium, vel eſt cauſa iniuſtæ detentionis, vel quodamodò ob tale refugium anſam tribuit ad damnificandum; vndè meritò *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 38.* appellat talem complexum, ſeu receptionem cauſam damni, & patrocinium quoddam iniquitatis, ergo regularitèr loquendo inducit in ipſum recipientem grauem noxam, & onus reſtitutionis. Confirmatur, quia ſic receptando poſitiuè cooperatur huiuſmodi damnificationibus, quæ ex tali receptione ſequuntur, nec ſupponuntur alitèr ſecuturæ, ergo &c.

Dixi, *regularitèr loquendo*; non enim negauerim huiuſmodi receptatores deobligari a graui noxa, & onere reſtitutionis in pluribus caſibus; & primò, ſi recipiant fures quodamodò materialitèr cauſa communis humanitatis, & hoſpitalitatis, item cauſa conſanguinitatis; ex hoc enim præciſe fur non redditur animoſior, nec adiuuatur formalitèr ad furtum; Secundò, ſi metu grauiſſimo furem recipiant; cum etenim talis receptio non ſit omninò abſolutè ab intrinſeco mala, non videtur obligare cum tanto periculo, & recipiens poteſt excuſari ex grauiſſima cauſa, qualis eſt vehemens metus incuſſus; Tertiò, ſi recipiat furem illum adiuuando in iudicio in ordine ad ipſum defendendum in iis, in quibus licitè ſe poſſet fur ipſe defendere. 3 Caſus, in quibus receptator eximitur à noxa, & à reſtitutione.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac aſſertione æquè intelligenda ſunt in ordine ad receptationem furis tam quoad damna, Extenſio aſſertionis.

quæ

Digitized by Google

quæ ex ipſa immediata receptione ſequuntur, quam quoad ea, quæ ſequuntur ex conſequenti; in ordine verò ad bona recepta æquè verificantur, tam quoad iniuſtam acceptionem ſecundum ea, quæ ex vi illius iniuſtè accipiuntur, tam quoad iniuſtam detentionem in ordine ad ea, quę iam ſublata iniuſtè detinentur, prout notat *Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 6. verbo, & ſimiliter quinto tenetur*.

Extenſio aſſertionis.

4 Aſſertio II. Receptator, qui ex iniuſta receptione fuit cauſa damni ſcientèr in bonis fortunæ, tenetur actione furti *Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 6. verb. & ſimiliter quinto tenetur, Bartolus in l. eos C. de furt.*, quoad reſtitutionē verò tenetur de omni damno, quod ex receptatione prouenit. Idem *Silueſter loco quo ſupra*.

Receptator tenetur actione furti, & quomodo.

Prima pars expreſsè colligitur *ex d. l. eos C. de furtis*, vbi expreſsè hoc deciditur; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem cooperatur furi; cum hac tamen limitatione, quod non punitur, vt fur, ſed quaſi operam præſtans furto per ea, quæ docet *Bartolus in l. furtum ff. de furt.*

Secunda pars ex eo deducitur, quia in ordine ad damnum ipſe receptator ſupponitur cauſa moralis illius damni; ergo in ordine ad reſtitutionem non eſt, cur non teneatur de toto damno; & ſic in particulari non ſolum tenetur ad damnum, quod in ablatione, & detentione ſecutum eſt, ſed etiam ad ea, quæ paſſus eſt ipſe damnificatus in alijs ſuis bonis ex deffectu illorum bonorum, in quibus fuit læſus, ſicuti enim ipſe damnificator ad ea omnia tenetur, ità, & ipſe receptator, qui cooperatus eſt.

Quoad reſtitutionem tenetur de damno.

5 Aſſertio III. Receptator furis eundem occultans, dum à ſatellitibus quæritur, tenetur ad reſtitutionem, ſi poſtea ille damnum intulerit, ſi ità occultet, vt in poſterum det ſpem ſimilis receptationis, ſeu opitulationis, ſecus, ſi nullam det ſpem receptationis impoſterum. Conſentit in vniuerſum *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 13. dub. 3. n. 27.*

Receptator furis occultans tenetur ad damnum. ſi quod ille contulerit, ſi ſpē dederit ſimilis receptationis.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia per talem ſpem, quam tribuit receptator furi, cauſam tribuit eidem furādi, ſine qua ſpe non ſe exponeret furto; cum etenim ex vna parte ipſe ſupponatur maximè procliuis ad furandum, & ex alia, cum ſine refugio probabile non ſit, quod velit ſe exponere manifeſto periculo, vt capiatur, & pęnas omnium delictorum luat, per conſequens ceſſante tali periculo per ſpem futuræ vlterioris receptationis, & perſeuerante eadem procliuitate non eſt, cur animoſior non fiat ad ſimilia delicta impoſterum perpatranda, ad quod certè dedit cauſam illa ſpes exhibita futurę receptionis; ergo non eſt, cur ipſe receptator ex illa ſpe non teneatur ad compenſationem. Confirmatur, quia actualis receptatio in ordine ad rem iam furto ſublatam, & receptam obligat ad reſtitutionem, quia eſt cauſa iniuſtæ detentionis; ergo ſpes radicata futuræ receptationis in fure cauſa ſupponetur iniuſtæ acceptionis, cum ſine tali ſpe non poſſit eſſe præſumptio eiuſdem iniuſtæ acceptionis, adeòq; obligabit &c.

Per talem ſpem tribuit ſomitē delinquendi

Ratio ſecundæ partis, ex eo deducitur, quia per talem ſimplicem receptationem furis, ne à ſatellitibus deprendatur, non tribuit fomitem vlteriùs delinquendi, ſi ſpes non fuerit poſita vlterioris receptationis, nec intentio receptatoris ſupponenda eſt ordinari ad fouendum furem, quoad vlteriora delicta, quia nec eo fine, nec eo modo occultauit; ergo receptator non tenetur ex ea receptatione, & occultatione ad compenſationem damnorum, quæ in poſterum ſubſecuta ſunt, ſiquidem ad ea, nec ex natura rei, nec ex intentione concurrit; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa damna ex illa receptione ſubſecuta ſint; non, inquam, obeſſe poteſt, quia merè per accidens ex illo opere ſubſecuta ſunt, & potius ex peruerſitate furis, quam ex ipſa receptatione, & intentione receptantis.

Secus ſi nullā ſpē contulerit vlterioris receptationis.

6 Aſſertio IV. Receptans rem furto ſublatam, ſi non reſtituerit Domino, vel in cauſa fuerit, ne res deueniret ad Dominum, tenetur eandem ipſe reſtituere. Conſentit *Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 6. verſ. & ſimilitèr quinta tenetur*, & in hoc conſentiunt quotquot ſuſtinent in genere rem reſtituendam eſſe Domino, non furi, quod ex fortiori titulo procedit in hac noſtra hypotheſi ſecundum quam ipſe receptans moralitèr concurrit, vel ad ablationem, vel ad detentionem, adeòq; &c.

Receptator, qui fuit cauſa, ne res furtiua deueniret ad Dominum tenetur ipſam reſtituere.

Ratio ex eo deducitur, quod habetur *in l. eos C. de furt. arg. l. qui vos §. 2. ff. de furt.*, & hoc ſi fecerit ſcientèr *l. qui naufragium §. non tantum ff. de incend. ruin., & nauf.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem res ipſa clamat pro Domino, & ſicuti ipſe receptans in præiudicium Domini obligatur erga ipſum pro receptatione, ità obligatur erga eundem pro translatione eiuſdem rei in deteriorem ſtatum, ratione cuius, vel impoſſibilis, vel difficilior reddatur recuperatio. Confirmatur, quia Dominus eſſet verè rationabilitèr inuitus, ſi rem, quam poteſt receptator ſine proprio damno reſtituere, non reſtituat; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non poſſit reſti-

Conſtituit Dominum in deteriori ſtatu.

Digitized by Google

reſtituere Domino ſine damno, cum poſſit vexari à fure deponente rem apud ipſum; maximè cum detineat non nomine proprio, ſed nomine eiuſdem furis. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia eſſet omninò iniuſta vexatio eiuſdem furis, & legitima exceptione poſſet eundem elidere, & quamuis quoque modo vexaretur, deberet ſibi imputare, quia ſicuti iniuſtè dedit cauſam actioni illi iniquæ per receptationem in fauorem veri Domini, ità tenetur ab iniqua illa actione ipſum liberare per reſtitutionem rei ablatæ.

Instantia propoſita, & diſſoluta.

Dices ex dictis *ſub hoc eod. tit. de reſtitut. 1. prænot. 3. ſub aſſert. 3. verſ. ad tertiam reſpondendum eſt*, poteſt qui habet rem furtiuam acquiſitam titulo emptionis eandem non reſtituere Domino, ſed venditori ad recuperandum pretium pro ipſa ſolutum; ergo qui habet rem furtiuam apud ſe per receptationem à fure poterit eandem non Domino, ſed furi ipſi reſtituere ad ſe eximendum à libera, & iniuſta vexatione eiuſdem furis. Sed contra, quia in primis ea, quæ loco cit. dicta ſunt procedunt ex diuerſo titulo, quandòquidem emptor rem illam furtiuam titulo oneroſo detinebat, cum pro eadem legitimum pretium intelligatur perſoluiſſe, in quo ſenſu docent poſſe reddi furi *Nauarrus*, *Silueſter*, *Turrianus*, *Leſſius*, *Lugus*, & alij plures, quos refert, & ſequitur *Diana part. 1. tract. 17. reſol. 4.*, nemo enim tenetur cum graui ſuo detrimento, vt verus Dominus recuperet rem ſuam, ad cuius iniuſtam acceptionem nullatenus ipſe concurrit, ipſam Domino reſtituere, quidquid ex aduerſo dixerit *Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 722.*, qui ea mouetur ratione, quod, qui ſcit rem eſſe alienam, nequit illam reducere à bono ſtatu, in quo eſſet ad ſtatum deteriorem, quia, ſicuti fructus, quos res bona fide poſſeſſa producit, pertinent ad verum Dominum, ità ad eundem pertinere debet bonus ſtatus, quem acquirit, ſed reddere eam furi eſt eam reducere ad ſtatum deteriorem; ergo &c. Quidquid, inquam, ex aduerſo dixerit, ſubſiſtere videtur prior ſententia; quamuis enim non liceat poſitiuè reducere rem alienam ad ſtatum deteriorem, licet tamen ad vitandum proprium damnum permittere, vt res aliena ad deteriorem ſtatum adueniat, ſic Petrum de incendio extractum nequeo poſitiuè iterũ in incendium proijcere, poſſum tamen deſiſtere à continuata extractione, & ſinere, vt cadat ad vitandum meum graue damnum, puta incendium mihi imminens, niſi deſinam ab extractione, & ſi nam eum cadere; ità non licet quidem rem alienam poſitiuè deteriorem facere, at qui illam reddit furi ad recuperandum pretium pro illa ſolutum, permittit tantum, vt deterior fiat deſiſtendo ad vitandum proprium damnum amiſſionis pretij à continuata liberatione. In noſtro autem caſu receptator non detinet rem illam titulo oneroſo, cum pro illa non ſoluerit aliquod pretium, ſed ſine ſuo diſpendio, & cum quoquo modo per iniquam receptationem ad damnum cõcurrerit, non eſt, cur non teneatur rem illam Domino ipſo reſtituere. Deindè in primo caſu emptor reſtituens eam furi, à quo accepit, aliud nõ pręſtat, quam contractum reſoluere; in ſecundo autem caſu, ipſe nihil perſoluit, ſed potius iniqua receptatione ad damnũ illud concurrit; ac proindè non eſt, cur non teneatur conferre omnibus ſuis viribus, vt res ad manus veri Domini deueniat, quod propterea, ſi non præſtiterit, obligabitur &c.

Aſſertio V. Qui pro homine interueniunt apud Iudicem, ſeu Principem, ne res verò Domino reſtituatur, impediũtq; quominus poſſint ablata recuperari factum excuſando, hominem defendendo peccent peccato iniuſtitiæ, & tenẽtur ad reſtitutionem *Medina C. de reſtitut. q. 2. ad finem. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 38.* 7

Qui iniuſte interueniunt pro homine, ne res verò Domino reſtituatur, obligantur ad reſtitutionem.

Expreſsè colligitur *ex c. qui aliorum 24. q. 3.*, vbi ſic legitur. *Qui aliorum defendit errorem multò ampliùs damnabilior eſt illis, qui errant, & ex c. 1. n. 14. q. 6.* quod eſt *D. Auguſt. Epiſt. 54. ad Maced.* vbi ſic habetur. *Illud fidenter dixerim, eum qui ad hoc pro homine interuenit, ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſtè poteſt ad reddendum non compellit, ſocium eſſe fraudis, & criminis*; nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandòquidem non minus eſt iniuſta cauſa, qui concurrit ad ablationem, ac qui concurrit ad iniuſtam detentionem.

Hac ratione obligantur paſſim Aduocati, qui vt lucri faciant, tragiuerſationibus, & cauillis veritatem obtundunt, & reos ab impiclis criminibus, ſeu actibus iniuſtitiæ defendunt, de quibus verificantur præcipuè iura mox allegata.

SECTIO VI.

De cooperantibus iniuſtitiæ per participationem.

SVMMARIVM.

Participatio duplex, altera ratione rei acceptæ, altera ratione iniuſtæ acceptionis. 1.

Par-

Digitized by Google

Participans in re accepta bona fide tenetur ad reſtitutionem, ſi extet, vel ex ea factus fuerit ditior. 2.
Participans mala fide ſemper illã tenetur reſtituere, vel æquiualens, etiam ſi nõ extet. 3.
Etiam ſi ſine ipſius culpa perierit. 4.
Si res perijt caſu, quo etiam perijſſet apud Dominum, non tenetur reſtituere. 5.
Si perijt aliorum iniuria, qua etiã perijſſet apud Dominum, tenetur reſtituere. Ibid.
Quantumuis quis fuerit particeps in crimine non tenetur, ſi effectus non fuerit ſecutus. 6.
Si quis concurrerit animo potiùs iuuandi, quam nocendi in foro externo non eximitur ab obligatione, ſi damnum ex illo euenerit, quod aliter non eueniſſet. 7.
Si ſecuto effectu innotuerit læſo illum concurriſſe non ad nocendũ, ſed ad iuuandum, eximitur probabilius ab onere reſtitutionis. 8.
Particeps in crimine coactè non obligatur, niſi actio per quam participat, ſit ab intrinſeco mala. 9.
Etiam ſi participet poſt factum. 10.
Si concurrat per actionem intrinſecè malam ex metu, quamuis non eximatur à culpa, eximitur tamen ab onere reſtitutionis. 11.
Participans immediatè in crimine, puta infringendo fores, & proiciendo res Domini non eximitur à culpa, & ab onere reſtitutionis. 12.
Vendens arma properanti ad bellum iniuſtum, & venenum machinanti mortem alterius, peccat, & tenetur ad reſtitutionem. 13.
Nonnullæ exceptiones aſſertionis. 14.

1 Participatio duplex, & vtraque explicatur.

PArticipans ſumi poteſt duplicitèr, vel pro participatione in re ipſa iniuſtè accepta, vel pro participatione in crimine, & iniuſta acceptione rei. Participans iuxta primum ſenſum in re accepta adhuc duplicitèr poteſt ſumi; vel ſcilicet, vt participet bona fide, quatenus aliquid rei ablatæ detinet exiſtimans accepiſſe à vero Domino, ſiue titulo liberali, ſiue lucratiuo, ſiue oneroſo; vel vt participet mala fide, quatenus norit rem illam, quam detinet, eſſe alienam, & actione iniuſta acquiſitam. Participans iuxta ſecundum ſenſum etiam duplicitèr poteſt ſumi primò, quatenus concurrit animo nocendi, quod multis modis poteſt contingere, vel præbendo auxilium, vel adiuuando ad executionem, vel ſcalas apponendo, vel eas ſuſtinendo aſcendente fure, vel excubias agendo, vel inſtrumenta ſuppeditando, vel furem comitando adiuuandi cauſa, vel effringendo, vel aſportando &c. Secundo modo, quatenus concurrit animo potiùs impediendi, vt ſi quis ſe comitem præbuerit furi, vt damnum impediret, vel vt ex illius præſentia damnificatus animum ſumeret ad non fugiendum, & relinquenda ſpolia, ſed ex hoc, quod fuit ad bonum effectum, damnum ſubſecutum eſt, quatenus ſcilicet damnificatus ex illo comitatu fuit terrore correptus, ac bona ſua reliquit in poteſtate furis fugiendo.

In ordine ad participantem in re accepta, dubia, quę hic veniunt examinanda, ſunt huiuſmodi. Primò, ſi participet bona fide, an ceſſante bona fide teneatur ad reſtitutionem eiuſdem rei, ſi extet, vel ad æquiualens, ſi amplius non extet. Secundò, an, ſi participet mala fide, an teneatur, ſiue res illa extet, ſiue fuerit conſumpta, ſiue ſine ſua culpa perierit, quantumuis ex illa non fuerit factus locupletior.

Dubia quoad participatione ratione rei acceptæ.

In ordine ad participantem in crimine, ſeu in iniuſta acceptione longè plures inſurgunt rationes dubitandi. Prima eſt, an, ſi omnibus illis modis mox aſſignatis animo verè nocendi, aliqui participent, ſeu concurrant ad illam iniuſtam acceptionem, ſemper teneantur ad reſtitutionem. Secunda, an, ſi concurrerint animo non nocendi, ſed potius impediendi, verum ex illo concurſu ob timorem damnificati eidem ſubſecutum fuerit damnum, quod fortè non contigiſſet, teneantur ad illius reparationem. Tertia, an, ſi quis iuſto timore, ſeu metu cadente in conſtantem virum aliquo ex illis modis concurrerit, obligetur. Quarta, an vendens arma properanti ad bellum iniuſtum, vel venenum machinanti mortem alterius dicatur cooperari, & obligari. Quinta, an, qui metu domum alienam perfringit, vel per feneſtram penetrat, & res foras proicit, vel pecora à ſtabulo abigit, eximatur à culpa, vel ab onere reſtitutionis, vel non, & alia his ſimilia.

Dubia quoad participatione ratione iniuſtæ acceptionis.

Aſſertio I. Participans bona fide in re accepta ceſſante bona fide tenetur ad reſtitutionem eiuſdem rei, ſi extet, vel ad compenſationem eius, in quo factus eſt locupletior, ſi amplius non extet, & ſi non amplius extet, nec ex illa factus ſit locupletior, ad nihil tenetur. Conſonat cum ijs, quæ ſupra latè dicta ſunt. 2

2 Participãs bona fide in re accepta ceſſante bona fide tenetur ad reſtitutionem, ſi res illa extet, vel ex ea factus fuerit ditior.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia res aliena, quouſq; perſeuerat ſemper clamat pro Domino, & detentor eius non ſolum obligatur ad ipſam Domino reſtituendam ratione iniuſtæ acceptionis, ſed etiam ratione rei acceptæ, ergo ceſſante bona fide, & re ipſa apud detinentem perſeuerante, tenebitur hic eandem Domino reſtituere, cum nullum habeat titulum detinendi, non ex eo, quod ab alio bona fide acceperit, quandòquidem cum ille alius non haberet in

Digitized by Google

ſe ius detinendi, nec dominium in illa re, non potuit illud in iſtum transferre, nec ex eo, quod ipſe non concurrerit ad iniuſtam acceptionem; cum præſcindendo etiam ab ipſa titulus rei alienæ ſufficientèr ipſum obliget.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur; quia illud, in quo factus eſt locupletior, ſubſtituitur loco eiuſdem rei alienæ, nec ille, qui factus eſt locupletior, ius aliquod habet illud detinendi, ergo tenetur illud vero Domino reſtituere. Confirmatur, quia nemo ius habet diteſcendi ex re aliena inuito Domino, ergo, ſi diues factus fuerit, id, in quo factus eſt talis, tenebitur Domino reſtituere.

Re amplius non extante non tenetur reſtituere.

Probatur tertia pars, quia non extante amplius eadem re nullus eſt titulus ipſum obligans ad reſtitutionem eiuſdem rei, nec æquiualentis; non titulus rei acceptæ, quandòquidem res illa non amplius extat, nec formalitèr, cum intelligatur conſumpta, nec æquiualentèr, quia qui illam conſumpſit, non intelligitur ex illa factus ditior; non titulus iniuſtæ acceptionis, cum ipſe ad iniuſtam acceptionem non concurrerit, & quouſque res perſeuerauit, ſemper bona fide detinuerit.

3 Participans mala fide ſemper tenetur reſtituere.

Aſſertio II. Participans mala fide in re accepta tenetur ad reſtitutionem, ſiue res illa extet, ſiue non extet, ſiue factus fuerit locupletior ex illa, ſiue non, ſiue etiam ſine ipſius culpa perierit. Conſonat etiam cum ijs, quæ ſupra dicta ſunt.

Ratio eſt primò, quia, ſi res illa extat, non eſt dubium, quod teneatur illam Domino reſtituere, ſiquidem, ſi ex prææctis tenetur reſtituere rem adhuc extantem poſſeſſor bonæ fidei cognita alienitate rei, à fortiori tenebitur reſtituere poſſeſſor malæ fidei, cum mala fides illi obſit; & propter hanc eandem rationem tenebitur re conſumpta, ſi ex illa factus fuerit locupletior; Secundò, ſi res illa non extet amplius, nec ex illa factus fuerit locupletior ex eo euincitur, quod teneatur ad reſtitutionem, quia fuit iniuſtus detentor, vt per ſe patet, & quoad illam detentionem Dominus fuit rationabilitèr grauitèr inuitus; iniuſtus autem detentor æquiparatur iniuſto acceptori; ſicuti verò iniuſtus acceptor ratione iniuſtæ acceptionis tenetur ad reſtitutionem per ſuperiùs latè probata, ità etiam iniuſtus detentor ratione iniuſtæ detentionis.

4 Etiam ſi ſine ipſius culpa perierit.

Dixi, *etiam ſi ſine ipſius culpa perierit*, quandòquidem, ſi tenetur, quandò ipſe actione poſitiua conſumpſit, etiam tenebitur quandò mere negatiuè ſe habuit ſinendo eam perire, nec adhibendo diligentiam, ne periret.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi ſine culpa detinentis perierit, ità tamen, vt etiam ſi apud Dominū extitiſſet, adhuc perijſſet, teneatur detentor malæ fidei ad illam reſtituendam. Hac de re in præcedentibus egimus. Breuitèr tamen nonnulla etiam hic dicemus, ſed prius aduerto, quod ex duplici cauſa æquè poteſt perire apud iniquum detentorem, ac penes Dominum res iniuſtè accepta, vel caſu, vel iuſta hoſtium incurſione, vel ex aliorum iniuria; ſi caſu, vel iuſta hoſtium incurſione; probabilius eſt, quod in ea hypotheſi non teneatur detentor etiam malæ fidei ad reſtitutionem *Ioannes Medina C. de reſtit. quæſt. 6. concl. 6.*, *Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 6.*, *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 12. dub. 15. n. 92.*, *Silueſter verb. reſtitutio 7. q. 5. §. 3.*, *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 1. n. 17.*, *Nauarrus c. 17. n. 8.* contrà *Paludanum in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. concl. 5.*, ſi per aliorum, vel ex aliorum iniuria æquè perijſſet, tunc probabilius eſt iniuſtum detentorem non eximi ab onere reſtitutionis, prout ſentit *Leſſius loc. cit.*, & in hoc ſenſu præcisè arbitror, locutum eſſe *Paludanum loc. cit.*, qui propterea poteſt reduci ad ſanum ſenſum aſſerti noſtri.

5 Si res perijt caſu, quo etiam perijſſet apud Dominū non tenetur reſtituere.

Si res perijt aliorū iniuria, qua perijſſet etiā apud Dominū tenetur reſtituere.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia nihil damni ex illo rei interitu apud iniuſtum detentorem prouenit ipſi Domino, quandòquidem æquè eidem obueniſſet, ſi res apud ipſum manſiſſet, quia illud damnum iam erat præparatum in cauſa, ità vt non poſſet impediri à Domino, ergo non eſt, cur obligetur ad reſtitutionem; & ſi obueniſſet damnum, vel ex caſu, vel ex iuſta hoſtium incurſione non haberet Dominus, de quo conquereretur, vt ex ſe patet. Confirmatur primò, quia iniuſta acceptio, & detentio intantum obligat ad reſtitutionem, in quantum eſt Domino damnificatiua efficacitèr, ſed illa detentio apud detentorem malæ fidei non eſt damnificatiua efficacitèr, quandòquidem damnum illud reſpectu eiuſdem rei iam erat præparatum in cauſa, & æquè obueniſſet, ſiue iniuſtus detentor detinuiſſet, ſiue non; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumuis damnum illud æquè obueniſſet, tolli tamen non poſſit, quin detentor ſemper fuerit in mora; mora autem trahit ad ſe periculum, prout docet *Paludanus loc. ſup. cit.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in tantum mora obeſt, & obligat ad reſtitutionem, in quantum efficacitèr damnum inducit; in præſenti autem caſu nullum damnum inducit, adeòque &c. Confirmatur ſecundo *ex l. ſi plures §. ſiue autem ff. depoſiti*, vbi ſic legi-

Illa detentio nō eſt damnificatiua.

Digitized by Google

legitur *Eum, contra quem agitur, vt reddat depoſitum, ſi ſua natura res ante rem iudicatam interciderit, veluti, ſi homo mortuus fuerit, abſolui debet,* ideſt liberari à reſtitutione pretij, ibique redditur ratio *æquum ſcilicet eſſe naturalem interitum ad actorem pertinere; vtique cum interitura eſſet ea res, & ſi reſtituta eſſet actori.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia in concurſu duorum, vel plurium damnum inferre contendentium, ille primo obligatur, qui eſt præuentor in tali damno per ea, quæ ſupra etiam probauimus, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, quandò res peritura etiam erat exiſtens apud Dominum ex aliorum iniuria ipſe iniuſtus detentor eſt præuentor in tali damno reſpectu aliorum, qui ex iniuria damnum illud intuliſſent, ſi res fuiſſet apud Dominum, ergo ipſe tenetur ad reſtitutionem. Minor probatur, quia ex eo, quod ipſe iniuſtè detinet, & eſt in mora culpabili, quantum eſt ex ſe damnificauit ſaltem inchoatiuè, & quod in illius manu res pereat ex vi illius iniuſtæ detentionis perindè eſt, ac, ſi ipſe moralitèr rem illam conſumpſerit, ſeu deſtruxerit, ergo ipſe eſt præuentor in damno; Neque dicas, quod hæc eadem ratio militet etiã, quandò res erat peritura apud Dominum, vel ex caſu, vel ex iuſta hoſtium incurſione, & quod propterea, ſi in hoc caſu detinens deobligetur à reſtitutione, deobligetur etiam in caſu, quo res peritura erat apud Dominum ex aliorum iniuria, vel ſi hic obligatur, obligetur etiam ibi; contrà enim impugnaberis, quia in caſu, quo æquè res peritura erat penes Dominum ex aliorum iniuria iam culpabilis eſſet eiuſdem rei peremptio, & effectus in actu procedit ab ipſo detinente, eo quod iniuſtè detinuerit; vndè ſicuti, ſi res periret penes ipſum Dominum altero per iniuriam damnificante ius haberet ipſe damnificatus aduerſus lædentem, ſeu damnificantem, cum haberet ius, ne in ſuis bonis damnificaretur, ità, ſi res pereat penes iniuſtum detentorem, habet ius apud eundem, vt compenſetur in illo damno, cum ipſe tanquam præuentor primo illud damnum intulerit, & ſic in hoc caſu ſemper conſideratur læſio, vt culpabilis, & damnoſa; in caſu verò, quo res peritura æquè fuiſſet apud Dominum ex caſu, vel iuſta hoſtiũ incurſione, iam non eſſet culpabilis ipſa rei peremptio, nec Dominus haberet aliquod ius aduerſus aliquem ad compenſationem, cum res caſu, vel irreparabili accidente definens Domino deſinat, nec aliquod ius videtur habere aduerſus detinentem, cum illa detentio, quantumuis iniuſta non ſit damnoſa, cum rei interitus in cauſa non iniurioſa iam eſſet diſpoſitus; vndè non immerito ſubdit *Leſſius d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 15. nu. 93.* probabile eſſe, furem etiam non teneri, quamuis culpa ipſius talis res perierit, v. g. ſi eam negligentia perdiderit, vel etiam vaſtarit, aut conſumpſerit, modo alioqui eſſet certo peritura, quia res illa in eo ſtatu conſiderata Domino nullius eſt pretij, nam æquè erat peritura abſque vllo Domini commodo.

Per indè eſt, ac ſi ille moralitèr damnum intuliſſet.

Confirmatur primò, quia, ſi quandò res erat peritura certo apud Dominum ex aliorum iniuria alter abſtuliſſet, vel deſtruxiſſet, iſte teneretur, ergo, ſi quodamodò tu præuenis iniuſtè detinendo, ſi res apud Dominum erat ex aliorum culpa peritura, teneberis, quia obligatio, quã alius contraxiſſet auferẽdo, vel deſtruendo, in te ratione damni transfuſa eſt. Confirmatur ſecundo ex ijs, quæ ſupra tradidimus *ſub hoc eod. tit. de reſtitut. 1. prænot. 12. ſect. 1. aſſert. 2.*, vbi diximus non eximi ab onere reſtitutionis mandantem, qui ſua iuſſione mouit mandatarium ad inferendum alteri damnum ex eo, quod, ſi ipſe non iuſſiſſet, nec mouiſſet non defuiſſet alter, qui iuſſiſſet, & mouiſſet, prout etiã docent *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 2. verſ. dico primo,* qui etiam citat Caietanum, & alios *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 47.*; ex quibus conſequentèr videtur deduci non eximi ab onere reſtitutionis iniuſtum detentorem rei alienæ, ſi res apud eundem perierit, quantumuis eſſet peritura ex aliorum culpa apud Dominum, ſi apud eundem fuiſſet, quandòquidem non minus videtur influere iniuſta detentio, ac mandatum in illud damnum alteri illatum. Rurſus ad confirmanda ea, quæ dicta ſunt in prima parte huius aſſertionis plurimum faciunt ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. d. prænot. 12. ſect. 1. aſſert. 1.*, quod ſcilicet, ſi mandatarius abſque mandato æquè eſſet damnum illaturus, quamuis nulla alia cauſa ſimilis eſſet ſuperuentura, mandans nullo modo teneatur ad reſtitutionem, ergo, ſi aliundè, quam ab aliorum ſimili iniuria damnum illud erat euenturum, detentor rei non tenebitur, ſi damnum in re detenta contigerit, dum in ipſius manibus remaneret, quandòquidem iam damnum erat præparatum in cauſa.

Aliæ rationes ſuadentes aſſertum.

6 Aſſertio III. Quantumuis quis, quantum eſt ex ſe, concurrat aliquo ex prædictis modis, & particeps fuerit in crimine etiam cum animo poſitiuo nocendi non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſi damnum in effectu non fuerit ſubſecu-

Quãtumuis, quis particeps fuerit in crimine non tenetur ad reſtitutionẽ ſi damnũ non fuerit ſecutum.

Digitized by Google

tum, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 39.*, & in hoc omnes conſentiunt.

Ratio ex eo deducitur, quia radix reſtitutionis oritur, vel ex re accepta, vel ex iniuſta acceptione, quando procedit ex delicto, vt late ex præcedentibus probauimus, ſed quando damnum ſubſecutum non eſt, quantumuis interceſſerit animus, ſeu propoſitum inferendi damnum, non eſt res accepta apud ipſum intentantem damnum, nec iniuſta acceptio, ergo non poteſt eſſe onus reſtitutionis penes eundem. Minor ex ſe liquet, quia, cum damnum ſubſecutum non fuerit, non poteſt eſſe apud intendentem tale damnum res accepta, & cum effectus ſecutus non fuerit, nec potuit eſſe iniuſta actio.

Explicatur aſſertio in caſu particulari.

Hoc potiſſimum contingeret in caſu, quo quis ſe alteri diſpoſito ad damnificandum coniungeret comitem ad eundem effectum cum animo re vera nocendi; ex motiuo cuius comitatus, ſeu ſocietatis ille, aduerſus quem diſpoſitum erat damnum, non eſt perterritus, nec effugijt, neque aliquod malum perpeſſus eſt, quod fortaſſe ſubijſſet, ſi ille comitem non ſe adiunxiſſet; hæc etenim actio comitatus, quantumuis propter finem, ob quem poſita eſt, ſit grauitèr peccaminoſa, in ordine tamen ad damnum in effectu potius fuit proficua, quam noxia, adeoq; non obligat ad reſtitutionem, vt per ſe patet, cum ratio obligatoria reſtitutionis ſit actio damnoſa in effectu, non præcisè in affectu, & voto.

7 **Si quis cōcurrerit non animo nocēdi ſed iuuandi, & ex illo concurſu damnum fuerit ſecutum, ſine quo non euenisset in foro externo nō eximitur ab obligatione.**

Aſſertio IV. Si quis concurrerit aliquo ex prędictis modis, puta ſe comitem conſtituerit furi, non cum animo nocendi, ſed potius impediendi damnum, ſed ex illo comitatu ortum fuerit damnum, quatenus damnificatus timore correptus ex illo numero venientium ad ſe effugerit, & ſpolia reliquerit, quæ non reliquiſſet, nec fugijſſet, ſi fur ſolus contra ſe veniſſet, probabilius in foro externo non eximitur ab onere reſtitutionis. Conſentit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 40. verſ. In hac re diſtinguendum eſt, Medina C. de reſtit. q. 7.*, qui, quamuis procedant ſub diſtinctione aſſerentes non teneri, quando animus comitantis furem ad effectum impediendi innoteſcit ei, cui paratur damnum; teneri verò, ſi talis animus non innoteſcat, re tamen vera ſentiunt abſolutè loquendo in foro externo teneri, cum iuſtè potuerit præſumere læſus non in ſui fauorem, ſed contra ſe furem comitari.

Ratio ex eo deducitur, quia, vbi aliundè non conſtat de animo illius, qui ſe comitem conſtitnit, pręſumptio efficax eſt, quod ſe conſtituerit ad effectum iuuandi furem, illumque fouendi in actu damnificationis, ſecundum quam præſumptionem accipit etiam ſic comitantem ſacra Scriptura in illo Pſalmi *Si videbas furem currebas cum eo*; nec irrationabilitèr fingitur hæc præſumptio, quandòquidem ſi contractans cum peruerſo præſumitur vel actu peruerſus, vel de proximo peruertendus iuxta illud *cum peruerſo peruerteris*, à fortiori ſe comitem exhibens in ipſo actu furti, ſeu damnificationis cum fure, ſocius furti eſt præſumendus, potiſſimùm, cum, ſi intendiſſet auertere damnum, præcauiſſet, ne fur accederet, nō autem cum ipſo acceſſiſſet; vndè iura quoad huiuſmodi comites furum ſemper præſumunt pro maleficio, ergo in foro externo non eximetur ab onere reſtitutionis.

Rationes efficaciter ſuadentes aſſertum.

Quod, ſi deindè ſecuto effectu damnificationis innotuerit ſe comitem præſtitiſſe non ad nocendum, ſed potiùs ad impediendum damnum; tunc adhuc eſt cōtrouerſia inter DD., an ſic comes furis teneatur, nec ne ad reſtitutionem? Dixi *ſecuto effectu damnificationis*; nam ſi antecedenter ad talem effectum innotuerit ei, qui tale damnum perpeſſus eſt, certum eſt, non teneri, cum læſus debeat ſibi imputare damnum, eo quod nimia timiditate ſtultè fugerit; ille etenim comitatus potiùs animum miniſtrare debebat ad reſiſtendum, quam timorem incutere ad fugiendum; & reliquenda ſpolia in poteſtate furis. Loquendo igitur, quando notitia habita eſt ſecuto iam effectu damnificationis, nō nulli eximunt ipſum comitem ab onere reſtitutionis, eo quia nec ipſe in re cauſam dedit furti, cum re vera ſe adiunxerit ad impediendum, & de hoc, ſi non in actu ipſo, ſaltem poſt actum ſecutum ſatis ſuperque conſtat. Ex aduerſo alij non eximunt, quia non videtur ſufficere, quod ſubſequentèr ad actum iam ſecutum conſtet de illo bono, & iuſto animo comitantis; cum damnum ſecutum fuerit ex rationabili præſumptione, quod ille comitatus fuerit ad maleficium, non ad beneficium, quæ præſumptio, ſi non extitiſſet, effectus damnificationis non fuiſſet ſubſecutus, cum læſus reſtitiſſet nec ſpolia in poteſtate furis reliquiſſet; ad quod non confert, quod poſtea nouerit comitatum non fuiſſe ad malefaciendum, cum hoc non demat iuſtum timorem pro eo tempore conceptum ex præſumptione, pro quo damnum ſecutum eſt, quæ præſumptio non inefficax fuit iuxta ſuperius probata. Quid igitur in hac controuerſia ſentiendum? Probabilius arbitror in

hac

Digitized by Google

8

Si ſecuto eff:ctu innocuerit læſo illũ non concurriſſe ad nocendum, ſed potius ad iuuãdum eximitur ab onere reſtutionis.

hac hypotheſi eximi ab onere reſtitutionis; atque in hoc conſentire videtur *Medina C. de reſtitut. q. 7. n. 3. verſ. præterea idem patet caſu*. Ratio ex eo deducitur, quia, vbi ceſſat præſumptio comitatus ad nocendum, non eſt aliqua ratio, quæ obligare poſſit ſic aſſociatum furi ad reſtitutionem, non res accepta, quia ipſa non ſupponitur remanere pęnes eundem comitem, ſed pęnes furem; non iniuſta acceptio nec in re, nec in ſpecie; non in re; cum ipſe potiùs concurrerit ad benefaciendum, quam ad nocendum ſecundum rei veritatem; non in ſpecie, quia præſumptio, ſeu ſpecies ceſſat per contrarias euidentes probationes. Neque obſtare poſſunt ea, quæ pro contraria opinione afferebantur, quod ſcilicet ea non irrationabilis præſumptio viguerit pro tempore actionis iniuſtæ, & iniurioſæ, quæ propterea fuerit cauſa, ratione cuius damnificatus effugerit, & ſpolia in poteſtate furis reliquerit, ſine qua nec effugiſſet, nec reliquiſſet; hæc autem præſumptio licet ex ſubſequenti ceſſet per contrariam probationem, fuit tamen cauſa in actu damnificationis, vt fieret,

f Soluuntur rationes contrariæ opinionis.

quæ cæteroqui facta non eſſet; Non, inquam, obſtare poſſunt, quia, licet illa præſumptio viguerit pro tempore commiſſi delicti, ac proindè fuerit cauſa, cur damnificatus effugerit, & reliquerit ſpolia accepta à fure, ſine qua non effugiſſet, nec reliquiſſet, non propterea fuerit cauſa verè, & in re, ſed ad ſummum in apprehenſione damnificati, & ſecundùm præſumptionem iuris, qua propterea ceſſante per probationem contrariam non eſt, cur ceſſare non debeat onus reſtitutionis in eo, qui per comitatum fundamentum talis præſumptionis contulit. Hoc clarè liquet in eo, qui caſu aſſociatus fuerit furi ignarus pęnitus meditati delicti ab eodem; hic certè potuit eſſe cauſa per aſſociationem illam, cur damnificatus effugerit, & reliquerit ſpolia. Quis autem diceret hunc obligari ad reſtitutionem illius damni, cum nihil voluntariè ad illud contulerit? & ſi hic excuſatur eo, quia omnino caſu interuenit, & præter intentionem, quomodo non excuſabitur, qui interuenit potiùs intentione iuuandi, quam nocendi? Plura alia exempla refert *Medina C. de reſtit. q. 7. in princip. verſ. ſed contra, & ſeq.* in quibus quis poteſt eſſe cauſa, non tamen obligari ad reſtitutionem.

Dixi, *in foro externo*, nam in interno animæ, in quo purè, & nuda veritas conſideratur non video, qua ratione hic comes furis poſſit obligari ad reſtitutionem, cum potiùs aſſociatus fuerit ad bonum damnificati, quam ad malum; quod, ſi ex illa aſſociatione malum contigerit, hoc reſpectu ipſius omninò per accidens fuit, & præter intentionem, quod propterea non eſt ipſi imputandum.

9

Particeps in crimine non ſpõtè ſed coactè nõ obligatur, ſi actio per quam participat, non ſit mala ab intrinſeco.

Aſſertio V. Particeps in crimine, ſeu in iniuſta acceptione non ſpontè, ſed iuſto metu coactus, dummodò actio, per quam participat, non ſit ab intrinſeco mala, eximitur ab onere reſtitutionis. *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 13. dub. 3. num. 29.*

Enumerantur actiones, quæ non ſunt ab intrinſeco malæ.

Ratio ex eo deducitur, quia illæ actiones apponendi ſcalas ad murum, præbendi inſtrumenta ad infringendum, iuuandi ad aſcenſum, agendi excubias, & his ſimilia, ſi ſecundum ſe præcisè ſumãtur, non ſunt actiones per ſe malæ, ſed ad ſummum prout ſubijciuntur intentioni peruerſæ operantis, ſed prout fiunt à participante non ſpontè, ſed iuſto, & cadente in conſtantem virum timore, ſeu metu coacto deputantur a peruerſa intẽtione operantis, quantum eſt ex parte ipſius participantis iuſto timore compulſi, ſi quidem ipſe non operatur ex fine damni alterius, ſed præcisè ad euitandam pęnam, quæ eſt obiectum illius timoris, ergo prout ita fiunt non ſunt reſpectu illius peccaminoſæ, nec obligatoriæ reſtitutionis; Neque dicas, quod, licet illæ actiones in abſtracto, & per ſe conſideratæ non ſint malæ, ſed indeferentes, tamen, vt hic, & nunc fiunt ſint veræ cooperationes iniuſtæ inuaſionis, & acceptionis; contra enim impugnaberis, quia illæ actiones prout hic, & nunc fiunt, ſi ſunt malæ, non ſunt tales, prout procedunt à voluntate eius, qui coactè agit, ſed ſolum, vt ſubſunt directioni cogentis, & vtentis eiſdem ad malum finem, vndè malitia eſt imputanda peruerſitati cogentis, non voluntati operantis, qui præſcindit ab illo fine peruerſo, & ſolum exercet illas operationes indiferentes ad euitandum malum ſibi imminens ratione illius metus grauis incuſſi.

Sunt malæ prout ſubſunt peruerſitati cogentium.

10

Etiamſi particeps poſt factum.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, procedunt non ſolum quoad participationem per illas operationes ſecundum ſe indiferentes ante factum, ſed etiam de cooperationibus poſt factum, puta in translatione rerum ablatarum de vno, ad alterum locum prout rectè notat *Leſſius loc. cit.* Hac ratione excuſantur à graui noxa, & ab onere reſtitutionis baiuli, qui iuſto timore perciti res iam furto ſublatas cogentibus furibus deferunt ad determinatum, & præſcriptum locum ab eiſdem, & ruſtici, qui prædas militum iniuſtas coguntur auellere, vel pecora ſublata

Digitized by Google

ſublata deducere; hæ etenim operationes ſecundum ſe ſunt indiferentes,& peruerſitatem à fine præcisè contrahunt.

Dixi, *dummodò actio, per quam participat, non ſit ab intrinſeco mala*, actiones enim, quæ ſunt ab intrinſeco malę, nulla ratione, nec etiam metus grauis incuſi poſſunt cohoneſtari; non enim etiam ob metum grauem licitum eſt mæchari, nec contumelias in Deum proijcere. Sic in particulari non licet etiam ob metum grauem iugulare cuſtodem domus, per quem impeditur fur ad ingreſſum eiuſdē domus, & his ſimilia. Sed, an in hoc

Actiones ab intrinſeco malę nunquam poſſunt cohoneſtari.

caſu, quo participans iuſto metu, & cadente in conſtantem virum correptus actionem ab intrinſeco malam exerceret, non ſolum peccaret grauitèr, ſed etiam teneretur ad reſtitutionem ſunt, qui negent ob eam rationem, quia licet non excuſentur à culpa ob prauitatem intrinſecam obiecto, à qua nequit depurari, excuſantur tamen ob metum ab onere reſtitutionis, quia non fuit cauſa voluntaria illius damni ab illa iniqua,& praua ab intrinſeco actione contingentis; & ſicuti, quandò ob metum iuſtum, & grauem exercet aliquam actionem conferentem ad furtum, quæ non eſt ab intrinſeco mala, excuſatur tum à culpa, tum ab onere reſtitutionis excuſante eodem metu per ſuperiùs probata, ità, quandò ob eundem metum exercet operationem ab intrinſeco malam, licet excuſari non poſſit à malatia, cum ſit intrinſeca eidem actui, excuſabitur tamen ab onere reſtitutionis, cum hoc non ſit intrinſecum eidem actioni, & poſſit per metum extingui, maximè cum in ordine ad damnum alteri inferendum æquè conferre poſſit illa actio ſecundum ſe indeferens licet mala ex peruerſitate cogentis, ac conferat illa actio ab intrinſeco mala; vndè tota diuerſitas eſt ſolummodò quo ad malitiam, non autem quoad obligationem reſtitutionis, & ſic, ſi participans in primo caſu ab eadem obligatione excuſatur, ità quoad eandē excuſari cenſendus eſt etiam participans in ſecundo. Alij è contrà expreſsè ſentiunt, nec excuſari à culpa, nec ab onere reſtitutionis, quia dat operam rei omninò ab intrinſeco illicitæ, quantumuis id præſtet ob metum cadentem in conſtantem virum; qui autem dat operam rei illicitæ obligatur ad ea omnia onera, quæ conſequuntur ad ipſam. Quid igitur in hac facti ſpecie concludendum? Maximè probabilem iudico priorem opinionem excuſantem ab onere reſtitutionis, quod non ſolum euincunt rationes pro illa adductæ, ſed etiam, quia illa actio praua

11 Si cócurrat ex metu per actioné intrinſecè malá non obligatur ad reſtitutionem.

ab intrinſeco non ordinatur ad furtum, niſi ex peruerſitate cogentis ad illam actionem, & ſicuti in primo illo caſu de actione ſecundum ſe indiferenti tota iniquitas, & onus reſtituendi refunditur in ipſum cogentem ſic ordinantem, ità in ſecundo de actione ſecundum ſe ab intrinſeco mala, quamuis iniquitas abſoluta, cum ſit intrinſeca actui, imputetur ipſi operanti, quantumuis ex metu, iniquitas tamen relatiua ad furtum, & onus ad illud reſarciendum refundi debet in eundem cogentem ſic ordinantem, cum participans per illam actionem iniquam eandem non referat ad ipſum furtum. Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, primo verificari quandò illa actio libere omninò exercetur ab operante, non quandò coactè. Secundò, quandò illa actio ex fine operantis ordinatur ad illum effectum damnificationis, quod non contingit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam operans non intendit illum effectum, ſed ſolum compellens per metum ad ità operandum. Tertiò, quia non ex quocunque opere, quantumuis ſit quodamodò cauſa, ſequitur obligatio reſtitutionis, prout latè probat *Medina C. de reſtitut. q. 7. in principio verſ. ſed contra occurrit ratio*.

Aſſertio VI. Participans immediatè in crimine, ſeu in iniuſta actione, puta infringendo actu domum alteriùs, vel per feneſtras penetrando, & proijciendo foris res Domini, quantumuis hoc præſtet ex metu iuſto, & cadente in conſtantem virum, non eximitur à culpa, nec ab onere reſtitutionis *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 3. n. 30.*

12 Participãs immediatè in crimine quãtumuis ex metu non eximitur ab onere reſtitutionis.

Ratio ex eo deſumitur, quia qui ſic operatur, eſt principalis, & directus executor damni, quod Domino conſequitur, ergo etiam interueniente iuſto metu, & cadente in conſtantem virum non poteſt excuſari à culpa, & ab onere reſtitutionis. Conſequentia probatur, quia ex quocunque metu non licet alteri damnum inferre, & iniuriam ipſi in rebus, vel in fama irrogare, quandòquidem non licet infringere, & violare iuſtitiæ leges, quæ ex natura rei obligant, ſecundum quas nemo lædendus eſt in iure ſuo, quantumuis per metum impellatur.

Operatur, vt principalis executor.

Hinc facilè eſt aſſignare diſcrimen, quod intercedit inter hanc, & præcedentem aſſertionem, ſitum in eo, quod quoad dicta in præcedenti operans ex metu iuſto, & cadente in conſtantem virum non operatur quantum eſt ex ſe, niſi actionem ſecundum ſe indiferentem, quæ, ſi quam habet malitiam, habet ex fine prauo compellentis ad talem actionem; quoad

Digitized by Google

quoad dicta verò in præſenti directè tendit in actionem ſecundum ſe malam, & proximo iniurioſam, adeòque &c.

13 Vendens arma properanti ad bellū iniuſtū, & venenū meditāti alterius mortem peccat, & tenetur.

Aſſertio VII. Vendens arma properanti ad bellum iniuſtum, vel venenum machinanti mortem alterius grauitèr peccat, & tenetur ad reſtitutionem regularitèr loquendo. Ita *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 31.*

Ratio ex eo deducitur, quia ex quo ſic vendens arma, vel venenum norit ordinari, vel ad damna in bello iniuſto, vel ad mortem alterius cenſetur emptori propinque cooperari ad maleficium, quod intentat, ergo tanquam cooperator non ſolum graui noxa afficitur, ſed etiam obligatur ad reſtitutionem. Antecedens probatur, quia ſuppeditare inſtrumenta parato ad nocendum eſt cooperari eidem nocumento, ſicuti furenti in cædem inimici tradere arma eſt cooperari neci eiuſdem inimici.

14 Exceptiones ad aſſertionē.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam dantur multæ exceptiones ſecundum quas ſic vendens eximitur præcipuè ab onere reſtitutionis, ſeu compenſationis damnorum; & primò, ſi vendat omnibus arma indiferentèr, quia tunc non cenſetur magis cooperari parti iniquæ, quam alteri.

Si neſciat bellū eſſe iniuſtum.

Secundò, ſi vendat ignorans, an bellum, ad quod emens properare intendit, ſit iuſtum, vel iniuſtum, quia non ipſi onus incumbit inquirendi de iuſtitia, vel iniuſtitia eiuſdem, & poteſt legitimè præſumere pro iuſtitia, & ſubditis expedit arbitrari Principem non moueri ad bellum, niſi ex iuſta cauſa, cum conſilio DD., & Theologorum.

Si neſciat ad quem finem ſit vtendus.

Tertiò, ſi vendat ignorans, an emens ſit vtendus eiſdem armis in bello iniuſto, vel ad alium finem non iniuſtum, quia tunc præſumere poteſt pro iuſtitia, & cenſetur vendere eo modo, quo alij vendunt, & venditio eſt indiferens ſecundum ſe ad vſum iniuſtum, vel iuſtum.

Si vendat venenū ad noxia animalia.

Quartò, ſi vendat venenum petenti ad interimenda noxia animalia, quantumvis putet eſſe ad occidendum hominem, & ratio eſt, quia tunc vendit venenum eo modo, quo vendi ſolet; cum etenim illa venditio ſecundum ſe ſit indiferens, vel ad finem bonum, vel ad noxium, præſumere poteſt pro bono, & ſi aliter, vel ex alio fine ematur, imputandum eſt malitiæ emptoris, non venditoris.

SECTIO VII.

De cooperantibus ad actionem iniuſtam negatiuè hoc eſt per taciturnitatem, non reſiſtentiam, & non manifeſtationem.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine muti. 1.
Quid nomine non obſtantis. 2.
Quid nomine non manifeſtantis. 3.
Obligatus ex officio impedire, ſi non impediat damnum alterius, & peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ſi verò non tenetur ex officio, peccat, non tamen tenetur ad reſtitutionem. 4.
Obligatus ex officio impedire, ſi non impediat, quia non poteſt, niſi cum magno ſui detrimento excuſatur ab onere reſtitutionis. 5.
Non obligatus ex officio non obligatur ad reſtitutionem, quantumuis omiſerit impedire ex dolo. 6.
Suadens, & hortans alterum, ne impediat damna alterius clamando, obſtando &c. non tenetur ad reſtitutionem. 7.
Remouens alterum ab impediendo per vim, & fraudem probabilius tenetur erga damnificatum. 8.
Si quis non obligatus ex officio ad impediendum aliquid recipiat à fure, ne impediat, nō tenetur reſtituere illud, quod recepit à fure pro tali cauſa, niſi illud fuerit pars furti, tenetur tamen ad reſarciēdum damnum. 9.
Ratione officij, ſeu contractus tenentur impedire damna Principes, Magiſtratus, Prætores, & Duces belli. 10.
Item Procuratores, & Aduocati reſpectu illorum, quorum talia munera exercent. Ibid.
Item famuli, & quomodo. Ibid.
Cuſtodes conducti ad impediendam venationem, & ſimilia, ſi non impedierint, vel non manifeſtauerint, tenentur Dominis de damnis. 11.
An cuſtodes teneantur ad mulctam, ad quam fuiſſent condemnati delinquentes, ſi ipſi cuſtodes accuſaſſent, ſententia affirmans. 12.
Sententia negans. 13.
Præfertur hæc ſententia negans. 14.
Intellige, niſi iuramento ſe obligauerint ad accuſandos eos, quos nouerint delinquentes. 15.
Non peccant cuſtodes, qui per aſtutiam ſe abſcondunt, vt damnificantes intercipiant, & accuſent. 16.
Famuli non impedientes exteros à damnis in domo Domini obligantur, non ſic, ſi non impediunt alios famulos eiuſdem Domini. 17.
Confeſſarij, qui ex officio tenentur audire confeſſiones, tenentur ad reſtitutionem, ſi non obli-

Digitized by Google

obligent pœnitentes ad reſtituendum, ſiue omittant ex ignorantia craſſa, ſiue ex culpa etiam leui, ex culpa verò tantum lata, ſi non tenentur ex officio. 18.

Intellige, niſi ipſe confeſſarius ſibi præſumat, quod pœnitens noſcens obligationem ſit ſoluturus. 19.

Tenetur etiam ad reſtitutionem, quantumuis damnificatus non ſit ſubditus ipſius confeſſarij. 20.

Teſtis non obligatur ad reſtitutionem damni perſonæ læſæ, ſiue ſe occultauerit ante citationem Iudicis, ſiue poſt. 21.

Etiam ſi accuſatori ex negatione teſtimonij immineret pæna talionis, vel alia grauis. 22.

Stante declaratione Innocentij XI. non poteſt teſtis ſiſtens in iuditio veritatem verbis amphobolocis calare. 22.

Si teſtis iurauerit in iuditio ſe veritatem dicturum, tenetur ex iuſtitia ipſam dicere. 23.

Si teſtis ad defendendum reum falſum dixerit, ex quo damnum ortum fuerit innocenti, tenetur ad reparationem damni. 24.

Qui ob falſum teſtimonium coniecit innocentem in periculum mortis tenetur ſuum teſtimonium reuocare, quantumuis ex tali reuocatione ipſi immineat ſimile periculum. 25.

Intellige, ſi illa reuocatio ſit profutura innocenti. 26.

Et ſi ex loco tuto poſſit reuocare. 27.

Non tenentur ad reſtitutionem, qui non reuelant delinquentes ex vi monitorij, ſiue ante promulgatum monitorium ſe ſubduxerint, ſiue poſt. 28.

HActenus de cauſis mediatis moralibus per actum poſitiuum concurrentibus ad damnum, ſeu ad actiones alteri iniurioſas; Nunc de cauſis mediatis negatiuè cooperantibus, quæ cauſæ continentur in illis vltimis particulis carminum præcitatorum in prima ſectione huius prænotionis duodecimæ, nempè *Mutus, non obſtans, non manifeſtans*, quas in particulari prius nunc explico, deindè ſubdo quæſtiones, quæ circà ſingulas in particulari conſurgunt.

1 *Quid veniat nomine muti.* Nomine muti non intelligo præcisè id, quod intelligit *Paludanus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3.*, nempè illum, qui ſcit, vbi res eſt abſcondita, & non reuelat; hoc etenim potiùs ſpectat ad non manifeſtantem, de quo infrà, ſed intelligo eum, qui tacet, cum loquendo impedire poſſet damnum ſcilicet reprendendo, conſulendo, rogando, mandando, clamando, & ſimilia efficiendo, prout ità intelligunt *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. in fin. corporis, & ad quintum, Alexander 4. part. q. 86. memb. 3. art. 4., Sotus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4., Caietanus in ſumma verb. reſtitutio, & 2. 2. q. 62. art. 7., Medina C. de reſtitut. q. 9., & alij.*

Nomine non obſtantis non intelligo item id, quod intelligit idem *Paludanus loc. cit.*, nempè eum, qui deficit in purganda Prouincia, ob cuius propterea defectum eueniunt homicidia, furta, & ſimilia, ſed eum intelligo, qui opem, & auxilium non confert ad impediendum damnum, quod vtique poſſet impedire, prout præter DD. præallegatos intelligunt *Corduba in ſumma qu. 66., Bartholomæus Medina in ſumma lib. 1. c. 14. §. 30.* 2 *Quid nomine non obſtantis.*

Nomine non manifeſtantis non intelligo item præcisè Iudicem, qui non manifeſtat ius partium de ea re, de qua ex officio cognoſcit, prout intelligit idem *Paludanus loco quo ſupra*, ſed intelligo, vel eum, qui cum poſſet damnum impedire admonendo eum, qui paſſurus eſt, & non admonuit, vel poſt quam damnum illatum eſt, non denuntiat, ſeu non reuelat damnificantem, vel locum, quo repoſita eſt res ablata, & ſic intelligunt præter præcitatos DD. *Siluester verb. reſtitutio 6. quaſt. 3. dict. 2., Mercad. cap. 18. verſ. los poſtreros.* 3 *Quid nomine non manifeſtantis.*

Circà huiuſmodi cauſas negatiuè ſe habentes ad damnum alterius plura contingunt in præſenti dubitari, & primo in genere, an ſolum teneantur ad reſtitutionem, qui obligantur ex officio impedire, an verò etiam, qui non obligantur ex officio, ſed poſſunt ſine ſuo graui incommodo impedire. Secundò, an ſi non obligatur ex officio, vel contractu ad impediendum recipiat aliquid à fure, ne impediat clamando, vel manifeſtando, teneatur ad reſtitutionem, ſi damnum inde euenerit. Tertiò, quinam intelligantur obligari propriè ex officio, & ex contractu ad impediendum. Quartò, an teneatur ad reſtitutionem famuli domeſtici, qui non impediunt furtum, tam in ordine ad extraneos actionem furtiuam in rebus Domini intètantes, quam in ordine ad alios famulos ſimilem actionem molientes. Quintò, an Confeſſarij obligentur ad reſtitutionem, ſi pænitentes non cogant ad reſtituendum, vel non moneant. Sextò, an teneatur teſtis, qui citatus à Iudice ad deponendum contra furem ſe ſubtrahit à teſtificando, vel veritatem occultat, ratione cuius læſus non poſſit reintegrari. Septimò, an teneantur ad reſtitutionem non reuelantes delinquentes ex vi monitorij, ſiue ante promulgatum monitorium malitiosè ſe ſubduxerint, ſiue poſt promulgationem eiuſdem non reuelent, & ſimilia de alijs. *Rationes dubitandi circa præſentem titulum.*

Aſſer-

Digitized by Google

4 Non impediés cũ tenetur ex officio peccat, & obligatur ad reſtitutionem.

Aſſertio I. Qui tenentur ex officio, ſi non impediunt, cum poſſint impedire, vel non tacendo, vel obſtando, vel manifeſtando, damnum alterius non ſolum grauitèr peccant, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem; Qui verò non tenentur nec ex officio, nec ex cõtractu quantumuis regularitèr peccent non impediendo, cum poſſent commodè impedire, non tamen tenentur ad reſtitutionem. Quoad primam partem omnes ferè conſentiunt *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7., Sotus lib. 4. de iuſt., & iur. q. 7. art. 5., Corduba in ſumma q. 66., Leſſius de iuſt., & iur. c. 13. dub. 10. n. 69., & alij communiter*. Quoad ſecundam *D. Thomas ibid. q. 62. art. 7. ad tertium, Nauarrus c. 17. n. 18., Adrianus in quarto de reſtitut. q. 1. col. 12., Silueſter verb. reſtitutio 3 q. 6., Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 3. n. 5.*

Secus verò, ſi non tenetur ex officio.

Ratio ex eo deducitur quoad primam partem, quod aſſerit *Medina C. de reſtitut. q. 9. in princip.* nempè, quod tales, qui tenentur ex officio ad impedienda aliorum damna, conſtituantur quaſi debitores de ſua opera erga alios, verſus quos tenentur ratione eiuſdem officij, & de effectibus eiuſdem operæ, qui quodamodo in eadem opera continentur; huiuſmodi autem effectus eſt indemnitas ipſorum, ergo, ſi quoad talem operam alijs debitam defecerint, tenebuntur non ſolum de defectu eiuſdem, ſed etiam de defectu effectuum indè prouenientium, adeoque de illo effectu indemnitatis deficiente. Conſequẽtia probatur, quia debitor rei alienę tenetur non ſolum eandem reddere, ſed etiam fructus, & effectus eiuſdẽ, quos percepiſſet Dominus, ſi eidem res debita ſuo tempore fuiſſet tradita, ergo cum in præſenti hypotheſi opera talium perſonarum, quæ obligantur, ſit debita eis, verſus quos obligantur, & indemnitas ſit fructus, & effectus eiuſdem, tenebuntur non ſolum de defectu eiuſdem operæ, ſed etiam de defectu indemnitatis. Confirmatur, quia qui obligantur ex officio ad impedienda aliorum damna intelliguntur quaſi conducti ad impendendas proprias operas, & induſtriam, opem, & auxilium pro conſeruatione rerum illorum, verſus quos obligantur ex officio. vt optimè notaſſe videtur *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. ad tertium, & in fine corporis*, vbi in particulari loquens de principibus aſſerit, quod teneantur cuſtodire iuſtitiam in terra, adeò vt, ſi per eorum defectum, & negligentiam latrones increſcant, teneantur ad reſtitutionem; ſubdens deinde rationem ait *quia redditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, vt iuſtitiam conſeruent in terris*; ſtipendia autem dantur pro operibus obligatis ad aliqua munera, & officia, ſed conducti ad impendendas propriam induſtriam obligantur non ſolum pro defectu earundem operarum, ſed etiam ad ea damna, quæ conſequuntur ex defectu ipſarum, ergo &c.

Indemnitas rei eſt fructus eiuſdem rei.

Lex caritatis obligat ad impedienda damna proximi

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet regularitèr peccent, ex eo deducitur, quia lex charitatis regularitèr obligat ad ſubueniendum proximo in ijs, quæ eidem ſunt noxia, quotieſcunque commodè poteſt, ergo negligens ſubuenire, cum commodè poteſt, grauitèr peccat contra præceptum charitatis.

Onus reſtitutionis prouenit ſolum ex iuſtitia violata.

Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet non obligetur ad reſtitutionem, quandò non tenetur ex officio, ex eo deſumitur, quia onus reſtitutionis ſolum oritur ex lege iuſtitiæ, ſeu tranſgreſſione eiuſdem, ſed, quando quis non impedit alterius damnum, cum commodè poteſt, ad quod impediendum non tenetur ex officio, nec ex contractu, violat præciſè leges caritatis, non iuſtitiæ, ergo non tenetur ad reſtitutionem; Neque hic audiendus eſt *Caietanus in ſumma verb. reſtitutio c. 1. §. aduerte, quod in his tribus*, dum dicit, & ſi non teneatur ex officio, teneri ex articulo neceſſitatis, ſi facilè ſine ſuo graui incommodo poteſt damnum illud auertere, quia non auertendo intelligitur cauſa ſaltem indirecta damni, quod idem ſentire videtur *Angelus verb. furtum num. 26., Ricardus in 4. diſt. 15. art. 5. q. 4.* Non, inquam, audiendus eſt, quia ſic non impediens, cum ex officio non teneatur impedire, nullo modo influit in illud damnum, ſed tantum non remouet, cum remouere non teneatur, niſi ex caritate, quæ non obligat ad reſtitutionem.

Duplex difficultas deſumpta ex dictis.

Hic duplex oritur difficultas, altera in ordine ad primam partem huius aſſertionis; altera in ordine ad hanc vltimam. Prima eſt, an obligatus ex officio ad impediendum damnum teneatur ad reſtitutionem, ſi non impediat, quando commodè non poteſt ſine ſuo detrimento. Secunda, quandò non eſt obligatus ex officio, an teneatur ad reſtitutionem, ſi non impediat ex dolo, prauo animo, & culpa erga damnificatum.

5 Si non poteſt impedire niſi cum graui ſuo detrimento excuſatur.

In ordine ad primam aſſero, non teneri ad reſtitutionem *Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. verſ. illo de quarto, Coaruuias ad reg. peccatum 2. part. n. 5. §. 3., Nauarrus c. 17. n. 18., & n. 134., Adrianus in 4. de reſtit. in communi §. concurrentibus, Angelus verb. furtum §. 26., D. Antoninus ſecunda part. tit. 1. c. 12. §. 7. Medina C. de reſtitut. q. 9. in princip.* Ratio ex eo deducitur, quia officium, ad quod quis aſſumptus eſt in ordine

Digitized by Google

dine ad impedienda aliorum damna, obligat quidem ad operam, & diligentiam præſtandam, ſed cum moderamine, vt non teneatur ipſe, vel in rebus, vel in fama, vel in perſona maius detrimentum pati illo, quod alius pateretur in damnificatione rerum ſuarum; nemo etenim intelligitur velle obligari alienas res defendere in caſu, quo ex illa defenſione ſibi maius damnum immineret, ergo in concurſu damni proprij maioris cum damno aliorum non tenetur ad reſtitutionem, ſi ad ſibi præcauendum in bonis proprijs, quæ ſubiacerent manifeſtè periculo, negligit impedire aliorum damnum. Confirmatur, quia qui intelligitur obligatus ex officio ad impediendum aliorum damnum intelligitur obligatus ex quodam quaſi contractu, vt videtur in-
Eſt quaſi cõtractus locationis
nuere *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. in fine corporis* dum dicit, quod redditus, quibus gaudet ratione officij ſint quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, vt aliorum damna impediat; ex quo colligitur, quod ſit quaſi quiddam contractus locationis, ſecundum quem ſic obligatus locat operas ſuas ad impedienda illa damna, & recipiat illos redditus officij tanquam ſtipendia; ſed in contractibus, qui ſunt in vtriuſque contrahentis vtilitatem nemo tenetur in concurſu periculi rei propriæ cum periculo alienæ, quantumuis ſint æqualis valoris, præferre rem alienam propriæ per ea, quæ latè dicta ſunt *tom. 3. ſub tit. Contractus IX. de commodat. & depoſ. prænot. VII. n. 2.*, prout etiam docent *Molina tract. 2. de iuſt. & iur. diſp. 296. verſ. poſtremo reſpondeo Silueſter verb. commodatum n. 9., Armilla eod. n. 11., Filliucius tract. 34. c. 8. n. 190.*, ergo &c.

6
Non obligatus ex officio, quamuis non impediat ex dolo non tenetur ad reſtitutionem.

In ordine ad ſecundam dicendum eſt, quod quando quis non tenetur ex officio impedire, etiamſi non impediat ex dolo, vel malitia, vel animo nocendi non teneatur ad reſtitutionem *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 131., Nauarrus c. 17. n. 18., & n. 136., Medina C. de reſtit. q. 9. verſ. primus modus, D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 12. § 13., Bartholomæus Medina in ſua inſt. lib. 1. c. 14. § 30.* Ratio eſt, quia illa omiſſio impediendi damnum ex obiecto, cum ſit præciſè contra leges charitatis, non obligat ad reſtitutionem, ergo neque obligabit quantumuis ſit coniuncta cum dolo, malitia, & animo nocendi eiuſdem omittentis. Antecedens clarè liquet ex prædictis. Conſequentia probatur, quia ille dolus, malitia, & animus nocendi, quæ ſuperueniunt, augent quidem malitiam, non tamen obligant ad reſtitutionem, quod ex duplici capite euinco, & primò, quia vt benè docet *Medina C. de reſtitut. q. 9. verſ. Primus modus* ille dolus, malitia, & animus nocendi impertinentèr ſe habent ad damnificandũ proximum, ergo etiam impertinentèr ad obligandum ad ſatisfactionem pro damno. Antecedens probatur, quia æquè damnificabitur proximus, ſiue hæc perſona omittat impedire ex dolo, ſiue ſine dolo. Secundò, quia, vt benè notat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. num. 131.*; cum talis dolus malitia, & animus nocendi verſentur circa puram omiſſionem, nõ circa aliquem actum poſitiuum, & externum manent in mente, nec in aliquem actum externum exeunt, ſicque quoad effectũ damnificationis actualis nihil conferunt, cum propoſitum in mente retẽtum nihil operetur; quod etiam ex eo euincitur, quod intentio efficax nocendi ex parte intendentis nocumentum, niſi fuerit reducta ad actum actualis nocumenti non obligat; quod ſi in præſenti hypotheſi damnificatio ſit ſecuta, non eſt ſecuta ex illo dolo, prauo affectu, & animo nocendi tacentis, non obſtantis, & non manifeſtantis, ſed ex actione inferentis actualitèr damnum, quam ex iuſtitia non tenebatur euertere ille, qui tacuit, non obſtitit, non manifeſtauit, quæ actio, ſi ſecuta eſt, æquè ſecuta fuiſſet ſine dolo, & ſine prauo illo animo nocendi.

Animus nocendi verſatur circa puram omiſſionem.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in hac ſecunda difficultate, & in tertia parte huius aſſertionis plurima militant argumenta deſumpta ex iure canonico; Primum *ex c. ſicut dignum de Homicidio*, vbi Alexander III. hęc habet expreſſa verba: *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit*, ergo, qui potuit eius bona fortunæ liberare à fure, & non liberauit, furtum comiſit, adeòque tenetur ad reſtitutionem. Secundum *ex c. quantæ de ſent. excommun.*, vbi Innocentius III. hæc habet *Eos, qui conſentiunt iniicientibus violentas manus in Clericos; & eos, qui iniiciunt, pari pæna condemnari ab Eccleſia*, ergo etiam, qui conſentiunt alteri damnum inferri, & non impediunt eadem pæna, & onere ſunt afficiendi, vt ſcilicet teneantur ad reſtitutionem, & compenſationem illius damni. Tertium ex eo deſumitur, quod per ſuaſiones, & hortationes inducens alterum, ne impediat furem diſpoſitum ad inferendum damnum obligatur ad damnum illud compenſandum, ergo etiam, qui non impedit, tenebitur ad eandem compenſationem. Sed facili negotio occurrere poſſumus his argumentis.

Nonnulla argumenta contra aſſertionem.

Soluitur primum argumentum.

Ad primum dicendum eſt, non liberantem à morte, cum poſſit liberare, dici homi-

homicidam; ſeu occidere lata ſignificatione, non propria in eo ſcilicet ſenſu, quod afficiatur culpa homicidij quoad Deum, eo quia deficiat in lege charitatis obligantis, quantum fieri poteſt commodè, ad impediendam mortem proximi, non autem ex lege iuſtitiæ, & quantum importat onus reſtitutionis, & in hoc ſenſu intelligunt textum in d. c. ſicut dignum de homicidio *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 10. n. 65. verſ. ad ſecundum*, *Medina C. de reſtit. q. 9.*, & iuxtà hunc ſenſum intelligendus eſt etiam textus *in cap. paſce diſt. 86.* quod eſt D. Ambroſij, vbi ſic legitur. *Paſce fame morientem, ſi non paviſti, occidiſti*; intelligendus, inquam, eſt in hoc ſenſu, quod ſcilicet contrahat ad ſummum noxam homicidij ob charitatem læſam in hoc genere, non verò, quod obliget ad reſtitutionem; & ſimilem explicationem admittunt primo textus *in c. non inferenda 23. q. 3.*, qui ſimilitèr eſt D. Ambroſij, vbi legitur *Non minus eſt in vitio, qui iniuriam ſocio illatam non repellit, quam ipſe, qui infert.* Secundo textus *in diſt. 83. in princip.*, vbi Simmachus ait *Nihil refert mortem inferas, vel admittas.* Tertiò D. Auguſtini ſub illud Leuit. 5., quod refertur *in c. hoc videtur 22. q. 5.*, vbi ſic legitur *Anima, ſi peccauerit, & audierit vocem iurantis &c.* ſubditque, quod *teneamur fratrem à periurio alioque peccato, cum poſſumus, reuocare, alioqui, ſi tacemus portabimus iniquitatem.* Vel dic huiuſmodi textus intelligi, quando quis tenetur huiuſmodi mala auertere, & prohibere damna ex officio, ex quo conſurgit onus iuſtitiæ, non quandò ſimplicitèr ex lege charitatis.

Soluitur ſecũdum. Ad ſecundum deſumptum *ex c. quantæ de ſent. excommun.* dicendum eſt prædictum textum ſolum indicare, quod poſſint condemnari ab Eccleſia in pænam excommunicationis propter peccatum læthale, quod contrahunt, non verò obligari ad reſtitutionem, vel dic *cum Gloſa in d. c. quantæ* textum illum intelligi dumtaxat, quandò ad impediendam illam Clerici percuſſionem publicam habet poteſtatem, vel obligatur ex officio.

7 Soluitur tertium. Ad tertium negandum eſt ſuadentem, & hortantem alterum, ne impediat furtum clamando, obſtando, & manifeſtando teneatur ad reſtitutionem; ſicuti enim ipſe tacens, nec obſtans, nec manifeſtans non committit iniuſtitiam, ratione cuius obligetur ad reſtitutionem, ità ſuadens non committit iniuſtitiam, ratione cuius obligetur; ſuaſio etenim, & conſilium deſumunt ſuam ſpecificationem ab obiecto, circa quod verſatur; obiectum autem eſt omiſſio eius, qui non impedit damnum tacendo, non obſtando &c. & ſic ſicuti talis omiſſio, vt potè præciſè contrà charitatem non obligat ad reſtitutionem, ità nec ſuaſio, quæ verſatur circà talem omiſſionem, tanquam circà obiectum; vndè hic non poſſum acquieſcere rationi *Medinæ C. de reſtitut. q. 9.*, qui aſſerit ſic ſuadentem obligari ad reſtitutionem, atque, vt effigiat vim argumenti, quo aſſeritur, quod, ſi non obligatur ipſe tacens, non obſtans, non manifeſtans, multo minus obligetur ſuadens, & conſulens, cum iſte illi accedat, tanquam acceſſorium ſuo principali, reſpondet, quandòque remotiorem teneri, quamuis proximior non teneatur; Non, inquam, poſſum acquieſcere, quia licet, quandòque verum eſſet, quod teneatur cauſa remotior, quamuis non teneatur proximior; fallit tamen in præſenti caſu, in quo remotior non impedit actionem debitam ex iuſtitia, ſed præciſè ex charitate, adeòque non videtur obligari ad reſtitutionem.

Hic ſolum oritur difficultas, an ea, quæ dicuntur in hac reſponſione, æquè intelligenda ſint, ſiue qui alteri ſuadet, ne impediat clamando, non obſtando, non manifeſtando, ſuadeat præciſè, & cõſulat, ſiue etiam vltrà ſuaſionem, & conſilium adhibeat vim, & fraudem? Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iure c. 13. dub. 10. n. 66.* exiſtimat, ſi vltrà ſuaſionem, & conſilium adhibeat vim, & fraudem non ſolum peccare contrà charitatem, ſed etiam contrà iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, quod etiam latiùs docuiſſe videtur *d. lib. 2. de iuſt. c. 12. dub. 18.* Rationem ex eo deducit, quia damnificatus non habet aliquod ius iuſtitię ad alterius auxilium, niſi quatenus in illius libera voluntate auxilium illud eſt poſitum, ſed quandò per vim, & fraudem remouetur ab illo auxilio iam auxilium illud ab illius voluntate eſt quodamodò ſublatum, ergo ipſius damnificati ius læditur, quod habet ad illud auxilium, prout eſt poſitum in libera voluntate illius, quod clariùs explicat *d. c. 12. dub. 18. n. 123. in fine*, dum dicit, quod ius, quod habet damnificatus ad illud auxilium non eſt quidem abſolutum, 8 Remouẽs per vim, & fraudẽ ab impediẽdo alterius dãnum tenetur ad reſtitutionem.
ſed conditionatum, quia eſt in libera voluntate eius, qui debet auxilium illud applicare; ſi etenim velit applicare illud auxilium, ſibi debetur, ſi nolit, non debetur; vnde, ſi quis voluntatem eius, qui deliberauit, ſeu deliberat auxilium illud conferre, per vim, & fraudem directè impediat, aliouo inflectat, veram iniuriam facit damnificato, nam ius illius in libertate volentis auxilium conferre conſtitutum violat. Hæc ferme ad verbum ipſe

Digitized by Google

Leſſius. Nihilominus contrarium probabilius eſſe alij exiſtimant; cum etenim damnificatus non habeat ius ex iuſtitia ad illud auxilium, parum ipſi referre poteſt, quod vel remoueatur per conſilium, & ſuaſiones, vel per vim, & fraudem. Quid igitur concludendum? Adhæreo opinioni Leſſij. Rationem ex eo deduco, quia, quantumuis non habeat ius ad illud auxilium, quod ab alio ſperat, habet tamen ius, ne illud auxilium in voluntate diſpoſitum modo iniuſto impediatur, ergo, ſi per vim, & fraudem ab illo auxilio impediatur, iniuſtè patitur iniuriam ab eo, qui vim, & fraudem infert, adeòque aduerſus illum ius habet ad compenſationem, ſeu reſtitutionem. Hoc pluribus poteſt illuſtrari exemplis, & primò in eo, qui per vim, & fraudem impeditur à conſequendo beneficio, ad quod tendit; quamuis enim non habeat

Euincitur pluribus exemplis.

ius ad illud beneficium, quod proſequitur, habet tamen ius ad illud proſequendum per debita media, & ſic damnum, quod conſequitur ex illo impedimento, cenſetur per iniuriam datum. Secundo in eo, qui per vim, & fraudem impedit, ne donum in alium transferatur, in quem donans ſtatuerat transferre; in hoc etenim caſu donatarius nullum habebat ius ad illud donum, habebat tamen ius, ne illud donum modo iniuſto ſibi impediretur deferri. Tertio in eo, qui paratus, & diſpoſitus ad extinguendum in ſua prima origine incendium excitatum in damnum alterius per vim retrahitur ab alio, ne illud incendium impediat, tunc etenim damnificatus ius habet ad compenſationem damnorum aduerſus illum, qui ſic per vim retraxit ab impediendo incendio, vt per ſe videtur manifeſtum.

Ad rationem, quæ ex aduerſo adducebatur, dico diſparem eſſe rationem de remouente à præbendo auxilium per ſuaſiones, & conſilium, ac de remouente per

Soluitur ratio oppoſita.

vim, & fraudem. Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit, quod conſilium, & ſuaſiones non tollunt rationem voluntarij, ſicuti tollit vis, & fraus; cum igitur ius damnificati conſiſtat in libera voluntate eius, qui præſtiturus eſt auxilium, ideò, ſi talis voluntas per vim coarctetur, ſeu compellatur ad non præſtandum huiuſmodi auxilium, infertur habenti ius in tali voluntate iniuria, quantumuis illud ius ſit conditionatum, ſicuti infertur iniuria ei, qui deberet eſſe donatarius ex eo, quod quis per vim retrahat voluntatem donantis ad donandum; quantumuis enim non habeat ius in tale donum, niſi dependentèr à voluntate donantis, habet tamen ius, ne talis voluntas modo iniuſto hoc eſt per vim, & fraudem retrahatur in ſui præiuditium, & ſi alitèr fiat, iniuſtè læditur. Ex alia parte, cum conſilium, & ſuaſiones rationẽ voluntarij nõ auferant, non poteſt dici damnificatus læſus in iure, quod habet depẽdentèr ab illa voluntate, cum illa voluntas poſitis etiam ſuaſionibus, & cõſilijs remaneat in ſuo eſſe libero.

Aſſertio II. Si non obligatus ex officio, vel contractu ad impediendum aliquid recipiat à fure, ne impediat ipſius furtum clamando, vel manifeſtando non tenetur reſtituere illud, quod recepit a fure pro tali cauſa, niſi illud fuerit pars furti; probabilius tamen tenetur ad reſarciendum illud damnum. Quoad primam partem eſt ſatis communis; quoad ſecundam eſt *Petri à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 132., Leſſij lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 10. num. 68. verſ. contrarium videtur verius*, qui etiam citat *Salonium pag. 273.* contrà *Sotum lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 3.* 9

Recipiens à fure aliquid, vt nõ impediat, non tenetur acceptum à fure reſtituere, tenetur tamen ad damna.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia qui aliquid recipit à fure, ne impediat ipſius furtum clamando, & manifeſtando non ſolum ius habet ad impediendum, ſed etiam charitate ſic ſuadente compellitur ad impediendum, ergo ad deponendum illud ius, ſi aliquid recipiat poterit illud iuſtè retinere, ſicuti qui ius habet ad accuſandum de delicto, ſi aliquid recipiat, ne accuſet, poteſt illud retinere, vt alibi docuimus; & quamuis hoc videatur turpe lucrum, non tamen eſt iniuſtum.

Ratio primæ partis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, ſi illud, quod à fure tribuitur, eſſet pars furti, iam illud eſſet res furtiua, ſeu pars rei furtiuæ, & per conſequens res aliena, quæ propterea quocunque deuenerit, ſemper clamat pro Domino, & poteſt ab eo irremiſſibilitèr vendicari, ergo erit reſtituenda non quidem furi, à quo non impediens accepit, ſed Domino, à quo fur accepit.

Res aliena, ſeu furtiua ſemper clamat pro Domino.

Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quia, qui accepta pecunia à fure non impedit damnum alteri imminens ab eodem fure non ſolum merè ſe negatiuè habet ad furtum, ſed poſitiuè quaſi influit in illud, ergo tenetur ad illud reſarciendum. Antecedens probatur, quia per illam receptionem pecuniæ non ſolum ceſſat impedire, ſed etiam quoquo modo animat furem ad damnificandum, ſiquidem forte timore correptus, ne impediatur cum ſuo damno, furtum non committeret, niſi certitudinem haberet, quod ille non ſit impediturus ob pecuniam receptam, ergo non ſolum non impedit, ſed etiam quaſi poſitiuè influit animando, vt audactèr furtum illud committat,

Concurrit poſitiuè.

Digitized by Google

tutus, quod non manifeſtabitur &c.

Neque obſtant argumenta, quæ pro contraria ſententia afferuntur à *Soto loc. cit.*, nempè, quod recipiendo illam pecuniam non faciat iniuriam ei, cui fur parat, ſeu intendit damnum inferre, ſicuti non facit iniuriam, ſi moueatur conſilio, ac precibus, ne maleficium impediat. Item, quod recipiendo talem pecuniam non ideò magis obligetur ad impediendum, adeòque, quod ſicuti non obligatur ad reſtitutionem, quandò pecuniam non accepit, ità non obligetur, quamuis pecuniam illam acceperit, ne impediat.

Proponũtur nonnullæ inſtantiæ, & diſſoluuntur.

Non obſtant, inquam; non primum, quia reuera recipiendo talem pecuniam, quoquò modo infert iniuriam ei, cui à furo damnum paratur, quoquo modo ipſum animando furem ad damnificandum ſub morali certitudine, quod non impediatur, nec manifeſtabitur, quam certitudinem, ſi non haberet de facili deterreretur à furto, & probabilitèr illud non committeret; nec valet paritas de conſilio, quo ſibi ſuaderi permittit ad non impediendum; quandòquidem, vel illud conſilium, ſeu ſuaſiones ad non impediendum reciperet ab ipſomet fure parato damnificare, vel ab alio ab ipſomet fure. Rurſus, ſi recepit illud conſilium, ſeu ſuaſiones ab ipſomet fure, vel recepit verbis, vel ſigno aliquo externo indicando ſe cedere ſuaſionibus, & conſilio, & quaſi implicitè promittendo, quod non impediet, nec manifeſtabit, & tunc certè, quoquo modo infert iniuriam læſo ſigno illo externo, ſeu verbis indicantibus non futurum impedimentum animando ipſum furem ad audactèr intentandum furtum ſub illa certitudine non futuri impedimenti; vel recepit conſilium, & ſuaſiones nullo modo indicando ſe cedere illi conſilio, illiſque ſuaſionibus, & tunc nec iniuriam infert, nec ad reſtitutionem obligatur, cum non moueat furem ad audactèr committendum delictum, nec ipſe fur ex illo poſſit ſumere rationabile fundamentum præſumendi, quod non impedietur, & non manifeſtabitur; Si verò illud conſilium, ſeu illas ſuaſiones recepit ab alio ab ipſo fure, tunc vel acceptauit conſilium, & promiſit de non impediendo, & non manifeſtando, adeò vt acceptio illa, ſeu non manifeſtandi promiſſio innotuerit eidem furi, & ipſe promittens nouerit promiſſionem ad eundem furem deferendam eſſe, & hoc modo perindè ſe haberet, ac, ſi promiſſionem illam fecerit furi, & propterea idem dicendum eſt, quod fuit dictum de promiſſione facta furi de non impediendo, & non manifeſtando; vel quamuis acceptauerit, & promiſerit, ità tamen acceptauit, & promiſit, vt certo nouerit promiſſionem illam non deferendam eſſe ad furem, & tunc, nec infert iniuriam læſo, nec obligatur ad reſtitutionem, cum nec animauerit, nec poſitiuè influxerit in illud damnum; Non ſecundum, quia quantumuis ex receptione illius pecuniæ non obligetur magis ad impediendum, quinimmò potiùs magis ſe obliget ad non impediendum, non propterea ſequitur, quod ſicuti non infert iniuriam, nec obligatur ad reſtitutionem non impediendo, quandò nõ recepit pecuniam, ita nec inferat, quandò pecuniam recepit; Non ſequitur, inquam, quia quamvis ex receptione pecuniæ non teneatur magis impedire, tenetur tamen non conferre ex alia cauſa poſitiuè anſam furi audactiùs inferendi damnum, quam confert ex illa receptione, quandòquidem poſitiuè certificatur fur, quod non impedietur, & quaſi impunè maleficium committet.

Mouet ad magis audactèr nocendum.

10 Aſſertio III. Ratione officij, ſeu contractus tenentur in primis impedire damnum aliorum Principes, Magiſtratus, Prætores, ac Duces belli *Siluester verb. reſtitutio 3. q. 5., Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dubit. 10. n. 70.* Item Tutores, & Curatores quoad bona pupillorum, & minorum, ſeu aliorum, qui ſint conſtituti ſub eorum cura *Leſsius loc. cit. n. 74.*, item Procuratores, & Aduocati reſpectu illarum perſonarum, & rerum, reſpectu quorum talia munera exercent; item omnes illi, qui per modum contractus ſeſe ad alicuius rei cuſtodiam obligarunt *Nauarrus c. 17. n. 122. & ſeqq. Leſsius loc. cit. n. 71.*, Item famuli in ordine ad res Dominorum exiſtentes in domo ipſorum ſaltem aduerſus externos. *Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 3., Leſsius loco quo ſupra n. 75.*, & alij, de quibus infra.

Ratione officij, ſeu cõtractus tenentur impedire damna Principes, Magiſtratus, Prætores, & Duces belli.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Principes, Magiſtratus, Prætores, & Duces belli obligantur lege commutatiuæ iuſtitiæ ad impedienda damna ſubditorum, quàdòquidem ſtipendia, & reditus recipiunt ad hunc effectum, tanquam conducti à Republica, & non impedientes non ſolum violant leges charitatis, ſed etiam rigoroſæ iuſtitiæ.

Obligantur Principes

Ratio ſecundæ partis ex eo item deſumitur; quod, vel ob curam, & tutelam recipiunt ſtipendia, vel non recipiunt; ſi recipiant, iam intelligitur initus virtualitèr contractus, ratione cuius pupilli obligantur ad mercedem, & ipſi Tutores, & Curatores ad curam, & cuſtodiam nedum eorundem pupillorum, & minorum, ſed etiam rerum eorundem, ergo,

Item Tutores, & curatores, & quo modo.

ergo, ſi non cuſtodiant, ſeu non impediant damnum, cum poſſint, tenentur ex proprijs damnum illud reparare; ſi non recipiunt, adhuc inquiri poteſt, an ſint tales, vt obligari poſſint ad illud munus tutelæ, & curæ aſſumendum, ſi verò tales non ſint, an voluntariè requiſiti illud munus ſuſceperint; ſi ſint tales, vt obligari poſſint publico iure ad aſſumẽdum, tunc non ſola lege charitatis obligantur, ſed etiam lege iuſtitiæ imponente tale onus publico iure, quod vtique poteſt in fauorem minorum, & pupillorum, adeòq; tanquam violatores iuſtitiæ non eſt, cur nõ debeant obligari ad reſtitutionem; ſi verò non obligentur ex aliquo iure ipſi tamen requiſiti ſpontè ſubierint illud onus curæ, & tutelæ, ex vi muneris aſſumpti obligantur, & in hoc valet illud, quod circumfertur, quod quandòque id, quod eſt voluntatis ante factum, poſt factum ſit neceſſitatis, ſicuti quis liber eſt ad donandum, vel non donandum, poſt donationem tamen liberè factam non eſt amplius liber.

Si ſint cõducti, ſeu ſtipẽdiati

Item Procuratores, & Aduocati & quandonam.

Tertia pars de Procuratoribus, & Aduocatis ex eo deducitur, quod ipſi aſſumpſerunt onus defendendi, & curandi vtilitatem, & commoda ſuorum clientum, & ob hoc recipiunt mercedem, & ſtipendia; ergo ex vi proprij muneris tenentur eorum detrimenta, quantum poſſunt, impedire. Circa huiuſmodi Aduocatos, & Procuratores ſolum oritur hic difficultas, an teneantur ſolummodò impedire in ijs cauſis, quæ eorum patrocinio fuerunt commiſſæ, an verò in alijs omnibus bonis eorundem clientum, quæ ſunt extrà cauſas ipſis commiſſas. Pro ſolutione conſiderandum eſt, an huiuſmodi Aduocati, & Procuratores fuerint certa mercede conducti ad vniuerſitatem cauſarum eorundem clientum, an verò dumtaxat ad certas cauſas, prout opportunitas ſe offert. Si fuerint conducti ad vniuerſitatem cauſarum probabilius eſt, quod in omnibus teneantur impedire; ex quo etenim curam gerunt omnium, in omnibus debent, quantum poſſunt, prodeſſe. Si verò fuerint conducti ad certam cauſam tantum vertentem in iudicio, & tunc arbitrarer, extrà talem cauſam ſibi commiſſam non teneri ex officio, & contractu impedire, ſed ad ſummum ex quadam æquitate, & charitate, cum in ordine ad alia non intelligatur conductus, nec ex officio obligatus.

Item qui obligantur ex cõtractu.

Quarta pars de ijs, qui per modum contractus ſe ſe ad alicuius cuſtodiam obligarunt, facilè ex eo deducitur, quod dictum eſt in præcedentibus partibus, nempè hic oriri onus iuſtitiæ ex contracto; locant enim iſti ſuas operas ad illum effectum cuſtodię pro mercede conuenta.

11 Cuſtodes conducti ad impediendum venationem, ſignationẽ, paſcua, & fraudes vectigalium, ſi non præſtant, tenentur ad compenſationem damnorũ Dominis.

Circa hanc quartam partem plures inſurgunt rationes dubitandi in præſenti diluendæ. Prima eſt, an, ſi pæna fuerit conſtituta aduerſus eos, qui certo loco venantur, lignantur, paſcunt, aut certas merces exportant, aut important, aut vectigalia non ſoluunt, & fuerint quoad illa conſtituti cuſtodes, & ità diſſimulauerint, & non manifeſtauerint, ſeu non accuſauerint delinquentes, teneantur non ſolum damna Dominis illata compenſare, ſed etiam ex ſuo mulctas perſoluere ad, quas damnificantes fuiſſent condemnati, ſi ipſi cuſtodes accuſaſſent. De compenſatione damnorum illatorum ex illa diſſimulatione, & taciturnitate vix videtur eſſe ratio dubitandi; quandòquidem certum eſt, cuſtodes ſic diſſimulantes, & tacentes teneri, cum in ſuo munere, ad quod obligantur ex iuſtitia, deficiant. Difficultas ſolummodò eſt, an teneantur ex ſuo ſoluere pænam, ad quam fuiſſent condemnati delinquentes, ſi ipſi cuſtodes accuſaſſent Petrus à Nauarra *lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 142., Salonius ſecunda ſecundæ q. 62. art. 7. controuer. 5., Ioannes Medina C. de reſtit. q. 15. in fin., Bartholomeus Medina lib. 1. ſummæ c. 14. §. 30. num. 158.* ſentiunt etiam teneri cuſtodes diſſimulantes ad illam pænam. Ex aduerſo *Nauarrus c. 25. num. 34., Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 13. dub. 10. num. 73.* ſuſtinent non teneri, ſed diuerſa ratione, Nauarrus ſcilicet, quia arbitratur, non deberi pænam ante ſententiam; Leſſius verò ex alio capite, quia cuſtodes tenentur quidem ex vi proprij muneris impedire damna, non verò accuſare, & mulctas procurare in fauorem Dominorum.

12 Sententia afferẽs teneri etiã ad multã delinquẽtium.

13 Sententia negans.

In hac controuerſia video Silueſtrum parum ſibi conſtantem dum *verb. pæna q. vlt.* expreſsè aſſerit, quod officiales deputati, ſi non accuſant eos, quos deprehenderint in pænam lapſos, teneantur ad complementum pænæ exigendæ, ſi accuſaſſent iuxtà mentem *D. Thomæ 2. 2. q. 67. art. 4.* ſi ſe obligarunt pacto, vel iuramento ad accuſandum; *verb.* verò *reſtitutio 3. q. 5. dict. 7.* expreſsè docet cuſtodes, & vigiles ciuitatum non accuſantes eos, qui deliquerunt, licet peccent mortalitèr, & ſint periuri, ſi accuſare iurauerunt, non tamen teneri ſoluere pænam, quam ſoluiſſent illi, ſi fuiſſet accuſati ſecundum D. Bernardinum. Quid igitur in hac controuerſia concludendum? Probabilius ſentio, non teneri multam ſoluere, quæ, ſi accuſaſſet delinquentes, ab eiſdem fuiſſet perſoluenda. Non mo-

14 Pręfertur hæc ſententia negatiua.

Digitized by Google

moueor ratione, qua mouetur *Nauarrus loc. cit.* quod ſcilicèt pæna non debeatur antè ſententiam, nam hoc non habet locum in præſenti ſtatu, ſecundum quem cuſtodes non tenentur de ſolutione pęnę, ſed ad ſummum tenentur de damno dato, vel commodo contra officium neglecto; Sed moueor ratione *Leſsij loc. cit.*, quod ſcilicèt illorum cuſtodum officium non extendatur ad mulctas procurandas, ſed ſolum ad cuſtodiendas res ſibi creditas, illas indemnes ſeruandas, & impedienda damna, inquantum poteſt ſine ſui grauiori, vel æquè graui detrimento, ergo tenebitur quidem ad damna, quæ ex ſua omiſſione, vel negligentia obuenerunt, non autem ad mulctas perſoluendas, quas delinquentes debuiſſent perſoluere, ſi fuiſſet ab eiſdem cuſtodibus accuſati; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cuſtodes ex vi proprij officij, & muneris teneantur damna quæcunque, ne dum impedire, ſed etiam commoda quæcunque in rebus propriæ cuſtodiæ creditis ſuis Dominis curare, & cuſtodire non ſolum iura, quæ in eiſdem rebus habent Domini, ſed etiam iura, quæ ex damnis eiſdem illatis oriuntur, adeòque etiam ad curandas mulctas &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cuſtodes ex vi proprij muneris tenentur quidem ad perfectam cuſtodiam, & ad ea, quæ damni, ex defectu eiuſdem cuſtodiæ proueniunt, non autem ad curanda Dominis commoda, quæ ſupra compenſationem damnorum eiſdem collatorum eiſdem prouenire poſſunt ratione delicti, quia ad hoc nō ſe obligarunt cuſtodes, cum ſolum intenderint ſeruare res Dominorũ ſuæ cuſtodiæ concreditas immunes à damnificationibus, & ſi damna contigerint, eadem reparare.

Rationes ſententiæ negantis.

15 Quod ſi ſupponas cum *Silueſtro locis citatis*, quod cuſtodes in conuentione facta cum Dominis rerum ſibi creditarum titulo cuſtodiæ non ſolum conuenerint de cuſtodia, ſed etiam ſe obligauerint ad accuſandos eos, quos deprehenderint in pænam lapſos, & hanc obligationem firmauerint iuramento, tunc eidem Silueſtro adhæreo, prout *d. verb. pæna q. vlt.* aſſerit, quod cuſtodes teneantur ad complementum pænæ exigendæ ſi accuſaſſent, & ab eodē diſſentio, prout *d. verb. reſtitutio 3. q. 5. d. ſeptimum* aſſerit eſſe quidem reos periurij, & grauitèr peccare, non tamen teneri ad compenſationem illius pænæ. Ratio ex eo deducitur, quia illa conuentio ſecundum ſe eſt de re licita, quæque cadere poteſt ſub obligatione, & cum ſit firmata iuramento fortiùs obligat, ergo non eſt, cur per promittentem, & ſe obligantem ſub iuramento non debeat ex iuſtitia adimpleri, & ſi non adimpleatur non eſt, cur non obliget tranſgredientem ad reparationem illius pænæ per ſolutionem ex ſuo; Atque his, quæ hic dicuntur conformari videtur *D. Thomas 2. 2. q. 67. art. 4. in corpore*; nam licet tantum ibi loquatur de iudice inferiore, quem aſſerit non poſſe abſoluere reum contra leges à ſuperiore ſibi impoſitas, videtur tamen ex paritate rationis ipſius dictum etiam extendi ad cuſtodem, qui ſe obligauit ex conuentione, & iuramento, quatenus non poſſit damnificantem abſoluere ab accuſatione, ſed teneatur expreſsè accuſare.

Intellige niſi ſe obligauerint ad accuſãdos eos quos deprehẽderint, & iurauerint.

Si autem vlteriùs inquiras, an in ſuppoſitione, qua cuſtodes ex eo, quod non ſe obligauerint, nec ex conuentione, nec ſub iuramento ad accuſandum, non teneantur ad accuſſationem, nec ad ſolutionem pænæ, ſi non accuſauerint, teneantur tamen ad illam pænam illi, qui deliquerint contrafaciendo iuri, ob quod impoſita eſt illa pæna. Abſolutè reſpondeo negatiuè, & in hoc locum habet ratio, quam adducit *Nauarrus d. c. 25. n. 34.*, quod ſcilicet pęna non debeatur antè ſententiam.

Pæna non debetur ante ſententiam.

Secunda difficultas eſt, an, ſi cuſtodes conducti certa mercede ad cuſtodiendum locum aliquem, vel aliqua bona ſe abſcondant, ne videantur ab ijs, qui in tali loco, ſeu bonis damnum intentare intendunt, ad eum effectum, vt damnificantes intercipiant, ac puniri faciant, grauitèr peccent. Nonnulli apud *Nauarrum c. 17. n. 123.* abſolutè ſentiunt cuſtodes 16 ſic ſe abſcondentes ad eum effectum grauitèr peccare; quos non alia ratione moueri exiſtimo, niſi quia decipiant per hoc incautos, & ipſius muneris eſt impedire damna, non permittere per aſtutiam, vt damnificantes puniantur. Verum his non obſtantibus, & negotium maximè faceſcentibus hanc opinionem idem Nauarrus nimis duram exiſtimat, & contrariæ adhæret tanquam mitiori aſſerenti non peccare, quod multis rationibus probat, & primò, quia aſtutia illa ſe abſcondendi multum prodeſſe poteſt ſuo muneri, quo fungitur, quandòquidem ex illa notitia interceptionis nedum interceptus ſibi impoſtorum cauebit ab ingreſſu, ſed etiam alij, dum timere poſſunt, ne clã, & furtim, & ipſi intercipiantur, & grauitèr puniãtur; neque hęc aſtutia damnabilis eſt, cum nec in ordine ad ſe ſit mala, nec in ordine ad finem. Secundò, quia hæc aſtutia, hicque modus deprehendendi damnificantes eſt in praxi apud omnes ferè cuſtodes, idque ab omnibus ſcitur, ergo per illam, ſeu illum

Non peccãt cuſtodes, qui ſe abſcondunt, vt capiãt delinquẽtes, & accuſent.

ſe

Digitized by Google

ſe deceptum nemo dicere poteſt *arg. cap. ſcienti de reg. iur. in 6.* Tertiò, quia non ipſi cuſtodes conſtituunt in periculo accuſationis,& pęnarum ipſos damnificantes, ſed ipſi ſe conſtituunt per prauam ſuam actionem, in eodem periculo, ergo de ſe ipſis debent conqueri, quod peruersè egerint, non de cuſtodibus, qui functi ſunt munere ſuo medio illo, quod de ſui natura non eſt illicitum.

17 Famuli nō impedientes exteros a dānis in domo intētādis peccant.

Quarta pars de famulis non impedientibus damna dominorum in eorum domo intentata ab extraneis ex eo euincitur, quia ratione famulatus cenſentur obligari ad res Domini ab iniuria extraneorum tuendas; ipſi enim ſunt quaſi domeſtici, & familiares Domini conducti certa mercede ad commodum, & vtile eorundem Dominorum, ergo deficientes ab illo munere impediendi cum poſſint grauitèr peccant non ſolum contrà charitatem, ſed etiam contrà iuſtitiam, adeòque tenentur ad reſtitutionem. De famulis verò non impedientibus damna in domo Dominorum intentata ab alijs famulis, & domeſticis diuerſa omninò eſt ratio, nam famulus dum conducitur à Domino ex certa conuenta, mercede ad ipſius famulatum non cenſetur ſe obligare ad cuſtodiendas res Domini contrà alios famulos, & domeſticos, niſi hæc Prouincia ei ſit ſpecialitèr demandata; nimis enim hoc arduum eſſet, quandòquidem cum omnes in eadem domo habitent, vnus non intelligitur hoc onus velle ſubire aduerſus alterum, cum vix poſſet alijs curis diſtractus præcauere; vndè prudentes Domini vnum ex famulis ſibi bene viſum ſpecialitèr deputant ad hoc munus cuſtodiæ.

Secus, ſi nō impediāt alios famulos, & quare.

18 Confeſſarij non obligantes ad reſtitutionē quomodò teneantur.

Aſſertio IV. Confeſſarij, qui ex vi proprij muneris, ſeu ex cura animarum, quam habent confeſſiones ſubditorum recipiunt grauitèr peccant, & tenentur ad reſtitutionem, ſi omittant cogere pænitentes, vel eos monere de reſtitutione facienda, ad quam tenentur ex iuſtitia, ſiue omittant ex ignorantia craſſa, ſiue ex culpa lata, vel leui; Confeſſarij verò, qui non tenentur ex officio ad confeſſiones audiendas, nec habent curam animarum tenentur tantum, ſi omittant obligare, vel monere de reſtitutione facienda ex ignorantia craſſa, & culpa lata. Ita quoad primam partem *Roſella verb. reſtitutio 2. n. 5., Angelus verb. reſtitutio vltimo n. 5., Nauarrus c. 17. n. 22.* Quoad ſecundam *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. nu. 125., Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. n. 79.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia huiuſmodi confeſſarij ex proprio officio tenentur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire, ne alijs damnum inferant, ſiquidem ad hoc decimas à populis exigunt, & ſtipendia accipiunt, ergo etiam in exercendis ijs, quæ proprij muneris ſunt, cuiuſmodi eſt Sacramentum Pęnitentiæ tenentur damni illati reſtaurationem procurare, quandòquidem eiuſdem omninò rationis eſt damnum inferre, ac damnum illatum non refarcire, adeòque, ſi tenetur impedire, ne damnum inferatur tenetur etiam curare, vt damnum illatum reſarciatur. Quod autem teneatur non ſolum ex ignorantia craſſa, ſed etiam ex culpa lata, & leui ex eo deducitur; quia in ijs, quæ ſunt proprij muneris tenetur habere plenam notitiam, vel ſaltem notitiam talem, vt ſciat dubitare, & ex dubio moueatur ad inquirendum de onere pænitentis, & ſi in hoc deficiat, deficit in proprio munere, nec ignorantia poteſt eum legitimè excuſare; ex alio capite ex eo, quod munus, quod exercet non ſolum ſit in propriam vtilitatem propter decimas, & ſtipendia, quæ recipit, ſed etiam in vtilitatem ſubditorum propter miniſteria, quæ in eorum fauorem debet exercere ex generali regula ſupra habita, quod in contractibus, qui ſunt in vtilitatem vtriuſque contrahentis, vterque contrahens teneatur non ſolum de culpa lata, ſed etiam de culpa leui, neceſſario ſequitur quod etiam in hoc miniſterio teneatur de eadem culpa leui.

Rationes, cur confeſſarij ex officio teneantur, etiam de culpa leui.

Circà hanc partem aſſertionis duo occurunt dubia in præſenti examinanda, quorum primum eſt, an confeſſarius obligatus ex officio ad audiendas confeſſiones teneatur abſolutè, & in quocunque caſu ad compellendum, vel ſaltem efficacitèr monendum pænitentem de reſtitutione facienda, an verò tantum in caſu, quo niſi reſtitutionem præciperet confeſſo, hic non reſtitueret, & ſi præciperet, reſtitueret. Secundum, quomodo ſaluari poſſit, quod ipſe confeſſarius, quantumuis Parochus tęneatur ex culpa lata, vel leui ad reſtitutionem erga damnificatum cum ipſius munus reſpiciat ſalutem animarum pænitentiū præcisè, non vtilitatem creditorum, cùm in gratiam ipſorum officium nō habeant, & ab eiſdem, quandòque mercedem non recipiant, quod contingeret in caſu, quo pænitens, qui damnificauit eſſet ſubditus talis Confeſſarij Parochi, damnificatus verò eſſet alterius Pareciæ, qui proptereà, nec decimas, nec ſtipendia perſoluit tali Confeſſario.

Duo dubia excitata circa confeſſarios obligatos ex officio.

In ordine ad primum dico, ea quæ dicta ſunt in hac prima parte huius aſſertionis

tionis

tionis potiſſimum verificari, quandò Confeſſarius obligatus ex officio ad audiendas confeſſiones norit, vel ob ignorantiam pænitentis, vel ob ipſius prauitatem, quod, ſi præcipiat eidem reſtitutionem, reſtituet, ſi verò non præcipiat, non reſtituet *Roſella verb. reſtitutio 2. §. 5., Nauarrus in manual. c. 17. nu. 22.*, quandò verò confeſſarius, quantumuis Parochus nouit ſolum pænitentem eſſe obligatum ad reſtitutionem, & non præcipit reſtitutionem, vel ex inconſiderantia, vel quia arbitratus eſt id ipſi confeſſo curæ fore, probabilius non videtur teneri ad reſtitutionem *Idem Nauarrus loc. cit. n. 22. verſ. nec obſtat*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi eſt verè cauſa efficax, cur pænitens non reſtituat cum cæteroqui poſito præcepto reſtitutionis per confeſſarium eſſet reſtituturus, ergo tanquam cauſa tenetur ad reparationem illius damni, ſeu ad reſtitutionem, quam ex ſua cauſa pænitens non fecit *arg. c. fin. de iniur. & l. qui occidit ff. ad leg. Aquil.* Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia dum cognoſcit pænitentem cognoſcere ſuam obligationem, & vel ex inaduertentia omittit præceptũ reſtitutionis, vel quia exiſtimat id ipſi pænitenti curæ fore non eſt propriè cauſa ipſius non reſtitutionis ex illa omiſſione præcepti, ergo non eſt, cur ipſe teneatur ad reſtitutionem pro pænitente, Antecedens probatur, quia ſuppoſita cognitione in pænitente oneris, quo pręmitur ad reſtituendum, & procliuitate ad illam reſtitutionem nõ tenetur ipſum inſtruere de tali onere, & debitum ipſum interpellat pro eadem reſtitutione, quam ſi poſteà non præſtet pænitens id eidem imputandum eſt, non confeſſario, & pręſumptio eſt, quandò pænitens non caret cognitione ſui oneris, quod æquè omitteret eandem reſtitutionem, ſiue monitus, ſiue non monitus à confeſſario.

19 Intellige, niſi ſibi pręſumat, quod ipſe pænitens cognoſcẽs obligationem ſit ex ſe ſoluturus.

In ordine ad ſecundum dico teneri ad reſtitutionem ex illa omiſſione, quantumuis damnificatus non ſit ſubditus eiuſdem confeſſarij Parochi, dummodò talis ſit pænitens, qui damnificauit. In hoc conſentire videntur DD. præallegati. Ratio ex eo deducitur, quia confeſſarius Parochus ex vi proprij officij tenetur conſulere ſaluti pænitenti, & iuuare animam illius, & in ordine ad hoc accipit decimas, & ſtipendia à ſuis ſubditis, ſed præcipere pænitenti reſtitutionem, ad quam tenetur, & conſulere illi, & iuuare animam eius, ergo tenetur illã reſtitutionem præcipere, & omittendo, quandò nouit, quod illo præcepto poſito ponetur, eodem non poſito, non ponetur, violabit leges iuſtitiæ ad quas tenetur ex vi proprij muneris, adeòque obligabitur ad reſtitutionem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod hæc obligatio non poſſit eſſe in ordine ad damnificatum, cum ex officio non teneatur illius indemnitatem procurare, nam ab eodem, vtpotè à non ſubdito, nec decimas recipiat, nec ſtipendia; Non, inquam; obeſſe poteſt, nam licet directè nullam habeat obligationem ex officio erga non ſubditum, poteſt tamen erga ipſum obligari indirectè, quatenus non conſulendo pænitenti ſubdito, & non iuuando eius animam, quodamodo ſubit illius onera, & ex defectu proprij muneris tenetur ipſe ad id, ad quod ipſe pænitens tenetur, & licet ipſe damnificatus non ſubditus non poſſet in foro externo habere actionem aduerſus ipſum confeſſarium Parochum pro reſtitutione ſibi facienda; ipſe tamen confeſſarius, tanquam cauſa non reſtitutionis tenebitur ad illam ponendam in foro conſcientiæ.

20 Tenetur etiam ad reſtitutionem, quãuis damnificatus non ſit ex cura eiuſdem confeſſarij.

Ratio ſecundæ partis aſſertionis ex eo deſumitur, quia quandò non tenetur ex officio, tanquam Parochus, vel Epiſcopus ad confeſſiones audiendas in primis munus, quod exercet non poteſt dici, quod ſit in vtriuſque vtilitatem, ſcilicèt ipſius confeſſarij ex pænitentis, ſed tantum in fauorem pænitentis, à quo nec decimas recipit, nec ſtipendium; deindè ex vi proprij muneris non tenetur pænitentem inſtruere ex iuſtitia, ſed dumtaxat ex charitate, ergo, quia illud munus eſt dumtaxat in vtilitatem pęnitentis non tenetur ex culpa leui, ſed dumtaxat ex lata, ſicuti contrahentes tenentur ſolummodò de eadem lata, quandò contractus eſt dumtaxat in fauorem alterius per eà, quæ ſupra latè fuerunt probata. Ex aliò capitè cum non teneatur pænitentem ex iuſtitia inſtruere adamuſim non videtur eandem obligationem ex omiſſione inſtructionis ſortiri.

Rationes, cur confeſſarius non obligatus ex officio teneatur ſolum de culpa lata.

Aſſertio V. Teſtis nõ tenetur ad reſtitutionẽ damni, quod læſus paſſus eſt, ſiue ſe occultauerit, aut fugerit, antequam præceptum, ſeu citatio Iudicis ei fuerit legitimè denuntiata, ſiue poſtquam fuit legitimè citatus, etiam ſi ex tali occultatione, & denegata teſtificatione læſus non poſſit conſequi compenſationem damni, quam cæteroqui fuiſſet conſecuturus *Molina de iuſt. tract. 1. diſp. 83., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 30. dub. 8. n. 59., Tannerus in 2. 2. D. Thomæ diſp. 4. q. 6. dub. 2. n. 79., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 54. in fin.* 21

21 Teſtis nõ obligatur ad reſtitutionẽ damni perſonæ læſæ, ſi ſe occultauerit antequã citaretur à Iudice, vel etiam poſtquam citatus eſt

Non eſt dubium, quod ſi teſtis non obligatur ad reſtitutionem, quandò poſt legitimam citationem ſe occultauit, vel

Digitized by Google

aliquo artificio ſe exemit à teſtificando, multo minus intelligi debet obligatus, ſi ab actu teſtificandi, vel per fugam, vel aliquo alio artificio declinauerit antequam præceptum iudicis, ſeu citatio eidem fuerit legitimè intimata, cum nemo obligetur præcepto Superioris priuſquã, id ei debito modo imponatur. Si igitur probatum fuerit, quod non obſtante citatione legitimè facta ſe eximendo ab actu teſtificandi non teneatur ad reſtitutionẽ probatum etiam remanebit, quod non teneatur, ſi ſe exemerit à tali actu antequam fuerit legitimè citatus.

Probatur igitur, quod non teneatur ad reſtitutionem, etiam ſi legitimè citatus declinauerit ab actu teſtificandi. Non tenetur quis ad reſtitutionem ex eo, quod non ſe offerat ad teſtificandum, quia non tenetur ex iuſtitia ſe offerre, prout cum communiori ſententia docet *Leſſius de iuſt., & iur. c. 30. dub. 8. n. 56., Nauarrus in manual. c. 15. n. 17., D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1.*, ergo nec tenetur teſtificari, quantumuis fuerit à Iudice legitime citatus. Conſequentia probatur, quia, quod ſit legitimè citatus, & non compareat, non conſtituitur iniuſtus, ſed inobediens, vel contumax, nec citatio illa imponit obligationem iuſtitiæ ad ſe ſiſtendã, ſed dumtaxat obedientiæ, ſed ex obedientia violata præciſè, quando non eſt aliundè obligatio iuſtitiæ nemo tenetur ad reſtitutionem, quæ ſolum oritur ex violata iuſtitia, ergo ſi ſecundum ſe teſtis non tenetur ſe offerre ad teſtificandum, & ſi ſe non offerat, non obligatur ad reſtitutionem, neque obligabitur ad eandem reſtitutionem, ſi citatus, vel effugerit, vel declinauerit ab actu teſtificandi, quandòquidem ex citatione, & non adimplemento eiuſdem ſolum oritur violatio obedientiæ.

Citatus non comparens nõ eſt iniuſtus, ſed inobediẽs

Neque hic audiendi ſunt *Nauarrus in manual. c. 25. n. 41., Sotus lib. 5. de iuſtitia q. 7. art. 1, Michael Salonius 2. 2. q. 70. art. 1. dub. 3.* qui aſſerunt, quod quandò teſtis eſt legitimè à Iudice citatus teneatur ad reſtitutionem, ſi effugerit, vel alio modo à teſtificando ſe ſubduxerit; mouentur duplici ratione primò, quia, quandò teſtis eſt legitimè citatus tenetur ex iuſtitia teſtimonium ferrè, ſicuti tenetur aſſumere pupillorum tutelam ex iuſtitia ille, qui eſt à Iudice legitimè electus ſecundò, quia ſi quis iuſſus à Iudice ſcripturam proferre ad cauſam pertinentem, ſi eandem occultet, vel laceret tenetur ad reſtitutionem damni indè ſecuti, ergo etiam ſi iuſſus, & legitimè citatus ad teſtificandum in cauſa, de qua agitur, in fauorem damnificati, ſi ſe occultauerit, & ab actu teſtificandi declinauerit tenebitur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damnorum indè ſecutorum. Non, inquam, audiendi ſunt, quam rationes, quæ per eoſdem adducuntur nullius omninò roboris ſunt; non enim obſtat prima, quia gratiſ omninò dicitur, quod teneatur ex iuſtitia teſtimonium dicere; tenetur namque ſolummodò ex obedientia teſtificari, cum præceptum Superioris ſecundum ſe non obliget, niſi ad obedientiam, niſi obiectum, de quo agitur ſit obligatorium ex iuſtitia, quod non euenit in præſenti hypotheſi; Non ſecunda, quia, vel illa ſcriptura, de qua edenda agitur ex præcepto Iudicis eſt verè pertinens ad iuſtitiam cauſæ, quæ aggitatur, adeòut ſine illa non poſſit ferri iudicium certum, & non niſi noxium alter parti, vel eſt ſcriptura talis, quæ ſiue edatur, ſiue non edatur conferat ad iuſtitiam cauſæ; ſi ſit ſcriptura iuxtà primum ſenſum, tenetur eandem edere ex iuſtitia non, quia præciſè accedat præceptum Iudicis, quia hoc tantum obligat ad obedientiam, ſed, quia iuſtitia cauſæ hoc exigit; ſi verò ſit ſcriptura iuxta ſecundum ſenſum non tenetur edere, niſi ex obedientia. Deindè dici poteſt cum *Leſſio lib. 2. de iuſt., & iur. c. 30. dub. 8. n. 59. in fin.*, quòd diſpar omninò eſt ratio de ſcriptura edenda pertinente ad cauſam ex præcepto Iudicis, ac de teſtimonio ferendo in eadem cauſa ex præſcripto eiuſdem Iudicis; Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit, quia vbi agitur de ſcriptura edenda agitur de re externa, quæ eſt ſub poteſtate Reipublicæ, quæ poteſt propterea de illa diſponere ſicuti de cæteris rebus exterioribus, quandò cauſa ſubeſt; vbi verò agitur de teſtimonio edendo agitur de actu merè interno pendente à libera voluntate teſtificantis, qui propterea, vbi vis iuſtitiæ non vrget, non tenetur illud premerè, niſi ad ſummum ex præcepto, & in vim obedientiæ, nec de eodem poteſt diſponere reſpublica, ſicuti de cæteris rebus externis.

Non tenetur ex iuſtitia teſtimonium ferre.

Exemplũ de ſcriptura edenda non facit ad rem

Circà hanc aſſertionem multæ inſurgunt rationes dubitandi, quas iam depromo. Prima eſt, an ſaltem teſtis teneatur teſtificari, quandò accuſatori ſine eius teſtificatione grauiſſimum periculum immineret, vel pænæ talionis, vel alterius pænæ etiam corporalis. Secundò, an quandò non potuit declinare à iuditio, vel per fugam, vel alio modo, ſed coactus fuerit ſiſtere apud Iudicem poſſit verbis æquiuocis, ſeu tragiuerſatione veritatem cælare. Tertia, an, ſi coactus ſiſtere in iudicio iurauerit veritatem fateri, an, ſi eandem cælauerit peccauerit non

Nonnullæ rationes dubitandi circa onera teſtium ad teſtificandum.

Digitized by Google

non ſolum contrà Religionem, & factus fuerit reus ſacrilegij, ſed etiam contrà iuſtitiam, & factus fuerit reus violatæ iuſtitiæ. Quarta, an, ſi ad defendendum reum falſum protulerit teſtimonium teneatur ex iuſtitia ad omnia damna, quæ contigerunt innocenti. Quinta, an, ſi falſum fecerit teſtimonium, ob quod innocens ſit in periculo perdendæ vitæ teneatur ſuum teſtimonium reuocare, & omnem ſuam operam adhibere, vt illam è morte eripiat, quantumuis ob id ipſe conſtituatur in proximo perdendæ vitæ periculo.

22 Etiam ſi ex negatione certificationis immineret pæna talionis accuſatori.

In ordine ad primam arbitror etiam in ordine ad euitandam pænam talionis in accuſatore, vel aliam pænam quantumuis corporalem non teneri teſtem ex iuſtitia ad teſtificandum, ſed dumtaxat ex charitate, & obedientia, ſi hoc ipſi per Iudicem præcipiatur. Hocque expreſsè ſentire videtur *D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. in fin. corp.*, vbi expreſsè habet hæc verba. *Vel ſi immineat periculum accuſatori non eſt curandum, quia ipſe in hoc periculum ſpontè ſe ingeſſit*. Hoc idem ſentire videtur *Nauarrus in Manual. c. 25. nu. 17.*, qui tamen quamuis videatur aſſerere ſolum, quod non teneatur ſpontè ſe offerre ad teſtimonium ferendum ex præactis tamen in probatione aſſertionis ipſius dictum refertur etiam quandò fuit à Superiore legitimè citatus, quia præceptum Superioris ipſum quidem obligat ex obedientia, non tamen ex iuſtitia, quia vt benè notat *Leſſius lib. 2. de iuſtitia, & iur. c. 30. dub. 8. nu. 59.* Iudex præcepto ſuo non poteſt teſti imponere obligationem iuſtitiæ ad iurandum, vel reſpondendum quare, ſi nolit iurare, & reſpondere puniri quidem poterit tanquam inobediens, & contumax, ſed non tenetur ad reſtitutionem damni, vel reo, vel accuſatori; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex iuſtitia teneatur, quandò teſtimonium ipſius requiritur ad liberandum hominem, vel ab iniuſta morte, ſeu pæna quacunque, vel à falſa infamia, vel etiam ab iniquo damno, vndè præcipitur primo

Obiectio procedit ſolum ex onere charitatis.

pſal. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*, & ad Rom. 1. *Digni ſunt morte non ſolum, qui faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus*; in hac autem hypotheſi, qua accuſator ſubditur periculo pænæ talionis, vel alteri graui corporali ad hanc pænam euitandam requiritur teſtis depoſitio, ſeu teſtimonium, ergo ex iuſtitia tenetur illud præbere; non, inquam, obeſſe poteſt, quia ea omnia, quæ in hac inſtantia allegantur procedunt ex lege charitatis dumtaxat, & obedientiæ, non iuſtitiæ; vndè teſtis ſe ſubtrahens ab huiuſmodi teſtimonio ferendo grauitèr peccat, non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia violat ſolummodò leges charitatis, non iuſtitiæ.

In ordine ad ſecundam conſiderandum eſt primò, quod adhoc, vt teſtis teneatur reſpondere, & teſtificari coram Iudice interrogante debeat ipſe Iudex legitimè interrogare, ad hoc autem, vt dicatur legitimè interrogare plura requiruntur primò, vt habeat legitimam poteſtatem. Secundò, quod præceſſerit, vel diffamatio criminis, vel eiuſdem ſemiplena probatio, quæ conditio licet videatur ſolummodò requiri in ordine ad reum, quandò tamen teſtis non ſpontè deponit, ſed per auctoritatem Iudicis coactus poteſt, & ipſe talem conditionem requirere. Deindè ſuppoſito, quod Iudex legitimè interroget ſtante declaratione SS. D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, qua feria 5. die 2. Martij 1679. damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine 27., qua dicitur

Quænam requirantur, vt Iudex dicatur legitimè interrogare.

Cauſa iuſta vtendi amphybologijs eſt quoties id neceſſarium eſt, aut vtile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ità vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa non auderem dicere, quod teſtis ſiſtens coram Iudice poſſit amphybologijs veritatem cælare; Si etenim ipſe reus, de cuius cauſa agitur non poteſt amphybologijs vti, vel ad ſalutem corporis, vel ad honorem, vel res familiares tuendas; multo minus poterit teſtis de cuius cauſa non agitur, cum veritatem ſimplicitèr manifeſtando illi periculo non ſubiaceret. Sed, an, ſi de facto huiuſmodi amphybologijs veritatem cælaret teneretur ad reparationem damnorum, quæ indè eſſet ſubſecuta? Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iur. c. 30. num. 59.* videtur abſolutè ſentire non obligari ad reſtitutionem, ſeu compenſationem illorum damnorum dum dicit Iudici interroganti non teneri teſtem ex iuſtitia reſpondere, ac iurare de veritate dicenda, ſed ſolum ex obedientia, quia vt ſuprà dicebamus ex eodem Leſſio Iudex præcepto ſuo non poteſt illi imponere obligationem iuſtitiæ ad iurandum, vel reſpondendum. Ad hanc opinionem corroborandam plurimum conferre poſſunt ea, quæ ſupra dicebamus, nempè non obſtante citatione, ſeu præcepto Iudicis legitimè teſti intimato poſſe ſe ſubtrahere abſque læſione iuſtitiæ licet non abſque læſione obedientiæ, ergò etiam non obſtante citatione, & præcepto Iudicis, quandò teſtis

Non poteſt teſtis in iudicio veritatem verbis amphybologia cælare.

Digitized by Google

ſiſtit ad tribunal poterit hic ſine læſione iuſtitiæ, ſed tantum cum læſione obedientiæ ſubtrahere reſponſionem circa veritatem per verba amphybologica; ſi enim poteſt ſubtrahi perſona per aſtutionem, & fraudem ſine læſione iuſtitiæ non videò, cur non poſſit ſubtrahi reſponſio per tragiuerſationem, & verba amphybologica. Non improbabilem arbitror hanc opinionem propter rationes adductas.

In ordine ad tertiam *Leſſius loc. cit. n. 60.* quamuis dicat ſe non aſſerere, ſed diſputare, ſeque remittere viris doctis, vt res attentius examinetur ſuam tamen pandit ſententiam aſſerens probabile eſſe teſtem quantumuis iurauerit ſe dicturum veritatem non teneri ex iuſtitia eandem in iuditio fateri, ſed tantum ex obedientia, & ex virtute Religionis ratione eiuſdem iuramenti, quia teſtis per hoc iuramentum non intendit vllum ius iuſtitiæ conferre in eum, cuius cauſa iurat, cum nihil eidem promittat. Nihilominus probabilius exiſtimo, ſi ſpontè iurauerit, & non per vim de veritate dicenda teneri veritatem fateri, & ſi ſecus fecerit peccare contrà iuſtitiam, & obligari ad compenſationem damnorum, ſi quæ indè obuenerint. Ratio ex eo deducitur, quia per illud iuramentum ſpontè elicitum ſine vlla reſtrictione intelligitur facta promiſſio de veritate dicenda, ſed ſtante promiſſione obligatur promittens ex iuſtitia ad adimplendam promiſſionem, prout etiam videtur innuere *Leſſius* contrariæ ſententiæ apprimè fauens *d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 30. n. 60.*, cum omne promiſſum ſit de iure debitum, nam licet obiectum circà quod cadit promiſſio non obliget ſecundum ſe ex iuſtitia, prout afficitur tamen promiſſione abſoluta facta taliter obligat, vt videre etiam eſt in donationibus quarum obiectum non eſt de iure debitum ſecundum ſe, poſita tamen donatione eſt debitum ex iuſtitia donatario. Neque obeſſe poſſunt, ea quæ ex Leſſio in contrarium afferebantur dicendum eſt, quod licet antè iuramentum non teneatur, niſi ex obedientia fateri veritatem attento tamen iuramento teneatur, & ex Religione, & ex iuſtitia; ex Religione quidem, quia Deum adhibuit in teſtem; ex iuſtitia, quia per promiſſionem obligauit fidem ſuam ei, cuius gratia iurat, & licet immediatè eidem non promiſerit, promiſit tamen Iudici, tanquam perſonæ publicæ acceptanti nomine eius, in cuius fauorem iurat.

23 Si teſtis iurauerit in iuditio ſe veritatē dicturum probabilius tenetur ex iuſtitia eam fateri.

24 Si teſtis ad defendendum reum falſum dixerit, ex quo damnū emanarit innocenti tenetur ad reparationem damni.

In ordine ad quartam aſſero, quod ſi ad defendendum reum teſtis falſum dixerit teſtimonium, ex quo innocenti damna contigerint teneatur ad compenſationem illorum damnorum. Conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 30. dub. 7. num. 52.*, Non difficilis probatio huius aſſertionis quandòquidem per illam falſam teſtificationem verè, & propriè influxit in illa damna, quæ cæteroqui non fuiſſent ſecutura, ergo non eſt cur, non teneatur illa reparare. Limitanda tamen eſt hæc aſſertio primò in hypotheſi qua per alios teſtes ſibi præcedentes innocens eſſent damnificatus, quia tunc ipſe non eſt cauſa efficax illorū damnorum iuxtà ea, quæ ſuperius diximus de ferente ſuffragium iniuſtum poſt alios, qui iam concluſerant in cauſa, hoc eſt pro damno. Limitanda etiam videtur in caſu, quo quis falsū teſtimonium dixiſſet ex ignorantia, vel inaduertentia, vel ex obliuione non grauitèr culpabili, prout limitant *Caietanus 2. 2. q. 70. art. 4. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 3. n. 253.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 30. dub. 7. n. 55.* ea moti ratione, quia ſic ferens falſum teſtimonium, nec tenetur ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtè acceptionis, ſeu damnificationis, non ratione rei acceptæ, cum ejuſdem nihil habeat; non ratione iniuſtæ acceptionis, cum illud teſtimonium ferendo nō peccauerit ſaltem mortifere; Non negauerim tamen, quod cognita poſtea falſitate teſtimonij teneatur, quantum in ſe eſt illud reuocare, niſi ex tali reuocatione maius damnum illi immineret propter rationes alibi adductas.

Excipe, niſi falsū dixerit, ex ignorantia, vel inaduertentia.

25 Teſtis, qui ob teſtimonium falſum alterum iniecit in periculū mortis tenetur reuocare, etiam cū periculo propriæ vitæ.

In ordine ad quintum aſſerendum exiſtimo, quod illo, qui ob falſum teſtimonium alium coniecit in periculum perdendæ vitæ teneatur ſuum teſtimonium reuocare omnemque ſuam operam adhibere, vt illum eripiat, quantumuis ob talem reuocationem ipſi immineat ſimile periculum perdendæ vitæ. *Corduba lib. 1. q. 31. art. 3., & in ſumma q. 17. verſ. lo tercero*, *Sotus lib. 4. de iuſt., & iur. q. 6. art. 5. ad quartum*, *Medina C. de reſtitut. q. 3. cauſa 4. ad quartum Mercatus lib. 6. c. 10.*, *Nauarrus in ſumma c. 15. n. 17.*, *Caietanus 2. 2. q. 70. art. 4.*, *Coaruuias ad reg. peccatum prima part. n. 6. §. tertio adultera*, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 30. dub. 7. n. 54.*, *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſt. c. 3. n. 252.* Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis verum ſit, quod vnuſquiſque non ſolum licitè poſſit, ſed etiam teneatur potius vitæ ſuę conſulere, quam alienæ falli t tamen, quando ipſe per iniuſtam actionem coniecit alienam vitam in euidens, & certum mortis diſcrimen, ergo cum in præſenti hypotheſi teſtis conie-

Digitized by Google

conieccerit innocentem in expreſſum vitæ perdendæ periculum tenebitur eundem modis omnibus liberare, quantumuis per reuocationem ſuæ iniuſtæ actionis ipſe exponatur ſimili vitæ periculo. Antecedens ex eo euincitur, quia licèt in pari cauſa innocentiæ quiſque ſibi teneatur potius conſulere, quam alteri ſic exigente ordine charitatis, non tamen quando non eſt par cauſa innocentiæ, & ipſe contra omnem iuſtitiæ ordinem aliarum in illud vitę periculum coniecit, quia tunc ratio iuſtitiæ violatæ debet præualere. Hinc merito deducit *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 252.*, quod ſeruata eadem proportione idem ſit dicendum in ordine ad bona famæ, & honoris, & in ordine ad bona fortunæ, ſi etenim, quis per actionem iniuſtam alterum conieccerit in infamiam, & damnum rerum familiarium tenetur in priſtinum ſtatim reducere etiam cum periculo famæ propriæ, & diſpendio propriorum bonorum.

Extenſio Petri à Nauarra.

26 Intellige, ſi illa reuocatio ſit pro futura innocenti.

Limita tamen primò in hypotheſi, qua reuocatio falſi teſtimonij non eſſent profutura innocenti; tunc etenim per illam reuocationem non teneretur ſe ſimili vitæ periculo exponere; ſed in eo caſu teneretur dumtaxat ad compenſationem damnorum, quæ ex illa morte prouenerint cum ipſe iniuſtam, & efficacem cauſam eidem dederit, prout optimè notat *Petrus à Nauarra d. lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 251., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 30. dub. 7. n. 54. in fine*.

27 Et ſi ex loco tuto poſſit reuocare.

Limita ſecundò in hypotheſi, qua ex loco tuto poſſet teſtimonium reuocare, ità vt proſit, tunc etenim non teneretur ſe prodere coram Iudice, quantumuis periculum mortis ipſi non immineret, ſed alia grauis, & enormis pæna.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in hac vltima difficultate nonnulla militant argumenta nunc diſſoluenda. Primum eſt, quia qui alium occidit, ob quod alius, cum vitæ ſuæ periculo eſt in carcere tanquam homicida, cum tamen re vera ſit innocens non videtur obligari ad ſeipſum prodendum ſequitur periculo vitæ exponendum, vt illum innocentem liberet, ergo nec videtur obligari ad ſe ipſum prodendum ſequè exponendum mortis periculo ad effectum liberandi à morte innocentem, quem ipſe ob falſum teſtimonium coniecit in euidens vitæ diſcrimen. Secundum eſt, quod conſtituto creditore in extrema neceſſitate, ob defectum neceſſariorum ad vitæ conſeruationem, ſi debitor per reſtitutionem debiti eſſet conſtituendus in ſimili neceſſitate non teneretur reſtituere, vt docent plurimi DD. eo moti fundamento, quod in pari neceſſitate poſſeſſor rei ad vitam neceſſariæ, quandò vtrique prodeſſe non poteſt, ſit præferendus, ergo etiam, quandò conſtitutus eſt, quis in extremo vitæ periculo per alterius falſum teſtimonium, & hic alter, qui conſtituitorum poſſit ipſum liberare, niſi ſe conſtituendo in tali periculo non tenebitur ipſum liberare, quandòquidem ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis, in qua non eſt alter, ſed facilè occurro huiuſmodi argumentis, & quidem ad primum patet diſparitas, quandòquidem homicida in eo caſu non eſt cauſa detentionis alterius in carcere, nec periculi mortis, quod illi imminet; ex quo etenim ipſe homicidium perpetrarit nullam ingeſſit rationem ſuſpicandi, quod detentus fuerit homicida, nec fuit cauſa ipſius detentionis; vndè ſic detentus debet propriò infortunio imputare, quod ſuſpicio ſuper ſe ipſo orta fuerit, non verò homicidæ, qui nullam cauſam contulit talis ſuſpicionis, nec ex eo quod ipſe commiſerit homicidium debet ſe ſpontè prodere ad ſaluandam vitam innocentis detenti, cum detrimento propriæ; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod ratione homicidij illã cauſam dederit illius periculi vitæ innocentis, cum ſi non fuiſſet perpatratum illud homicidium, nec innocens fuiſſet detentus, nec expoſitus illi periculo. Secundo, quod non ſit in pari caſu innocentiæ cum illo, quandòquidem ipſe eſt reus homicidij; ille innocens. Non, inquam, obeſſe poteſt; Non primum, quia quantumuis ipſe fuerit cauſa propria, & effectiua homicidij patrati, non fuit tamen cauſa detentionis, & illius periculi innocentis, ſed ad ſummum occaſio, & quidem remota, quæ ſecundum ſe non influit, ſed tantum vt attributa per Iudicem per probationes iniuſtas eidem innocenti, vndè probationes ipſæ iniuſtæ ſunt cauſa illius periculi, non ipſe homicida. Res autem diuerſimodè ſe habet in ordine ad ferentem falſum teſtimonium, qui per ſe cauſa fuit illius detentionis, & periculi vitæ innocentis; Non ſecundum, quia licet ipſe homicida non ſit innocens, detentus autem ſit innocens; homicida tamen non eſt cauſa culpabilis detentionis, & periculi imminentis innocenti, & ſic quamuis non ſit innocens in ordine ad occiſum, eſt tamen innocens in ordine ad damnum innocentis, quibus propterea non tenetur occurere cum periculo vitæ propriæ.

Nonnulla argumenta contra aſſertum.

Reſoluitur primum argumētum aduerſantium.

Ad ſecundum argumentum dicendum eſt in primis non adeò verum eſſe id, quod

Digitized by Google

quod aſſumitur pro antecedente, quin contrarium à pluribus aſſeratur, & præcipuè à *Scoto, Ricardo, & Paludano*, apud *Leſſium lib. 2. de iuſt. & iur. c.16. nu. 13.* Deindè dato antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis multiplex eſſe poteſt primò, quia ipſe debitor per non reſtitutionem rei debitæ non fuit cauſa illius extremæ neceſſitatis ſui creditoris, ſed aliundè in eam incidit; falſus autem teſtis immediatè, & directè coniecit in illud extremum periculum innocentem per ſuam iniuſtam teſtificationem. Secundò, quia in caſu extremæ neceſſitatis de iure communi naturæ omnia ſunt communia, nec conſideratur ratio dominij in vno, vel in altero, adeòque non conſideratur res debita, vt eſt creditoris, ſed vt eſt communis, & fit primo occupantis, quod non militat in ordine ad bona vitę, ſecundum quæ vnus non habet ius aduerſus alterum, nec poteſt iniuſtè vnum conijcere in illud periculum vitæ, quod ſi coniecerit tenetur eum liberare etiam cum propriæ vitæ diſcrimine.

Soluitur ſecundum argumentū eorundem.

28 *Non tenentur ad reſtitutionem ex vi monitorij qui ſe ſubduxerunt à manifeſtando.*

Aſſertio VI. Non tenentur ad reſtitutionem non reuelantes delinquentes ex vi monitorij, ſiue ante promulgatum monitorium malitioſè ſe ſubduxerint, ſiue poſt promulgationem eiuſdem non reuelauerint. *Rainaudus de monit. part. 1. c.3. q.24.*, idemque ſentire videtur, *Diana part.5. tract.13. reſolut.68.*

Ratio ex ijs deducitur, quæ diximus in præcedentibus, nempè teſtem non teneri ex iuſtitia ſpontè ſe offerre ad manifeſtandos delinquentes, nec monitorium ſub pæna excommunicationis obligare poteſt ex iuſtitia, ſed ad ſummum ex obedientia, ergo, ſi cognitor delinquentium ſe ſubtraxerit antè promulgatum monitorium, vt non manifeſtaret, vel ſi poſt monitorij promulgationem non manifeſtauerit, quantumuis grauitèr peccauerit contra obedientiam, & ſubdatur pęnæ excommunicationis non tamen obligabitur ex iuſtitia ad reſtitutionem.

Peccant cōtrà obedientiam, & nō aliter.

SECTIO VIII.

An cooperantes poſitiuè moralitèr actioni iniuſtæ ſex modis expoſitis in primis ſectionibus obligentur in ſolidum.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine obligationis in ſolidum. 1.

Cooperantes poſitiuè quocunque ex illis ſex modis obligentur in ſolidum, ſi fuerint cauſa totius damni, ad ratam, ſi ſolum in parte damnificarunt. 2.

Participans in iniuſta actione cuius effectus eſt indiuiduus regularitèr tenetur in ſolidum, ſi verò effectus ſit diuiduus tantum pro parte ad quam concurrit. 3.

Certa quædam exceptio ex mente Leſſij remiſſiuè. 4.

PEr hoc, quod eſt obligari, *in ſolidum*, non intelligimus hic, quod ſit obligari, *æquè primo*, adeò vt nullus ſit ſeruandus ordo, nec vnus teneatur dumtaxat in defectum alterius, ſed æquè principalitèr omnes, ſed intelligimus, quod ſit obligari pro toto ſeruato ordine prioris, & poſterioris, de quo ordine infrà occurret ſermo ſecundum, quod vnus eſt magis principalis alter minus principalis; hęc etenim clauſula *in ſolidum* importat integritatem reiecta omni diminutione *l. 1. auth. itaque C. de duob. reis, Menochius conſ. 272. nu. 79.*, *Mar. Anton. var. reſol. lib. 2. reſol. 8. nu. 30.*, & facit, vt quilibet ad totum teneatur *Rota apud Zach. poſt tractatum de oblig.*, *Camer. deciſ. 21. nu. 1. & deciſ. 23. nu. 3.*, vbi fuit dictum hanc clauſulam importare, ac ſi dictum eſſet *quilibet eorum*. Hic iam quæritur, an cooperantes damno alterius illis ſex modis nempè per mandatum, conſilium, conſenſum, collaudationem, receptationem, & participationem teneantur, ſi non principalitèr ſaltem in ſubſidium ad totum damnum, quod alteri fuit cauſatum.

1 *Quid veniat nomine obligationis in ſolidū.*

Aſſertio I. Cooperantes primis quinque modis poſitiuè tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, ſi totius damni fuerint efficacitèr cauſæ; ad partem ſolum, ſi ſolius partis damni fuerint cauſa. Conſentiunt *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 4. n. 32. & alij magis communitèr.* Dixi, *ſi totius damni fuerint efficacitèr cauſæ* propter Hoſtienſem, qui videtur ſimplicitèr condemnare onus ad reſtitutionem in ſolidum, ſiue fuerint cauſa ſine qua non, ſiue non fuerint cauſa, ſiue conſilium dederit, ſiue auxilium; quæ tamen opinio communitèr ab omnibus reijcitur; contingere enim poteſt, vt quis conſilium det, vel furem committetur, & tamen non teneatur cum ipſius conſilium, vel præſentia ad nihil contulerint, cum executor iam eſſet efficacitèr antecedentèr diſpoſitus. Hanc noſtram aſſertionem ſuſtinent etiam *Medina C. de reſtit. qu. 8.*, *Couarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 12. nu. 4.* dum dicunt, quod, ſi quis alteri volenti furari decem ſuadeat furari viginti, non teneatur ad viginti, ſed tantum ad decem, quia non fuit cauſa illius prioris voluntatis

2 *Cooperātes poſitiuè ad totum teneātur in ſolidum ad ratum tātum, ſi pro parte cooperati fuerint.*

Digitized by Google

tatis efficacis furandi decem. Eſt autem aliqualitèr contrà *Angelum verb. furtum q. 12., Innocentium, & Panormitanum in c. ſicut dignum de homicidio* volentes præcitatas primas quinque cauſas teneri in ſolidum, ſextam verò ſolum teneri pro parte.

Ratio præſentis aſſertionis ex eo deſumitur, quia in tantum huiuſmodi cauſæ tenentur ad reſtitutionem, in quantum influunt in damnum; ſed contingere poteſt, quod quandòque influant in totum damnum, quandòque in partem ſolummodò illius, ergo, ſi in totum damnum influant tenebuntur in ſolidum, ſi verò tantum in partem tenebuntur ſolum pro virili. Minor quoad mandantem, conſulentem, & laudantem facilè ex eo euincitur, quia iſti, vel poſſunt mandare, conſulere, & laudare, vt accipiantur tantum decem, & executor poteſt excedere mandatum, conſilium, & laudationem accipiendo viginti, vel triginta, vel poſſunt parato, & efficacitèr diſpoſito ad accipiendum dotem mandare, conſulere, & laudare, vt accipiantur viginti; quibus in caſibus concurrunt ſolum moralitèr ad partem damni. Rurſus poſſunt præcipere, conſulere, & laudare, vt accipiantur viginti, & executor ad vnguẽ mandatum, conſilium, & laudatum perficiat, quo in caſu ſunt cauſa totius, ergo &c. Quoad conſentientem, & receptantem facilè etiam ex eo euincitur, quia poſſunt concurrere per conſenſum, vel ad partem, vel ad totum, vel defendere, & receptare, vel pro parte, vel pro toto, ergo &c.

Poteſt eſſe cooperatio, vel quoad totum, vel quoad partem.

3 *Quandò effectus eſt indiuiduus regularitèr tenetur ad totum, ſecus verò quandò eſt diuiduus.*

Aſſertio II. Participans in iniuſta actione cuius effectus eſt indiuiduus regularitèr tenetur in ſolidum, ſi verò effectus ſit diuiduus tantum pro parte ad quam concurrit, ſeu in qua damnificat. Ita in vniuerſum docet *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 4. n. 34. vſque ad finem*, & in ſpecie quoad primam partem *Caietanus, Sotus, & Medina* apud eundem *Leſſium loc. cit. n. 34.* Quoad ſecundam *Adrianus q. 1. de reſtitut., Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 6. §. quartum, Nauarrus c. 17. n. 21.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia quandò damnum eſt indiuiduum participans in iniuſta actione in ordine ad idem damnum, quamuis non concurrat totalitate cauſæ concurrit tamen totalitate effectus, ergo non eſt, cur non teneatur ad reſtaurationem in ſolidum. Antecedens probatur, quia ſi ipſe non participaret in illa iniuſta actione effectus non poneretur, & cum hic ſit indiuiduus omnibus concurrentibus, quantumuis partialitèr attribuitur. Hæc omnia poſſunt exemplificari primo in eo, qui concurrit ad remfurtiuuam maximi ponderis auferendam, quę ab altero tantum non poſſet auferri. Secundo in eo, qui cooperatur eidem domui infringendæ, & his ſimilia; vndè Dominus damnificatus poteſt actionem ad vniuerſum damnum reparandum contrà quemcunque intentare. Verum tamen eſt, quod altero eorum plenè ſatisfaciente pro damno poſſit hic agere aduerſus alios comparticipes ad repetendam ab eiſdem partem, quæ eiſdem contingeret. Ratio autem clare eſt, quia demus v. g., quod tres communi conſilio concurrerint ad eandem domum incendendam, quæ ſit valoris trium millium librarum imperialium; tunc ſinguli cooperati fuerunt ad totum illud damnum, ergo exigente Domino ab altero eorum reparationem totius hic tenebitur pro integra ſoluere. Rurſus cum tres eodem modo, & æquè principalitèr ad idem damnum concurrerint æqualitèr tenentur ad eius reparationem hoc eſt ęquis portionibus, ergo altero ipſorum pro alijs duobus perſoluente habebit hic regreſſum aduerſus eoſdem ad æquas portiones exigendas.

Concurrit totalitate effectus, quãuis nõ totalitate cauſæ.

Dixi, *regularitèr*, propter id, quod dicit *Leſſius d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 4. n. 35.* nempè, quod ea, quæ dicta ſunt in hac prima parte aſſertionis habeant tantum locum, quandò quis cooperatur immediatè, immediatè exequendo damnum ſimul cum alio; non verò quandò cooperatur tantum mediatè præbendo inſtrumenta, iuuando conſcendere, & his ſimilia; de qua re infrà erit ſermo. 4

Procedit quãdò cõcurrit immediatè.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia tunc vnuſquiſque eſt cauſa duntaxat partis damni, quam ipſe per ſe dedit; non enim ſuppono, quod adinuicem conuenerint ad illud damnum inferendum, vel inuicem ſe promouerint ad illud inferendum, quia tunc ſinguli cenſerentur cauſa totius illius damni, vt ſupra probauimus de pluribus vaſtantibus vineam ex conuentione; licet enim ſinguli non niſi leue damnum intulerint ſecundum ſe, quia tamen ſimul conſpirauerunt ad totum illud damnum intentandum ſinguli obligantur in ſolidum ad illius damni reparationem. Ea, quę dicta ſunt in hac ſecunda parte reſponſionis exemplificari poſſunt in militibus gregarijs in bello iniquo concurrentibus ad expugnandam vrbem; tunc enim vnuſquiſque tenetur ad eam partem damni, quam ipſe intulit non autem ad totum damnum belli; Nec obſtabit, ſi dicatur, quod ſinguli iuuerint ad iniquam expugnationem; non obſtabit, inquam, quia iuue-

Milites gregarij non tenẽtur ad tãtum damnum, ſed ad partẽ.

Digitized by Google

iuuerunt præcisè faciendo partem ſuam obediendo Principi, non autem procurando, vt alij ſuam in illo damno facerent, & ſi ſicuti iſte non eſt cauſa, niſi partis damni, ità non niſi ad reſtitutionem pro ſua parte tenetur; non enim ſupponuntur adinuicem ſe adiuuare; Dux tamen tenetur ad totum, quia vel omnes direxit, vel ex officio omnes tenebatur impedire, Sed de his infrà fuſius.

SECTIO IX.

An cooperantes negatiuè tribus modis ſupra expoſitis teneantur in ſolidum.

SVMMARIVM.

Procedit titulus de cauſis negatiuis, quæ tenentur ex officio. 1.
Regularitèr omnes cauſæ negatiuæ, quæ tenentur ex officio obligantur in ſolidum. 2.
Limita in caſu, quo iam incæpta eſſet damnificatio ipſis ignorantibus, & non valentibus impedire. 3.

1 Procedit de cauſis, quæ tenétur ex officio.

PRocedit titulus de cauſis negatiuè, quæ tenentur ex officio impedire, vel loquendo, vel obſtando, vel manifeſtando; nam de ijs, quæ ex officio, vel contractu non tenentur incongruum eſt inquirere, an teneantur in ſolidum, an tantum pro virili, cum abſolutè non teneantur.

De ijs, ergo cauſis, quæ tenentur ex officio, vel contractu impedire, & non impediunt non inquiremus hic, an cum aliquo ordine, tàm in ordine ad ſe inuicem, tàm in ordine ad alias cauſas poſitiuas teneantur ad reſtitutionem, quia erit alibi ſermo de hoc, ſed præcisè inueſtigabimus vtrum iſtæ teneantur ſolidum hoc eſt pro toto damno, an verò tantum pro parte. Sit igitur

2 Omnes cauſæ negatiuæ, quæ tenétur ex officio obligantur in ſolidum.

Aſſertio. Omnes iſtæ tres cauſæ negatiuè cooperantes non impediendo cum impedire tenerentur, vel ex officio, vel ex contractu regularitèr tenentur in ſolidum hoc eſt ad totum damnum. Conſentiunt communitèr DD. *D. Antoninus in ſumma 2. part. tit. 1. c. 12. §. 13., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. num. 148., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 11. n. 79.* qui teſtatur de communi.

Ratio ex eo deducitur, quia quocunque ex his tribus modis quis non impediat, cum impedire non teneatur eſt cauſa totius damni, ergo non eſt, cur non teneatur in ſolidum hoc eſt pro toto damno. Antecedens probatur diſcurrendo per ſingulas has cauſas; & primo loquendo de muto liquido patet, quod ſi ipſe taceat cum clamare teneretur, & clamando impediret illud damnum ſit cauſa totius illius damni, quod infertur dum non impedit clamando; loquendo verò de non obſtante cum obſtare teneretur ex officio, vel contractu certum eſt etiam, quod ſi obſtare damnum illud euitaretur quoad totum; quod idem dic de non manifeſtante cum manifeſtare teneretur, ergo cum cauſa intelligantur totius damni non eſt, cur non teneantur ad reparationem illius quoad totum.

3 Exceptio à communi regula iam tradita.

Dixi, *regularitèr*, quia poteſt adeſſe aliquis caſus ſpecialis, in quo non teneantur niſi pro parte, vt contingeret, ſi huiuſmodi obligati ex officio, vel contractu non cognoſcerent actionem iniquam, niſi poſtquam in parte executa eſt ſine ipſorum culpa nedum lata, ſed etiam leui; tunc etenim cum non fuerint in culpa quoad partem precedentèr ablatam non tenebuntur, niſi pro parte, quæ ablata eſt ipſis ſcientibus, & non clamantibus, nec obſtantibus, nec manifeſtantibus.

PRÆNOTIO XIII.

De Particibus in re aliena ex contractu.

SVMMARIVM.

Læſio in contractibus quomodo poſſit contingere. 1.
Quotuplex ſit culpa. 2.
Non peccat, qui rem ſuam carius vendit intra limites tamen iuſti pretij ob dilatam ſolutionem. 3.
Non item, ſi vendat carius in gratiam emptoris. 4.
Non item, ſi vendat res ſuas currenti pretio, cum ſciat poſt modicũ minoris valituras. 5.
Non peccat, qui res emit vilius ob anticipatam ſolutionem intra limites iuſti. 6.
Nec qui emit pagas acerbas vilius, ſi ſint difficilis exactionis. 7.
Nec qui vendit pro maiori cum pacto retrovenditionis in fauorem emptoris. 8.
Nec qui emit minoris ad haſtam. 9.
Monopolæ augentes pretium intra limites iuſti, quamuis peccent non tenetur ad reſtitutionem. 10.
Non peccat, qui vendit rem latentèr vitioſam, quandò non eſt minus vtilis ad vſum, pro quo emitur. 11.
Contingat iniuſtitia ex parte mutuatarij quandò non reſtituit res eiuſdem bonitatis, & non conuento tempore. 12.
Mutuatarius, quantumuis conſtituatur in mora non ſit debitor intereſſe, ſi mutuas non interpellauerit. 13.

Facta

Digitized by Google

Facta conuentione in celebratione contractus mutui, vt mutuatarius, ſi non ſoluerit tempore conuento, teneatur ad intereſſe, ad hoc obligatur, ſi interuenerint debitæ conditiones. 14.

Mutuatarius reſtituens tot, quot recepit in eodem genere ſatisfacit, ſi in mutuo dictum fuerit, vt tot reddantur, & hoc quamuis in valore decreuerint. 15.

Quandò mutuatum fuit frumentum in determinata quantitate, quod tempore reſtitutionis longè pluris valeat, quid faciendum ſit ſecundum varias conſiderationes dirimitur. 16.

Mutuatarius reſtituens tot eiuſdem valoris extrinſeci, non intrinſeci ſatisfatit, ſi mutuans conſentiat. 17.

Mutuans peccat quotieſcunque ex vi mutui aliquod accipit vltra ſortem. 18.

Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam in contractu emphytheuſis remiſſiuè. 19.

Non eſt ſoluendum aliquid pro ingreſſu, licet ſeruatis conditionibus poſſit ſolui. 20.

Si res emphytheutica in parte depereat ſine culpa emphytheutæ, tenetur ſoluere integras penſiones. 21.

Peccat emphytheuta contrà iuſtitiam, ſi notabilitèr deteriorem rem emphytheuticã. 22.

Item recidendo oleas, & plantando arbores minus fructiferas. 23.

Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad iuſtitiam, vel iniuſtitiam contractus cenſualis remiſſiuè. 24.

Tria cambiorum genera. 25.

Explicantur nonnulla dubia circa primum genus cambiorum. 26.

Explicantur dubia circa ſecundum genus. 27.

Explicantur dubia circa tertium. 28.

Explicantur dubia circa ſimplices permutationes. 29.

Et circa alios contractus. 30.

1 Læſio in cõtractibus quomodo poſſit cõtingere.

VIx aliquid diſputandum circa præſentem titulum ſupereſſe videtur, cum ſub ſingulis contractuum ſpeciebus agatur, ſeu actum fuerit de culpis, & de iniuſtis actionibus, quæ circa ipſos contingunt; ex quibus propterea eruendæ eſſet reſolutiones difficultatum, quæ in hoc genere poſſunt emanare. Nihil ominus ad faciliorem legentium captum, & commoditatem, placet hic plura circa huiuſmodi contractus, quæ in pluribus voluminibus fuerunt diſperſa in vnum breuitèr, & compendioſè coadunare. Actiones autem, quæ poſſunt eſſe iniuſtę in huiuſmodi contractibus ex duplici potiſſimum capite poſſunt prouenire; vel etenim ſunt circa contractus, in quibus transfertur dominium, vt in emptione, & venditione, in mutuo, & ſimilibus, & tunc iniuſtitia, vt plurimum contingit in exceſſu, & defectu, vel in fraude, quatenus minus fuerit acceptum, quam res translata exigat, vel plus, quam res exigat, vel vna res pro alia ex dolo fuerit translata; vel ſunt circa contractus, in quibus non transfertur rerum dominium, & tunc conſiderandum eſt, an illi contractus ſint fructiferi, vel non; ſi fuerint fructiferi, iniuſtitia nõ ſolum poteſt contingere in inæqualitate, quatenus minus referatur pro fructibus, ac referri deberet attento valore eorundẽ fructuum, vel plus, quam exigant ijdem fructus, vel in culpa, qua detinens rem alienam ex contractu eandem negligit, ità vt pereat, vel deterioretur; ſi contractus non fuerint fructiferi, vt plurimum iniuſtitia conſiſtit in culpa commiſſa in eadem re cuſtodienda. Vt clarius hac in re procedamus.

2 Quotuplex ſit culpa.

Aduerte, vt alibi etiam innuimus, culpam eſſe in duplici differentia, aliam ſcilicet Theologicam, aliam iuridicam. Theologica culpa idem ſonat, ac peccatum, ſiue mortiferum, ſiue veniale; iuridica verò idem ſonat, ac omiſſio alicuius diligentiæ debitæ, vndè oritur aliquod incommodum. Porrò culpa iuridica alia eſt lata, alia leuis, alia leuiſſima; prima ſumitur pro omiſſione eius diligentiæ, & curæ, quam homines eius conditionis adhibere ſolent per textum *in l. latæ ff. de verb. ſignif.* Huiuſmodi eſt illa, qua quis rem ſibi commodatam in platea relinquit, etiam ex obliuione; culpa etiam lata dicitur illa, qua quis ignorat ea, quæ regularitèr omnes eiuſdem conditionis non ignorant; culpa leuis eſt omiſſio illius diligentiæ, & circumſpectionis, quam diligentiores, & prudentiores adhibent; leuiſſima verò eſt omiſſio diligentiæ, & cautionis, qua vtuntur prudentiſſimi, & ſolertiſſimi. Rurſus duplex alia culpa iuridica aſſignatur; prima quæ dicitur latior, hæcque nihil aliud eſt, quam dolus præſumptus; Nomine autem doli hic intelligimus, vel calliditatem, quæ fit tacendo, vel fallaciam mentiendo, vel machinationem, quæ fit arte verborum ad circumueniendum, fallendum &c. vt *gloſa in l. 1. ff. de dolo*, ſecunda dicitur latiſſima; hæcque nihil aliud eſt, quam dolus apertus, & verus.

Alia Theologica, alia iuridica.

Articuli examinãdi.

Seruantes igitur ordinem in hoc examine iniuſtitiæ circa contractus, quem ſeruauimus in quæſtionibus de ipſis met contractibus; primo loco compendioſè, & quaſi per ſynopſim referemus iniuſtitias circa contractum emptionis, & venditionis. Secundò circa contractum mutui, Tertiò circa emphytheuſim, & cen-

Digitized by Google

cenſus. Quartò circa cambia. Quintò circa permutationes ſimplices. Sextò circa ſocietates. Septimò circa commodatum, & depoſitum. Octauò circa locatum, & conductum. Nonò circa pignora. Decimò circa fideiuſſionem, & aſſecurationem. Vndecimò circa tranſactiones.

§. I.

De iniuſtitia circa contractum emptionis, & venditionis.

LAtè egimus de æqualitate, & inæqualitate cōtractuum emptionis, & venditionis *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & venditione per totum*, ex quo recolenda ſunt hic ea, quæ ad præſens pertinent inſtitutum. Nonnulla hic referentur ſcitu digniora, tam pertinentia ad iuſtitiã, quàm ad iniuſtitiam; reliqua ex dictis quæſtionibus erunt deſumenda.

3 **Non peccat, qui vēdit carius intra limites iuſti ob dilatam ſolutioné**

Non peccat igitur primò, nec tenetur ad reſtitutionem, qui rem ſuam vendit carius intra limites iuſti pretij ob dilatam ſolutionem; hoc latè docuimus *eod. tom. 1. ſub tit. Contractus 2. prænot. 2. aſſert. 4. n. 10.* nec incongrua ratione hoc aſſeritur, quandòquidem pretia rerum non conſiſtunt in indiuiſibili, ſed admittunt latitudinem intra ſupremum, medium, & infimum, & ſi numerata pecunia poſſunt ſine labe iniuſtitiæ res vendi pretio ſupremo, cur tali pretio ſupremo non poterunt vendi dilata, ſeu expectata ſolutione? E contrario peccat, qui vendit ſupra iuſtum pretium per ea, quæ docuimus *eod. tit. ead. prænot. aſſert. 2. n. 2. in probatione ſecundæ partis*, cum illud, quod exigitur ſupra iuſtum pretium, importet inæqualitatem rei ad rem, & non ſit aliquo titulo debitum, & per conſequens tenetur ille, qui illud plus exegit, ad reſtitutionem, ſeu compenſationem illius. Dixi, *in foro conſcientiæ*, nam in foro ciuili externo ob inæqualitatem pretij ad mercem intra dimidium non datur actio ad reciſionem contractus ex parte læſi aut ad exceſſum per textum *in l. 2., & ibi Baldus in princip. C. de reſcindenda vendit., & c. cum dilecti, & c. cum cauſa de empt., & vendit.* Quid verò ſentiendum ſit, quãdo læſio contigit vltrà dimidium, an ſcilicèt ipſo iure contractus ſit nullus, & an ſolummodò detur actio ad reciſionem, dictum eſt eodem tomo non ipſo iure reſcindi, ſed dari actionem ad ſupplementum pretij, vel ad reciſionem per textum *in l. C. de reſcind. vendit.*

Peccat, qui vendit ſupra iuſtũ pretium.

Procedit in foro conſcientiæ.

4 **Nec item ſi vendat carius ob ſolũ motiuũ gratiæ emptoris.**

Non peccat ſecundò, nec tenetur ad reſtitutionem, qui ob motiuum venditionis in gratiam emptoris carius rem ſuam venderet, ac res ipſa videatur exigere, hoc docuimus *d. prænot. 2. n. 8.*, prout etiam docet *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 21. dub. 4. n. 31.* propter rationem ibidem adductam. Ex aduerſo peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ſi ſimulat ſe vendere in gratiam emptoris, cum ipſe intendat rem illam alienare, & ex proprio arbitrio vendit rem ſuam ſupra iuſtum pretium etiam ſupra ſupremum; quia in hac hypotheſi ſiſtendo in iure conſcientiæ tenetur exceſſum reſtituere, cum ſine titulo detineat.

Secus, ſi ſimulet vendere in gratiã illius.

5 **Non item ſi vendat pretiò currenti cum ſciat minoris poſt modicũ valiturus.**

Non peccat tertiò, qui, cum ſciat res in aliquo genere, vel ſpecie ex certa ſcientia poſt modicum temporis in æſtimatione diminuendas, anticipatè res, quas habet in illo genere, vel ſpecie vendit pretio currenti, prout docuimus *d. prænot. 2. aſſert. 3. n. 9.* & ſuſtinent *D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad quartum, & ibi Caietanus, Silueſter verb. emptio q. 15., Sotus de iuſt., & iur. lib. 6. q. 3. art. 2. ad 3., Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 4. n. 5. & ſeqq.* hocque probauimus ex illo *Geneſ. 41.*, vbi Ioſeph admonitus ſecreto à Domino de penuria frumenti mox futura emit omne frumentum, quod potuit in Egypto pretio tunc currenti, quod poſtea vehementèr immediatè poſt creuit in pretio. Ex aduerſo peccat grauitèr, & tenetur ad reſtitutionem, qui dimminuto iam pretio rerum venalium, vel ex decreto Principis, vel alio iuſto titulo vendit pretio maiori pro tempore præcedenti currenti, quia vendit ſupra id, quod tunc valet.

6 **Nec qui emit vilius ob anticipatam ſolutionē intra limites iuſti.**

Non peccat quartò, qui ob anticipatam ſolutionem vilius res emit ſiſtendo tamen intra limites iuſti pretij; ſi enim pretio infimo poteſt emere, quandò in actu eiuſdem emptionis pretium perſoluit; cur non poterit eodem infimo pretio emere, cum antecedentèr in fauorem venditoris pretium perſoluit?

7 **Nec qui emit vilius chirographa non ſoluenda, niſi poſt annũ, ſi ſint difficilis exactionis.**

Non peccat quintò, nec tenetur ad reſtitutionem, qui emit chirographa, ſeu pagas acerbas non ſoluendas, niſi poſt annum, ſi pro tempore exactionis non niſi cum difficultate poſſunt exigi per ea, quæ docuimus *eod. tom. 1. tit. Contractus II. de empt., & vendit. prænot. 3. n. 3. aſſert. 1.*, quia difficultas in exigendo ſecum trahit laborem, induſtriam, & expenſas, quæ omnia ſunt prætio æſtimabilia, & ſic eorum, ſeu earum æſtimatio non ſolum ſumitur ſecundum ſe, ſed vt ſimul ſumitur cum illo labore, induſtria, & expenſis, prout notat *Bartolus in l. per*

Digitized by Google

diuerſas C. mandati, & Baldus in l. 2. C. ne lite pendente. Ex aduerſo peccat, & tenetur ad reſtitutionem, qui minoris emit eadem chirographa, ſeu pagas acerbas, ac in ſe contineant, quando pro tempore, quo ſunt ſoluendæ, ſunt certæ, & facilis exactionis, prout ibidem docuimus, quia tunc acquireretur lucrum ex ſola dilatione temporis in ſoluendo, quod importat mutuum palliatum cum vſura.

8 Nec qui vendit cũ pacto retrouenditionis in fauorem emptoris pro maiori.

Non peccat ſextò, nec tenetur ad reſtitutionẽ, qui emit, vel vẽdit cum pacto retrouenditionis, ſi quando pactum eſt in fauorem venditoris, aliquid diminuitur de iuſto pretio, quandò verò eſt in fauorem emptoris aliquid de iuſto pretio augeatur *Medina C. de rebus per vſuram acquiſitis, Leſſius lib. 2. c. 21. dub. 14.* Vide quæ latè docuimus *eod. tom. 1. ſub tit. Contractus I. de empt., & vendit. prænot. 4. per totum*; vbi etiam videbis, quæ, & qualis debeat eſſe hęc dimminutio pretij, quando eſt in fauorem venditoris, & quodnam, & quale debeat eſſe augmentum, quando eſt in fauorem emptoris. Ex aduerſo peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quando apponitur pactum in fauorem venditoris; & nihilominus res venditur eodem pretio, quo venderetur ſine tali pacto, & viceuerſa, quando fit venditio in fauorem emptoris cum tali pacto, & pretium non augetur.

9 Qui minoris emit ad haſtam non peccat.

Non peccat ſeptimò, nec tenetur ad reſtitutionem, qui minoris emit rem, ac in ſe valeat ex eo, quod emat ad haſtam publica præconis voce, dummodò non ſit minoris vltra dimidium per ea, quæ docuimus *eod. tom., & tit. prænot. 5. aſſert. 1. n. 2.* Peccat tamen, & tenetur ad reſtitutionem, ſi emat priuato contractu per ea, quæ ſupra diximus, pretio minori.

10 Monopolæ augentes pretiũ rerum intra limites iuſti nõ tenentur ad reſtitutionẽ

Non tenetur octauò ad reſtitutionem, quantumuis grauitèr peccent conſpirantes in emptionibus, & venditionibus per monopolium ad augendum pretium, vel minuendũ intra limites iuſti pretij per ea, quæ docuimus *eod. tom., & tit. prænot. 6. n. 3. aſſert. 1.* Peccant tamen, & tenentur ad reſtitutionẽ, ſi augeant, vel diminuant vltra iuſtum pretium per ea, quæ ibidem dicta ſunt. Grauitèr tamen peccant, & tenentur ad reſtitutionem, ſi adaugeant, vel diminuant per monopolium vltra iuſtum pretium propter rationem inæqualitatis rei ad rem, ſeu ad pretium.

11 Non peccat, qui vendit rẽ latentèr vitioſam, quãdo nõ eſt minus vtilis ad vſum, pro quo emitur.

Non peccat primò, nec tenetur ad reſtitutionem, qui vendit rem latentèr vitioſam, quandò vitium latens non reddit rem nimis notabilitèr inutilem ad vſum, pro quo emitur, & diminuit de pretio propter tale vitium per ea, quæ docuimus *eod. tom., & tit. prænot. 7. n. 12. aſſert. 6.* Peccat tamen, & tenetur ad reſtitutionem, ſi vendat rem notabilitèr vitioſam non manifeſtato vitio, quod ſit latens, per quod reddatur minus vtilis &c. Vide ea, quæ in dicta prænot. per totum dicta ſunt, quæ multum conferunt ad diſcernendum, quandò venditor peccet, vel non peccet, & quandonam teneatur ad reſtitutionem, & quandò non.

Alia plura pertinentia ad emptionem, & venditionem, quatenus inuoluunt iuſtitiam, vel iniuſtitiam vide *d. tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit.* per vniuerſas prænotiones, & diſquiſitiones; non enim vacat omnia hic repetere.

---

§. II.

De iniuſtitijs, quæ contingunt circa contractum mutui.

DE hoc etiam contractu mutui latè egimus *eod. tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris per vniuerſas prænotiones, & diſquiſitiones*; vndè vix aliquid ſuppeteret addendum. Nihilominus hic quoque nonnulla attingere placet ad legentium inſtructionem, & ad inſinuanda loca, in quibus ſpeciatim de hac materia actitatum eſt. Iniuſtitiæ autem, quæ circa hunc contractum contingere poſſunt, aliæ ſe tenent ex parte mutuatarij; aliæ ex parte mutuantium.

Ex parte mutuatarij contingere poteſt iniuſtitia primò ratione materiæ, quatenus non reſtituat mutuum in rebus eiuſdem generis, & bonitatis non conſentiente mutuante, ſeu creditore, prout docet *Nauarrus in manual. c. 17. n. 214.* ſecundò quatenus non reſtituat conuento, & determinato tempore. Ratio primi ex eo deducitur, quia etiam in mutuo ſeruanda eſt omninò ęqualitas, ità vt mutuans tantum recipiat, quantum contulit; non reciperet autem tantum, ſi res deterioris conditionis, & qualitatis ei reſtitueretur. Accedit, quod ipſe mutuans per mutuum gratuitum beneficium contulit mutuatario; iuſtum autem non eſt, vt pro beneficio collato damnum in re ſua recipiat, dum compellitur accipere rem in eodem quidem genere, ſed inferioris bonitatis. Ratio ſecundi ex eo deſumitur, quia ſuppoſito pacto, & conuentione de reſtitutione facienda pro certo, & determinato tempore dies ipſa conuenta interpellat pro ſolutione, & tunc mutuatarius conſtituitur in mora contra voluntatem Domini, & ſic incipit eſſe reus iniuſtæ, & iniu-

12 Mutuatarius iniuſtè agit, ſi reſtituat res deterioris valoris

Et non reſtituat conuento tempore.

Digitized by Google

iniurioſæ detentionis, ergo non eſt, cur graui noxa non afficiatur; Excuſandus tamen eſt ab hac noxa mutuatarius ob reſtitutionem non poſitam conuēto tempore ratione impotentiæ, vel expreſſi, vel taciti conſenſus creditoris, ſeu mutuantis ad hanc dilationem.

Circa iniuſtitiam ratione mutui hoc ſecundo modo acceptam nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, à quibus ſtatim me eximo. Prima eſt, an mutuatarius ratione dilationis in reſtituendo mutuum non conſentiente ad talem dilationem mutuante, nec impotentia excuſante conſtituatur, ne dum reus culpæ, ſed etiam ratione moræ fiat debitor intereſſe, quouſque non ſoluerit. Secunda eſt, an ſaltem ratione moræ fiat debitor, ſi tempore celebrationis contractus mutui facta fuerit conuentio inter ipſum mutuatarium, & mutuantem, vt ſi pro tempore conuento non facta fuerit reſtitutio, teneatur ipſe mutuatarius ad aliquod intereſſe perſoluendum, donec reſtituerit.

Nonnullæ rationes dubitandi.

13 Ob moram in reſtituendo mutuatarius non obligatur ad intereſſe.

13 In ordine ad primam probabilius eſt, mutuatarium, quantumuis conſtituatur reus culpæ ratione moræ, non fieri debitorem de intereſſe perſoluendo, quouſq; non reſtituerit, niſi ipſe mutuans elapſo tempore conuento interpellauerit cum proteſtatione eiuſdem intereſſe. Conuenit cum ijs, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot. XIII. num. 3.*, quod ſcilicèt non poſſit exigi à mutuatario intereſſe ratione damni emergentis, niſi illud fuerit deductum in pactum in celebratione contractus, prout docet *D. Thomas qu. 13. de malo art. 4. ad decimumquartum, Nauarrus in comment. de vſuris 14. q. 4. n. 46.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte ipſa dilatio reſtitutionis non tribuit ſecundum ſe mutuanti ius ad exigendum intereſſe, niſi vel ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ratione periculi ſortis, vel tandem intuitu pœnæ, ſed intereſſe pro lucro ceſſante, vel damno emergente non debetur, niſi fuerit deductum in pactum, quod idem dic de pœna; ex alia parte elapſo termino conuento ad reſtituendum illa interpellatio cum proteſtatione intereſſe habet vim conuentionis ex diſpoſitione iuris, ergo poſita illa interpellatione cū proteſtatione intereſſe, hoc debebitur, cum cæteroqui non debetur; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod dies ipſa, in qua incipit differri ſolutio, interpellet pro ipſa ſolutione, ſeu reſtitutione; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet dies ipſa interpellet pro ſolutione, non tamen interpellat pro pœna, pro qua non eſt facta conuentio, vel poſitum aliquod æquiualens conuentioni, adeòque &c.

14 Facta cōuentione de intereſſe, ſi mora interceſſerit, hoc debetur.

In ordine ad ſecundam patet ex dictis *eod. tom. 1. ſub tit. Contractus III. prænot. 13. nu. 12. aſſert. 5.* licitè, & ſine vſura poſſe fieri talem conuentionem pœnalem ob 14 dilationem reſtitutionis per textum *in l. 2. §. fin. iuxta l. ſeq. vbi Gloſa, Bartolus, & alij, & l. ſtipulatio iſta §. alteri ff. de verb. obligat. in §. alteri Inſtit. de inutil. ſtipul. c. ſuam, vbi Innocentius, & Abbas in 2. notab. de pœnis, c. dilecti vbi Abbas not. 5. de arbit.* accedentibus tamen illis conditionibus, de quibus dictum fuit *loc. cit. n. 13.*, quod ſcilicèt non fiat conuentio in fraudem vſurarum, quatenus ſcilicèt non apponatur eo animo præcisè, vt per hoc inducatur mutuatarius ad pœnam ſoluendam; ſed eo animo, vt per hoc, ſeu per hanc pœnam impoſitam obligetur ad rem in illo termino reſtituendam; quod item mutuatarius verè ſit in culpa propter moram ſcilicèt culpabilem eo, quia ſine culpa iniuſtè infligitur pœna; ex quo fit, vt ſi reddatur impotens ad reſtituendum, vel alio iuſto impedimento irretiatur non teneatur pœnam luere per textum *in c. ſignificante de pign. & c. 2. de conſtit. & l. traiectia ff. de act.*; quod item pœna quoad quantitatem conuentam ſit moderata, ſcilicèt iuxtà qualitatem culpæ, quæ pœna, ſi ſuccedat pro intereſſe, non poteſt poni maior duplo, quia nec intereſſe poteſt æſtimari vltrà duplum *Gloſa in l. ſtipulatio iſta §. 1., & alteri ff. de verb. obligat.*; quod tandem mora ipſa ſit notabilis; non enim vnius diei terminus elapſus vltrà tempus præſcriptum videtur ſufficiens ad obligandum ad hanc pœnam.

Nonnullæ dubitationes, ſi reſtituatur res diuerſæ bonitatis.

Circa iniuſtitiam ratione mutui iuxtà primum modum acceptam ex parte mutuatarij ſcilicèt, ſi non reſtituat rem in eodem genere, & eiuſdem bonitatis, etiam inſurgunt nonnullæ rationes dubitandi. Prima eſt, an, ſi mutuos acceperit centum nummos aureos effectiuos cum onere totidem reſtituendi, ſi iſti pro tempore reſtitutionis in valore decreuerint ſatisfaciat eoſdem reſtituendo ſine ſupplemento valoris, in quo decreuerunt. Secunda, an, ſi acceperit mutuos decem modios tritici tempore ejuſdem mutui valoris librarum imperalium triginta pro ſingulo modio, quod triticum pro tempore reſtitutionis creuerit in valore vſquè ad libras ſexaginta pro modio ſufficientèr ſatisfaciat reſtituendo dumtaxat modios quinque, cum illi modij quinque in valore æquiualeant pro tempore reſtitutionis illis decem pro tempore mutuationis. Tertia, an, ſi acceperit mutuas centum

duplas

duplas aureas impreſſionis Hiſpanicæ, quæ ſunt perfectionis bonitatis intrinſecæ, & præſtantioris ligæ, quæque pro tempore mutuationis erant valoris librarum vigintiquatuor Imperialium pro ſingulas ipſarum, ſi poſteà reſtituat duplas alterius impreſſionis, quæ non erant tantæ perfectionis, & bonitatis intrinſecæ, nec eiuſdem, aut æqualis ligæ, ſed valdè inferioris, licet in valore extrinſeco illis æquiualerent ſufficientèr ſatisfaciat.

In ordine ad primam aſſero, probabilius eſſe, quod reſtituendo totidem nummos aureos effectiuos, quantumuis in valore decreuerint, ſatisfaciat oneri ſuo, nec teneatur ad ſupplementum valoris, in quo decreuerunt, ſi in ſcriptura mutui dictum fuerit, quod fuerint mutuati centum nummi aurei, cum onere totidem reſtituendi effectiuos; atque iuxtà hanc ſenſum arbitror præcisè locutos *Fachinaeum lib. 2. controuerſ iuris c. 9. verb. tertia eſt ſententia, Corraſium lib. 4., Miſcelan. c. 13. n. 5., Boerium deciſ. 327. n. 4. & 13., Vrſillum ad deciſ., Matthæi de Afflictis 194. nu. 3., Bartolum in l. cum quid 3. n. 17., & ibi Caſtrenſis nu. 6., Socinus nu. 42., Alexander n. 16., Altiatus n. 68. ff. de rebus creditis, Gailum lib. 2. obſeruat. pract. c. 73. nu. 9.*; Si verò dictum fuerit in ſcriptura mutuationis, quod mutuati fuerint centum nummi aurei cum onere reſtituendi ſimplicitèr ſine vlla expreſſione in totidem effectiuis, & defecerint in valore, tunc teneatur ſupplere valorem, quem habebant pro tẽpore contractus, & à quo defecerunt; atque iuxtà hunc ſenſum loquitur *Diana tom. 8. tract. 7. reſolut. 18.* atque conuenit cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs I. in diſq. §. 18, & 19. num. 3* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia ex quo in illo contractu impoſitum eſt onus reſtituendi illos nummos aureos in totidem effectiuis præſumuntur contrahentes ſe exponere fortunę aleæ reſpectu mutuantis acquirendi, ſi nummi aurei creuerint in valore extrinſeco, deperdendi, ſi decreuerint, reſpectu mutuatarij verò acquirendi, ſi decreuerint, deperdendi, ſi creuerint, cæteroqui inæqualis eſſet vtriuſq; contrahentis cõditio, ſi eſſent reſtituendi effectiui iam ſupplemento, ſi decreuerint, & non cum decremento pretij, ſi creuerint. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod dicebamus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs I. in diſq. §. 19. num. 3.* nempè, quod, ſi res creſcat, Domino rei creſcat, quod, ſi decreſcat, Domino rei decreſcat per textum *in l. ſi vt certo 5. §. nunc videndum ff. commodati, & l. pignus 9. C. de pignor. act.* ex quo principio ibi deduximus, quod ſi pecunia tradita campſori ad cambium in valore decreſcat, antequam reſtituatur, decreſcat eidem campſori recipienti, quia ex quo recipit pecuniam ad cambium, fit Dominus eiuſdẽ pecuniæ; Cum ergo etiam in noſtrà hypotheſi mutui mutuum ipſum quoad dominium transferatur in recipientem, vtique ſi decreſcit, vel creſcit, eidem decreſcere, vel creſcere cenſendum eſt. Confirmatur ex *l. nummis 3. verſ. cum certa ſit ff. de in lit. iur, l. 1. in princip. ff. de condict. triticiar. l. ideo 3. verſ. pecuniarum quoque ff. de eo, quod certo loco*, in quibus textibus dicitur, quod omnis obligatio, quæ ex datione pecuniæ oritur ratione ęſtimationis certa eſt, ergo ex mutatione valoris monetarum, hæc obligatio, quæ initio contractus certa fuit, nequaquam variari, & incerta fieri debet, ſed ex tempore contractus certa, & firma permanere *arg. l. fundum Cornelianum 28. verſ. præſens æſtimatio ff. de nouat. & l. hominem 37. ff. mandati.*

15 Mutuatarius reſtituẽdo tot, quot accepit in eodẽ genere, ſi dictũ fuerit in mutuo, quod tot in eodem genere reddãtur ſatisfacit.

Intelligẽdũ tamen eſt cum quibuſdã conditionibus, & quibus.

In ordine ad ſecundam etiam ſecundum varias conſiderationes dirimenda res eſt; vel etenim in contractu mutui dictum eſt præcisè cum onere reſtituendi totidem nulla facta mentione valoris, vel dictum fuit cum onere reſtituendi totidem ad valorem quem habet pro tempore mutui facti, vel habebit pro tempore reſtitutionis. Iuxtà primam conſiderationem probabilius arbitror, ſufficientèr ſatisfacere, ſi pro tempore conuento tot modios tritici eiuſdem bonitatis, & qualitatis reſtituat, quot recepit in mutuo, non attento valore, vel quem habebant tempore mutui, vel quem habent pro tempore reſtitutionis. Iuxta ſecundam conſiderationem, ſecundum quam dictum fuit, quod reſtituantur ſecundum valorem, quem habent pro tempore mutui, tunc, ſi in valore pro tempore reſtitutionis creuerint, ſatis eſt, ſi reſtituantur tot modij, quot adæquent valorem extrinſecum, quem habebant pro tempore mutui, & ſic, ſi pro tempore mutui modius vnus tritici habebat valorem, vt viginti, & pro tempore reſtitutionis habet valorem, vt quadraginta pro decem modijs mutuo acceptis, ſatis erit, ſi reſtituantur quinque. Iuxta tertiam conſiderationem procedendum eſt etiam iuxtà alias diſtinctiones; vel etenim quandò fit mutuum illius tritici ſecundum determinatas illas menſuras præuidetur, quod certo moralitèr triticum habiturum ſit incrementum in valore extrinſeco, & tunc eſt vſura obligare mutuatarium ad reſtituendum ſecundum valorem, quem tunc habebit; vel quandò

16 Quid faciendum ſit, quãdo mutuatũ fuit frumentum in certa quantitate, & tempore reſtitutionis in valore ad duplũ creuerit.

quandò ſit mutuum dubium eſt, quod ſit pluris, vel minoris valiturum, & tunc nulla eſt vſura, & mutuatarius ſufficientèr ſatisfacit, ſi reſtituat iuxtà illum valorem, ſiue fuerit auctus, ſiue diminutus. Ferè in vniuerſum hæc, quæ diximus, conſentiunt cum ijs, quæ docuimus *primo tom. ſub tit. Contractus III. de mut. & vſuris prænot. 10. nu. 4. aſſert. 4. per totum*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ex quo mutuans obligauit mutuatarium ad reſtituendos totidem modios tritici eiuſdem qualitatis, & bonitatis extrinſecæ nulla facta mentione valoris extrinſeci præſumitur voluiſſe ſe exponere fortunæ aleæ lucrandi ſcilicèt, ſi in valore creuerit, deperdendi, ſi decreuerit, ea proportionali ratione, qua dictum fuit in præcedentis difficultatis reſolutione de mutuo centum aureorum effectiuorum cum onere reſtituendi tot effectiuos, quod ſcilicèt mutuatarius ſolummodò obligetur ad tot effectiuos pro tempore reſtitutionis contribuendos, quantumuis pro tali tempore in valore decreuerint; non enim illud mutuum ſic conceptum iniurioſum eſt alicui, cum vterque contrahens æquali conditioni exponatur, vel lucrandi, vel amittendi; nec incongruè ſupponitur talis mens vtriuſque contrahentis in illa conuentione reſtituendi totidem, quandòquidem ex quo exprimunt quantitatem, & qualitatem rei reſtituendæ ſine alio addito videntur ad eandem præcisè ſe reſtringere. Ratio ſecundæ partis deducitur etiam ex ſuperius dictis, quia quod fiat reſtitutio mutui ad valorem, quem habet pro tempore eiuſdem mutui, quandò aliud conuentum non eſt, eſt conforme naturæ eiuſdem mutui, quandòquidem tunc transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, quæ propterea res mutuata, ſiue creuerit, ſiue decreuerit in valore creuiſſe, vel decreuiſſe eidem mutuatario cenſendum eſt per textum *in l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. commodati*, & alijs iuribus ſupra allegatis, ergo obligare mutuatarium ad reſtituendum mutuum ſecundum valorem, quem habet pro tempore eiuſdem mutui eſt obligare ad iuſtum, ſicque mutuatarius reſtituendo ad illum valorem ad æqualitatem reſtituit, & ſufficientèr ſatisfacit, & ſic, ſi pro tempore reſtitutionis vnuſquiſque modius tritici creuerit ad duplam, ſatis erit, vt reſtituantur pro decem acceptis quinque modij tritici. Ratio tertiæ partis (quandò ſcilicèt ſit conuentio, vt reſtituantur iuxtà valorem, quem habebit triticum pro tempore reſtitutionis, & certo moralitèr præuidetur in valore augmentum habiturum) ex eo deducitur, quia mutuare cum illa conuentione reſtitutionis ſecundum illum valorem futurum eſt velle acquirere ex mutuo aliquid ſupra valorem rei ob ſolam temporis dilationem, quòd abſolutè redolet vſurariam prauitatem, ergo illa conuentio iniuſta eſt, nec tenebitur mutuatarius ad illum valorem reſtituere. Antecedens probatur, quia mutuare rem de præſenti valoris, vt decem cum onere, vt reſtituatur eadem res in ſpecie de futuro, quæ recipit pro illo tempore valorem, vt ſexdecim, eſt ratione ſolius temporis dilati dare decem, vt recipiantur ſexdecim; Neque dicas, mutuantem per illam conuentionem mutuantem acquirere ſolummodò ſpem illius augmenti, quæ poteſt fruſtrari, non ipſum augmentum; contrà enim impugnaberis, quia ſpes ipſa ſecundum ſe, ſi ſit proxima, & moralitèr certa eſt pretio æſtimabilis per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. diſq. 1. § 1. reſp. 2.* Ratio tandem vltimæ partis (quod ſcilicèt ſufficientèr ſatisfaciat, nec interueniat vſuræ labes, quandò reſtituit ſecundum valorem, quem habet triticum pro tempore reſtitutionis ſuppoſita conuentione de illo ſic reſtituendo exiſtente æquali dubio augmẽti, vel decrementi valoris extrinſeci) deducitur ex ſuperius dictis, nempè, quod in hac hypotheſi ſit æquale periculum, & æquale commodum vtriuſque contrahentis, in qua propterea conuentione nulla poteſt eſſe iniuſtitia.

Variæ cõſiderationes, & iuxta ipſas variæ deciſiones

Spes ipſa maioris valoris, ſi ſit proxima, eſt pretio æſtimabilis.

In ordine ad tertiam abſolutè crederem, quod ſufficientèr ſatisfaceret per reſtitutionem alterius monetæ aureæ eiuſdẽ valoris extrinſeci, quantumuis diuerſæ bonitatis intrinſecæ, ſi mutuans aſſentiatur; ſi verò non aſſentiatur, non ſufficientèr ſatisfacere. Pro cuius reſolutionis vberiori notitia recolenda ſunt 17 ea, quæ docuimus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs 1. prænot. IV. num. 2. & ſeqq., & prænot. 3. n. 3.* nempè in pecunia duplicem poſſe conſiderari valorem in ordine ad diuerſum vſum, ad quem poteſt eſſe deſtinata; alter dicitur legalis, atque ille eſt, quo ipſa pecunia æſtimationem habet à Principe, vel à Reipublicæ auctoritate taxatam, atq; iuxtà hunc ſenſum accipitur, vt ſit pretium, & menſura rerum venialium, & in hac acceptione nequit pluris vendi, quam æſtimetur per textum *in l. ſi ita ff. de fideiuſ., & l. 1. ff. de contrah. empt.*, hocque ſtatuit *Ariſtoteles primò Polit. c. 6.*, alter dicitur naturalis, quo eadem pecunia æſtimatur pluris, vel minoris independentèr à taxatio-

Mutuatarius, qui accepit monetas maioris bonitatis intrinſecę ſi reſtituat totidem eiuſdem valoris, non tamẽ bonitatis intrinſecę ſatisfacit, ſi mutuãs cõſentiat, ſecus, ſi non conſentiat.

Digitized by Google

xatione Principis, vel Reipublicæ iuxtà maiorem, vel minorem materiæ, ex qua conficitur, bonitatem, antiquitatem, commoditatem ad vſus, vtilitatem ad commertia, facilitatem ad vſum, & alia huiuſmodi, & ſic ſumitur potius vt res, quam vt pretium; iuxtà primum valorem omninò inuendibilis eſt, vt benè notat *Silueſter verb. vſura 4. q. 2.*, iuxtà ſecundum verò vtique vendibilis eſt pluris, vel minoris iuxtà vſum fori. *D. Thomas 2. de regim. Princip.*, *& Ariſtoteles primò polit.*, Neque arbitrandum eſt cum *Medina C. de cambijs q. 3.*, *& Valentia in 2. 2. D. Thoma de iuſt.*, *& iur. diſp. 23. punct. 2.* non poſſe ſupra valorem legalem taxatum à Principe in contractibus aliquid exigi in huiuſmodi nummis aureis, & ſimilibus ratione materiæ perfectioris, vel quia huiuſmodi pecuniæ licèt non æquales in materiali qualitate, habent diuerſas commoditates, per quas poſſint adinuicem compenſari, vel quia Princeps taxans huiuſmodi valorem reſpicit ad vtriuſque commoditates; Non, inquam arbitrandum eſt, quia illæ commoditates, ſeu vſus, quas habere poteſt moneta inferior in qualitate materiali licèt æqualis in valore legali, ſunt compenſabiles per vſus, & commoditates monetæ in valore intrinſeco, & naturali perfectioris, tum quia longè plures, & vtiliores ſunt; tum quia, quod perfectius eſt eminentèr poteſt præſtare id, quod præſtat, quod imperfectius eſt, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione alterius, cum quo poteſt commutari. Deinde ad illud, quod ſubditur de Principe taxante valorem monetarum dicendum eſt, eum reſpexiſſe præcisè ad ſingularum commoditates ſub ea ratione, ſub qua ſunt pretium, & menſura rerum venalium, non ſub ea ratione, ſub qua conſiderentur, vt res venales, & merces, cæteroqui irrationabilitèr æquale pretium pro rebus in valore naturali inæqualibus conſtitueret, ſi ad illam reſpiceret. Quibus pro notitia ſuppoſitis iam probo, quod ipſo mutuante aſſentiente poſita ſit ſufficiens ſatisfactio ex eo, quod mutuatarius reſtituat in moneta eiuſdem ſpeciei æquali in valore legali, licèt imperfectiori in qualitate naturali; probo, inquam, quia ſecundum communem acceptionem, & ſecundum rationem, ſecundum quam ex communiori vſu accipiuntur monetæ, mutuatarius reſtituens in moneta deterioris conditionis ſecundum materiam, qua conſtat, reſtituit æquiualens ad acceptum, nec cogitur inuitus aliud pro alio accipere in ſolutionem contra textum *in l. 2. §. 1. ff. de rebus creditis*, dummodò moneta, quæ reſtituitur, ſit æqualis ſecundum valorem legalem.

Bonitas intrinſeca ad longè perfectiores vſus inſeruit.

Probo vlterius, quod ipſo mutuatario diſſentiente non ſufficientèr ſatisfaciat reſtituendo monetam ſimilis ſpeciei, quæ licèt ſit in valore legali æqualis, ſit tamen deterioris conditionis in perfectione intrinſeca, & naturali, non ſolum *ex §., & quoniam Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.*, *& l. 3. ff. de reb. credit.* in quibus textibus dicitur, quod naturalis conditio exigit, vt id, quod mutuo datum eſt in eodem genere, & qualitate, eadem reddatur *Bocerus tract. de Regalibus c. 2. n. 229.*, *& ex nouella 4. c. 3.* vbi dicitur iuſtum non eſſe, vt qui mutuauit aurum quippiam aliud ipſo inuito ſoluatur; propter quæ iura, & ſimilia huic noſtræ opinioni adhæſerunt *Colerus tract. de proceſſu execut. part. 1. c. 10. n. 7.*, *Borcholtus in comment. de rebus creditis c. 7. n. 4.* *Boerius deciſ. 327.*, *Vuſembeccius in Paratitlis ff. de reb. cred. n. 12. verſ. ex eadem ratione*, *Coarnuias de veter. numiſ. collat. c. 7. §. vnico*; Non ſolum, inquam, propter hæc iura, ſed etiam propter ea, quæ docui *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs 1. prænot. 4. nu. 2. aſſert. 1.* nempè in permutatione pecuniæ purioris materiæ cum alia materiæ non ità puræ, quamuis valor legalis vtriuſque ſit æqualis, poſſe Dominum pecuniæ purioris lucrum exigere, & acquirère, quantum ſufficit ad adæquandum valorem naturalem vtriuſque materiæ attentis circumſtantijs maioris, vel minoris valoris vtriuſque, prout etiam docent *Molina tract. 2. diſp. 401. verſ. dicendum deindè eſt*, *Salas de cambys dub 33. n. 3., 4., & 9.*, *Rebellus 2. part. de oblig. iuſt. lib. 11. de cambys q. 5.*, *Lugus de cambijs diſp. 27. ſect. 8. n. 8. verſ. quintus titulus eſt*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem indubitabile eſt, quod materia intra eadem ſpeciem purior ſit ſecundum ſe meritoria maioris pretij, quam ſit materia intra eandem ſpeciem deſæcata. Vide, quæ latè docuimus *eod. tom. 2. d. prænot. 4. à n. 2. ferè ad fin.*

Poteſt eſſe mutuans inuitus rationabilitèr, quod res deterioris conditionis reſtituatur in bonitate intrinſeca.

Materia purior in eodē genère eſt pretioſior

Ex parte mutuantis contingit quandocunque iniuſtitia in mutuo, quoties 18
aliquid exigit vltrà ſortem, quod non ſit debitum alio titulo, vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel periculi ſortis, vel pænæ conuentionalis ſuppoſitis debitis conditionibus, de quibus latè *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris*, vbi etiam latè enumerantur vſuræ, quæ à mutuante contrahuntur in mutuo.

Mutuans ratione mutui peccat quando ex vi eiuſdem aliquod accipit vltra ſortem.

§. III.

§. III.

De iniuſtitijs, quæ contingunt in contractu Emphytheuſis, & cenſus.

IN multis contingit iniuſtitia circa huiuſmodi contractus, de qua latè actum eſt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & Cenſib. per vniuerſas prænotiones, & diſquiſitiones.*

Breuitèr nonnulla practicabiliora recenſeo, in quibus dubium eſt, an interueniat iniuſtitia, & in quibus certum eſt interuenire, & quidem incipiendo ab Emphitheuſi.

Dubium primò videtur, an pro ingreſſu in rem Emphytheuticam licitè aliquid exigi poſſit vltra pẽſiones cõuentas. Qua in re aſſerendum eſt iuxta dicta *d. tom. 1.*
19 *ſub tit. Contractus IV. de Emphyth., & cenſ. prænot. 3. n. 2.* non eſſe ex neceſſitate vltrà penſiones conuentas aliquid perſoluendum pro ingreſſu, poſſe tamen ſine læſione eiuſdem contractus, ſeu iuſtitiæ conueniri de aliqua moderata ſolutione; ſeu vt alij loquuntur ſolutio pro ingreſſu in rem emphytheuticam non eſt contra naturam contractus, licèt ſit præter. In hoc aſſertum conſentiũnt *Iulius Clarus lib. 4. ſentent. §. emphytheuſis q. 3. Coaruuias 3. var. reſol. c. 7. n. 1., & alij apud Molinam tract. 2. diſp. 350.*, intelligenda tamen eſt
20 ſecunda pars aſſerti, quandò ratione talis ſolutionis pro introitu aliquid ad ratam diminuitur in conuentione annuarum penſionum. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia præſcindendo ab illo onere ſolutionis pro ingreſſu facta præcisè conuentione de annuis penſionibus perſoluendis habetur quidquid requiritur ad ſubſtantiam contractus Emphytheutici, ergo non eſt neceſſaria illa ſolutio pro introitu; neque obeſſe poteſt, ſi alleratur primò, quod in translatione iuris Emphytheutici à primo in ſecundum Emphytheutam ſit ſoluendum laudemium pro ingreſſu ſcilicèt eiuſdem ſecundi, ergo etiam in prima conceſſione iuris emphytheutici ſoluendum aliquod erit pro ingreſſu. Secundò, quod contractus Emphytheuticus mediet inter emptionem, & venditionem, & inter locationem, & conductionem, prout habetur *in §. adeò Inſtit. de locat., & l. 1. C. de iure Emphyt.*, non mediaret autem inter emptionem, & venditionem, niſi aliquid pretium, perſolueretur; Non, inquam obeſſe poteſt; non primum; quia tunc tantum debetur laudemium, quando à primo Emphytheuta, qui rem, ſeu ius Emphytheuticũ habuit à Domino proprietatis, transfertur in alium, vel titulo venditionis, vel donationis, vel ſimili. Cum igitur immiſſio in poſſeſſionem ſemper debeat eſſe à Domino proprietatis, hic ex quo contractum inijt cum Emphytheuta primo, iam ſe obligauit ex vi eiuſdem contractus ad eum immittendum in poſſeſſionem, adeòque ratione talis immiſſionis nil poteſt ex neceſſitate exigere; ad immittendum autem in poſſeſſionem Emphytheutam ſecundum, qui ius Emphytheuticum intendit à primo, acquirere, nullo iure obligatur, adeòque ab illo pro inueſtitura, & immiſſione poteſt de iure exigere illud laudemium; Non ſecundum, quia inter illos contractus mediat ex eo præcisè, quod in cõtractu emptionis, & venditionis transfertur dominium nedum vtile, ſed etiam directum proprietatis, in locatione verò nec vtile, nec directum, in Emphytheuſi verò transfertur verè vtile, non directum. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſuppoſita illa diminutione annuarum penſionum illa ſolutio facta pro ingreſſu non lædit æqualitatem requiſitam ad rationem iuſtæ emphytheuſis, ergo ex conuentione poteſt venire in contractu.

Dubium ſecundum eſt, an ſi res Emphytheutica ſine culpa Emphytheutæ in parte depereat, teneatur ipſe Emphytheuta ſoluere penſiones ſaltem pro parua, quæ remanet, an verò pro toto? Ex ijs, quæ docuimus *d. tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphytheuſi, & Cenſ. prænot. 9. n. 3. in probatione ſecundæ partis* iam patet dicendum, ſiſtendo in rigore iuris teneri Emphytheutam penſiones integras perſoluere; quod videtur colligi ex textu *in l. 1. C. de iur. Emphyth.* vbi ſic legitur *Si autem particulare, aut aliud leue damnũ contigerit ex quo non ipſa rei penitus deſtruatur ſubſtantia, hoc Emphytheuticarius ſuis partibus non dubitat adſcribendum?* Nomine autèm particularis venit dimidium rei *l. etiam ff. de vſufructu l. de ætatis l. qui interrogatus de interd. act. Gloſ. in l. talis §. fin. ff. de pactis, Baldus in l. ſcimus in princip. C. de inoffic. teſtament.*, idem colligitur *ex §. adeò, Inſtit. de locato*, vbi ſic decernitur; *ſi totius rei interitus ſucceſſit ad Dominum redundare periculum; ſin autem particularis, ad Emphytheuticarium huiuſmodi damnum veniret.* 21

Certum eſt primò peccare contra iuſtitiam Emphytheutam, ſi notabilitèr deterioret rem Emphytheuticã per textum *in auth. qui rem C. de ſacroſ. Eccl. Immola in l. diuortium ff. ſolut. matrim.* cum hoc ſit directè contra finem conſtitutionis 22

19 Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad iuſtitiam, & iniuſtitiam circa cõtractũ Emphytheuſis.

20 Non eſt ſoluẽdum aliquid pro ingreſſu, licet poſſit iuſtè ſolui ſeruatis conditionibus.

21 Si res emphytheutica in parte depereat tenetur emphytheuta ſoluere integras penſiones

22 Peccat deteriorando notabilitèr rem emphytheuticam.

Digitized by Google

nis Emphytheuticæ, iuxtà quem concedebantur, vt meliorarentur, adeòque omninò iniuſtum eſt, quod in re Emphytheutica deterioratio ponatur. Accedit, quod ſi Emphytheuta in re Emphytheutica melioramenta conſtituat, ad quæ non teneatur, poſſit compenſationem in reſolutione Emphytheuſis exigere, ergo, ſi eandem rem Emphytheuticam deterioret, contrà iuſtitiam peccabit, adeòque tenebitur &c.

23 Item peccat recidẽdo oleas, & plantando arbores minus fructiferas.

Certum eſt ſecundo, peccare contrà iuſtitiam Emphytheutam, & recidere in commiſſum, qui è fundo emphytheutico recidit oleas, & arbores minus fructuferas plantauit, vt docent *Baldus, & Iaſon in l.2. C. de iure emphit.*, quia non ſolum licet in fundo Emphytheutico immutare formam ipſius irrequiſito proprietario, ſed etiam, quia poſitiuè deteriorem reddit ipſum fundum Emphytheuticum. De ijs, quæ iniuſtitiæ contingere poſſunt in contractu Emphytheutico, vide, quæ dicta ſunt *d. tom. 1 ſub tit. Contractus IV. per vniuerſas prænotiones; & diſquiſitiones*; non enim vacat hæc omnia repetere.

24 Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad iuſtitiam, vel iniuſtitiã, cõtractus cenſualis.

Progrediendo quoad contractum cenſus vix aliquid ſupereſſet addendum ad ea, quæ dicta ſunt *d. tom. 1. ſub eod. tit. d prænot. XII. vſque ad fin.*, nihilominus ad planiorem legentium notitiam nonnulla hic breuitèr ſubdam; & præcipuè ſemper attendendum eſſe ad conditiones appoſitas per Pium V. beatæ record. in ſua conſtitutione, quarum prima eſt, vt cenſus non poſſit conſtitui, niſi in fundo immobili, & qui pro immobili habeatur, qui fundus aptus ſit tot fructus producere, qui ſufficiãt ad adæquandas annuas penſiones iuſtas, & conuentas, & ſit certis finibus deſſignatus. Secunda, vt pretium eiuſdem cenſus, non niſi in pecunia numerata præſẽtibus teſtibus, & notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, nõ autẽ prius cõferatur. Tertia, vt penſiones conuentæ non ſoluantur antecedentèr, & anticipatè. Quarta, vt non fiant directè, aut indirectè conuentiones obligantes ad caſus fortuitos eos, qui alias ex natura contractus non obligantur. Quinta, vt non apponatur pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, quia vult rem ipſam ſemper, & libere, & ſine ſolutione laudemij, ſeu quinquageſimæ, alteriuſue quantitatis, vel rei tam inter viuos, quàm in vltima voluntate poſſe alienari. Sexta, vt non apponantur pacta obligantia moroſum cenſus debitorem ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, vel ad certas expenſas, aut ſalaria, vel ad rem cenſui ſuppoſitam, vel in toto, vel in parte amittendam. Septima, vt non augeatur cenſus, vel nouus creetur ſuper eadem, vel alia re in fauorem eiuſdem, aut perſonæ per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis, vel præteriti, vel futuri. Octaua, vt non apponantur alia onera, quæ in conſtitutione cenſus important grauamen ſupra naturam contractus venditori eiuſdem. Nona, vt intelligatur interuenire conditio, vt perempto fundo, vel in toto, vel in parte perimatur cenſus proportionalitèr. Decima, vt emptor cenſus non poſſit pretium ab inuito, aut ob pænam, aut ob aliam cauſam repetere; Alias conditiones apponit Pontifex requiſitas ad conſtitutionem cenſus, quas vos ipſi videre poteritis *d tom. 1. à d. prænot. 12. ad finem*, vbi omnes iſtæ conditiones ex profeſſo explicantur cum difficultatibus, quæ circa ipſas emanant &c.

§. IV.

De iniuſtitijs, quæ fieri poſſunt circa cambia.

Recolite ea, quæ fusè ad ſacietatem dicta ſunt in toto ſecundo volumine de cambijs; non enim vacat ea de nouo hic repetere. Nonnulla præcisè hic ſubdam pro ijs, qui prædictum volumen ſecundum non volutarunt, nec commodè poſſunt reuoluere.

Tria cambiorum genera in eodem volumine præcipuè diſtinximus; alterum, 25 Tria cambiorũ genera
quod dicitur minutum, & vulgare; alterum per litteras, alterum nundinale. Primum cambium per minutum regularitèr iuſtum eſt intercedentibus debitis conditionibus, & tunc eſt, quandò quis cambit præſentem pecuniam pro præſenti, puta nummos minoris valoris pro nummis maioris, vel è contra, puta quadrantes pro Iulijs, Iulios pro ſcutis &c. Circà hoc cambiendi genus nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, an verè circa ipſum oriatur iniuſtitia, vel non. Prima eſt, an ob tale cambium in commodum, 26 Explicantur nonnulla dubia circa primũ cãbiorũ genus.
& vtilitatem alterius licitum ſit cum moderato lucro non ſolum reſpectu perſonæ à publico ad hoc deputatæ, ſed etiam reſpectu priuatæ cuiuſcunque perſonæ. Secunda eſt, an qui habet monetam, quæ vel ratione materiæ perfectioris, vel alicuius particularis intereſſe maioris valoris intrinſeci eſt, quam ſit publica lege æſtimata poſſit iuſtè in permutatione ipſius cum alia ad inſtantiam alterius illud plus exigere, quod intrinſecè

Digitized by Google

valet illa moneta ſupra illam, cum qua commutat.

In ordine ad primam iam ſatis ſuper qua dictum eſt ſupra *eod. tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs primo in diſq. §. 3. n. 2.* nempè campſorem à Republica, vel à Principe deſtinatum ad hoc munus poſſe aliquid exigere tam ratione officij, quàm ratione laboris in numerando, & hoc ſiue ipſe conferat monetas minutas pro aureis, ſiue aureas pro minutis; & deindè *ibid. §. 4. n. 5.* tradidimus perſonas etiam priuatas poſſe ſic permutare cum lucro non excedente æqualitatem debitam, quod etiam aſſerunt *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 399. verſ. illud admonuerim*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 23. dub. 2. n. 17.* Rationes pro vtraque parte illic adducuntur.

In ordine ad ſecundam iam patet, quid reſpondendum ſit, tam *d. tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs primo prænot. 3. n. 3. & ſeqq.* tum ex dictis *ſub hoc eodem tit. de reſtitut. 1. hac prænot. XIII. dum de iniuſtitijs, quæ contingunt circa contractum mutui verſ. in ordine ad tertiam*, ad quæ vos remitto.

27 Explicantur dubia circa cābiorū genus ſecūdum.

Secundum cambium per litteras latè explicatum eſt *eod. tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs II. per vniuerſas prænotiones, & diſq.*, vbi quandonam in contractu contingat iniuſtitia, & quandonam iuſtitia, latè diſſeruimus. Ad iuſtitiam huius contractus requiritur primò, vt ſeruetur æqualitas valoris inter pecuniam datam, & accipiendam. Secundò, quod campſor non plus accipiat iuſta mercede. Item, quod illa non accipiatur ob ſolam temporis dilationem in accipienda pecunia virtute literarum. Tertiò, quod non aliquid accipiatur eo, quod à principio non tradatur ei pecunia, vel pars ipſius. Quartò, quod ille, qui dat pecunias alibi ſoluendas in alijs locis remotis ſciat, vel probabilitèr credat, quod perſona, cui dat, habeat pecunias, vel fidem, & voluntatem ſatisfaciendi literis, quas ſibi dat, prout habentur *in extrauaganti Pij V. quæ incipit in eam*, alioqui vſuram iniquam admittit, & eo iniquiorem, ſi eas tradat cum pacto, quod, ſi non ſoluantur intra tres menſes ab eis, ad quos remittitur ſolutio, ſoluantur alibi intra ſex menſes cum lucro cambij, quod ibi erat ſoluendum, & lucro recambij alibi ſoluendo. Alia ad huiuſmodi cambia pertinentia vide loco cit.

28 Explicantur circa tertiū genus.

Tertium cambiorum genus tunc fit quandò de nundinis ad nundinas res tranſferuntur cum certis conditionibus, de quibus latè *d. tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs III. in prænot. & diſq.*

---

§. V.

De Iniuſtitijs circa permutationes ſimplices.

IN permutationibus potiſſimum contingit iniuſtitia, primò ratione inæqualitatis in rebus permutatis ex generali regula, quod in actibus commutatiuæ iuſtitiæ ſeruanda ſit æqualitas. Secundò, quando per alterum contrahentem tradita eſt res vitioſa quoad ſubſtantiam, & tunc in fauorem læſi conceditur actio redhibitoria, prout docent *Siluester, Bartolus, & Baldus, & Iaſon in l. 1 ff. de rer. permut.* per textum *in l. ſciendum §. deinde verſ. ſed ſi quis permutauerit ff. de ædil. edict., & ex l. Ariſto. 2. ff. de rer. permut.* Tertiò, ſi permutatio fuerit facta cum vitio latente ignorante vtroque contrahente vitium rei, oritur obligatio ex parte eius, qui rem vitioſam contulit ad compenſationem iuxtà portionem vitij, quantumuis non peccauerit ſic commutuando per ea, quæ docuimus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permut. in diſq. §. 1. n. 5.* Quartò, quandò ſit permutatio cum ſcientia defectus pertinentis ad quantitatem, in quo caſu læſus habet actionem quanto minoris, ſi læſio non fuerit vltrà dimidium, quia tunc datur actio ad reſciſionem per ea, quæ docuimus *d. tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permut. in diſq. §. 1. n. 4.* 29 Explicantur dubia circa ſimplices permutationes.

---

§. VI.

De iniuſtitijs circa ſocietates, & alios omnes contractus.

BReuitèr ab omnibus me eximo, quandòquidem fusè de ſingulis egi ſub ſuis reſpectiuè titulis. Incipiendo igitur à ſocietate, prout recto ordine ſe offert, poſt iam examinatos contractus, circa quam vide, quæ habita ſunt *tom. 3. ſub tit. Contractus VII. de ſocietat. per vniuerſas prænotiones, & diſquiſit.*

Secundò ſe offert commodatum, & depoſitum, in quibus cum non transferatur dominium, ſed ſemper remaneat penes commodantem, & deponentem, inducitur obligatio in commodatario, & depoſitario illæſam ſeruandi rem ſibi traditam, vnde onus reſtituendi, ſi perierit, oritur ex culpa, quæ, an debeat eſſe lata, vel leuis, an ſufficiat leuiſſima, dictum

Digitized by Google

dictum fuit *dict. tom. 3. ſub tit. Contract. IX. per vniuerſas ferè diſquiſit. & prænot.*, vbi etiam inuenies omnia, quæ ad præſens inſtitutum pertinent.

30 Et circa alios contractus.

Tertio venit locatum, & conductum, de cuius contractus conditionibus, vitijs, & iniuſtitijs, quæ circa ipſum contingere poſſunt, actum eſt *tom. 4. ſub tit. Contract. X. de locat. & conduct. per omnes prænotiones, & 5.* Quartò pignus, & hypotheca, de quibus *eod. tom. 4. ſub ſuo tit. Contract. XI. per totum*. Quinto fideiuſſio, & aſſecuratio, de quibus *eod. tom. ſub ſuo tit.* Tandem de tranſactionibus, de quibus ibidem. Omnia ſuis locis recolite; non enim iuuat hic repetere.

PRÆNOTIO XIV.

De iniuſtitijs, quæ contingunt circa famam, & honorem.

HActenus egimus de læſionibus circa bona fortunæ; nunc gradatim, & ordinatè procedentes de eiſdem in ordine ad bona famæ, & honoris. Varias exigit hic titulus inſpectiones, quarum conſideratio ex profeſſo traheret titulum in immenſum, & materiam quoquo modo confunderet; ideò eundem titulum placet in varias ſectiones diuidere clarioris, & diſtinctioris doctrinæ gratia, in quibus omnia ad hanc materiam pertinentia comprehendentur.

SECTIO I.

Quid ſit fama, & honor, & quomodo inter ſe diſtinguantur.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine famæ propriè ſumptæ. 1.
Quid veniat nomine honoris. 2.
Definitio propria famæ, & honoris. 3.
Obiectum famæ, & honoris eſt excellentia perſonæ. 4.
Fama, & honor adinuicem differunt non ratione obiecti, ſed ratione actus. 5.

FAma poteſt dupliciter ſumi; primo quaſi in genere, prout præſcindit à bona, vel mala; Secundo pro bona fama determinate, vel pro mala, quæ tamen mala proprie fama non eſt, ſed infamia potius, ſeu diffamatio; Nomine famæ

1 Quid veniat nomine famæ propriè ſumptæ.

primo modo ſumptæ venit multorum æſtimatio de vita, & moribus alterius; ex eo autem, quod dicatur *æſtimatio* importat præcipuè aliorum opinionem, & internum iudicium, & per hoc contradiſtinguitur à ſermone, & à rumore, qui quamuis fama dicantur, non ſunt propriè tales, niſi quatenus ſunt expreſſiones illius interni conceptus, ſeu æſtimationis. Nomine autem famæ ſecundo modo acceptæ, de qua ſolum in præſenti erit ſermo, venit opinio, & æſtimatio multorum, non de vita, & moribus quomodocunque, ſed de vita laudabili, & moribus honeſtis cum quadam excellentia.

Honor verò *ab Ariſtotile primo Ethic. c. 5. nu. 5.* ſumitur pro exhibitione reuerentiæ in teſtimonium virtutis; circa quem textum *D. Thomas 2. 2. q. 103. art. 1. ad primum* bene notat reuerentiam non

2 Quid veniat nomine honoris.

eſſe formalem rationem honoris, ſed principale motiuum, ex quo deſumitur honor, quatenus ſcilicèt aliquis ex reuerentia, quam habet ad aliquem, ipſum honorat; vndè congruentius ſumitur honor pro teſtificatione illius interni iudicij, & opinionis, quam de altero homines habent; Hæc ſuppoſita aliquali notitia tam bonæ famæ, quàm honoris plura de ipſis inquirentur, primò, quænam ſit propria famæ definitio, & quænam honoris. Secundò, quodnam ſit proprium vtriuſque obiectum. Tertiò, in quonam adinuicem diſtinguantur.

3 Definitio propria famæ.

Aſſertio I. Fama bona, de qua hic loquimur, *eſt internum iudicium, & bona æſtimatio aliquorum de aliquo propter aliquam ipſius excellentiam*. Cohæret cum definitione Iuriſtarum aſſerentium, quod fama ſit illæſæ dignitatis ſtatus, vita, & moribus comprobatus, prout habetur *in l. in legem §. exiſtimatio ff. de var. & extraord. cognit.* Honor verò eſt *exterior recognitio alicui exhibita propter ipſius aliquam ſpecialem excellentiam*.

Facilè euincitur vtraque definitio, & primò, quoad famam hoc in primis ſciendum eſt, quod non dicatur talis à *fando*, quia hac ratione potius conueniret cum ſermone, & rumore, niſi fortè ſumatur tanquam effectus, quatenus ex bona opinione, & exiſtimatione proueniat, quod homines eloquantur excellentiam perſonæ, cuius eſt bona fama, &

Explicatur per particularũ diſcuſſionem.

probabile, & rationi congruum eſt. Dicitur igitur *internum iudicium, & bona æſtimatio*, quę particulæ inuoluunt actum internum aliarum perſonarum rectè ſentientium de altero ob pręclara eius geſta, & opera. Dicitur, *de aliquo*, quia bona fama non eſt eiuſdem ad ſe ipſum; Dicitur tandem *ob aliquam ipſius excellentiam* per quas particulas indicatur potiſſimũ obiectum eiuſdem famæ. Quoad honorem verò clarè liquet definitio *ex Ariſtotile lib. 8. Ethic. tom. 5.*, vbi aſſerit, quod homines, qui volunt honorari, teſtimo-

Digitized by Google

nium ſuæ excellentiæ quærunt; vndè re-ctè notat *D.Thomas 2.2.q.103.art.1. in corpore*, quod teſtimoniũ redditur, vel corã Deo, vel corã hominibus, & quidē coram Deo, qui inſpector eſt cordium, & renum ſcrutator ſufficit teſtimoniũ conſcientiæ, & in hoc ſenſu honor quoad Deũ poteſt conſiſtere in ſolo interiori motu, quo quis, vel profiteatur ſupremam eiuſdem Dei excellentiam, vel alterius coram Deo, qui non indiget aliquo ſigno externo ad cognoſcendos internos animi motus; coram hominibus verò non poteſt, quis teſtimonium ferre, niſi per verba, quatenus ſcilicèt ore profiteatur alterius excellentiam, vel niſi per ſigna exteriora puta per inclinationes, munerum oblationes, & ſimilia.

4 Aſſertio II. Obiectum, tum famæ, tum honoris eſt excellentia alicuius perſonæ, de qua eſt fama, & honor; hæc autem excellentia radicalitèr conſiſtit in virtute, & ſapientia, in quibus tanquam in radice, & fundamento conſiſtunt poſtea ingenij acumen, eloquentiæ vis, nobilitas, pulchritudo, & his ſimilia.

Obiectum famæ, & honoris eſt excellētia perſonæ.

Non difficilis eſt probatio huius aſſertionis, quandòquidem fama, cum ſit bona, debet eſſe de aliquo obiecto inſigni, adeòque excellenti, & cum honor ſit teſtificatio virtutis, quin immò vt loquitur *Ariſtoteles lib. 4. ethicor. c. 3. tom. 5.* præmium virtutis vtique conſiſtere non poteſt, niſi in aliqua excellentia, in qua conſiſtat virtus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quandòque honor deferatur etiam perſonis minimè virtute præditis, vt cum defertur Superioribus virtute carentibus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt benè notat. *D. Thomas 2.2. q.103. art.2. ad ſecundum* Superiores, ſi ſint mali non honorantur propter excellentiam propriæ virtutis, ſed propter excellentiam dignitatis, ſecundum quam ſunt Dei miniſtri, vel etiam propter excellentiam communitatis, cui præſunt.

5 Aſſertio III. Fama, & honor ad inuicem comparati non differunt inter ſe ratione obiecti, ſed tantum ratione actus, quatenus fama conſiſtit in interna opinione, & dum exit in opus externum dicitur laus; honor verò in externa ſignificatione, quam nos habemus excellentiæ alterius. *Leſſius lib. 2. de iuſt.*, *& iur. c.11. dub. 1.n.5.*, & in hoc conſentiunt communitèr.

Fama, & honor nõ differunt ratione obiecti, ſed ratione actus.

Facilè liquet ex dictis in præcedentibus, vndè non eſt, cur immoremur; ex quibus fas erit deducere; quod honor comparatiuè non ſolum ad quæcũque alia bona externa ſit perfectior, vt notat *Ariſtoteles lib.4. Ethic.c.3.*, ſed etiam comparatiuè ad famam, nam præter famam, & opinionem excellentiæ importat etiam teſtificationē, & manifeſtationem eiuſdem, & in ordine ad homines, qui exteriora potius reſpiciunt, quã interna, & interna dumtaxat, prout per exteriora manifeſtantur, pluris æſtimatur actus internus manifeſtatus per externum, quam purè internus, præcipuè ſi ſint in eodem genere.

SECTIO II.

An homo ſit Dominus ſuæ famæ, & honoris.

SVMMARIVM.

Homo eſt propriè dominus ſuæ famæ, & honoris. 1.
Infamare ſe ipſum non eſt ex genere ſuo peccatum lethale. 2.
Excipe niſi concurrant circumſtantiæ, quæ enumerantur. 3.
Perſona publica nequit ſe ipſum infamare, & quare. 4.
Cum poſſit homo condonare iniuriam factam in corpore, ſicuti læſionem factam in fama, cur dicatur Dominus iſtius, non illius. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 6.

BOna famæ, & honoris ſunt medium quid inter bona vitæ, & corporis, & inter bona fortunæ, cum eorundem obiectum non ita ſit internum homini poſſidenti, ſicuti eſt vita, & corpus, nec ita extrinſecum, ſicuti ſunt bona fortunæ, ſeu diuitiæ; ex quo fortaſſe fundamento *Caietanus 2.2. q.73. art.2.* ſentit hominem non eſſet dominum ſuæ famæ, & honoris, ſicuti non eſt ſuæ vitæ, & corporis, cum potius fama, & honor accedant ad bona vitæ, quam ad bona fortunæ.

Fama, & honor mediant inter bona vitæ, & bona fortunæ.

Potior ratio dubitandi meo videri conſiſtit in eo, quod ſupra dicebamus, quod fama, & honor conſiſtunt in actu interno, vel externo aliorum recognoſcentium, vel teſtificantium alterius excellentiam; nemo autem eſt Dominus alienorum actuum, cum non ſint ſub ipſius poteſtate. Nihilominus ſit

Aſſertio. Homo eſt propriè dominus ſuæ vitæ, & honoris *Sotus lib. 4. de iuſt.*, *& iur. q.2. art.3.*, *Adrianus in 4. q. de reſtit. circa fin.*, *Coaruuias lib. 2. var. c.2. n. 8.*, *Leſſius lib.2. de iuſt.*, *& iur. c. 4. dub. 11. & alij magis communitèr.* 1

Homo eſt propriè dominus ſuæ famæ, & honoris.

Ratio ex eo deducitur, quia ea, quæ homo acquirit proprio labore, & induſtria ſunt ſub ipſius hominis dominio; talia

Digitized by Google

talia ſunt honor, & fama, ergo ſunt ſub ipſius acquirentis dominio, & poteſtate. Maior patet exemplo diuitiarum, aliorumque bonorum temporalium. Minor probatur; tum quia honor, & fama non ſunt bona naturalia à Deo ingenita; tum quia ſunt bona nobis conuenientia ob virtutes ſtrenuè geſtas, & operationes inſignes, vndè merito ait Ariſtotiles: ***Honor eſt præmium virtutis.***

Probatur ſecundò, quia non militant rationes pro fama, & honore, quæ militant pro vita, & membris corporis, ergo, quantumuis homo nō ſit Dominus propriæ vitæ, & corporis, erit tamen propriè dominus ſuæ famæ, & honoris.

Non militant eædē rationes de fama, & honore, quæ militāt de vita, & corpore.

Antecedens probatur, quia prima ratio, ob quam ſtatuitur, quod homo non ſit Dominus propriæ vitæ, & membrorum corporis per ea, quæ infrà docebimus, eſt, quia dominium, tanquam pars iuſtitiæ commutatiuæ, ſeu tanquam obiectum ipſius debet eſſe ad alterum, adeòq; non poteſt eſſe relatiuum ad ſe ipſum, ſeu ad ea, quæ ſunt ſibi intrinſeca, ſed hæc ratio non militat quoad famam, & honorem, quandòquidem hæc ſunt bona externa diſtincta ab ipſo homine, ergo &c. Secūda ratio eſt, quia in Sacris Scripturis ſolus Deus dicitur Dñs humanæ vitæ, *Sapientiæ 16.*, ibi, *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*, Deuteronomij 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam*; nullibi autē in ſcripturis reperitur, quod Deus ſibi reſeruauerit dominium famæ, & honoris hominum. Tertia ratio eſt, quia homo non poteſt licitè de ſua vita, ſuiſque membris diſponere, prout docet *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5.*, contra errorem aliquorum quos refert *D. Auguſtinus de hæreſ., ad quod vult Deus, hæreſ. 69.*, qui Circumcelliones, ſeu, & alij volunt circuitores dicebantur, & ſtultè docebant opus magni meriti, ſpeciemq; martirij eſſe ſe ipſum interficere; ſed hæc ratio non militat quoad famam, & honorem, quandòquidem de illis poteſt homo licitè diſponere ſine vllius iniuria, nulliuſque læſo dominio, non ſecus, ac de opibus, ac diuitijs, & quandòq; eſt opus meritorium, nedum licitum ſe ipſum infamare, ergo &c.

Dices primò, in Sacris Scripturis præcipi vnicuique cuſtodiam ſuæ famæ, & honoris, vt habetur *ex illo Eccleſiaſtici 41* ***Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi***, ergo non poteſt homo illa prodigere, ſeu pro libertate de illis diſponere, ſicuti poteſt de opibus, & diuitijs: Sed contra, quia in primis, vt loquitur Molina in præcitato textu non tam eſt ſermo de honore habendo, quàm de eodem promerendo medijs operibus virtutum, ſicque non demandatur cura honoris ſeruandi, ſed conſulitur diligentia in vero honore, quem virtutes afferunt, acquirendo. Deindè, vt loquitur *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 4. dub. 11. nu. 59. verſ. contra obijcitur primo*, ibi præcipitur, quod non prodigatur, nec negligatur fama, quæ conſiſtit in bono nomine ſine iuſta ratione; hinc tamen non infertur, quod hic non ſit dominus propriæ famæ; ſicuti eidem non licet prodigere diuitias ſine iuſta ratione, ex quo tamen non ſequitur, quod non ſit Dominus ſuarum opum, & diuitiarum.

Quomodo intelligendus ſit textus *curam habe de bono nomine.*

Dices ſecundò, homo poteſt ſine peccato læthali prodigere diuitias, quia eſt eorum Dominus, ergo etiam, ſi eſſet Dominus propriæ famæ poſſet eandem prodigere ſine peccato læthali, ſed hoc dici non poteſt, ergo &c. Antecedens patet, quia prodigalitas ex genere ſuo eſt peccatum dumtaxat veniale. Subſumpta minor probatur, tum ex *Gloſa in c. ſi Sacerdotibus 15.*, vbi condemnantur de peccato mortali, qui ſe ipſos infamant; tum etiam ratione, quia homo magis tenetur diligere ſe ipſum, quam proximum, ergo magis tenetur cōſeruare famam propriā, quam alienam, ergo cum peccet læthaliter infamando proximum, multo magis peccabit læthaliter infamando ſe ipſum.

2 **Infamare ſe ipſum non eſt ex genere ſuo peccatum læthale.**

Sed contra; Fateor per ſe loquendo, quando alia non concurrunt poſſe hominem ſuam famam prodigere ſine peccato læthali, ſicuti poteſt prodigere propria bona fortunæ; nec obſtant ea, quæ ex aduerſo afferuntur; non primum, quia, ibi non damnantur de peccato mortali omnes, qui ſe ipſos infamant, ſed ibi tantum Gloſa loquitur, vt notat Salonius, de his, de quibus agit textus, nempè, de Epiſcopis, & Sacerdotibus, qui compulſi motu mortis ſubſcribebant hæreſi, & aliorum erroribus, ſicque ſe infamabant; hy vtique peccabant grauiſſimè; primò ratione hæreſis, cui ſubſcribebant, quamuis ipſam in animo non haberent; ſecundò ratione ſcandali, & cauſæ erroris, quam præbebant; tertiò, ratione infamiæ, quam cæteris inferebant, quatenus ipſi erant perſonæ publicæ, quarum fama erat ſubditis neceſſaria; non ſecundum, quia in primis certum non eſt, quod quis magis teneatur ſe ipſum diligere, quam proximum, ſi ea excipias, quæ ſunt neceſſaria ad æternam ſalutem. Deindè hoc etiam dato non ſequitur id, quod ex ipſo infertur propter diuerſam rationem inuoluntarietatis, & voluntarietatis, quæ in infamatione ſui, & infamatione alterius con-

3 **Excipe niſi concurrant circūſtantiæ, quæ enumerātur.**

Digitized by Google

conſurgit, nam qui infamat ſe ipſum, non infert ſibi iniuriam, quia vult, qui infamat alterum eidem propriè infert iniuriam, quia ad hoc non conſentit. Cæterū argumentū manifeſtam patitur inſtantiā in diuitijs, & bonis fortunæ; eodem enim modo dici poſſet, Homo magis tenetur diligere ſe, quam proximum, ergo magis tenetur conſeruare diuitias proprias, quā illas proximi, ergo, cum peccet læthaliter prodigendo diuitias proximi, multò magis prodigendo proprias, quod certè non eſt dicendum.

Aduertè, tamen hic, quod, dum dicitur infamare ſe ipſum eſſe dumtaxat peccatum veniale, hoc intelligendum ſit per ſe, & ratione malitiæ, quam dicit infamia ſui præcisè ſpectata. Cæterum per accidens, & ratione circumſtantiæ concurrentis facilè poteſt infamia ad malitiā læthalem inducere; ſic primò infamans ſe ipſum poteſt peccare læthaliter ratione periurij, quo ſibi falſa crimina imponat. Secundò ratione iactantiæ, & complacentiæ, ſi quam habet in peccatis, ſeu delictis, quibus ſe infamat. Tertiò ratione ſcandali, quo alijs præberet occaſionē peccandi; Quartò ratione connexionis famæ propriæ cum aliena, ratione cuius nequeat quis infamare ſe ipſum, niſi etiam infamet proximum. Quintò ratione periculi mortis, ſeu mutilationis membrorum ſecuturæ ex manifeſtatione delictorum, quibus quis ſe infamat, quod intellige de eo, qui ſe infamat manifeſtando falſa delicta; tunc etenim per talem falſam manifeſtationem cooperatur iniuſtæ morti, iniuſtæque mutilationi. Cęterum, qui verè eſſet reus alicuius delicti, ratione cuius mortem, aut mutilationem mereretur, licitè poſſet tale delictum manifeſtare Iudici, nec diceretur auctoritate propria cooperari ſuæ morti, ſed ſolum facere, vt ille, qui ratione delicti commiſſi habet iuſtam auctoritatem ipſum occidendi talem auctoritatem exerceret, in quo nullum eſt peccatum, ſicuti nullum eſſet peccatum in eo, qui ob bonum finem deſideraret ſibi mortem a Deo infligi. Ex quo patet, quam diuerſum ſit concurrere ad mortem propriam manifeſtando Iudici verum delictum, & concurrere ad eandem confitendo delictum falſum; In primo etenim caſu concurſus eſt ad mortem licitam, & iuſtè inflictam; in ſecundo eſt ad mortem illicitam, & à Iudice ſaltem materialitèr loquendo iniuſtè inflictam. Extra hos, & ſimiles caſus, qui ſe infamat, læthalitèr non peccat, & mendacium, quo ſibi imponit falſa delicta, venialem culpam non excedit, quia detrimentum infamiæ ad tale mendacium ſequens, cūm voluntarium ſit, eſt detrimentum leue.

Enumeratur circumſtantiæ, in quibus per accidens nō poteſt ſe ipſum quis infamare ſine peccato læthali.

4 *Perſona publica nequit ſe ipſam infamare, & quare.*

Solum hic oritur difficultas, an quando fama propria eſt neceſſaria, vt proximo præſtetur officium ei ſtricto iure debitum, qualis eſt fama perſonæ publicæ Epiſcopi, Parochi, & Abbatis, quæ neceſſaria eſt ad benè regendos ſubditos, peccet contra iuſtitiam, qui eandem prodigit ſe ipſum infamando. Probabilius eſt, quod ita peccet, non quia præcisè ſe ipſum infamet, ſed quia ex conſequenti ſe reddit ineptum ad ea munera exequenda erga ſubditos, ad quæ tenetur ex iuſtitia, prout videtur innuere *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 4. dub. 11. n. 60.*, quod idem aſſerit, quandò fama propria eſt connexa cum fama alterius, adeòut ad infamiam propriam conſequatur infamia aliena, quod etiam videtur innuiſſe *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 4. ad primum* dum ait *In cuiuſcunq; arbitrio eſſe pati detrimentum ſuæ famæ, niſi hoc vergat in detrimentum aliorum.*

Probatur tertio aſſertio auctoritate *D. Thomæ 2. 2. q. 64. art. 5. ad tertium*, vbi habet hæc expreſſa verba. *Homo licitè poteſt diſponere de ſe ipſo, quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam; ſed tranſitus de hac vita ad aliam non ſubiacet libero eius arbitrio*; ex quibus ſic arguo; ſed fama, & honor pertinent ad hanc vitam, nec important tranſitum ad aliam, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod etiam in hac vita poſſit diſponere homo de membro ſui corporis condonando mutilationem eiuſdem, nec tamen dici poſſit, quod ſit Dominus ſui membri, ſuique corporis, ergo etiam quantumuis poſſit diſponere de ſua fama, & honore condonando iniuriam in illis factam, non tamen poteſt inferri, quod ſit Dominus famæ, & honoris; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia qui condonat reſtitutionem faciendam pro membro non condonat reſtitutionem ipſius membri, vtpotè, quod irreparabile eſt, & ſi recuperari poſſet, non poſſet mutilatus in membro condonare reſtitutionem eiuſdem propter carentiam dominij ſupra membra. Mutilatus igitur condonat reſtitutionem faciendam in pecunia, alioque bono temporali propter damna, quæ conſecuta ſunt ad talem mutilationem, non ipſam mutilationem; ex alia parte, qui paſſus eſt detrimentum famæ condonat rationem famæ, adeòque fama ipſa eſt obiectum dominij, cuius non eſt obiectum mutilatio membri.

5 *Cur dicitur Dominus ſuæ famæ, & nō corporis, cum iniuriam factā in vtroq; poſſit condonare.*

Dices, gratis omninò dici famam ipſam eſſe obiectum dominij reſpectu eius, qui habet talem famam, quandoquidem

fama

fama eſt bonum commune aſſerente D. *Auguſtino de bono viduit, c. 22. Fama propter nos eſt, non propter nos; ſed propter alios; nobis neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra.* Rurſus *Conſcientia noſtra eſt neceſſaria nobis, fama proximis, & proindè crudelis eſt, qui famam negligit;* nulla autem perſona priuata habet dominium boni communis. Sed contrà, fama noſtra non eſt ſecundum ſe bonum commune, niſi ad ſummum per accidens ratione conſequẽtium, nempè ſcandalorum, quæ indè obuenire poſſunt ob profuſionem ejuſdem famę, ſicque Auguſtinus allatis verbis intendit ad ſummum damnare eos, qui contenti propriæ conſcientię teſtimonio exterius faciunt opera, quæ, quia ſpeciem mali habent, alijs ſcandalo, & offendiculo ſunt.

6 **Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.** Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur ex Caietano, & alijs in principio prænotionis, dicendum eſt gratis omninò dici bona famæ, & honoris proprius accedere ad bona vitæ, & corporis, quam ad bona fortunæ; gratis inquam, quia bona famæ, & honoris non ſunt bona ingenita, ſicuti ſunt bona vitæ, & corporis, adeòque quoad hoc potiùs accedunt ad bona fortunæ; rurſus bona famæ, & honoris ſunt extrinſeca poſſidenti, & aliud quid ab ipſo, ſicque poteſt eſſe relatio ad ipſa, quæ non poteſt eſſe eiuſdem ad ſe ipſum. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, quod, quamuis fama, & honor ſint in actu interno, vel externo aliorum recognoſcentium, & teſtificantium alterius excellentiam, fundamentum tamen talis actus interni, & externi ſit in eodem habente talem de ſe bonam famam, & honorem, excellentiam ſcilicèt illam, quam acquiſiuit proprijs meritis per virtutes, quas exercuit, & actiones ſtrenuas, quas exhibuit, ratione cuius excellentię poſſidet bonum nomen, & famam, & ius habet detinendi, & proptereà, ſi ab alio detrahantur per alium, vel per contumeliam, vel per detractionem, ius habet ad compenſationem.

SECTIO III.

De præcipuis vitijs, ob quæ contingit læſio in bonis famæ, & honoris.

SVMMARIVM.

Quomodò detractio, & contumelia inter ſe differant. 1.

Detractionis vera, & germana definitio. 2.

Quid propriè ſit contumelia. 3.

Contumelia non ſolum verbis, ſed etiam ſignis exterioribus committitur. 4.

Quomodo differunt contumelia, conuicium, & improperium. 5.

Per quid fiat contumelia ſignis exterioribus. 6.

Quid ſit ſuſurratio, deriſio &c. 7.

Diſcrimina inter detractionem, & contumeliam ratione modi, & finis. 8.

Probabiliùs detractio, & contumelia ſunt in ſpecie morali diuerſa peccati 9.

Peccatum contumeliæ, & detractionis formaliter ſumpta ſunt ex genere ſuo lethalia. 10.

Si proueniunt ex quadam loquacitate non ſunt lethalia. 11.

Ratione materiæ leuis, & conſiderationis poſſunt eſſe venialia. 12.

Comparando ad inuicem contumeliam, & detractionem grauiùs peccatum eſt contumelia, quam detractio, comparando verò eadẽ ad alia peccata iniuſtitiæ, ſunt grauiùs peccatum furto, & rapina, minus homicidio, & adulterio. 13.

Detractio fit octo modis, quatuor directè, quatuor indirectè, & quomodo. 14.

Quomodo peccent audientes. 15.

Suſurratio, & detractio non differunt ratione materiæ, & forma, ſed tantum ratione finis; eſt grauior ſuſurratio, quam detractio. 16.

Excuſat à reſtitutione famæ ob delictum occultum manifeſtatum, quando facta eſt manifeſtatio ad grauia damna imminentia euitanda ipſi manifeſtanti. 17.

Si ſecretum vergat in aliorum perniciem licitum eſt illud detegere ad vitandum alijs illud damnum. 18.

Si illud ſecretum vergat tantum in operantis damnum poteſt illud habens ſecretum, quantumuis immineat ipſi delinquenti periculum mortis, illud detegere ad vitanda damna propria. 19.

Habens ſecretum Principis, Reipublicæ, vel exercitus, quod vergat ſolummodo in vtilitatem eorundem, non poteſt illud detegere etiam ad euitanda tormenta. 20.

Quando ſecretum vergeret in aliorum damnũ licitum eſt illud detegere. 21.

Ad euitanda tormenta poteſt quis ſecretum manifeſtare, quantumuis alteri mors immineret. 22.

Quãtumuis quis nouerit ſecretum per vim, vel fraudem poteſt illud ad euitanda propria tormenta detegere. 23.

An falſum crimen imponens alteri vi tormentorũ peccet læthalitèr, ſententia negatiua. 24.

Sententia affirmatiua. 25.

Sententia media. 26.

Probabiliùs peccat lethalitèr. 27.

Manifeſtatio criminis neceſſaria ad impediendum graue alterius damnum non eſt peccaminoſa. 28.

Si fiat manifeſtatio criminis, quando aliter poteſt damnum alterius euitari, vel cogno-

ſcitur

Google

ſcitur manifeſtatio non profutura, eſt peccaminoſa contra iuſtitiam. 29.

Licet manifeſtare delictum alterius in ipſius delinquentis vtilitatem. 30.

Etiam quando ordinata eſt ad tollendas inualiditates, & vitanda peccata. 31.

Excuſat etiam à peccato in tali manifeſtatione præceptum Superioris Eccleſiaſtici. 32.

Licitum eſt detegere aliorum ſimulationes, quãdo vergunt in aliorum damnum. 33.

Quando non vergit illa ſimulatio in aliorum damnum, iniuſtè quis illam detegit. 34.

Non licet detegere crimen occultum alterius vni, vel alteri perſonæ graui, etiam ſi nullũ ſit periculum, quod alijs manifeſtabunt. 35.

In confeſſione manifeſtandum eſt proprium peccatum cum circumſtantijs mutantibus ſpeciem, quantumuis ex illo manifeſtetur complex. 36.

SIcuti fama, & honor ſunt bona quoquo modo inter ſe diſtincta, licet vnũ radicetur in alio tamquam in ſuo fundamento, ita vitia, quæ eiſdem opponuntur ſunt quoquo modo inter ſe diſtincta; huiuſmodi ſunt detractio, & contumelia, ità vt detractio directè famæ opponatur, contumelia verò honori; nec incongrua ratione fit hæc comparatio per talem oppoſitionem, quandoquidem, ſicuti fama eſt in alijs habentibus bonam opinionem de altero licet abſentibus, ità detractio, quæ eidem opponitur fit occultè, & in abſentia, & ſicuti honor non exhibetur niſi præſenti per teſtificationem eius excellentiæ, vel abſenti, tamquam præſenti; ità contumelia, quæ eidem aduerſatur non fit niſi præſenti, vel abſenti, tanquam præſenti.

I Quomodo detractio, & cõtumelia inter ſe differant.

De huiuſmodi vitijs latè erit ſermo ſub hoc titulo, & primò hic inquiremus, quid ſit propriè detractio, & quid contumelia; ſecundò quomodò inter ſe differant. Tertiò, qualia ſint peccata, & an vnum ſit grauius altero. Quartò, an, & quomodo inter ſe differant conuitium, ſeu contumelia, detractio, ſuſurratio, & deriſio. Quintò, quot modis poſſit contingere detractio. Sextò, an peccatum detractionis afficiat ſolummodò detrahentes, an etiam auditores. Septimò, an, & in quibus caſibus excuſetur, ſeu excuſari poſſit à crimine detractionis, qui alterius graue delictum manifeſtat. Octauò, an peccet peccato detractionis, qui infamat eum, qui virtutes ſimulat. Nonò, an reuelans crimen proximi vni, vel alteri, quos ſcit tacituros, lethalitèr peccet. Decimò, an propriè detrahat, qui crimen proximi, quod publicum eſt in aliqua Ciuitate, alibi manifeſtet, vbi ignoratur, & alia huiuſmodi.

Articuli examinandi circa præſentem titulum.

Aſſertio I. Detractio eſt alienæ famæ occulta, & iniuſta violatio. Colligitur *ex D. Thoma 2. 2. q. 73. art. 1., & ibi Caietanus* atque ſic ſentiunt *Bartholomæus Medina in ſumma lib. 1. c. 14. §. 35., Silueſter verb. detractio, Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 2. n. 6., & alij communitèr*.

2 Definitio propria detractionis.

Probatur, & explicatur. Dicitur *occulta, & iniuſta violatio* per quas particulas plura indicantur, & primò per ly *violatio* importatur læſio, ſeu denigratio boni nominis, quod quis habet ex ſpeciali excellentia acquiſita per inſignes actiones, & præclarè res geſtas, ſecundò per ly *occulta* importatur ſpecialis differentia detractionis a contumelia, quandòquidem detractio fit occultè, vt colligitur ex illo Eccleſiaſtici 12. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihilominus habet, qui occultè detrahit*; contumelia autem palam; vt infrà explicabitur. Dicitur etiam *occulta* non ad indicandum, quod detractio debeat eſſe talis, vt non poſſit probari, quandòquidem poteſt fieri coram pluribus, & fortè etiam aliqua communitate audiente, ſed ad indicandum, quod non debeat eſſe præſente eo, cui detrahit. Dicitur *alienæ famæ* per quas particulas duo etiã indicantur; alterum, quod propriæ famæ non ſit detractio; vndè infamans ſe ipſum non dicitur propriè ſibi detrahere; alterum, quod detractio directè, & immediatè verſetur circa famam, non circa honorem.

Explicatio definitionis per ſuas particulas.

Aſſertio II. Contumelia benè definitur per hoc *quod ſit alieni honoris manifeſta, & iniuſta violatio*. Conſentiunt in hoc omnes ferè DD., & præcipuè *D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 1., & ibi Caietanus, Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 2. n. 7.*

3 Quid ſit propriè contumelia

Definitio innoteſcit ex diſcuſſione particularum, iuxtà ea, quæ dicta ſunt ex præcedenti explicatione definitionis detractionis; mutatis præciſè illis particulis, *manifeſta, & alieni honoris*; ly autem, *manifeſta*, non importat præciſè, quod dehonoratio fieri debeat coram pluribus, ſed quod fieri debeat coram eo, cuius fit inhonoratio; ly autem *alieni honoris* importat obiectum magis directum, & immediatum eiuſdem contumeliæ, quod eſt honor, non præciſè fama; ſicuti enim honor fit per teſtificationem excellentiæ, ità dehonoratio, ſeu contumelia fit per oppoſitum tali teſtificationi.

Explicatur definitio.

Circa hanc contumeliæ definitionem, duo cõtrouertũtur apud DD., & primò, an contumelia ſolum committatur verbis an etiam alijs ſignis exterioribus. Secundò, an inuoluat etiam conuicium, improperium, & irriſionem; & quidem quoad

Digitized by Google

quoad primum ſpecialitèr diſputat *D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 1.*, vbi videtur concludere, quod licèt ſpecialius iuxtà vſitatum modum fiat per verba, nihilominus etiam committatur per alia ſigna exteriora; quod verum crediderim, quia non ſolum verba apta ſunt ad inhonorandum, ſed etiam ſigna exteriora, & quidem quoad verba, quod proprius conſiſtat contumelia in ipſis, clarè liquet ex nominis ipſa ethimologia, vt ex *D. Iſidoro lib. 10. ethimol. c. 3., quod incipit clarus parum ante medium*, qua contumelioſus dicitur aliquis, *qui velox eſt, & tumet verbis iniuriæ*, quoad ſigna verò exteriora ex eo liquet, quod apta ſint ſignificare, habentque vim verborum ſignificantium; vndè ſuper illud *ad Roman. 1.* Contumelioſos, ſuperbos, dicit gloſa, quod contumelioſi ſunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt. Quoad ſecundum hoc in primis aduerto, DD. diſcrimen aliquod cognoſcere inter contumeliam, conuitium, & improperium; nam contumelia eſt dehonoratio palam verbis facta importantibus culpam, vt cum quis alium præſentem dicit furem, adulterum &c. Conuitium verò importat dehonorationem palam factam alterius etiam circa defectum non importantem culpam, vt ſi quis dicatur, cæcus ortus ex Iudæis &c. prout habetur *in l. ſi non conuitij C. de iniurijs*. Improperium importat dehonorationem per commemorationem beneficij tempore egeſtatis collati. Porrò, ſiue fuerit contumelia, ſiue conuitium, ſiue improperium, ſi referantur ad Deum, vel ad Sanctos induunt nouam rationem blaſphæmiæ vitij exormioris ratione obiecti ſummè perfecti, ad quod diriguntur. Quamuis autem inter ſe diſcrimen aliquod patiantur arbitror, contineri ſub generali definitione contumeliæ mox poſita, quandoquidem quomodocunq; ſeu quocunque ex his modis fiat inhonoratio, ſemper fit manifeſtè violatio alieni honoris, quæ violatio æquè inſurgit, ſiue opponatur inhonorato malum culpæ, ſiue malum pœnæ, ſiue aliqua præcedens egeſtas, ſeu neceſſitas.

4 Cõtumelia nõ ſolũ verbis, ſed etiam ſignis exterioribus cõmittitur.

5 Quomodo differant contumelia, conuiciũ, & improperium.

Continẽtur tamen ſub eadẽ definitione.

Ex eo autem, quod dixerimus contumeliam poſſe contingere non ſolum verbis, ſed etiam factis, aut alijs ſignis exterioribus explicandum remanet in particulari, in quonam potiſſimum conſiſtant hæc facta, ſeu ſigna exteriora, ex quibus cooaleſcit contumelia; & primò quoad ſigna connumeratur primò ſuſurratio, per quam aliquo modo ſignificatur inordinata mali culpæ alienæ, vel pœnæ, vel defectus naturæ expreſſio facta ſignis; differt tamen aliquo modo à contumelia per ordinem ad finem, quandoquidem contumelia eſt in ordine ad læſionem honoris, ſuſurratio verò ſecundum propriam, & rigoroſam ſuam acceptionem ordinatur ad læſionem amicitiæ, prout notat *D. Thomas 2. 2. q. 74. art. 1.*, connumeratur ſecundò deriſio, quæ nihil aliud eſt, quam ſignificatio etiam per ſigna inordinata mali culpæ, vel pœnæ, vel defectus naturæ ad inijciendam erubeſcentiam, prout notat *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 1., & 2.*, in qua deriſione eo maior eſt culpa, quo dignior eſt perſona, quæ deridetur, & minus debet derideri; Quare maxima eſt Dei, Sanctorum, & rerum ei ſacrarum irriſio, prout habetur *Iſaiæ 27.*, ſed hæc eſt etiam blaſphæmia; Huic proxima eſt deriſio parentum, *Proverb. 30.*, & huic accedit illa bonorum, & iuſtorum *Ioannis 12.* Quoad facta verò contumelia conſurgit ex occiſione, ex vulnere, ex alapha, & ſimilibus.

6 Per quid fiat contumelia ſignis exterioribus

7 Quid ſit ſuſurratio, deriſio &c.

Aſſertio III. Duo potiſſimùm diſcrimina intercedunt inter contumeliam, & detractionem, quorum alterum eſt ratione modi, quo fit læſio, alterum in ordine ad obiectum. Conſentiunt in hoc communitèr DD. *D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 1.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 2. n. 7.*, *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. n. 63.*, *Nauarrus in Manual. c. 18.*

8 Diſcrimina inter contumeliam, & detractiõnẽ ratione modi, & finis.

Explicatio horum diſcriminum patet ex ſuperius dictis, & conſiſtit in eo, quod contumelia fit eo præſente, & audiente, cui per dictum, vel factum detrahitur de honore; detractio verò eo abſente, & ignorante; Rurſus detractio eſt de fama, contumelia verò de honore; contingere tamen poteſt, vt contumelia etiã fit abſente eo, de cuius honore detrahitur, vt optimè conſiderat *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. n. 63.*, ſed licet inhonoratio illa fiat abſenti, fit tamen abſenti, tanquam præſenti, quatenus contumelioſus id præſtat ſemper eo animo, vt in notitiam inhonorati deueniat, quod non intercedit in detractione, quæ ſolum, ſeu per quam ſolum detractor intendit famã lædere, & ita non vult, vt in eius notitiam deueniat.

Aſſertio IV. Probabilius eſt detractionem, & contumeliam, ſi ſecundum ſe præciſè ſumantur, conſtituere in genere moris diuerſa in ſpetie peccata. Ità ſentire videtur *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. ad 1.*, vbi comparat detractionem in ordine ad bona famæ ad furtum in ordine ad bona fortunæ, ſicuti contumeliã in ordine ad bona honoris ad rapinã in ordine ad eadẽ bona fortunæ, ſed ex *eodem, D. Thoma 2. 2. q. 66. art. 9.*, furtum, & rapina conſtituunt diuerſa in ſpecie peccata, ergo &c.

9 Probabilius contumelia, & detractio conſtituũt in genere moris diuerſa peccata in ſpecie.

T Ratio

Digitized by Google

Ratio ex eo deducitur primò, quia ex diuerſo principio, & motiuo oritur contumelia, & detractio, ſi quidem contumelia oritur ex ira, detractio autem ex inuidia, *teſte D. Gregorio lib.31. moral.c.31. circa medium*, ergo contumelia, & detractio ſecundum ſe conſideratę conſtituunt diuerſa in ſpecie peccata. Conſequentia probatur, quia peccata, quæ ſunt affecta diuerſo in ſpecie fine, ſunt ſecundum ſe diuerſa in ſpecie, ergo &c.

Ex diuerſo principio proueniunt.

Secundò ex *D. Thoma 2. 2. q.73. art. 3. ad 2.*, vbi ſic legitur *grauius peccatum eſt contumelia, quàm detractio, in quantum habet maiorem contemptum proximi*, ſed ex eo, quod per manifeſtam actionem furtiuam præſente Domino maior læſio fiat Domino in rapina, ac fiat eidem per ſimplex furtum arguitur diuerſum in ſpecie peccatum in rapina ab illo, quod eſt in furto, quod fit per occultam ablationem, ergo ex eo, quod fiat maior contemptus per manifeſtam actionem in contumelia, ac fiat per occultam in detractione diuerſũ in ſpecie peccatum in illa inferretur ab illo, quod eſt in iſta, quæ fit per occultam violationem.

Ratio ex D Thoma deducta.

Tertiò, quia honor, & fama, quantumuis verſentur circa eandem excellentiam, ex modo tamen diuerſo, quo in illũ tendunt, in ſpecie differunt, ſiquidem fama eſt opinio virtutis, ſapientiæ, & rerũ præclarè geſtarum alterius, honor autem eſt teſtimonium excellentiæ; rurſus fama conſiſtit in interna opinione, honor autem conſiſtit in externa ſignificatione æſtimationis de excellentia alterius, & ſubmiſſionis, quam alteri exhibemus; interna autem opinio, & externa ſignificatio ſecundum ſe ſpecie differunt, ergo etiam contumelia, & detractio eiſdem oppoſita erunt in ſpecie diuerſa.

Differunt in modo.

Quartò, quia peccatum contumeliæ, & detractionis vt potè contra iuſtitiam deſumuntur per ordinem ad inuoluntarietatem, quæ eſt in perſona læſa, ſicuti ſuperiùs diximus de peccatis furti, & rapinæ in ordine ad bona fortunæ, ſed inuoluntarietas, quæ eſt in detractione eſt per ignorantiam, ea verò, quæ eſt in contumelia, eſt per vim, quæ ſecundum ſe in ſpecie differunt, ergo &c.

Diuerſa eſt inuoluntarietas.

10 Sunt ex genere ſuo læthalia.

Aſſertio V. Peccatum contumeliæ, & detractionis formalitèr ſumptum eſt ex genere ſuo mortiferum. Conſentit *D.Thomas 2.2.q.73. art.2. in corpore, Leſſius lib. 2. de iuſt.; & iur.c. 11. dub. 3.n. 10., Caietanus in ſumma verb. contumelia, Silueſter verb. contumelia q. 2.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia ex ſuprædictis furtum, & rapina ſunt peccatum ex genere ſuo mortiferum, ergo à fortiori erit ex genere ſuo mortiferum contumelia, & detractio. Conſequentia probatur, quia ex genere ſuo eo peccatũ eſt grauius, quo obiectum, quod læditur eſt ſuperioris, & perfectioris ordinis, ſed longè ſuperioris, & perfectioris ordinis ſunt bona famæ, & honoris, ac ſint bona fortunæ, ergo ſi peccatum contra bona fortunæ per furtum, & rapinam eſt ex genere ſuo læthale, à fortiori erit læthale peccatum contra bona famæ, & honoris per contumeliam, & detractionē.

Euincitur paritate furti, & rapinæ.

Secundò, quia peccatum homicidij eſt ex genere ſuo læthale, grauius peccato furti, quia illud eſt contra bona ſuperioris ordinis, nempè contra bona vitę, ergo peccatum contumeliæ, & detractionis erit etiam ex genere ſuo læthale, & grauius, quia eſt de bonis famæ, & honoris; quæ ſunt ſuperioris ordinis ad bona fortunæ; ſi enim illud, quod eſt inferioris ordinis eſt ex genere ſuo mortiferum, non video, cur id, quod eſt ſuperioris ordinis, non debeat eſſe tale.

11 Si proueniant ex quadam loquacitate non videntur læthalia.

Dixi *formalitèr ſumptum*, quatenus ſcilicet contumelia, & detractio facta fuerint animo, & intentione lædendi, ſeu denigrandi alterius famam, & honorem, nam ſi non fiant animo lædendi alterius famam, & honorem, ſed ex quadam loquacitate propallentur alterius delicta, & defectus, tunc non erunt tales, niſi materialitèr, & non ex genere ſuo peccatum læthale, ſed dumtaxat ratione materiæ, circa quam verſantur; hocq; inſinuat *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 2. in corp.* illis verbis; *Contingit tamen quandoque, quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alterius, non hoc intendens, ſed aliquid aliud, hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formalitèr loquendo, ſed ſolum materialitèr, & quaſi per accidens*, & nonnullis interiectis, ſubdit. *Si autem proferat ex animi leuitate, vel propter aliquam cauſam non neceſſariam non eſt peccatum mortale, niſi fortè verbum, quod dicitur, ſit adeo graue, quod notabilitèr famam eius lædat.*

Quod ſi inquiras, cur, quando detractio, & contumelia fit ex quadam loquacitate, & animi leuitate ſine animo lædendi alterius famam, & honorem, non dicatur peccatum læthale ex genere ſuo, ſed tantum ratione materiæ, circa quam verſatur, cum tamen dicatur ex genere ſuo læthale, quando fit animo, & intentione lædendi, licet etiam, ſi ſit circa materiam leuem, & non notabilem, ſit tantum leue; vt mox inſinuabimus? Dicendum eſt, hoc prouenire ex eo, quod licet peccata iniuſtitiæ formalitèr, vt talia deſumãtur pænes inuoluntarietatem, quę eſt in perſona læſa, vt tamen ſunt pecca-

Poſſunt tamen eſſe læthalia ratione materiæ.

ta

Digitized by Google

ta deſumuntur ex voluntarietate, quæ eſt in lædente, cum peccatum non ſit, vbi non eſt voluntarium; cùm autem non ſit propriè voluntas lædendi, quando detractio fit ſolummodo ex quadam loquacitate, & animi leuitate, fit, vt ſolum rationem malitiæ contrahat ex materia, circa quã verſatur, & licet ſit aliqua voluntarietas in tali locutione, cum ſine eadem non eſſet peccatum, non eſt tamen voluntarietas ad illam læſionem, licet conſequatur, adeoq; &c.

Dixi *ex genere ſuo*; non enim negauerim, quod ratione materiæ leuis, & incõſiderationis, ſeu indeliberationis in lædente poſſit eſſe peccatum dumtaxat veniale; ſic primò non eſt, niſi veniale, ſi defectus veniales proximorum quis en-

12 narret, vt docent *D. Antonius part. 2. tit. 8. c. 4.*, *Silueſter verb. detract. 2.*, quia ſecundum ſe non eſt læſio conſiderabilis, niſi fortè attingat perſonam, reſpectu cuius ille defectus reputaretur grauis, cum in alijs non eſſet, niſi leuis, vt ſi de perſona graui, & Religioſa, quis diceret eſſe mendacem, & in hoc attendenda ſunt ea, quæ dicta ſunt in præcedentibus, dum de furto, quod ſcilicet id, quod reſpectu vnius non eſt, niſi leue, reſpectu alterius ſit graue attenta qualitate perſonarum, quæ, ſi verificantur in ordine ad furtum, non video, cur verificari non debeant in ordine ad contumeliam, & detractionem. Secundò, ſi propallentur defectus naturales alicuius, ſiue animi, ſiue corporis, vt ſi quis dixerit alterum eſſe leuis armaturæ, parui ingenij, & iudicij, vel dicatur eſſe cæcum, giboſum &c., vel natum illegitimè &c., vt docent *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. n. 307.*, *Nauarrus in Manual. c. 18. n. 24.* Excipe tamen in caſu, quo hæc in faciem perſonæ honoratæ per modum conuitij, & contumeliæ obijcerentur, quia ex modo grauitèr læderetur. Tertiò, ſi obijciantur, ſeu propallentur de aliqua perſona delicta ſecundum ſe grauia; quæ tamen attento ſtatu talis perſonæ graui ignominia ipſum non afficiũt, vt ſi dicatur de milite ſtrenuò duellum commiſiſſe, de adoleſcente diuite, quod ſit prodigus, & fæminas concupiſcat, & ſimilia. Ratione verò indeliberationis poteſt peccatum ex genere ſuo læthale eſſe dumtaxat veniale deficiente plena libertate in ipſo detrahente, ſeu contumeliam committente &c.

Ratione materiæ leuis, & indeliberationis poſſunt eſſe venialia.

13 Aſſertio VI. Comparando ad inuicem contumeliam, & detractionem grauius peccatum eſt ex genere ſuo contumelia, quam ſit detractio; comparando verò contumeliam, & detractionem ad alia peccata in genere iniuſtitiæ ſunt grauius peccatum furto, & rapina, minus homicidio, & adulterio. Conſentit expreſsè *D. Thomas 2. 2. quæſt. 73. art. 3. tam in corpore tum ad ſecundum*, *Leſſius lib. 2. de iuſt.*, *& iur. c. 11. dub. 3. num. 10.*

Cõtumelia eſt grauior detractione, vtraq; grauior furto, & rapina, minor homicidio, & adulterio.

Ratio primæ partis deducitur *ex D. Thoma q. 73. art. 3. ad ſecundum*, vbi quoad grauitatem delicti comparat contumeliam ad rapinam, detractionem verò ad furtum, ſed *ex eodem D. Thoma 2. 2. q. 66. art. 9.* rapina eſt grauius delictum furto, ergo ex eodem, & contumelia eſt grauius delictũ detractione; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod in ordine ad læſionem grauior videatur detractio, quam contumelia tàm in ordine ad ipſam perſonam læſam, quàm in ordine ad audientes ea, quæ per contumeliam obijciuntur, in ordine quidem ad perſonam læſam, quia contumeliam poteſt ipſe repellere, non ſic detractionem latentem; in ordine item ad audientes, quia, cum contumelia, vt plurimùm procedat ex ira, non ità facilè inducit credulitatem eorum, quæ obijciuntur in audientibus, cum potius attribuant iræ, quam veritati obiectorum; Non, inquam, obeſſe poteſt; non id, quod inducitur ex primò capite, quia in primis hac ratione grauius etiam eſſet furtum, quam rapina, quandoquidem cum rapina fiat eo præſente, aduerſus quem fit, poſſet eam repellere. Deinde non eſt in ipſius poteſtate eam repellere, cum verbis contumelioſis prolatis inhonoratio immediatè ſequatur tum apud ipſum læſum, tum apud audientes; non id, quod inducitur ex ſecundo capite, quia, quantum eſt ex ſe, contumelia quantumuis ex ira procedat, apta eſt ad grauius lædendum, quia vltra læſionem famę importat vim quandam, qua dehonoratur per conuicia; quod ſi deinde per audientes attribuatur iræ loquentis, non veritati obiectorum, hoc omninò per accidens eſt, non natura contumeliæ.

Ratio aſſerti.

Solutio inſtantiæ propoſitæ.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia eo grauius eſt delictum, quo nobilius eſt obiectum, ſeu ſuperioris ordinis, quod læditur, ſed fama, & honor, quæ lędũtur per detractionem, & contumeliam ſunt obiectum nobilius, & ſuperioris ordinis ad bona fortunæ, & ordinis inferioris ad bona vitæ, & corporis, quæ læduntur per homicidium, & mutilationem, ergo detractio, & contumelia grauius peccatum continent ex genere ſuo, quam furtum, & rapina, & leuius in ordine ad homicidium, & mutilationem. Hoc eodem argumento vtitur *D. Thomas 2. 2. quæſt. 73. art. 3. in corpore* ad probandum contumeliam, & detractionem eſſe leuiora in genere peccati comparatiuè ad adulterium,

Bona fortunæ ſunt inferioris ordinis ad bona famæ.

T 2 quan-

Digitized by Google

quandoquidem, ſicuti peccata, quæ ſunt contra bona vitæ, ſunt grauiora peccatis, quæ ſunt contra bona famæ, & honoris; & per conſequens grauius homicidium, quam contumelia, & detractio, ita grauius eſt peccatum illud, quod eſt contra debitum ordinem generationis humanæ; per quam eſt introitus ad vitam, quam illud, quod eſt contra honorem, & famam. Quoad hoc magnam etiam vim habet ratio, quam adducit *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11, dub. 3 num. 10. in fin.*, quod ſcilicet adulterium triplicem habeat malitiam, nempè contra bonum prolis, contra ſanctitatem Sacramenti, & contra ius coniugis.

Per accidens furtū poteſt eſſe grauius detractione. Dixi, *ex genere ſuo*, nam quandoque ratione alicuius circumſtantiæ poteſt contingere, quod furtum ſit maius peccatum detractione, & contumelia, & contumelia, & detractio grauius, quam adulteriū; ſic grauius eſt furtum ſi fiat læſio in notabili quantitate, & detractio in leui noxa imputata; deindè grauius eſt peccatum infamatio in re graui Prælati Eccleſiaſtici, quàm ſit adulterium ob conſequentia, quæ inde obuenire poſſunt.

Soluūtur rationes oppoſitæ. Neque aduerſus ea, quæ dicta ſunt de detractione, & contumelia comparatiuè ad homicidium obeſſe poſſunt ea, quæ ſibi obijcit *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3.* nempè quod grauius ſit occidere animam, quam occidere corpus, ſed per detractionem anima occiditur, per homicidium corpus, ergo grauius eſt peccatum detractio, quam ſit homicidium. Minor probatur ex illo *Pſalmi 108. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi*, vbi Gloſa ſubdit *plus nocent in membris detrahentes Chriſto, quia animas creditorum interficiunt, quam qui eius carnem mox reſurrecturam peremerunt*. Secundò, quia detractores dicuntur homicidæ, vt ex prima Ioannis 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, quod idem habetur in textu canonico *c. homicidiorum de pænit. diſt. 1.*, vbi dicuntur detractores homicidæ; Non, inquam obeſſe poſſunt non primum, quia vt benè reſpondet *D. Thomas loc. cit. ad primum* in allegato textu, & Gloſa non eſt ſermo de ſimplici detractione, ſed de blaſphæmia, quatenus illi, qui dicuntur detrahere Chriſto in membris eius impediebant fidem membrorum ipſius, & per conſequens derogabant eius Diuinitati, cui fides innititur. Non ſecundum, quia detrahentes non dicuntur homicidæ, niſi ſecundum quandam analogiam, & ſimilitudinem, non propriè, & formaliter. Secundò, dicuntur tantum tales occaſionalitèr, quatenus per detractionem occaſionem tribuunt, vt alij proximum odio habeant, & contemnant, & fortè occidant.

14 Modi, quibus fit detractio. Aſſertio VII. Detractio octo potiſſimùm modis poteſt contingere; quatuor directè, quatuor indirectè. *D. Thomas 2. 2. q. 73 art. 1. ad tertium Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 2. num. 8., & alij communitèr.*

Per impoſitionē falſi. Per amplificationem criminis. Per manifeſtationē criminis occulti. Per ſiniſtrā interpretationem. Primi quatuor modi detrahendi ſunt primum per impoſitionem falſi criminis alteri. Secundò, per amplificationem criminis veri. Tertiò, per manifeſtationem criminis occulti. Quartò, per ſiniſtram facti alterius interpretationem. Circa primum modum nulli dubium eſt, quod expreſſa fiat detractio, quandoquidem per tale crimen iniuſtè impoſitum violatur ipſius bona fama; & læditur bonum nomen; circa ſecundum etiam non poteſt eſſe ratio dubitandi, quia illa amplificatio criminis quantumuis veri non poteſt eſſe, niſi cum detrimento ſaltem in parte famæ illius, cuius crimen amplificatur; nam crimen illud verum eſt, & notum, vel verum, & nō notū, vel nec verum, nec notum; ſi crimen illud verum eſt, & notum non eſt quidem denigratio famæ alterius quoad reuelationem eiuſdem criminis, ſed quoad eam partem, in quo fit amplificatio, ſecundum quam ſaltem circunſtantiæ augentur, quæ re vera non ſunt, & illa amplificatio diuerſum ingerit conceptum in audientibus ab eo, quem res ipſa, ſeu crimen importat; ſi verum eſt, non tamen notum, iam non ſolum certum eſt, quod detrahat manifeſtando delictum non notum, ſed etiam amplificando ſupra id, quod verum eſt; ſi nec verum, nec notum; iam ex omni capite committitur detractio, tum imponendo, quod verum non eſt, & eſt ſecundum ſe læſiuum famæ, tum manifeſtando, quod ſecretum eſt, tum ampliando ſupra id, quod eſt; Circa tertium modum non poteſt etiam eſſe difficultas, quia quandiù delictum occultum eſt, delinquens ius habet, vt delictum illud non propalletur, cum ex eo, quod deliquerit, non amiſerit ius in propriam famam. Circa tandem quartum modum clarè liquet, quia per ſiniſtram illam interpretationem facit apparere crimen, quod re vera non eſt, ac proindè perinde eſt, ac ſi manifeſtetur delictum non verum. Hoc tamen vnum aduertendum eſt; quod ſi in animum aliorum per illam falſam, & ſiniſtram interpretationem falſam opinionem ingeſſerit, propriè detractionem commiſerit; ſi verò in animo ſuo detinuerit, nonniſi iudicium temerarium conceperit.

Secundi quatuor modi detrahendi indirectè ſunt, primò per negationem dotium, & rectè geſtorum alterius. Secundò, per extenuationem eorundem. Tertiò

Digitized by Google

Enumerā-tur qua-tuor modi indirecti, & expli-cantur.

tiò per taciturnitatem benè geſtorum alterius pro eo tempore, & loco, quo ipſa taciturnitas interprætabitur pro tacita vituperatione. Quartò, per ſimulatam, & frigidam laudationem, vt cum quis ſimulat ſe velle laudare, & tamen nihil dignum laude affert; circa primum hunc modum detrahendi indirectè vix poteſt eſſe ratio dubitandi, quia, quantumuis daretur, quod non eſſet peccatum detractionis reticere alterius rectè facta, eſt tamen expreſſa detractio tollere per negationem alteri, quod ipſius proprium eſt, eidemq; debitum ratione præclarè geſti; & in hoc idem arbitror, eſſe negare, quod verè eſt, & aſſerere, quod verè non eſt; circa ſecundum modum, etiam clarè liquet ex præactis, quandoquidem, ſicuti per amplificationem delicti læditur eius fama, in cuius damnum fit amplificatio, ita per extenuationem præclarè geſti fama, quæ rectè operanti debetur, extenuatur, & læditur; circa tertium modum, quantumuis quis non teneatur aliena præclarè geſta dictis, vel factis commendare, quando tamen eius taciturnitas vergeret in alterius detrimentum, quatenus interpretaretur pro tacita vituperatione, non eſt, cur non debeat accipi pro læſione, cum in animo adſtantium taciturnitas illa per inde ſe haberet, ac ſi tacens vituperaret; circa quartum modum, facilè ex eo liquet, quia illa ſimulatio laudationis ſine opere laudato, idem importat, ac dicere nihil eſſe laudatione dignum, & potius irridere, quam commendare; vndè meritò *Thauorinus apud Gellium lib. 19. noct. attic. c. 3.*, dixit *Peius eſt frigidè laudare, quam apertè reprehendere.*

Quomo-do peccēt audientes.

15 Aſſertio VIII. Peccatum detractionis, non ſolum afficit detrahentes, ſed etiam auditores, primò ſi auditores ipſi non ſolum audiant, ſed etiam moueant, vel excitent ad detrahendum. Secundò, ſi lætantur de detractione, quam audiunt, ob odium, quod habent aduerſus eum, contra quem fit detractio, quamuis nec inducant, nec excitent. Tertiò, ſi non reſiſtant, cum poſſint reſiſtere; in quo tamen vltimo caſu, quandoque auditores peccant læthalitèr, quandoque totum venialitèr. Eſt expreſsè *D. Thomæ 2. 2. quæſt. 73. art. 4. in corpore, Leſsij lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 4. per totum, Caietani in 2. 2. D. Thomæ d. q. 73. art. 4., & alij magis communitèr.*

Si gau-deat, & incitet.

Quoad primam partem expreſsè colligitur ex illo *D. Hieronymi in Epiſtola ad Nepotianum in vlt. pag. ante fin. Epiſt. tom. 1.*, vbi ſic legitur, *Caue, ne linguam, aut aures habeas prurientes, aut alijs detrahas, aut alios audias detrahentes*; vbi nota illam particulam, *aures prurientes*, quæ indicat non ſolum lætitiam in audiente, ſed excitamentum quoddam ad loquendum; quinimmò dum mouet, & excitat ad loquendum detractione grauius peccat; quod colligitur ex eo, quia non ſolum habet affectū ad alterius nocumentum, ſicuti ipſe detractor, ſed etiam eſt cauſa detrahendi, ſeu illius nocumenti; vndè meritò in hoc caſu loquens *D. Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium circa finem*, habet hæc verba, *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.*

Si læten-tur de de-tractione.

Quoad ſecundam partem facilè ex eo euincitur, quod habetur penes Apoſtolū ad Roman. 1., vbi dicitur, quod non ſolum digni ſunt morte, qui peccata faciūt, ſed etiam, qui facientibus peccata conſentiunt; quis autem dubitat conſentire peccato detrahentium, qui non ſolum audiunt, ſed etiam ob detractionem lætantur, quaſi congaudentes iniquitati? hoc tamen limitarem cum *Leſſio d. l. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 4. n. 20. verſ. aduerte tamen* in caſu, in quo non lætaretur de iniuria alteri illata, ſed de eloquentia detractoris, quia tunc lætitia eſt de opere ſecundum ſe indiferenti, quinimmò ſecundum ſe laudabili.

Si non re-ſiſtat cum poſsit re-ſiſtere.

Quoad tertiam partem, ex eo facilè liquet, quod lege caritatis vnuſquiſque tenetur proximum ſuum iniurioſè oppreſſum ſubleuare ea ratione, qua *Deuteronomij 22*, præcipitur ſubleuari aſinum alterius iacentem ſub onere, ſicque dum quis poteſt proximum ſuum ab onere detractionis ſubleuare reſiſtendo, & non ſubleuat, neq; reſiſtit, peccat contra legem caritatis; Verum tamen eſt, quod nō ſēper teneatur reſiſtere detractori ipſum arguēdo, maximè ſi ſit perſona inferior, vel æqualis, ſed oſtendendo diſplicentiam per triſtitiā faciei, vndè habetur Prouerb. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.*

Dixi *in caſu, quo poſſit reſiſtere, & non reſiſtat quandoque peccare læthalitèr, quandoq; tantum venialitèr.* Caſus aliquos explico, in quibus dumtaxat peccat venialitèr, & aliquos, in quibus læthalitèr.

Non pec-cat lætha-litèr au-diens, quā-do detra-ctio eſt in materia leui.

Primus caſus, in quo peccat tantum venialitèr, tunc eſt, quando detractio eſt in materia leui, *Leſſius loc. cit. n. 22.* Ratio euidens eſt, quia ipſe detractor in materia leui peccat tantum venialitèr, ergo maiori culpa afficiendus non eſt, qui tantum audit, nec reſiſtit, cum poſſit reſiſtere.

Secundus caſus, in quo dumtaxat auditor peccat venialitèr, eſt, quando non placet

Digitized by Google

Quãdo nõ gaudet, ſed ex timore non corripit.

placet ei detractio, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam ommittit repellere detrahentem *D. Thomas 2.2.q.73.art.4.in corpore, Leſſius lib.2. de iuſt., & iur.c.11.dub.4.nu.22.*, Ratio eſt, quia huiuſmodi rationes valdè minuunt de voluntario, maximè reſpectu puſillanimis, & perſonæ inferioris.

Quando ſperat detrahẽtem reuocaturum detractionẽ.

Tertius caſus eſt, ſi auditor putat detrahentem ſpontè reuocaturum detractionem, quam fecit, idq; breui interuallo, & efficacitèr *Leſſius loco cit.*, Ratio eſt, quia eadem reuocatio detractionis mox futura perindè eſt, ac ſi detractio ipſa non fuerit poſita, vndè ipſe non tenetur obſiſtere ei, quod ſtatim tollendum arbitratur.

Quando arbitratur alios auditores nõ credere.

Quartus caſus, in quo ad ſummum peccat venialitèr, eſt, quando rationabilitèr arbitratur alios auditores non credere, *Leſſius loco cit.*, Ratio eſt, quia ratio adæquata peccati eſt ratione iniuriæ, quæ alteri infertur per læſionem famæ apud eos, apud quos fit detractio, ſed quando rationabilitèr arbitratur alios auditores non crediturós, non poteſt eſſe talis læſio in fama, ergo &c.

Quando detrahens eſt diffamatus.

Quintus caſus, in quo venialitèr ſolum peccat, eſt, quando, qui detrahit, iam eſt deffamatus apud auditores, quod non ſit dignus fide, cum ſolitus ſit delinquere in falſis imputationibus, & iniuſta alijs crebro obiecerit; & ratio eſt, quia tunc non facilè eidem creditur, ergo non peccat auditor, ei non reſiſtendo, ſaltem grauitèr, cum reſiſtendo etiam vix aliquid conferre poſſit ei, cui detrahitur, cum detrahens non habeat fidem in ſuis dictis.

Peccat lęthalitèr, quãdo tenetur reſiſtere, & nõ reſiſtit.

Ex aduerſo peccat læthalitèr auditor, primò, quando tenetur ex officio reſiſtere iniuſtè, & cum detractione loquenti, & non reſiſtit; quia tunc deficit muneri ſuo, quinimmò ipſe tenetur ad reſtitutionem, ſaltem in ſubſidium detrahentis.

Item quãdo eſt grauis.

Secundò, quando infamia, quæ infertur per detractionem, eſt grauis, & facilè poteſt eam impedire, nec impedit, nec putet eam alia ratione auertendam, vel breui recuperandam, & hoc etiam ſi non teneatur ex officio. Alia plura, in quibus quis peccat læthalitèr audiendo, & non impediendo ſparſim explicabuntur in ſubſequentibus.

16 Suſurratio, & detractio differunt ratione finis

Aſſertio IX. Suſurratio, & detractio non differunt inter ſe ratione materiæ, & formæ, ſed tantum ratione finis, ad quem diriguntur; eſt tamen ex genere ſuo grauius peccatum ſuſurratio, quam ſit detractio. Conſentit expreſsè quoad vtramque partem *D. Thomas 2.2.q.74.art.1., & 2. in corpore, & cum eo alij communitèr.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia tàm ſuſurro, quàm detractor verſantur circa eandem materiam, nempè circa famam alterius eam denigrando, & habent eundem modum procedendi, quia vterque occultè malè de proximo loquitur; ex quo fortè prouenit, quod crebro in ſacris ſcripturis pro eodem accipiuntur ſuſurrones, & detractores, vt patet ex illo *Leuit.19. Non eris criminator, nec ſuſurro in populis* ex illo Eccleſ.5. *Non apelleris ſuſurro*, ſuper quem locum gloſ. explicat *ideſt detractor*; ex alia parte ſuſurro reſpicit pro fine diuortium amicitiæ, detractor verò præciſè læſionem famæ, vt benè notat Gloſa interlinearis ſuper illud ad Romanos primò *Suſurrones, Detractores*, vbi ſuſurrones appellat ſeminantes inter amicos diſcordiam, detractores verò, qui aliorum bona negant, vel minuunt. Rurſus de ſuſurrone dicitur Prouerb.26. *Suſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt* de quibus propterea procedit textus Eccleſ.28. *Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.*

Qualitates ſuſurronis.

Circa hanc primam partem aſſertionis duo excitantur dubia; primum eſt, quomodo ſuſurratio poſſit dici vna ſpecies peccati, ſi verſatur circa amicitiam, cuius plures ſunt ſpecies, nempè honeſti, vtilis, & delectabilis. Secundum, an ratione illius diuerſi finis, ita inter ſe differant ſuſurratio, & detractio, vt conſtituant duo in ſpecie peccata diſtincta.

Suſurratio tendit contra amicitiam ſub vna communi ratione.

In ordine ad primum ſentiendum eſt *cũ Caietano 2.2.q.74.ſuper artic.1. ad, & ſecundum*, de quibus ſub eod. tit. agit, quod quantumuis plures ſint ſpecies amicitiæ, vnica tamen ſint ſpecies ſuſurrationis, quæ tendit in eadem amicitiam non ſub aliqua ratione ſpeciali, ſed ſub communi ratione violandæ amicitiæ ea proportionali ratione, qua odium tendit in quęcunque mala, quia tamen eadem attingit in quantum habent communem rationem mali, non conſtituit diuerſas ſpecies odij. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod, ſi ſuſurro alium finem vltimatum haberet ab ipſo diuortio amicitiæ, puta ſi intenderet inimicitiam ponere inter maritum, & vxorem ad effectum, vt vxore abuteretur, non ſimplex peccatum ſuſurrationis committeret, ſed ſpecialitèr adulterij eo modo, quo quis furatur, vt mæchetur, tunc enim magis eſt mæchus, quàm fur.

Probabilius conſtituunt diuerſa peccata.

In ordine ad ſecundum arbitror conſtituere diuerſa in ſpecie peccata propter ordinem ad diuerſum finem; inimicitia etenim, quam cauſat ſuſurratio, eſt quid diuerſum in ſpecie à ſimplici famæ denigratione, adeoq; &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod docet D. Thomas, nempè in ijs peccatis,

catis, quæ ſunt ad alterum eo grauiorem eſſe culpam, quo maius eſt nocumentum, quod alteri infertur; eo autem maius eſt nocumentum, quo maius eſt bonum, in quo nocet, ſed ſuſurratio priuat, ſeu nocet in maiori bono, ac noceat detractio, quandoquidem illa nocet in bonis amicitiæ. Quæ ſunt ſuperiora a d alia quæcunque exteriora, vt habetur tum *ex Ariſtotile lib.8. Ethic.c.1. in princip. tom.5.*, tum ex illo *Eccleſiaſt. 6. Amico fideli nulla eſt comparatio*; vnde ad rem noſtram idem *Ariſtotiles lib.8. Ethic.c.8 tom.1.*, dicit, quod amicus eſt melior, quam honor, & amari, quam honorari; Neq; obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod per ſuſurrationem vnus ſolum amicus auferatur, per detractionem verò longè plures, quia vnuſquiſque refugit amicitiam infamium perſonarum, ergo grauius eſt delictum detractio, quam ſit ſuſurratio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia infamia non eſt, niſi diſpoſitio ad inimicitiam, ſicuti fama ad amicitiã, ſuſurratio autem immediatè, & directè aufert amicitiam; ex genere autem ſuo grauius peccat, qui directè operatur ad inimicitiam inducendam, quam qui ſolummodò diſponit ad illam, quia diſpoſitio deficit ab eo, ad quod diſponit, vt benè docet *D. Thomas 2.2. q.74. art.2. ad ſecundum*.

Melior eſt amicus, quàm honor.

17 Aſſertio X. Deriſio ratione finis differt, tàm à detractione, & contumelia, quàm à ſuſurratione, & eſt ex genere ſuo peccatum læthale *D.Thomas 2.2.q.75. art. 1., & 2.*

Deriſio ratione finis differt à detractione, & contumelia, & eſt graue peccatum.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia deriſio eſt in ordine ad effectum cauſandi erubeſcentiam in deriſo, ſed hic finis eſt diuerſus ab eo, qui intenditur in contumelia, detractione, & ſuſurratione, ſiquidem in contumelia intenditur depreſſio honoris conuitiati, in detractione diminutio famæ, in ſuſurratione violatio amicitiæ; in deriſione verò erubeſcentia deriſi, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod nemo irrideatur, niſi de aliquo turpi, de quo quis erubeſcit; hoc autem, ſi de aliquo dicatur, manifeſtè pertinet ad contumeliam, ſi occultè ad detractionem, ergo deriſio non eſt peccatum diſtinctum à detractione, & contumelia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex hoc ſolum infertur, quod deriſio communicet in materia, & modo, vel cum detractione, vel cum contumelia, non autem in fine, vndè vt benè notat *D.Thomas loc. cit. art.1. ad ſecundum*, per detractionem, & contumeliam de actu turpi, & vitioſo tollitur apud alios hominis honor, & fama; per irriſionem verò de actu turpi, & otioſo tollitur penes ipſum deriſum conſcientiæ gloria per quandam confuſionem, & erubeſcentiam.

Aſſignatur diuerſus finis.

Ratio ſecundæ partis deducitur *ex D. Thoma d. q. 74. art.2. in corpore*, qui conſiderat malum, ſupra quod cadere poteſt deriſio, non vt magnum ſecundum ſe, quia tunc non accipitur iocoſè; & per ludum, ſed vt paruum; malum autem vt paruum poteſt dupliciter ſumi, vel vt paruũ in ſe, & hac ratione deriſio, quæ verſatur circa hoc malum, nõ eſt læthalitèr iniurioſa, cũ ſit de obiecto leui, vel vt paruum ratione perſonę, quaſi perſona ipſa paruipendatur, & iocoſè accipiatur, & ſic teſte eodẽ D. Thoma deriſio eſt peccatum mortale, & grauius, quam contumelia, quia contumelioſus videtur accipere peccatum alterius, ſeu malum ſerioſè, deriſor verò in ludum, & iocoſè, & ita videtur eſſe maior contemptus, & dehonoratio. Hæc fermè ad verbum *ex eod. D.Thoma*.

Quomodo ſit peccatum graue.

Aſſertio XI. Plures cauſæ excuſare poſſunt à noxa detractionis in manifeſtatione delicti occulti alterius. Conſentiunt cõmuniter DD. Plures autem ex huiuſmodi cauſis ſingillatim nunc profero.

Cauſę excuſãtes à reſtitutione famæ ob delicti occulti manifeſtationẽ.

Prima cauſa eſt excuſationis, quando quis manifeſtat alterius delictum occultum ad euitanda grauia damna ſibi imminentia, quæ aliter nequit auertere *Nauarrus c.18. num. 54., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur.c.11. dub.8. num. 51., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur primò, quia nemo tenetur alterius famam conſeruare cum ſuo graui incommodo, ſicuti nec alterius pecunias, ſi apud ſe occultatas habeat, quando ex illis detinenti graue periculum immineret, ergo quando grauia damna, ſeu tormenta imminerent, poſſet ad illa vitanda crimen alienum manifeſtare; neque hoc eſſet poſitiuè auferre, & directè alterius famam, quod nunquam licitum videtur; Non, inquam, hoc eſſet poſitiuè auferre; quia ſic manifeſtans ad illam malam opinionem, vel excluſionem bonæ, quæ in alijs ſequitur, merè permiſſiuè ſe habet; ipſe enim merè vtitur iure ſuo ad euitanda illa damna, ſeu tormenta ſibi cæteroqui imminentia; & ſicuti, ſi quis haberet penes ſe epiſtolam reconditam, in qua alterius ſecreta continerentur, poſſet eam proferre ad euitanda ſimilia damna, & tormenta, nec per hoc diceretur poſitiuè auferre illius famam, ſed ad ſummum permiſſiuè, ità ſi quis habeat aliena ſecreta in ſcrinio pectoris ſui recondita poſſet, & in lucem proferre ad ſimilia damna ſibi imminentia euitanda, nec propterea poſitiuè dicetur alienam famam auferre; dummodò tamen ſecreta illa non habuerit ex Sacramentali confeſſione.

Excuſatur quando manifeſtauit ad grauia damna ſibi imminentia vitanda.

Circa hanc cauſam nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi; & primò, an ad excuſandum à noxa detractionis requiratur,

Nonnullę rationes dubitandi circa hac cauſam.

Digitized by Google

tur, vt illa damna, quæ imminerent habenti illud ſecretum, pertineant ad bona vitæ, & corporis, adeout, ſi non reuelaret, deberet ſubire tormentum mortis, vel mutilationis, an verò ſufficiat, vt pertineant ad bona famæ, vel honoris, an tandem, vt etiam pertineant ad bona fortunæ. Secundò, an etiam poſſit impunè propallare, quantumuis illud ſecretum eſſet ſecretum Principis, vel Reipublicæ, vel exercitus. Tertiò, an etiam poſſet manifeſtare, quantumuis indè alteri immineret graue vitæ periculum. Quartò, an poſſet etiam detegere, quantumuis vi, aut fraude cognitionem illius ſecreti, ſeu occulti criminis extorſerit.

In ordine ad primam, prius præmitto ſecretum, ſeu delictum occultum, vel poſſe vergere in iniuſtam aliorum perni-

18 **Si ſecretū vergat in aliorum damnum licitū eſt illud detegere.**

ciem, vel aliorum damnum, ſeu perniciē non attingere; ſi vergat in aliorum iniuſtam perniciem præſcindendo etiam à quocunque damno, quod habenti tale ſecretum immineat, arbitror licere, illud detegere ad effectum periculum illud auertendi, ſic nedum culpæ reus non conſtituitur Chuſſanus 2. *Regum c. 17.*, ſed potius commendatur, qui Regi Dauidi manifeſtauit impia conſilia filij Abſalonis, & Eliſæus magis laudatur, qui 4. *Reg. c. 16.* impia ſecreta Regis Siriæ manifeſtauit Regi Iſraelis; atq; hoc licitum eſſe patet *ex c. non in inferenda 23. q. 3., & §. 1. diſt. 83. c. quantæ de ſent. excommunicat., & c. ipſa pietas 23. q. 4.*, ſi verò non vergat in iniuſtam aliorum perniciem, ſed in damnum præcisè eius, qui occultū delictum operatus eſt, tunc adhuc diſtinguendum eſt; vel etenim ex tali propallatione immineret periculum vitæ delinquenti illi occulto, vel tantum damnum in fama, & honore, vel etiam ſolum in bonis fortunæ; Si immineret periculum vitæ delinquentis, adhuc arbitror, quod ad vitanda grauia damna propria, vel in bonis famæ, & honoris, vel in bonis fortu-

19 **Ad vitanda damna propria illud detegere, quāuis immineat mors delinquētis.**

næ ſecreto ſciens poſſit crimen illud occultum detegere; quod in fortioribus terminis militat, quando ipſi delinquenti non imminerent damna, niſi in fama, & honore, vel in bonis fortunæ. Ratio eſt, quia ipſe ſecreto ſciens delictum illud non conijcit delinquentem in illud proximum vitæ periculum, ſed ipſe per delictum in illud ſe coniecit, & ipſe ſciens intendit præcisè damna propria auertere, & ſic manifeſtando permiſſiuè ſolummodo ſe habet ad delinquentis mortem vtendo iure ſuo ad illa damna ſibi imminentia reparanda.

In ordine ad ſecundā ſimili diſtinctione procedo, vel etenim ſecretum Principis, Reipublicæ, vel exercitus nòn vergunt in aliorum iniuſtam perniciem, ſed tantum in commodum eiuſdem Principis, Reipublicæ, & exercitus, adeo vt manifeſtatio cederet in graue damnum eorundem; vel ſecretum ipſum cederet in aliorum iniuſtam perniciem; Iuxta primum ſenſum 20

Quando ſecretum cedit in vtilitatem Principis, vel Reipub., vel exercitus non licitū eſt illud detegere, etiam ad euitanda propria tormenta.

ſentit abſolutè *Nauarrus in man. c. 18. n. 14.*, non poſſe etiam ad euitanda propria tormenta ſecretum illud detegere; hocque exemplificat in milite Hiſpano in bello capto à Gallis, qui quantalibet vi tormentorum torqueatur non poteſt ſalua conſcientia ſecreta iuſta exercitus Hiſpani ad ipſius conſeruationem neceſſaria detegere, atq; hoc etiam docent *Sotus lib. 5. de iuſtit. q. 10. art. 2., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 8. nu. 53.*, quibus adhærendum cenſeo propter commune bonū, quod debet præualere priuato. Iuxtà ſecundum ſenſum arbitror, poſſe ſine graui noxa detegere ad euitandam talem iniuſtam aliorum perniciem, quia hoc eſt ſolum auertere aliorum damnum iniuſtè inferendum, quod vtique licitum eſt. Quod ſi ſupponas, ex illa manifeſtatione iniuſtæ illius actionis vergentis in aliorum perniciem poſſe æquè graue damnum contin- 21

Licitū eſt ſecretum Principis detegere, quādo cederet in damnum aliorum.

gere meditanti illam iniuſtam actionem, vt ſi aliquis exercitus meditetur iniuſtam ſtragem exercitui aduerſanti data certa opportunitate, & captus in bello ad euitanda tormenta ſibi parata manifeſtet illud ſecretum, ex qua manifeſtatione conſurgat, quod exercitus aduerſans monitus ſtragem ſimilem intentet exercitui meditanti; tunc abſolutè crederem, poſſe ad euitanda corporalia tormenta detegere, quia tunc ſolum intenderet auertere iniuſtam perniciem, non autem damna ſui exercitus. Verum tamen eſt, quod, cū ad ipſum non pertineat cognoſcere, vtrū illa pernities eſſet iuſta, vel iniuſta regulariter non poteſt ſecretum illud detegere, cum debeat præſumere de iuſtitia. 22

Ad euitāda propria tormenta, poteſt ſecretū manifeſtare, quantumuis alteri mors immineat.

In ordine ad tertiam, ſentio abſolutè ad euitanda ſimilia tormenta poſſe ſecretum illud aperire, quantumuis indè alteri eſſet periculum mortis, *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 10. art. 2., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 8. n. 54.*, Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempè neminem teneri cum tanto ſuo incommodo ſeruare famam, ſeu vitam proximi.

In ordine ad quartam, maximum video diſſidium inter DD., dum magis communitèr ſentiunt, quod etiam ad euitanda propria tormenta non poſſit reuelare ſecretum, aut occultum delictum, quando illius notitiam per vim, & fraudem extorſit; atq; inter cæteros, ſic ſentiunt *Sotus lib. 5. de iuſt. quæſt. 10. art. 2.*, *Corduba*

memb.

Digitized by Google

memb. 4. de detract. q. 3. concl. 14. dub. 2. punct. 1. Ex aduerſo etiam in hoc caſu arbitrantur, poſſe crimen illud ſecretum detegere *Leſſius d. lib. 2. c. 11. dub. 8. n. 55.*, *Petrus a Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. n. 131.*, *Silueſter verb. detractio q. 3.*, media via videtur procedere *Nauarrus in man. c. 18. nu. 54.* aſſerens, non licere crimen illud ſecretum detegere, quando ex illa propallatione contingeret damnum irreparabile, vt quia mors, vel mutilatio membri ſequeretur, ſecus quando damnum eſſet reparabile, quando ſcilicet ſola pæna pecuniaria timeretur, vel alia ſimilis, quæ facilè à detegente poſſit reparari. Quid igitur in hac opinionum ſerie concludendum? Abſolutè arbitror poſſe detegere. Ità DD. pro ſecunda ſententia allegati. Non moueor ea ratione, qua

23
Ad cuiẽda propria torm̃ẽta poteſt ſecretum manifeſtari, quantumuis manifeſtans illud mouerit per vim, & fraudem.

potiſſimum mouetur *Petrus à Nauarra loco cit.*, nempe ſic manifeſtantem non peccare, quia nullum re vera damnum infert, nec in fama, nec in vita; talis etenim confeſſio cruciatibus extorta nullius eſt momenti, nec valida, per ea, quæ dicuntur *in c. ſi quando 16. q. 6.* Non, inquã, moueor ea ratione, quia hoc pacto, notitia occulti delicti, ſiue fuerit habita ſine vi, & fraude, ſiue cum vi, & fraude ſemper poſſet ex metu cruciatuum delictum occultum pandere, & ſic non eſſet ſpecialis ratio, quod poſſet detegere, quãdo vi, & fraude notitiam extorſit. Deindè hoc ad ſummum verificaretur, quando in actualibus tormentis ſecretum manifeſtauit, quia tunc ſolum confeſſio, quæ ſic fit ex neceſſitate, fides non eſt. Moueor igitur ea ratione, quia quando notitia criminis occulti habita eſt ſine vi, & fraude, poteſt ex timore tormentorum, ſeu ad vitanda tormenta detegi per ſuperius probata, ergo etiam poterit detegi ex eodem motiuo, ſeu cauſa, quando habita eſt per vim, & fraudem. Conſequẽtia probatur, quia quod notitia habita fuerit per vim, & fraudem inducit quidẽ iniuriam in illa extorſione ſecreti, & in fraude in expiſcando illam notitiam, non tamen inducit noxam ex eo, quod vrgẽte poſtea illa graui neceſſitate euitandi tormenta manifeſtetur, ea proportionali ratione, qua noxa quidem eſt, quod quis per vim, & fraudem furatus fuerit equum, non eſt tamen noxa, quod vrgente poſtea graui neceſſitate illo vtatur. Confirmatur ratione, quam adducit *Leſſius d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 11. dub. 8. num. 55.* nempè extante ſimili neceſſitate poſſe quemque aperire ſecretum, quamuis alteri de ſilentio ſub conuentione, ſeu ſtipulatu ſe obligauerit, ergò etiam in tali neceſſitate poterit aperire, quantumuis per vim, & fraudẽ extorſerit. Conſequentia probatur, quia non minus quis tenetur ex contractu, quam teneatur ex delicto.

Maior ratio dubitandi circa hanc vltimam difficultatem, & circa etiam alias præcedentes eſt, an ſi quis metu tormentorum, vel in tormentis alteri falſum crimen imponat, peccet mortalitèr. Silueſter *verb. detract. q. 3.* cui adhærere videtur *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. num.* 24
131. ſentiunt non peccare læthaliter,

An imponens alteri falſum crimen vi tormẽtorum peccet læthalitèr.

quod ea ratione probant, quia talis confeſſio nõ infamat efficacitèr, nec valet, quod probant per *d. c. ſi quando 16. q. 6.*, vbi dicitur, quod *omnis confeſſio, quæ fit ex neceſſitate, fides non eſt*, & ſubditur, *quod peſſimum eſt de ſuſpicione, aut extorta confeſſione quemquam iudicare.* Ex aduerſo *Caietanus 2. 2. q. 37. art. 2.* aſſerit, quod peccet, quia licet illa confeſſio per vim tormentorum extorta non ſit valida ad infamandum in foro iudiciali, ſit tamen valida ad infamandum infamia moris, & in foro conſcientiæ. Leſſius verò *lib. 2. de iuſt. & iur. c. 11. dub. 7. num. 46.* media via videtur procedere, & aſſerit, quod ſit peccatum mortiferum, ſi nulla ſit præſumptio, vel ratione coniunctionis, vel magnæ amicitiæ, quod ille, cui imponit falſum crimen, non ſit ægrè laturus illam impoſitionem; Non ſit verò tale, ſi ſit præſumptio ratione nimiæ familiaritatis, vel nullius periculi exiſtentia ex illa manifeſtatione, quod eidem nulla ſit moleſtia de illo falſo crimine ſibi imputato. Quid igitur concludendum? Arbitror abſolutè cum Caietano, quod falſum illud crimen alteri imponendo etiam in tormentis, vel vi tormentorum ex genere ſuo peccet læthaliter. Ratio ex eo deducitur, quia licet illa impoſitio facta in tormentis, vel metu tormentorum non tribuat ſufficiens fundamentum ad iudicandum, prout habetur *in d. c. ſi quando 16. q. 6.* denegari tamen nõ poteſt, quin inferat grauem iniuriam ei, cui imponit tale crimen contra veritatem, quiq; propterea habet fundamentum rationabile grauis indignationis. Deindè, quamuis in foro iudiciali non infamet, non poteſt denegari, quin in opinione Iudicis, & audientium ingerat aliquam ſpeciem infamiæ, & dedecoris. Tandem, quia eſt apertum mendacium in re graui contra famam proximi, quod nullo motiuo etiam neceſſitatis poteſt cohoneſtari.

Sententia negatiua.

25
Sententia affirmatiua.

26
Sententia media.

27
Probabilius peccat læthalitèr.

Secunda cauſa excuſans eſt ad impediendum graue damnum proximo impendens, ſiuè illud ſit temporale, ſiuè ſpirituale, quotieſcunq; talis manifeſtatio eſt ad hunc effectum neceſſaria *Sotus lib. 5. de*

iuſt.q.7.art.1.,Nauarrus c.18.num.31.,Leſſius lib.2.de iuſt.,& iur.c.11.dub.9.num.57. Sic in particulari ſi ego nouerim aliquem eſſe furem poſſum monere eos, cum quibus habitat, vt ſibi caueant; ſi homicidiũ fuerit patratum à Petro, & hoc ego ſciuerim,& imputetur alteri innocenti, qui ob id ſit capite plectendus, poſſum ego detegere reum. Ratio horum omnium, & ſimilium, ea eſt, quia vnuſquiſque ius habet ad propallanda ea, quæ recondita tenet in ſcrinio cordis ſui, ſi ex occultatione alijs damnum proueniret; ſi enim ad euertenda damna propria poteſt crimen occultum alterius detegere, cur non poterit detegere ad euitãda damna proximi, quem debet diligere, ſicut ſe ipſum? Hoc tamen intellige attenta duplici conditione, prima ſi alia via non ſuperſit ad euitandum tale damnum proximi, ſi enim poteſt alia via tale damnum impediri ſine ipſius infamia puta per correctionem fraternam,certum eſt non poſſe delictum detegere. Secundò ſi cognoſceretur, quod talis manifeſtatio non prodeſſet ad damnum illud euitandum. Ratio primæ partis eſt, quia ratio charitatis poſtulat vt minus lædatur proximus, quantum fieri poteſt, ergo cũ poſſit auerti ab illis damnis per correctionem fraternam non eſt denuntiandus cum graui eiuſdem famæ læſione. Ratio ſecundæ partis eſt, quia in tantum ius habet quis ad propallandũ alterius delictum,in quantum poteſt prodeſſe, ne alter ex illo lædatur, ergo ſi credatur propallatio non profutura, nullum erit ius ad ipſam ponendam. Sed hic ſuboritur difficultas, an, ſi quando alia ſupereſt via ad impediendum damnum proximi ſine manifeſtatione delicti, vel quando cognoſcitur manifeſtatio non profutura, nihilominus fiat, intelligatur eſſe contra iuſtitiam? Communior opinio ſuſtinet, eſſe contra iuſtitiam, quidquid alij aſſerant eſſe præcisè contra charitatem, quia nemo tenetur cõfugere ad alios modos euitandi damnum proximi ab ipſa manifeſtatione. Adhæreo communi opinioni, ad quam moueor ea ratione, quia vnuſquiſque ius habet tuendi ſuam famã, quotieſcunque delictum, ob quod poteſt infamia oriri, occultum eſt, quando eadem fama ſaluari poteſt ſine alterius detrimento, ſed quando alia via poteſt ſaluari,vel per fraternam correctionem, vel propallatio non poteſt prodeſſe ad alterius nocumentum impediendum, ſine alterius nocumento tueri poteſt, ergo &c. Confirmatur, quia,quantumuis quis occultè deliquerit, nec delictum innoteſcit, iniuſtum omninò eſt ſine cauſa eius delictum propallare,ergo etiam iniuſtum omninò erit propallare, quando cauſæ, quæ poteſt ſubeſſe,poteſt aliter occurri, quam per eiuſdem delicti propallationem, vel propallatio ipſa non poteſt prodeſſe eidem cauſæ.

28 Non eſt peccaminoſa, quã do eſt neceſſaria ad vitãdũ graue damnum alterius.

Rationes ſuadentes ſententiã noſtram.

29 Talis manifeſtatio eſt contra iuſtitiam, quando aliter damnũ poteſt vitari, & ipſa manifeſtatio cognoſcitur non profutura.

Tertia cauſa excuſans eſt vtilitas delinquentis, vt cum detegitur eius crimen occultum ad effectum,vt vitetur eius perſeuerantia. Ad hanc cauſam reducitur monitio criminum filiorum apud parentes, ſubditorum ad ſuperiores ad effectum vt coarceãtur,& reſipiſcant à criminibus; & in hoc conſiſtit quodamodo præceptum Chriſti Domini,qui vult vt poſt correctionem fraternam, delicta deferantur ad Eccleſiam.

30 Licet manifeſtare, quando manifeſtatio eſt in vtilitatẽ delinquẽtis.

Quarta cauſa eſt, quæ excuſat à peccato in detectione huiuſmodi criminum, finis tollendi inualiditates,& vitandi peccata, quod contingeret,quando ageretur de officio,ſeu beneficio conferẽdo,de matrimonio cõtrahendo,de Religione ſuſcipienda,& ſimilibus,ſi etenim promouẽdus ad beneficiũ ſit incapax,& minus aptus ad illud exercendum, ſi contracturus matrimonium laboret aliquo impedimento dirimente, ſi ſuſcepturus Religionem habeat vitium aliquod occultum, ob quod eidem Religioni minus ſit habilis, vtique conſcius talis inhabilitatis poteſt talem inhabilitatem, ſeu vitium occultum, ex quo oritur, detegere ad effectum tollendi inualiditates, & euitandi crimina, quæ,ſi conferretur beneficium, iniretur matrimonium, ſtatus Religioſus ſuſciperetur, contingerent.

31 Etiam quãdo ordinata eſt ad tollendas inualiditates, & peccata.

Sexta cauſa excuſans eſt præceptum Superioris potiſſimum Eccleſiaſtici, vt cum Epiſcopi in ſuis Diæceſibus, vel Pontifex in toto orbe promulgant monitoria ſub pæna excommunicationis ad effectum, vt detegantur crimina pernitioſa Reipublicæ, detentores rerum alienarum, & ſimilia; in hac etenim hypotheſi conſcij huiuſmodi criminum,& cælantium res alienas detegentes criminatores, & occultatores rerum alienarum non ſolum excuſantur à noxa detractionis, ſed etiam potius merentur apud Deum,& actum præſtant obedientiæ.

32 Manifeſtatio non eſt peccaminoſa, quãdo eſt ex præcepto ſuperioris.

Aſſertio XII. Licitum eſt aperire ſimulationes eorum, qui fictis virtutibus famã ſibi parant, quando huiuſmodi ſimulationes vergere poſſunt in aliorum perniciem; ſecus ſi non tendant in aliorum damnum, ſed ſolum ad conſulendum iis, qui tales virtutes ſimulant, ſi fuerint cæteroqui capaces illarum rerum, quas ex illa ſimulatione acquirere ſtudent. Conſentit in vniuerſum *Leſſius lib.2. de iuſt.,& iur.c.11.dub.10. per totum,& alij*. Id,quod dictum in prima parte huius aſſertionis con-

33 Licitum eſt detegere aliorum ſimulationes, quando vergunt in aliorum damnum.

Digitized by Google

contingeret in eo, qui ſimularet ſe peritum Aduocatum, Medicum, Confeſſariũ, Pharmacopolam; cùm tamen talis non ſit; quod verò dicitur in ſecunda parte contingeret in muliercula paupere, quæ virtutes ſimularet ad effectum captandi vberiores eleemoſinas.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia nemo ius habet per ſimulationes retinendi ſibi famam virtutum, quas non habet, in aliorum graue præiuditium, ergo, ſi quis conſcius eiuſdem imperitiæ, eiuſdem qualitates veras, & reales aperiat detegendo ſimulationem, non peccabit cõtra ipſius ius, cum nullum habeat. Confirmatur ex ijs, quæ dicebamus in præcedentibus, quia, ſi quis nouit aliquem furem, & moneat inhabitantes cum ipſo ad effectum, vt ſibi præcaueant, vel quem ſe gerere pro medico, & talis non ſit, & prę̨moneat, ne ſua imperitia mortem alijs afferat, non peccat peccato detractionis, ergo etiam ſi nouerit aliquem ſimulare peritiam, quam non habet, quæque ſimulatio poteſt eſſe alijs noxia eandem detegendo non peccabit peccato detractionis.

Nemo habet ius retinẽdi famam per ſimulationes acquiſitam cũ aliorum damno.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia vbi non agitur de aliorum damno, ſed de vtilitate præcisè ſimulantis virtutes, quas verè non habet, cùm tamen ex alio capite ſit capax illius vtilitatis, quæ indè conſequitur, quatenus ſcilicet, ſi eidem obueniret præſcindendo ab illa ſimulatione, licitè poſſet retinere, eſt apertè contra charitatem eiuſdem ſimulantis occulta peccata aperire, cum in primis ſit extra neceſſitatem eius famam lædere; deindè quantum eſt ex parte manifeſtantis, eum priuare vtilitate, quam iuſto titulo paupertatis poteſt conſequi.

Solum hic remanet difficultas, an ſi quis talem fictionem alijs non noxiam aperiret, peccaret contra iuſtitiam. Probabilius eſt aperientem talem fictionem peccare contra iuſtitiam, vt ſentit *Leſſius loco cit. n. 66.* aduerſus *Adrianum quodl. 11. q. 1.* volentem eſſe ad ſummum peccatum contra charitatem, eo quia ille hypocrita non habet ius detinendi illam famam, quam virtutibus ſimulatis, & factorum mendacijs ſibi comparauit, præcipuè cũ illa hypocriſis apta ſit ex genere ſuo alios decipere, & ingenerare in aliorum mentibus falſam opinionem. Nihilominus probatur noſtra opinio, quia quandiù delictum aliquod remanet occultum ius habet delinquens, nè poſitiuè conſtituatur in infamia improbæ perſonę, & malę, quamuis enim daremus, quod non habeat ius, vt poſitiuè iudicetur proba, non tamen ſequitur, quod non habeat ius, vt non reputetur poſitiuè improba, cùm palam nihil improbum geſſerit, ſed adaperiens eius ſimulatas virtutes, & hypocriſim efficit, vt poſitiuè iudicetur mala, ergò &c. Neque dicas, quòd, quantumuis ea, quæ dicuntur, vera ſint in ordine ad alia crimina occulta, non ſint tamen vera in ordine ad crimen hypocriſis, cum hæc regularitèr ſit alijs noxia, vtpotè quæ intendit alios in falſam opinionem detrahere; contra enim impugnaberis, quia, cum illa hypocriſis, ſeu ſimulatio non tendat ad aliorum perniciem, quantumuis intendat falſam opinionem ſuæ virtutis ingenerare, non tribuit ius alteri ad illam aperiendam, cum nulli ſit noxia, & ſi quod incommodum afferret, eſſet parui momenti, nec conſiderandum.

34 Quando nõ vergit illa ſimulatio in aliorum damnum iniuſtè, quis illã detegit.

Aſſertio XIII. Probabilius graue peccatum eſt reuelare ſine cauſa crimen occultum proximi vni, vel alteri, quantumuis graui perſonæ, de quibus non eſt rationabilis cauſa ſuſpicandi, quod ſint alijs reuelaturæ *Sotus lib. 4. de iuſt., & iur. q. 6. art. 3., & lib. 5. q. 10. art. 2. concl. 4., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 11. n. 70.*, aduerſus *Caietanum 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 1., Petrum à Nauarra lib. 2. c. 4. n. 335., Cordobam tract. de detractione q. 2. concl. 5.*, volentes non eſſe, niſi veniale, cum non afferat talis manifeſtatio, niſi leue detrimentum in fama, ſi abſit periculum euulgationis.

35 Non licet vni, vel alteri crimen occultũ manifeſtare, quamuis detegens ſperet eos alijs non manifeſtaturos.

Probatur, quia grauitas, & leuitas detractionis, ſicuti aliorum delictorum contra iuſtitiam deſumitur penes fundamentum rationabile grauis, & leuis indignationis in ordine ad perſonam læſam, ſed, vt plurimum ille, cuius delictum manifeſtatur, magis rationabilitèr indignatur, quod ipſius delictum occultum reueletur Prælato, ſeu alteri perſonæ graui, quam ſi detegeretur pluribus perſonis externis, & plebæis, quandoquidem perſonæ prudentiores plus gaudent de bono nomine apud perſonas præpotentes dignitate, vel aliqua auctoritate, & grauitate, quam apud perſonas rudes, plebæias, apud quas opiniones facilè mutantur, ergo &c. Huic noſtræ opinioni plurimum fauet *Nauarrus in man. c. 18. nu. 19.*, vbi explicans acceptionem propriam famæ, & dicens eſſe exiſtimationem bonam de aliquo, per ly *exiſtimationẽ* intelligit opinionem nedum communem, ſed etiam particularem, & ſingularem vnius, vel alterius perſonæ, & expreſſius *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 1. ad 2.*, vbi ſic habet *Si vni ſoli aliquis de abſente malum dicit, corrumpit famam eius non in toto, ſed in parte.*

Aſſertio XIV. Non ſolum licita eſt, ſed etiam neceſſaria explicatio alicuius

Digitized by Google

36 circunſtantiæ in confeſſione circa proprium peccatum, quæ mutet ſpeciem, quantumuis Sacerdos ex illa circunſtantia de facili deueniret in cognitionem ſocij criminis. Hoc eueniret in hypotheſi, ſecundum quam in aliqua Parochia quis cõmiſerit inceſtum cum propria conſanguinea, quam vnicam habet in ea Parochia, ſeu Villa, & notum ſit Parocho in tali Villa ipſum non habere aliam conſanguineam, nec alius ibi adſit confeſſarius, cui ille poſſit confiteri, & vrgeat tunc neceſſitas confeſſionis; hic etenim ſi confiteatur inceſtum, ſtatim Parochus veniet in cognitionem ſociæ criminis, cum alia non adſit, cum qua potuerit eſſe inceſtus. Intelligo aſſertionem in ſuppoſitione, quam non eſſet alius Sacerdos, cui poſſit confiteri inceſtum ſine periculo manifeſtationis complicis; ſi etenim alius adeſſet, deberet conſulere famæ ſui complicis, ne detegeretur deliquiſſe peccato ſecundum ſe inferente infamiam illi alteri Sacerdoti confitendo. Hanc aſſertionem tenent *D. Thomas in 4. diſt. 16. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 5. ad 5., & opuſcul. 12. art. 9., Alexander Aleuſis 4. part. q. 77. memb. 2. art. 4. D. Bonauentura in 4. diſt. 21. 2 part. diſtinctionis art. 1. q. 3. in corpore D. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. §. 11., Medina C. de confeſſione c. de circunſtantia temporis, & loci ad fin., Adrianus in 4. q. 1. de confeſſione §. ſed oritur ex his, Totus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 5. ad 4.*, aduerſus *Bartolomæum Medinam lib 2. ſummæ c. 4. §. 1., Dominicum Bannes ſuper 2. 2. D. Thomæ q. 33. art. 8. dub. 8. part. 1. verſ. primum fundamentum.*

In confeſſione aperiendũ eſt crimen cũ circunſtãtijs mutãtibus ſpeciem, quãuis ex illo dignoſci poſſit cõplex.

Neque hic audiendi ſunt nonnulli, inter quos Canus, & Lædeſma apud *Petrum à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. nu. 270.*, qui arbitrantur licitum eſſe detegere circunſtantiam, ex qua confeſſarius poſſit cognoſcere complicem, quando confeſſio fit in articulo mortis, ſecus quando fit extra talem articulum; Non, inquam, audiendi ſunt, quia ſi licita, & ſalubris eſt confeſſio vltra talem articulum, ſi reticeatur illa circunſtantia, cur non erit licita, & ſalubris, quantumuis reticeatur in articulo mortis?

Etiam extra periculũ mortis.

Probatur iam noſtra aſſertio, quia ex ſuperius dictis licitum eſt alterius delictum occultum detegere in ordine nedum ad propria tormenta euitanda; ſed etiam ad aliorum damnum, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus auertendum, ergo etiam licitum erit idem delictum occultum alterius, non tamen ex profeſſo ad finem ipſum infamandi, ſed ad finem propriæ ſalutis ſpiritualis conſequendæ in ſecreto confeſſionis ſacramentalis foro detegere. Conſequentia tenet, quia quis debet potius ſtudere ſpirituali ſuæ ſaluti procurandę, quam alienis damnis, ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus auertendis; Neque dicas, poſſe quidem quemlibet magis conſulere propriæ ſpirituali ſaluti, quam aliorum damnis euitandis, quando ſpiritualis ſalus intenditur per media licita, non autem per media, quæ iuri naturali obſiſtunt, quod ius debet præualere cuicunque iuri poſitiuo; ius autem de non infamando proximum eſt naturale; illud vero de integrè confitendo eſt poſitiuum, & propterea in concurſu vtriuſq; illud debet iſti præualere; contra enim impugnaberis; quia ius naturale ſolummodò dictat non eſſe proximum infamandum ſine cauſa, non autem interueniente legitima cauſa, vel ob damna euitanda, vel ob ſalutem ſpiritualem propriam procurandam, & ſicuti hoc ius naturale nõ obligat, quando imminent damna, ita non obligat, quando aliud præceptum imminet in ordine ad ſalutem ſpiritualem.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Dices primò, pręceptum confeſſionis, vel ſimpliciter, vel integrandæ non obligat cum notabili iactura famæ, ſicuti nec cum notabili detrimento fortunarum ex communi DD. conſenſu, vt refert *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. num. 274.*, ergo nec obligat cum iactura famæ alienæ. Sed contra, antecedens tantum verum eſt, quando agitur de notabili iactura famæ, quæ eſt extrinſeca confeſſioni, ſeu corũ, quæ ſunt de extrinſeco confeſſionis; non verò, quando eſt cum iactura famæ, quę eſt intrinſeca ipſi cõfeſſioni; quis enim diceret, quem non teneri ad confeſſionem peccati ſodomitici ex eo, quod penes cõfeſſarium pati quodamodo debeat iacturam famæ? Cum igitur etiam delictum alienũ in hac hypotheſi ſit de intrinſeco confeſſionis, quandoquidem in eadem ſunt exprimendæ ſpecies peccatorum, & circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & ſine ipſo non poſſit exprimi circumſtantia mutans ſpeciem, ideò &c.

Iactura famæ, quæ eſt intrinſeca cõfeſſioni non deobligat à cõfeſſione criminis.

Vrgebis, eſto, quod ſit neceſſariò in confeſſione exprimendum proprium delictum etiam cum notabili iactura propriæ famæ, ex hoc tamen non ſequitur, quod poſſit licitè exprimi alienum ad manifeſtandum proprium cum plena integritate, quandoquidem, ſi pænitens apud Sacerdotem, cui confitetur, infamatur; infamatio tamen compenſatur, quia illo medio confeſſionis propter fructum Sacramenti ab infamia, & damnatione ęterna eripitur; alter verò, cuius tanquam complicis manifeſtatur, ſaltem indirectè delictum nullum fructum in compenſationem conſequitur, adeoq; non eſt, cur

cius

eius delictum poſſit licitè detegi. Sed contra, quamuis ipſe pænitens per manifeſtationem proprij delicti in confeſſione conſequatur fructum remiſſionis, quem non conſequitur alter complex ex manifeſtatione ſaltem indirectè etiam proprij criminis, in quo cum confitente fuit complex, non tollitur tamen, quin ipſe pænitens ad integrandam propriam confeſſionem, quod eſt de præcepto diuino, non poſſit indirectè, & præter intentionem ipſum infamandi complicis delictum detegere; nam, ſicuti, vt ſupra dicebam, ad euitanda aliorum damna, ſiue ſpiritualia, ſiue temporalia poteſt quis proximi occultum crimen detegere, cur non poterit pænitens in occultiſſimo cōfeſſionis foro vrgente præcepto integræ confeſſionis ad propriam vtilitatem ſpiritualem detegere? Siluester *verb. confeſſio 1. q. 24.*, *Riccardus in 4. diſt. 21. q. 2. art. 2.*, *Angelus verb. confeſſio 1. §. 3.*, *Alexander Alenſis 4. part. q. 77. memb. 2. art. 4. ad vlt. argum.*, *Adrianus in 4. q. 1. de confeſſione §. ſed oritur ex his*, *Sotus in 4. diſt. 8. q. 2. art. 5. ad quartum*, admittunt hanc noſtram reſponſionem ad inſtantiam etiam in terminis minus ſtrictis, in terminis ſcilicet, in quibus non vrgeat neceſſitas præcepti, ſed ſolum vtilitas detegentis, puta ad petendum conſilium, & vt gratia augeatur, & vt melius inſtruatur, quæ, ſi vera ſunt, non video, cur non debeant eſſe vera vrgente præcepto confeſſionis integræ conſtituendæ.

In ordine ad proprium bonum maximè ſpirituale, & neceſſariū poteſt quis alienum crimen detegere.

Dices ſecundò, non eſt licitum ex ſuperius dictis in præcedenti aſſertione alterius delictum occultum detegere vni, vel alteri perſonæ graui, à qua non timeatur manifeſtatio, ergo nec erit licitum alterius delictum in confeſſione manifeſtare. Sed contra neganda eſt conſequentia, quia in primo caſu antecedentis illa manifeſtatio fit omninò liberè ſine vlla prorſus cauſa, ſeu neceſſitate; in ſecundo autem caſu fit ex neceſſitate præcepti, & reſultante maxima vtilitate detegentis, adeoq; &c.

Hæc manifeſtatio eſt neceſſaria.

37 Aſſertio XV. Quando alicuius delictum, quantumuis enorme, eſt publicum in aliqua Ciuitate, illud detegere in alia, in qua non eſt notum, non eſt peccatum contra iuſtitiam; eſt tamen contra charitatem quandoque graue, & lethale, quandoque tantum leue, & veniale. Pro quo aduerto cum *Leſſio l. b. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 13. num. 73., & ſeqq.* crimen tripliciter poſſe eſſe publicum; primò notorietate iuris, de quo ſcilicet conſtat per iuridicam ſententiam, vel per confeſſionem rei in iudicio, vel per legitimam teſtium depoſitionem; ſecundò notorietate facti, quatenus ſcilicet illud delictum fuerit patratum in publico populi concurſu, vel in foro, vel in celebri platæa, vel alio loco patenter: tertiò notorietate famæ, quatenus ſcilicet fama eiuſdem delicti orta ex ſufficientibus indicijs ad multos peruenerit, puta ad maiorem partem loci, viciniæ, vel Parochiæ &c.

Quando alicuius crimē eſt notorium in aliqua Ciuitate illud detegere in alia nō eſt peccatum contrà iuſtitiam.

Petrus *de Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. loquendo de peccato iniuſtitiæ n. 286., & ſeqq.* apertè aſſerit, quod quando delictum eſt publicum notorietate iuris, quatenus ſcilicet delinquens eſt notatus iuridica ſententia, vel iudiciali confeſſione, vel legitima probatione, non peccet detegens idē delictum in alia Ciuitate, in qua non eſt notum, contra iuſtitiam, atq; pro hac ſua opinione, in qua nobiſcum in hac parte conſentit, allegat *Mercatum c. 11. §. es tiamben.*, *Angles Floribus 4. ſententiarum q. de reſtit. fam. dub. 4.*, Loquendo verò de notorietate facti, vel famæ expreſsè aſſerit, peccare contra iuſtitiam ſic detegentem delictum in alio loco, in quo non eſt notum, & hoc docet *à num. 291. ad num. 296.*

Diſtinctio Petri à Nauarra inter notorietatē iuris, & facti.

Leſſius verò *d. lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 13. num. 75.*, ſine vlla prorſus diſtinctione inter has notorietates, quin immo expreſsè omnes comprehendendo abſolutè aſſerit, non eſſe peccatum contra iuſtitiam peccatum illud in loco, in quo non eſt notum, detegere, cum quo, & abſolutè ego ſentio.

Procedit de quacūque notorietate.

Probatur iam primò, quod non peccet contra iuſtitiam, quia quando aliquo ex prædictis modis delictum ipſum eſt notorium, & publicum, iam ipſe delinquens amiſit ius ad propriam famam, nam ipſa facti euidentia, & iuſti iudicij ratio tollit ab eodem delinquente rationabile fundamentum indignationis, ex quo eius delictum poſitum eſt in luce quodamodo meridiana, adeout ſecundum ſe patere poſſit cuicunque voluerit, ergo eidem non fit iniuria ex eo, quod alibi detegatur, ſiquidem ex quo famam, ſeu ius ad eandem ſimpliciter amiſit, non poteſt conqueri, quod alij de ſuo delicto alloquantur; neq; dicas, quod licet amiſerit in tali loco, in quo vel palam deliquit, vel publicè condemnatus eſt, non amiſerit tamen in omni loco, in quo nec deliquit, nec fama delicti promulgata eſt; contra enim impugnaberis, quia, vbi ius ad famam plenè extinctū eſt, intelligitur extinctum pro quocunque loco, ſiquidem, ex quo infamia eſt publicè expoſita, palam confert omnibus ius ad alloquendum, ea proportionali ratione, qua ſi quis condemnaretur ad direptionē bonorum, vt ſint volentibus capere expoſita, non poſſet conqueri, quod auferentur à quolibet, cum iniuriam ab eodem non acciperet.

Per notorietatem amittit ius ad famam.

Pro-

Probatur ſecundò in particulari, quando delictum eſſet publicum notorietate iuris, quia ſententiæ condemnatoriæ palam fiunt ex genere ſuo, quinimmo vna ex pænis, qua Iudices reos afficiunt, eſt, vt ipſorum delictum ſimul cum pæna ob illud inflicta palam omnibus innoteſcat ad aliorum terrorem, quinimmo ad hunc finem ſententiæ ipſæ promulgantur, ergo non ſit peccatum contra iuſtitiam, ſi in alio loco ab illo, in quo delictum promulgatum eſt per ſententiam, promulgetur. Confirmatur, quia æquum eſt, vt qui peccat vt homo aliqua ſpecie pænæ afficiatur, quæ hominem præciſè attingat, & non ſit communis etiam brutis, ſed hæc pæna alia non eſt, quam punitio in opinione, & honore, ſiquidem dolores ſentire commune eſt etiam animantibus, ergo &c.

Euincitur quoad notorietatem iuris.

Probatur tertiò in particulari, quando delictum eſt publicum notorietate facti, vel famæ; quia homo vtpotè Dominus ſuæ famæ, & honoris poteſt abſolutè cedere iuri ad ipſam, ſed ex eo, quod non veritus ſit palam delinquere, vel indicia publica delicti præbere, videtur iuri ad eandem famam, & honorem ſpontè ceſſiſſe, ſeu non curare de eiſdem. Confirmatur, quia, quantumuis ſic delinquens palam in vno loco adhuc famam, & honorem retineat reipſa, & facto in alio loco, in quo palam non deliquit, non retinet omni iure; eo etenim ipſo, quo crimen ipſius publicum factum eſt amiſit ius famæ, adeout nemo teneatur bonam æſtimationem, quam de ipſo habebat, retinere.

Et quoad notorietatem facti.

Hic dubium oritur, an ſi delictum ipſius factum fuerit publicum per iniuriam in aliquo loco, peccaminoſum ſit contra iuſtitiam illud in alio loco detegere, vbi nō erat notum, nec publicum. Probabilius etiam arbitror, non eſſe peccaminoſum contra iuſtitiam *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 13. num.* 77. Ratio ex eo deducitur, quia tota ratio excuſans à peccato iniuſtitiæ eſt publicitas, ſeu notorietas delicti verè poſiti, & exiſtentis; quia hæc priuat delinquentem iure ad ipſam famam, quæ notorietas, ſeu publicitas ſufficiens eſt; ſiue proueniat per iuridicam ſententiam, ſiue per famam, ſiue etiam per iniuriam, nam licet iniuria ſecundum ſe non priuet aliquem iure, quo gaudet, id tamen, quod conſequitur per iniuriam, nempè publicitas priuat; ſic in particulari ſi quis cōfeſſus fuerit crimina ſua occulta per tormenta, amiſit ſimplicitèr ius ad famam, nec poteſt rationabiliter conqueri, quod alij alibi de illis alloquantur.

Etiam ſi factum ſit publicum per iniuriam.

Probatur iam, quod ſit peccatum contra charitatem quandoq; læthale enumerando caſus aliquos, in quibus talis malitia reperitur; primò peccat probabilius mortiferè contra charitatem, quando quis detegit delictum in aliquo loco, in quo delinquens erat bonæ famæ apud omnes, & quo fama delicti non erat facilè peruentura, quidquid ex aduerſo dixerint Caietanus, & Nauarrus apud *Leſsium lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dub. 13. num.* 79. Ratio ex eo deducitur, quia licet ſic palam delinquens non habeat amplius ius ad illam famam, eo quià per notorietatem, ſiue iuris, ſiue facti, ſiue famæ eo priuatus fuerit, denegari tamen non poteſt, quin violetur grauiter charitas in re, quæ maximè eſt offendiculi eidem delinquenti, quatenus priuatur fama in illo loco; quā ſine alterius læſione in tali loco poſſidebat, quandoquidem ius charitatis dictat, vt alteri non fiat, quod ſibi fieri vnuſquiſque ægerrimè ferret.

38 Eſt tamen contra charitatē, quandoq; læthale.

Secundò probabilius peccat grauiter contra charitatem, quando detegit ex peruerſa intentione detrahendi delinquenti, prout docet *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. num.* 289. Ratio ex eo deſumitur, quia in ea hypotheſi peruerſitas non ſolum deſumitur ex praua voluntate detegentis in delinquentem, ſed etiam, quia notabiliter plus delictum publicat.

Enumerātur caſus, in quibus eſt læthale.

Tertiò grauiter peccat, quando ex illa propallatione in alio loco emanat aliquod damnum, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, vt ſi ſubtrahatur penſio, vel tormentis afficiatur, prout ſentiunt *Leſſius loc. cit. num.* 81., & *Petrus à Nauarra item loc. cit. num.* 289., & licet aliqui in hac hypotheſi arbitrentur non ſolum peccare contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, & teneri ad compenſationem; re tamen vera peccat tantum contra charitatem grauiter tamen. Ratio ex eo deſumitur, quia illa diffamatio delicti per ſuperius probata non eſt contra iuſtitiam, ergo neq; id, quod ex eadem conſequitur; cum tamen illa diffamatio ſit cauſa illius damni, quod cæteroquì non conſequeretur; non poteſt niſi eſſe grauiter læſiua charitatis.

Probatur tandem, quod ſit peccatum contra charitatem quandoque tantum veniale enumerando aliquos caſus in particulari; & primò probabilius eſt, eſſe dumtaxat peccatum veniale, quando fama delicti adeo in loco, in quo commiſſum eſt, increbuit, vt facilè ſit in locum, quo quis detegit, peruentura; & quidem moralitèr certò, vt notat *Leſsius loco quo ſupra num.* 78. *Nauarrus c. 18. num. 26. ex D. Thoma in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3.*, & ratio eſt, quia ſic detegens non cenſetur notabile dam-

39 Quandoque tantū eſt veniale.

Digitized by Google

damnum inferro, cum, ſi quod euenerit, aliundè moraliter certo eſſet inferendum, & iam paratum eſſet in fama, & honore communi.

Enumerātur caſus, in quibus eſt tantum veniale.

Secundò peccat tantum venialitèr, ſi delinquens parum curet ſe alibi infamari; quod præcipuè verum eſt, ſi procul abſit à loco illo, in quo ipſius crimen detegitur, vel in quo eſt ignotus, nec de facili cognoſcendus.

Tertiò ad ſummum peccat venialitèr aperiendo in loco, in quo non eſt notum delictum, quando delinquens fuit publicè punitus, præcipuè ſi narret ad aliorum exemplum; & quandoque in hoc caſu non ſolum non eſt peccaminoſum ſic detegere, ſed valdè expediens.

PRÆNOTIO XV.

De iniurijs circa bona vitæ, & corporis.

PLures, & longè plures hic etiam titulus inuoluit difficultates, quas ſimul examinare eſſet difficultates difficultatibus obuoluere, & ſub vnius prænotionis titulo, nedum quæſtiones plurimas, ſed & tractatum integrum compræhendere, quod ſanè materiam confunderet, & mētes diuturnitate quæſtionum defatigare, ideò ſequentes ordinem, quem in præcedentibus prænotionibus præmiſimus, hanc quoque in plures diuidemus ſectiones, in quibus dilucidiùs vniuerſam hanc materiam diluemus.

SECTIO I.

Vtrum homo ſit Dominus ſuę vitę, & membrorum.

SVMMARIVM.

Homo non eſt propriè Dominus ſuæ vitæ, ſed tantum cuſtos. 1.

Etiam Reſpublica, & Principes non habent dominium ſupra vitam ſubditorum. 2.

Cur poſsit homo exponere vitam ad tuenda bona fortunæ, & vnum membrum ad ſaluandum totum, ſi non eſt Dominus? 3.

Religioſus etiam ex mandato ſuperioris non tenetur ad conſeruandam vitam ſe exponere acerbiſsimis doloribus. 4.

Non licet ad ſeruandam vocis ſuauitatem pati abſciſsionem virilium. 5.

Ingredi Religionem auſteram non eſt poſitiuè abbreuiare vitam, ſed permittere. 6.

Audiens confeſsiones tabe infectorum non intendit directè mortem. 7.

Martires ſe exponunt tirannis ex inſtinctu Dei ob bonum publicum. 8.

Martires ſe exponentes morti ex inſtinctu Dei id non præſtant iure dominij, ſed vt miniſtri Dei. 9.

EX examine præſentis tituli pandetur via ad plures difficultates examinandas, quæ paſſim occurrent in ſerie vniuerſarum harum ſectionum ad dignoſcendum, quādonam iniuſtitia committatur in læſionibus circa huiuſmodi bona vitæ, & corporis, propterea congruè hunc titulum præmittendum duxi cæteris omnibus diſceptationibus, quæ in hoc genere reſoluentur. Sit igitur.

1 Homo nō eſt propriè dominus ſuę vitæ, ſed tātùm cuſtos.

Aſſertio. Homo non eſt propriè Domīnus ſuæ vitæ, & membrorum, ſed ad ſummum cuſtos. *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5., Caietanus in ſumma verb. homicidium Victoria relect. de homicidio n. 21., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 2. art. 3., Molina tract. 3. de iuſt. diſp. 1., Lugus de iuſt. diſp. 11. ſect. 1., Salonius tract. de dominio q. 3. art. 2., Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 4. dub. 10. nu. 57., & alij magis communitèr.*

Euincitur ſacris ſcripturis.

Probatur primò auctoritatibus ſacræ ſcripturæ, per quas innuitur poteſtatem ſupra vitam hominis, & membra eius eſſe dumtaxat ſub manu Dei, ſic habetur Sapientiæ 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*, Deut. 32. *Videte, quod ego ſim ſolus Deus, & non alius præter me, ego occidam, & ego viuere faciam*; Neque dicas, hæc ſcripturæ teſtimonia euincere quidem eſſe apud Deū dominium ſupremum, & independentèr ſuper vitam, & mortem hominum, non tamen tollere, quin idem dominium ſit modo dependēti, & participato in eiſdem hominibus, ea proportionali ratione, qua paſſim in ſacris ſcripturis tribuitur Deo dominium vniuerſarum rerum, per quod tamen non tollitur, quin homines habeant dominiū dependens in rebus, quas poſſident; Quod ſi dixeris, cōſtare in ſacris ſcripturis, quod Deus quoad alias res conceſſerit hominibus dominium, vt patet ex illo Geneſis *Dominamini Piſcibus Maris, & Volatilibus Cæli &c.* non tamen conſtare ex eiſdem, quod Deus ipſis conceſſerit dominium vitæ, & mortis; ſtatim impugnaberis, quia etiam ex ſacris ſcripturis reſultat, quod Deus hominibus dominium propriæ vitæ conceſſerit, vt patet ex illo Ezechiellis 15. *Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui*, vbi poſtea ſubiungitur *Ante ipſum vita, & mors, ignis, & aqua, ad quodcunque volueris mittet manum ſuam*; Contra enim impugnaberis, & quidem admitto reſponſionem poſitam aduerſus inſtantiam, nempè, quod conſtet de conceſſione dominij, quoad alias res, non autem quoad vitam, & mortem eorundem hominum; neque textus ille *Ezechiellis* 15.

aliquid

aliquid euincit aduerſus illam reſponſionem, nam ibi dicitur homo relictus in manu conſilij ſui, non in ordine ad bona vitæ, & corporis, ſed in ordine ad operationes liberi arbitrij; & quia benè agere eſt ſpiritualitèr viuere, malè agere ſpiritualitèr mori, ſubiungitur ante ipſum vita, & mors; Neque dicas vita ſpiritualis, quæ in gratia, alijsq; donis ſpiritualibus, & ſupernaturalibus conſiſtit, longè præſtantior eſt, maiuſq; donum Dei, quam ſit vita corporalis, ergo, ſi vita ſpiritualis eſt ſub dominio hominis, multò magis erit ſub eodem vita corporalis; contra enim impugnaberis, quia non negatur homini dominium ſupra propriam vitam corporalem, propter præſtantiam ipſius, ex quo capite benè vrgeret inſtantia, ſed ob alias rationes infrà adducendas, quæ nullatenus militant pro vita ſpirituali; Non negauerim tamen dominium ſpiritualis vitæ, ſpiritualiumque bonorum eſſe aliqualitèr diuerſum à dominio rerum corporalium, quatenus hæc ita poſſunt diſponi, vt ipſorum dominium in alium transferatur (præſcindo à iuriſdictione ſpirituali, & à iure in decimas, & ſimilibus) non ſic bona ſpiritualia; in iſtis tamen ſaluatur principalis ratio dominij, quę ſita eſt in poſſe rem aliquam deſtruere, & cuicunque periculo exponere ſine alterius domini iniuria, quamuis deindè non ſine peccato; dominium etenim appellat poſſe de re ſua diſponere ſine iniuria alterius; at non poſtulat poſſe vtcunque diſponere ſine peccato, & ſi alitèr res ſe haberet, neque facultatum temporalium, & diuitiarum homo eſſet dominus, cum nequeat ipſas ſine peccatò prodigere.

1
Explicantur nonnulla ſcripturæ loca, vt non aduerſantia.

Rationes, ob quas ſibi Deus reſeruauit dominiũ vitæ hominum.

Congruo quidem ordine, & ratione Deus Optimus, Maximus, qui omnia eminentiſſima Prouidentia diſponit dirigens media ad ordinatos fines dominium vitæ, & corporis hominum ſibi ſpecialitèr reſeruauit, vtpotè quæ vita eſt fundamentum dominij eorundem hominum in alias res, & propterea ipſa ſub eorum dominium non debebat cadere; Neq; valet hic regula illa Phyloſophica, *Propter, quod vnumquodq; tale, & illud magis*; nam, vt valeret, deberet Homo eſſe Dominus aliarum rerum propter vitam, non tamquam propter fundamentum dominij, ſed tamquam propter principale dominij analogatum, quod & ipſum ſub dominio caderet, vt benè obſeruauit *Salonius hic tract. de dominio q. 3. art. 2. concl. vltima*.

Ex ęo autem, quod Deus ſibi ſpecialitèr reſeruauerit dominium vitæ hominũ expreſsè ſequitur, non ſolum quemlibet particularem hominem non habere dominium ſupra propriam vitam, ſed neq; Rempublicam, & Principes habere dominium ſupra vitam ſubditorum, vndè ad ſummum eſt cuſtos eiuſdem vitæ; non enim de vita hominum poteſt pro libertate diſponere, & licet quandoque Reſpublica, & Principes ſubditos morti exponant, hoc non præſtant titulo dominij, ſed titulo iuſtæ vindictæ, vel conſeruationis boni communis; quod præualet bono particulari vitæ priuatæ; & ſicuti homo ad conſeruationem totius corporis poteſt præſcindere membrum noxium cæteris membris, ità Reſpublica, ſeu Princeps vt caput eiuſdem poteſt hominem particularem pernitioſum eidem Reipublicæ tanquam membrum putridum ab eadem reſecare. Hac eadem ratione, ſi eadem Reſpublica iniuriam patiatur ab aliquo, qui ciuem ſuum occidit, eandem non patitur iure dominij, vt euincitur ex eo, quod non tenetur ciuis alium occidens aliquid Reipublicæ reſtituere, ſed titulo cuſtodiæ, eo modo quo occidens pupillũ, aut violans puellam iniuriam infert tutori, non ratione dominij, ſed ratione cuſtodiæ, quam tutor habet erga pupillum, & puellam.

2
Etiã Reſpublica, & Principes non habent dominiũ ſupra vitã ſubditorũ.

Ratio dominij vtpotè relatiua eſt ad aliud.

Probatur ſecundò ratione, quia ratio dominij, non minus eſt relatiua, quam ſit ratio paternitatis, & magiſterij, ſed relatio non poteſt eſſe ad ſe ipſum, ergo idem non poteſt eſſe Dominus ſui ipſius, ſeu ſuæ vitæ, & corporis. Maior ſecundum ſe liquet, quia Dominus ſemper dicit ſuperioritatem reſpectu illius, reſpectu cuius dicitur Dominus. Minor etiam euincitur, quia conceptus relationis ſemper eſt ad aliud, ergo non poteſt eſſe ad ſe ipſum. Atque hæc ratio eſt radix, cur homo non poſſit ad ſuum libitum de ſua vita ſe ipſum mutilando, ſeu deſtruendo diſponere; qui etenim Dominus non eſt alicuius rei non poteſt ipſam deſtruere; cum deſtructio ſit præcipuus actus dominij; Neque dicas, hominem non poſſe ſe ipſum deſtruere, non prouenire ex negatione dominij in eodem homine, ſed vel ex eo quod peccaret contra charitatem, quam vnuſquiſque debet habere erga ſe ipſum, vel ex eo, quod læderet Rempublicam occidendo ſe ipſum, eo quia illam priuaret ſuo membro; vel tandem quia, cum vita ſit quoddã donum diuinitùs homini datum, & eius poteſtati ſubiectum, qui occidit, & viuere facit, eandem vitam deſtruendo in Deum ipſum peccaret; contra enim impugnaberis, quia nullum ex his obeſſe poteſt noſtræ aſſertioni; non primum, quia occidere ſe ipſum ad ſummum eſſet contra charitatem, quando ſe ipſum quis occideret propter ali-

quod

quod bonum minus ipſa vita; at verò occidere propter aliquod bonum maius ipſa vita non eſt contra charitatem, quia hoc eſt velle ſibi bonum, & per conſequens ſe ipſum diligere; Quod autem poſſit homo ſe occidendo intendere aliquod bonum maius ipſa vita corporali patet ex eo, quod non ſolum in beatitudine ſupernaturali, ſed etiam in ordine naturæ poteſt homo melius, perfectiuſq; ſe habere in ſtatu ſeparationis, quam in ſtatu vnionis animæ ad corpus; Non ſecundū, quia, quamuis ex hoc capite occiſio, vel mutilatio ſui eſſet illicita, prout probat *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. in corpore*, non tamen hoc caput eſt adæquata ratio malitiæ, & cur homo nequeat ſe ipſum occidere, cæteroqui poſſet licitè ſolitarius ſeipſum occidere, cum nulli ſit addictus Reipublicæ, &, quamuis eſſet Reipublicæ addictus poſſet ex ipſius conſenſu ſe ipſum interficere, quod nemo diceret; Non tertium, quia, quamuis re vera peccaret aduerſus Deum, peccaret tamen modò quodam communi propter ſupremam dominationem, quam Deus habet in rebus omnibus eas creando, conſeruando, & regendo, quaſq; tradidit hominibus ad vſum, non vt eiſdem abutantur prodigè profundendo contra præſcriptum eiuſdem Dei; Cæterum ſi homo eſſet Dominus ſuæ vitæ, poſſet de eadem diſponere profundendo, ſicuti poteſt diſponere de rebus ſuis externis ſaltem in ordine ad ea, quæ ſunt perfectioris rationis eadem vita; nec Deus, ſi præſcindas ab abuſu, eſſet rationabiliter inuitus de tali profuſione, ſicuti non eſt inuitus de profuſione diuitiarum, quando talis profuſio non eſſet cum aliqua inordinatione.

Quod homo non poſſit occidere ſe ipſū proueniat ex defectu Dominij.

Probatur tertiò ab alijs, quia vita eſt donum Dei, quod homo nulla ſua arte, nulla ſua induſtria poteſt comparare, ergo non eſt illius propriè Dominus; ſed huic rationi poteſt facilè reſpōderi, quod dominia rerum non ſolum poſſunt acquiri per propriam induſtriam, per conuentiones, ſed etiam titulo donationis etiam quoad ea, quæ homo ipſe per proprias vires non poteſt acquirere, ſicuti ſuperius diximus de vita ſpirituali, quæ conſiſtit in gratia, alijſq; donis ſpiritualibus, quæ ſunt ſub dominio hominis, quamuis propria induſtria, & per vires naturales non poſſint acquiri.

Alia ratio, ſed inefficax.

Aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt in hac aſſertione nonnulla militant argumenta, quæ iam profero diſſoluenda. Primum eſt, quia poteſt homo in propriā vtilitatem vti vita, & membris vſq; ad eorum conſumptionem, ergo quia homo eſt Dominus ſuæ vitæ, membrorumque ſui corporis. Antecedens probatur primò, quia ad tuenda bona fortunæ contra furem licitum eſt vitam exponere. Secundò quia licitè poteſt quis ſibi abſcindere aliquod membrum, ſi talis abſciſſio neceſſe ſit, ad totius vitæ conſeruationem. Tertiò ad conſeruandam vocis ſuauitatem, qua ſibi per totam vitam lucrum comparari poſſit, licet alicui ſibi permittere amputationem virilium. Quartò, quia deſiderio amoris perfectioris, & ſecurioris ſalutis ſpiritualis licitum eſt ingredi Religionē, in qua propter aſperam viuendi rationem immineat breuioris vitæ periculum, ergo homo, tam in ſpiritualem, quam in corporalem vtilitatem vti poteſt vita in membris vſque ad conſumptionem, vel cum periculo conſumptionis.

Referuntur argumēta, quę militant aduerſus aſſertum.

Sed huic argumento facilè occurri poteſt, ſi aſſeratur, poſſe hominem in propriam vtilitatem vti vita per accidens, & vrgente graui neceſſitate, non per ſe, & ex arbitrio ſuo præciſè. Ad primam, & ſecundam antecedentis probationem dicendum eſt, eum, qui vel ad tuenda bona fortunæ exponit vitam, vel ad conſeruandam vitam abſcindit membrum, non facere hoc ex arbitrio, ſed quodamodo ex neceſſitate; vndè in hoc ſecundò caſu docent nonnulli, non ſolum licitè poſſe, ſed etiam ex obligatione debere permitti membri abſciſſionem; Verum cum pluribus alijs non crediderim adeſſe huiuſmodi obligationem, niſi quando talis abſciſſio abſq; ingenti dolore fieri poſſit; cæterum ſi fieri nequeat, niſi cum acerbiſſimo dolore, talis obligatio non vrget, quia homo tenetur conſeruare ſuam vitam per media ordinaria, & non per extraordinaria, & difficilima, quod extendi etiam debet ad Religioſos, in ordine ad quos veriſimile eſt, neque ex obedientia, & imperio ſuperioris obligari poſſe ad res adeo difficiles, niſi talis perſona ſit maximè neceſſaria ad commune bonum Reipublicæ, propter quod, ſicuti quiſque tenetur, & à Superioribus obligari poteſt ad exponendam vitam, multo magis ad ſuſtinendum dolorem, quantumuis acerbiſſimum. Ad tertiam probationem abſolutè exiſtimo non licere membri abſciſſionem, niſi propter vitam conſeruandam, vel ſalutem corporis; vnde propter vocis ſuauitatem præciſè cum *Lugo hic diſp. 10. ſect. 1. num. 23. Tannero 2. 2. diſp. 4. q. 8. dub. 5. nu. 101.* puto non eſſe licitam abſciſſionem virilium, quia cæteroqui poſſit quis tutulo honoris ſe caſtrare, vt reciperetur in aliqua aula, in qua ſolum Eunuchi admittuntur, vt hodiè aſſerunt aliqui obſeruari in aula Imperatoris Sinarum. Accedit, quod cautum eſt per decreta

3 *Cur poſſit homo exponere vitam ad tuēda bona fortunæ, ſi non eſt Dominus.*

4 *Religioſus etiam ex præcepto Superioris non tenetur conſeruare vitam cū acerbiſſimis doloribus.*

5 *Non licet ad ſeruādam vocis ſuauitatē pati abſciſſionem virilium.*

Digitized by Google

Conciliorum Nicæni relati *in c. ſi quis à Medicis diſt.* 55., & aliorum, vt teſtatur *Lugus loc. mox cit.*, etiam ad vtilitatem ſpiritualem, ſcilicet ad ſedandas carnis tentationes non licere amputare virilia, ergo multominus licebit propter vocis ſuauitatem in ordine ad bonum temporale. Ad quartam fateor, licitum eſſe ingredi Religionem, in qua aſpera adſit viuendi ratio, & præuideatur breuioris vitæ periculum; pro quo aduerte, aliud eſſe procurare, aliud permittere vitæ abbreuiationem, aliud adhibere poſitiuè media ad vitam abbreuiandam, aliud non admittere omnia media ad talem abbreuiationem impediendam. Primum propter ſolam vti-

6 Ingredi Religionē auſteram non eſt poſitiuè abbreuiare vitam, ſed permittere.

litatem ſpiritualem, & deſiderio maioris perfectionis non licet, benè tamen ſecundum; quapropter habens delicatam complexionem licitè poteſt ingredi Religionem, in qua timeat periculum breuioris vitę, hoc enim non eſt adhibere poſitiua media ad abbreuiandam vitam, ſed eſt relinquere ſe ordinarijs, & communibus; & nō extraordinaria inquirere pro impedienda abbreuiatione eſt abbreuiationem procurare, ſed permittere; vndè benè refert *Lugus hic diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 34. erraſſe Medicos aliquos in Vrbe, qui Medicam falcem in Theologicā meſſem malè mittentes decreuerunt nobilem quendam Nouitium delicatæ complexionis teneri ſub mortali ad egrediendum è Religione, in qua adhuc erat Nouitius.

Iuxta ea, quæ dicta ſunt in reſponſionibus ad hoc argumentum, facilè erunt ſolui

Alia obiecta propoſita.

ſimilia, ſi fortè obijciantur; & primò ſi dicatur, quod Sacerdos tempore peſtis poſſit confeſſiones infectorum audire etiā cum periculo propriæ vitæ; ſecundò ſi dicatur, quod miles poteſt in ſtatione manere, quantumuis moralitèr ſit certus, quod ibi occidetur; tertiò quod licitè martires ſe potuerunt manifeſtare tirannis, & fidem profiteri coram illis, quod eſt vitam exponere. Facile, inquam, erunt ſolui, ſi dicatur ad primum de Sacerdote pro tempore peſtis audiente confeſſiones infectorum, ipſum non directè

7 Audiens confeſſiones peſte infectorū nō intendit directè mortē.

intendere mortem propriam, ſed in ordine ad bonum commune, ſalutis ſcilicet animarum non effugere occaſiones omnes ad euitandum mortis periculum; vndè meritò docent DD. communiter, quod licitum ſit, quando iuſta adeſt cauſa, aliquid facere, vel omittere, vndè moralitèr certo ſcitur ſecuturus interitus indirectè; rationemq; addit *Leſsius de iuſt., & iur. lib.* 2. *c.* 9. *num.* 28., quia non eſt prohibitum homini, ne vitam ſuam periculis vnquā exponat, neq; eidem præceptum eſt, vt eam ſemper conetur conſeruare, ſed tantum, ne ex intentione directè illam perdere ſtudeat, & ne abſq; cauſa eam exponat; Cæterum, ſicuti quis ratione lucri temporalis poteſt corpora infectorum ſepelire, cur non poterit Sacerdos ob lucrū ſpirituale, tum proprium, tum animarum per earum Sacramentalem confeſsionem à morte ſpirituali peccatorum reuocare?

Idem dic de milite tenente ſtationē.

Ad ſecundum de milite tenente ſtationem idem ferè reſpondendū eſt, non intendere directè mortem, ſed cuſtodire ſtationem ob publicum bonum propriæ cuſtodiæ commendatam, &, ſicuti ad tuenda bona fortunæ ob commodum proprium poteſt vitam exponere, ità ad tuendam ſtationem ob bonum publicum poteſt ſe exponere periculo vitæ. Ad tertium dicendum eſt Martires iuſtè, & liberè potuiſſe

8 Martires ſe exponunt tirānis ob bonum publicum ex inſtinctu Dei.

ſe tirannis manifeſtare, cum hoc præſtiterint ex zelo fidei, vel ex charitate fraterna, vel ex alio iuſto titulo vergente, vel in ſuarum animarum, vel totius Eccleſiæ vtilitatem, hocque ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu. Nec audiendi ſunt, nonnulli, qui temerario auſu aſſerunt ſe ſpontè tirannis manifeſtantes, & fidem profitentes, non eſſe verè martires, ſed homines temerarios; & imprudentes; non, inquam, audiēdi ſunt, quia ab Eccleſia coluntur, vt martires, & vt benè notat *Cardinalis Baronius anno* 852. facti ſunt notiſſimi martires vniuerſæ Eccleſiæ Occidentalis; Verum tamen eſt, quandoq; non licere, ſe ſpontè offerre tiranno, eumque per profeſſionem fidei ad ſui occiſionem irritare; quando ſcilicet in magnum Religionis detrimentum cederet, vt ſi qui vellet ſe exponere, eſſet perſona neceſſaria ad fidem, ſine qua periclitaretur; iuxta quem ſenſum exiſtimo explicanda eſſe illa verba *Matthæi* 10. *Cum vos perſequentur in Ciuitate iſta, fugite in aliam*; procedebant etenim de SS. Apoſtolis, qui, cum ordinati eſſent ad manifeſtandum Euangelium in omnes fines terræ, vtique debebant perſecutiones fugere, vt ſe conſeruarent.

Secundum argumentum aduerſus aſſertionem ex eo deſumitur, quia, ſi non poſſet homo de ſua vita diſponere ſe ipsū mutilando, vel occidendo, quia non eſt abſolutè Dominus ſuæ vitæ, nec poſſet ſe ipſum occidere ex ſpeciali Dei inſtinctu, quod non videtur dicendum, cum multi in ſacra ſcriptura laudentur, eo

9 Martires ſe exponentes morti ex inſtinctu Dei præſtant hoc non iure dominij, ſed vt miniſtri Dei.

quod ſe ipſos occiderint, vt Sampſon *Iudicum* 16. Eleazarus 1. *Machabeor.* 6., vel per SS. PP. in ſuis hiſtorijs commendātur, vt B. Apollonia, & aliæ per D. Ambroſiū lib. 3. de virginitate, ergo &c. Antecedens probatur, quia per talem inſtinctum homo non poteſt fieri Dominus ſui ipſius, cum etenim relatio ſit ad aliud, neq; ex

diuina

diuina ordinatione poteſt eſſe ad ſe ipſũ. Sed huic etiam erga facilè occurritur, ſi aſſeratur, antecedens abſolutè non ſubſiſtere; qui etenim ex ſpeciali Dei inſtinctu ſe ipſum occideret, hoc non præſtaret iure proprietatis, ſeu titulo dominij, ſed vt miniſter,& auctoritate Dei mouentis, & imperantis; Nec ex hoc ſequitur,quod eodem pacto poſſet quis ſe occidere, vt miniſter Iudicis,& inſtrumentum Reipublicæ, quod non eſt dicendum, licet aliqui abſolutè affirment etiam, vt miniſtrũ Iudicis poſſe ſe ipſum interimere, quia ex quo Iudex poteſt cuicunque committere executionem ſententiæ mortis, non videtur eſſe quid obſtans, quominus poſſit committere eidem delinquenti acceptanti &c. Non ſequitur,inquam,quia Iudex non poteſt aliquem occidere, niſi per modum punitionis, quam nemo poteſt exercere in ſe ipſum, cum punitio ſit actus iuſtitiæ vendicatiuæ, quam nemo poteſt exercere in ſe ipſum, cum de ſuo eſſentiali conceptu exigat eſſe ad alterum; Deus autem cum ſit abſolutè Dominus poteſt præcipere occiſionem ſui ipſius pluribus alijs titulis diuerſis à titulo punitionis, adeoq; &c.

Soluitur tertium argumentum contrarium.

Tertium argumentum deſumitur ex eo, quod mutilans alterum per abſciſſionem alicuius membri, tenetur ex iuſtitia compenſare omnia damna indè ſecuta, ergo mutilatus verè eſt Dominus ſuorum membrorum, quia reſtitutio, ſeu compenſatio ſemper fit domino. Rurſus ipſe mutilatus poteſt condonare iniuriam receptam, & onus compenſationis ipſi mutilanti, ergo, quia eſt propriè Dominus; non enim poteſt remittere læſionem, niſi Dominus, cui facta eſt læſio. Sed etiam huic argumento facilè occurri poteſt aſſerendo, quod reſtitutio, ſeu compenſatio non fieri debeat pro ipſa ſubſtantia membri abſciſſi, cum res ordinis ſuperioris nequeant compenſari per res ordinis inferioris, ſed pro vſu ceſſante, ratione mutilationis in tali membro, ratione cuius non exercet illas operationes, quas ſine tali mutilatione ipſe exercuiſſet, & quarum eſſet abſolutè Dominus. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt mutilatum non condonare reſtitutionem membri, vtpotè quod irrecuperabile eſt, & ſi poſſet recuperari, non foret in libertate eiuſdem mutilati condonandi reſtitutionem eiuſdem membri propter carentiam dominij ſupra membra, condonat igitur ſolum reſtitutionem faciendam in pecunia, alioque bono temporali, ad quod ipſe læſus habet jus dominij in ordine ad damna, quæ conſequuntur ex tali mutilatione.

Soluitur quartũ argumentũ.

Quartum argumentum eſt, quia homo poteſt ſe ipſum vendere, & in ſeruitutem redigere, vt colligitur ex *Exodi 21.*, *&* *Deuteronomij 15.*, vbi conceditur Hæbreo, vt ſe ſpontè poſſit alteri in perpetuam ſeruitutem tradere, & exemplo D. Paulini, qui ſe vendi in ſeruum voluit, vt filium viduæ à ſeruitute reuocaret, ergo eſt propriè dominus ſuæ vitæ, ſuiq; ipſius,cum nemo rem alienam poſſit vendere. Huic etiam argumento facilè occurro, aſſerens eum, qui per venditionem ſe ipſum conijcit in ſeruitutem, non propriè vendere ſe ipſum, ſed ſolummodo ſe obligare emptori quoad ſua obſequia perſonalia, & operationes, quas tenetur exercere in illius fauorem, & quod in eundem emptorem proprie non transtulerit ſui ipſius dominium facilè ex eo liquet, quia emptor non poteſt eodem vti, niſi in ordine ad eaſdem operationes, non autem in ordine ad vitam.

Soluitur quintum.

Quintum argumentum eſt, quia in matrimonio vir fit Dominus corporis vxoris, & vxor corporis mariti, ex Apoſtolo 1. *ad Corinth. 7.*, ergo, quia maritus, & vxor ſupponuntur antecedentèr ad matrimonium domini ſuorum corporũ, non etenim ad inuicem potuiſſent transferre dominium,niſi illud in ſe habuiſſent; & quod verè transtulerint ad inuicem dominium per matrimonium ex eo euincitur, quod, ſi alter ipſorum fornicatus fuerit, intelligitur actum iniuſtitiæ aduerſus coniugem innocentem commiſiſſe. Sed contra facilè occurro dicens, coniuges dici adinuicem dominos corporum, nempe maritum corporis vxoris, & vxorem corporis mariti non abſolutè, & quoad ſubſtantiam, ſed præciſè in ordine ad vſum, quatenus vnuſquiſque alteri petenti legitimè tenetur reddere, & cuicumque alteri denegare, & ſic, dum alter ipſorum fornicatur, dicitur contra iuſtitiam peccare, quia vſum, quem alteri obligauerat priuatiuè quoad quemcunque alium, alteri conceſſit; non enim ſolum iniuſtitia verſatur circa proprietatem rei alienæ, ſed etiam circa vſum inuito, & non conſentiente eo, qui habet ius ad talem vſum.

SECTIO II.

De Homicidio, & mutilatione ſecundum ſe.

SVMMARIVM.

Octo modi, quibus poteſt contingere homicidium iniuſtum. 1.

Homicidium, & mutilatio ſunt ex genere ſuo

Digitized by Google

peccata lathalia. 2.

Ratione paruitatis materia mutilatio poteſt eſſe venialis, & homicidium veniale ratione indeliberationis. 3.

Homicidium eſt grauius furto, detractione, & adulterio. 4.

Homicidium eſt ab intrinſeco malum, non tamen ità preſsè, vt eſt mendacium. 5.

Homicidium propriè ſumptum non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ſed tantum contra legalem 6.

Non ſolum peccant contra ius diuinum, & naturale, qui directè per ſe occidunt; ſed etiam, qui cooperantur octò illis modis aſſignatis: 7.

Non ſolum peccant, qui voluntariè in ſe, ſed etiam voluntariè in cauſa attingunt homicidium. 8.

PRæcipuè actiones, ex quibus fiunt læſiones in bonis vitæ, & corporis, conſiſtunt in homicidio, & mutilatione, ſicuti actiones præcipuæ iniurioſæ in bonis famæ, & honoris ſunt detractio, & contumelia, & actiones iniurioſæ in bonis fortunæ ſunt furtum, & rapina. De his actionibus iniurioſis in bonis vitæ ſecundum ſuam quidditatem, & rationem formalem erit latus ſermo in præſenti. Pro quo

Aduerte, homicidium ſecundùm ipſam nominis ethimologiam nihil aliud eſſe, quam hominis occiſionem; hæc autem ex mente *D. Thomæ 1. parte q. 100. art. 8. ad 3., & de malo q. 13. art. 4. ad 11.*, dupliciter poteſt ſumi, vel latè pro quacunque hominis cæſione, ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta, vel propriè pro hominis occiſione tantum iniuſta. Hic propriè agetur de homicidio propriè, & preſsè ſumpto pro iniuſta occiſione, & etiam de mutilatione, prout importat iniuſtam cæſionem alicuius membri. Vtraque autem octo potiſſimùm modis poteſt contingere, qui tamen omnes non ſpectant ad iniuſtas huiuſmodi actiones; primo facto, vt cum quis per ſe ipſum exequitur talem occiſionem; Secundo præcepto, cum ſcilicet quis iubet alterum occidi; Tertio conſilio, cum ſcilicet quis conſulit, & ſuadet alterius occiſionem. Quarto defenſione, quando ſine moderamine inculpatæ tutelæ in ſui defenſione alterum occidit. Quinto, permiſſione, quando cum teneatur obſiſtere morti alterius ex officio, non obſiſtit. Sexto, animatione, quando facto, vel verbis alterum animat ad proximo mortem inferendam, ſed hic modus coincidit cum homicidio per conſilium. Septimo, coòperatione, quando ſimul cũ alijs concurrit ad necem alterius. Octauo, auxiliatione, quando alteri auxiliatur, ſed hic modus occidendi coincidit cum præcedenti. Rurſus homicidium propriè ſumptum poteſt dupliciter voluntariè intendi; ſcilicet voluntariè in ſe, & voluntaria in cauſa; Primo modo intercedit, quando quis directè, & intentione immediata intendit homicidium. Secundo modo intercedit, quando operans non intendit directè ipſam mortem, ſed aliquid, cum quo connectitur ipſa mors, vel ex quo certo moralitèr eſt ſecutura. His ſuppoſitis

1 Modi octo, quibus poteſt cõtingere homicidium.

Poteſt eſſe voluntariũ, vel in ſe, vel in cauſa.

Id, quod in præſenti titulo inquiretur erit primo, an homicidium, & mutilatio propriè ſumpta ſunt ex genere ſuo peccatum læthale; Secundo, an in genere peccatorum, quæ ſint aduerſus alterum, ſint peccatum grauius. Tertio, an ſint peccatum contra iuſtitiam. Quarto, quid ſingularitèr ſentiendum ſit in omnibus octo modis ſupra aſſignatis, ſi per eos cõmiſſum fuerit homicidium. Quinto, quid de homicidio non voluntario in ſe, ſed tantum in cauſa.

Rationes dubitandi circa titulum.

Aſſertio I. Homicidium, & mutilatio ſunt ex genere ſuo peccata læthalia. Conſentit *D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. in corp., Silueſter verb. Homicidium 1. num. 1. Nauarrus in man. c. 15. num. 5.*, & hæc eſt communis omnium, tùm Theologorum, tùm Iuriſtarum opinio.

2 Sunt ex genere ſuo peccata læthalia.

Ratio deducitur ex ijs, quæ ſupra dicebantur, nempe furtum, & rapinam circa bona fortunæ, detractionem, & contumeliam circa bona famæ, & honoris eſſe peccata ex genere ſuo mortifera, ergo à fortiori erunt ex genere ſuo peccata læthalia homicidium, & mutilatio. Conſequentia probatur ex *D. Thoma 2. 2. q. 73. art. 3. in corpore*, vbi ait, *Tanto autem eſt maius nocumentum, quanto maius bonum demitur*; ſed maius eſt bonum, quod demitur per homicidiũ, & per mutilationem, quam illud, quod demitur, vel per furtum, ſeu rapinam, vel per detractionem, & contumeliam, quia bonum corporis præeminet bonis exteriorum rerum, ergo inter cætera peccata, quæ ſunt contra proximum grauius peccatum eſt homicidium, adeoq; ſi alia peccata contra proximum ſunt ex genere ſuo læthalia, erit ex genere ſuo læthale. Confirmatur primo, quia obiectum, circa quod verſatur homicidium, ſeu mutilatio, eſt ſecundum ſe graue, & conſiderabile, nempe vita, ſeu membrum hominis, ergo peccatum erit ex ſe graue, & ex genere ſuo læthale. Confirmatur, quia homicidium interdicitur in Decalogo, & ſub grauibus pænis, tam de iure diuino, quàm humano, ſiue canonico, ſiue ciuili, ergo &c.

Dixi ex genere ſuo, quia ratione indelibe-

Digitized by Google

3 Ratione indeliberationis poteſt eſſe homicidium, veniale, & ratione paruitatis materiæ mutilatio.

liberationis reſpectu homicidij, & ratione paruitatis materiæ reſpectu mutilationis poteſt quandoque eſſe non niſi leue; vbi etenim non eſt voluntarium, non poteſt eſſe peccatum, & vbi demitur de voluntarietate, ſemper demitur de malitia, & leuitas materiæ non poteſt ingerere grauem noxam.

4 Homicidium eſt grauius furto, detractione, & adulterio.

Aſſertio II. Ex genere ſuo peccatum homicidij non ſolum eſt grauius furto, & rapina, detractione, & contumelia, ſed etiam adulterio. Ita expreſsè *cum D. Thoma 2. 2. q. 73. art. 3. in corpore alij DD. communitèr*.

Quoad peccata furti, & rapinæ, detractionis, & contumeliç clare liquet ex probatione præcedentis aſſertionis; Quoad adulterium, in quo eſt potiſſima ratio dubitandi, ex eo euincitur, quia eo deteſtabilius eſt peccatum, quo bonum, quo læditur, eſt perfectius, ſed perfectius eſt bonũ, quod læditur per homicidium, ac ſit illud, quod læditur per adulterium, ergo deteſtabilius eſt homicidium, quam adulterium. Minor probatur, quia bonum, quod læditur per homicidium, eſt vita hominis iam actu exiſtens, bonum verò, quod læditur per adulterium eſt debitus ordo generationis, prout notat *D. Thomas loc. cit.*, per quam eſt introitus ad vitam, qui introitus adhuc poteſt eſſe incertus, perfectius autem bonum eſt vita hominis iam exiſtens, quam ſit vita adhuc in cauſa, & incerta, ergo &c.

Dices primò, per adulterium non ſolum læditur debitus ordo generationis, ſed etiam læditur ius, quod habet maritus in corpus vxoris; per homicidium verò ſolum læditur perſona occiſi. Sed contrà, quia illud ius, quod habet maritus in corpus vxoris ſimul cum peruerſione ordinis futuræ generationis non præponderat vitæ hominis iam exiſtenti; vita quippè eſt fundamentum cuiuſcunque iuris; vndè meritò *Silueſter verb. homicidium 1. num. 4. q. 1. vers. quintum*, damnat quandam mulierem nuptam impetitam à Diocletiano, quæ, cum maritus eidem Diocletiano reſiſtere nequiret, ſe occidit iuxta hiſtoriã Eccleſiaſticam, additq; immediatè rationem, quia nullus debet in ſe admittere crimen maius, ideſt homicidium, vt vitet alienum minus, ideſt adulterium, ſeu fornicationem, ergo, quia ſentit minus delictum eſſe adulterium, ac ſit homicidium. Deindè res conſideratur ex obiecto præcisè, non ex circunſtantia, quæ licet mutet ſpeciem in adulterio reſpectu fornicationis, non tamen in ordine ad homicidium conſtituit grauius peccatum.

Vita eſt fundamentum cuiuſcunque iuris, & ordinis.

Dices ſecundò, per adulterium præter illam læſionem ordinis generationis fit quodamodo iniuria Sacramento; maius autem peccatum eſt, quo læduntur quodamodo res ſacræ, ſeu Sacramenta, ac ſit illud, quo læduntur præcisè bona corporalia, cuiuſmodi eſt vita hominis. Sed contra, per adulterium non læditur directè, & immediatè ipſum Sacramentum, ſecus quodcunque adulterium inter fideles eſſet ſacrilegium, quod nemo dicet; non enim perſonæ coniugum per Sacramentum conſtituuntur res ſacræ; licet recipiant effectum Sacramenti. Cum igitur Sacramentum conſtituat matrimonium ex diuina ordinatione fortiori iure ſolum indiſſolubile, ſolumque relinquat in ipſis coniugibus, tanquam præcipuum effectum vinculum illud coniugale, cum ipſum vtpotè conſiſtens in actione tranſeunte non perſeuoret, ſit quidem, quod per adulterium lædatur quoquo modo id, quod firmatum eſt per Sacramentum, non autem formalitèr ipſum Sacramentum, cum adhuc non perſeuoret in eſſe; ex quo ſequitur ad ſummum, quod lædatur ſtatus coniugalis contra diuinam ordinationẽ: ſed hoc non infert maius peccatum in adulterio, ac ſit in homicidio; quandoquidem in homicidio præter perfectius bonum ex obiecto, quod læditur, læditur etiam ſpecialius ius Dei, quod ſibi reſeruauit in vitas hominum.

Non læditur Sacramentum directè.

5 Homicidium eſt ab intrinſeco malũ nõ tamen ità preſsè vt eſt mẽdacium.

Aſſertio III. Homicidium eſt quidem ab intrinſeco malum, ſed non ita generalitèr, vt eſt mendacium, ſed quatenus eſt contra naturam. Conſentit *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 2. circa fin. in reſponſ. ad tertium arg.*, tunc autem eſt contra naturam, quãdo homo dignitatem ſuam ſeruat, hoc eſt viuit ſecundum regulas rationis, quando etenim à regulis rationis declinat, comparatur iumentis inſipientibus, & ſimilis fit illis; vndè *Ariſtoteles 7. polit., & primo Ethic.* appellat hominem improbum fera beſtia deteſtabiliorum.

Ratio aſſertionis ex eo deducitur, quia quando præcepta per ſe intrinſecè continent rationem, & conſeruationem boni communis, vel ordinem ipſum iuſtitiæ ad idem bonum, tunc peccata eiſdem oppoſita ſunt ab intrinſeco mala; huiuſmodi eſt præceptum Decalogi, qua dicitur *Ne occidas*, ergo peccatum contra huiuſmodi præceptũ erit ab intrinſeco malũ. Minor probatur, quia præceptum non committendi homicidium reſpicit ne dum bonum partis, ſed etiam bonum totius, vt ſcilicet nemini iniuria fiat, ſed ius ſuum cuicunque ſeruetur; qui enim dicit *Ne occidas*, idem dicit, quod non iniuſtè, nec malè facias. Confirmatur, quia regula generalis naturæ eſt, vt alteri non facias, quod tibi non vis fieri, ergo peccatum licet regulæ aduer-

Digitized by Google

aduerſans erit contra ius naturæ, adeoq; malum ex ipſo iure naturæ, & ſic ab intrinſeco. Confirmatur ſecundò, quia præcepta ſecundæ tabulæ, inter quæ eſt præceptum non occidendi includuntur teſte Apoſtolo ad Rom. 5. in illo præcepto *Diliges proximum ſicut te ipſum*; hocq; autem præceptũ conſequitur ad illud *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* ſed præceptum dilectionis Dei eſt intrinſecè naturale, & inuoluit intrinſecè perfectionem ſummi, & communis boni, & peccatum eidem aduerſans eſt omni ratione, & ab intrinſeco malum, ergo & præceptum dilectionis proximi ſecundum modos preſcriptos ex decalogo continebit ordinem ad commune bonum, adeoq; peccata contra illud erunt ab intrinſeco mala; Neque dicas cum Scoto, dilectionem proximi poſſe dupliciter conſiderari, primò quatenus directè tendit ad Deum, in eo ſcilicet ſenſu, quatenus vnuſquiſq; tenetur velle proximo, vt Deum diligat; ſecundò, quatenus directè tendit in proximum ipſum, quatenus proximo vnuſquiſque debeat velle temporalè vitam, & honorem, temporalia bona, & thorum immaculatum; Iuxta primum ſenſum aſſerit, dilectionem proximi ſequi ex dilectione Dei neceſſariò; non ſic iuxta ſecundum ſenſum; contra enim impugnaberis, quia dilectio proximi, quæ eſt de iure naturæ, eſt illa, quæ ex dilectione Dei, ſequitur tanquam auctore naturæ; hæc autem non ſolùm eſt illa, qua proximo volumus, vt diligat Deum, nam hæc eſt potius dilectio eiuſdem Dei, ſed illa quoq; quo eidem proximo cupimus bona naturalia. Quis autem diceret, non aliud Deum, ſeu ipſam naturam præcepiſſe, niſi vt diligeremus Deum? vnde dilectio proximi habet neceſſariam inſeparabilemq; iuſtitiam, & proindè tanquam neceſſariam ad dilectionem Dei, cõſequenter neceſſariam habet connexionem ad conſecutionem vltimi finis.

Rationes ſuadentes eſſe ab intrinſeco malum.

Diſtinctio Scoti in hoc elidìtur.

Dices primò, id quod ex genere ſuo, & ab intrinſeco malum eſt teſte *Ariſtotile 2. Ethic.* nulla de cauſa poteſt fieri benè; ſed homicidium quandoq; benè poteſt, & licitè fieri, vt habetur ex illo *Exodi 2. Maleficos non patieris viuere*, & ex illo Exodi 21. *Si quis per iniuriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur*, quod idem ſtatuitur *in c. 1. de homicidio*. Sed contra, per hoc ſaluatur id, quod in aſſertione diximus, *non ita generaliter, ſed quatenus eſt contra naturã*; quando autem homicidium eſt contra naturam, tunc intelligitur, quando natura ipſa non ſuadet contrarium; in duobus autem potiſſimùm caſibus natura ſuadet contrarium, quando ſcilicet homo per noxia ſua opera conſeruationi eiuſdem naturæ contrarius eſt, quatenus eandem inficit, vnde tunc teſte Ariſtotile comparatur vt fera beſtia, & tanquam membrũ putridum, quod propterea reſecandum eſt à Republica, ne vniuerſam maculet, & quando alterum actu aggreditur, vt occidat, tunc etenim natura ipſa ad ſui conſeruationem impunè admittit aggreſſoris necem.

Natura ipſa in hac hypotheſi ſuadet homicidiũ.

Dices ſecundò, homicidium eſt diſpenſabile à Deo, ergo non eſt ab intrinſeco malum. Antecedens patet, primò in diſpenſatione, quam Deus fecit cum Abraham, vt filium ſuum immolaret. Secundò cum Sampſone, vt ſe cum Phyliſtæis occideret. Tertiò cum Eleazaro 1. Machabeorum 6. Quartò in militibus vt hoſtes ſuos interficiant impunè in bello. Quintò in poteſtatibus humanis, vt maleficos interficiant, & his ſimilibus, ergo &c. Sed contra reſponderi poteſt, primò quod in ijs, in quibus natura ſuadet hominem in commune bonum eiuſdem naturæ eſſe interficiendum, interfectio ipſa non ſit ab intrinſeco mala; hocque contingit in poteſtatibus ſupremis interficiẽtibus maleficos ad conſeruationem naturæ, & Reipublicæ, & fortè etiam in militibus in bello iuſto; in ijs verò, in quibus natura non ſuadet hominem ad bonum commune eiuſdem naturæ interficiendum dicendum eſt, duas in Deo poteſtates in vniuerſum orbem poſſe conſiderari; vnam, qua vi creationis eſt Dominus non ſolum bonorum omnium exteriorũ, ſed etiam corporum, & vniuerſę vitæ humanæ; alteram, qua eſt legislator, atque vniuerſalis omnium Iudex; hinc ad rem præſentem dico, quòd in caſibus allegatis, & ſimilibus, in quibus natura non ſuadeat hominem ad bonum eiuſdem naturę interficiendum, Deus non diſpenſet vt legislator, quia vt talis id certè non potuiſſet, ſed vt Dominus vitæ, & mortis tranſtulit in poteſtatem eorundem vitam, vel propriam, vel alienam, quod non eſt diſpenſare in homicidio, ſicuti non diſpenſat in furto, qui rem ſuam alteri tradit.

Deus non diſpenſat, ſed vt Dominus proprietatis trãſfert ſuam poteſtatem in vitam hominum.

6 Aſſertio IV. Homicidium propriè ſumptum probabiliùs non eſt peccatum contra iuſtitiam, nec aduerſus ipſum occiſum, nec aduerſus Rempublicam, nec aduerſus Deum loquendo de iuſtitia commutatiua rigoroſè ſumpta, benè tamen de iuſtitia generali virtute. Conſentit in vniuerſum *Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 3. nu. 34. & ſeqq.*, Intellige tamen, quoad ipſum homicidium formaliter ſumptum, nam ratione damnorũ ex eodem homicidio ſequentium homici-

Non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ſed tantũ contra legalem.

da

da peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem.

Nemo habet dominium ſuæ vitæ.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ipſe occiſus non habebat propriè dominium ſuæ vitæ, & corporis per ea, quæ ſuperiùs latè probata ſunt, ergo aduerſus ipſum homicida non peccat peccato iniuſtitiæ rigorosè ſumptæ priuando ipſum vita, cuius dominio non gaudet; Neque dicas, quod, quamuis non haberet ius propriè dominij in propriam vitam, & corpus, haberet tamen ius, ne ab alio in eadem vita, & corpore læderetur, in cuius iuris propterea læſione conſiſtat iniuſtitia; contra enim impugnaberis, quia illud ius non eſt ius iuſtitiæ, cuius rei ſignum eſt, quod ſi in vita, vel membro lædatur, non ſit aliquid pro vita, & membro formalitèr ſumptis reſtituendũ, cum ſint irreparabilia; vndè etiam ſuperius diximus, quod, ſi quis alium mutilet in membro, non teneatur ex iuſtitia ad compenſationem pro membro, licet ex iuſtitia teneatur ad reparationem damnorum ex tali mutilatione ſequentium.

Reſpublica nõ habet dominium in vitâ ſubditorum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia Reſpublica non eſt Domina vitæ ciuium, & ſic per occiſionem vnius ciuis nullum ius iuſtitiæ reſpectu ipſius læditur; cuius etiam rei ſignum eſt, quod occidens nullã teneatur Reipublicę reſtitutionem, ſeu compenſationem facere.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia Dei ad homines non eſt iuſtitia commutatiua, vt latè docuimus in quæſtionibus de Incarnatione, cum à Deo non poſſit, aliquod dominium auferri.

Soluitur inſtantia propoſita.

Aduerſus ea, quæ potiſſimum dicta ſunt in prima parte huius aſſertionis militat argumentum deductum ex ijs, quæ dicta ſunt in definitione furti, nempe furtum non ſolum committi in læſione proprietatis rei alienæ, ſed etiam in læſione vſusfructus, vſus, cuſtodiæ, & detentionis rei alienæ, ergo in homicidio, quantumuis non lædatur iuſtitia ratione proprietatis vitæ, ſeu corporis, læditur tamen quoad vſum eiuſdem, qui propriè cadit ſub dominio eiuſdem hominis. Sed contrà, quia quoad hoc dictũ fuit, quod teneatur homicida ad compenſationem eorum damnorum, quæ proueniunt ex læſione eiuſdem vitæ, & corporis, quæ damna præcipuè deſumuntur ex defectu vſus reſpectu occiſi, ſeu mutilati.

7 Non ſolũ peccant, qui directe occidunt, ſed etiam cooperantur

Aſſertio V. Non ſolum peccant contra præceptum diuinum, & naturale non occidendi, qui dirrecte, & immediatè per ſe ipſos exequuntur homicidium, ſed etiã, qui cooperantur octo illis modis in principio ſectionis aſſignatis, regularitèr loquendo. In hanc aſſertionem expreſsè propendent. *Siluester verb. homicidium 1. à n. 11. vſque ad fin., & quotquot ſcripſerunt in hac materia*. Dixi *regularitèr loquendo*, quia in aliquibus caſibus poſſunt excuſari à peccato, vt v. g. in mandato; ſi Iudex, vel alius Superior habens ius ſanguinis mandet ſuis miniſtris maleficum occidi. Vide, quæ dicta ſunt in præcedentibus de cooperatoribus in actionibus iniuſtis circa bona fortunæ, & hic ſeruata proportione applica.

modis ſupra aſſignatis.

Ratio in vniuerſum horum omnium ea eſt, quia hi omnes per ſuas actiones, ſiue Phyſicas, ſiue morales concurrunt ad ipſum homicidium, &, ſi quandoque negatiuè ſe gerunt non impediendo, ſupponuntur tamen ex officio teneri impedire, quibus propterea imputandum eſt factũ, ſi non obſtiterint; & ſicuti, qui illis octo modis cooperantur damnificationi in bonis fortunæ, non eximuntur à culpa furti, & rapinæ, ità qui concurrunt talitèr ad homicidium non eximuntur à culpa eiuſdem homicidij, ergo &c.

8 Peccant, qui voluntariè in ſe committunt homicidiũ, ſed etiam voluntariè in cauſa.

Aſſertio VI. Non ſolum peccant peccato homicidij, qui per ſuas actiones intendunt directè, & in ſe ipſum homicidiũ, ſed etiam, qui idem attingunt in cauſa. *D. Thomas 2. 2. q. 30. art. 1., Siluester verb. homicidium 1. nu. 2., & 3.*, & alij communitèr. Hoc contingeret potiſſimùm in eo, qui percuteret prægnantem, ex qua percuſſione ſequeretur abortus, ſeu fœtus animati in ventre matris mors. Dixi *fœtus animati*, ſi enim adhuc fœtus animatus nõ eſſet, non eſſet propriè homicidium; formatur autem fœtus maſculus iudicio Medicorum ſpacio quadraginta dierum a die conceptionis, & fæmina ſpacio dierum 80.

Ratio ex eo deducitur, quia talis actio iniurioſa matri prægnanti, ſeu percuſſio illa eſt cauſa interitus fætus intra eiuſdem vterum exiſtentis, ergo non eſt, cur ille interitus non ſit imputandus ipſi percutienti; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod percutiens matrem prægnantem non intenderit illum interitum, qui propterea voluntarius non eſt reſpectu eiuſdem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet ille interitus reſpectu percutientis non ſit voluntarius in ſe ipſo, eſt tamen voluntarius in cauſa, quatenus coniungitur cum illa percuſſione, & percutiens debebat præuidere, quod ex illa percuſſione, & ex modo eiuſdem poterat ille effectus ſequi.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

Vtrum liceat occidere tirannum, peccatores, & maleficos.

SVMMARIVM.

Licitum eſt cuicunque de populo occidere tirannum, qui vi, & potentia armorum inuadit, ſeu inuaſit principatum, ad quem nullum ius habet. 1.

Non tamen tirannum, qui legitimè obtinet principatum, ſed tirannicè illud adminiſtrat. Ibid., & nu. 2.

Non licet priuata auctoritate occidere maleficos, & peccatores, niſi titulo iuſtæ defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ. 3.

Publica auctoritate poſſunt occidi malefici, & peccatores. 4.

Etiam vltra caſus præſcriptos Exodi 21. 5.

Tria perſonarū genera, de quibus poteſt eſſe dubitatio.

QVamuis prohibitio occiſionis hominum, ſeu homicidij *Exodi* 20., & *Matthæi* 5., videatur eſſe abſoluta, & generalis, in nonnullis tamen caſibus in ordine ad certas, & determinatas perſonas tribuit rationem ſuſpicandi, an ad illos extendatur. Quantum attinet ad præſentem titulum, primus caſus, de quo contingit dubitari, eſt in ordine ad perſonam tiranni. Secundus in ordine ad perſonas peccatorum. Tertio in ordine ad maleficos, ſeu malefactores.

Quot modis poſſit quis eſſe tirannus.

In ordine ad perſonam tiranni aduertendum eſt, duplici titulo aliquem poſſe dici tirannum; primo, quatenus ſibi vi, & potentia armorum vſurpauit, ſeu vſurpat principatum, ad quem nullum habet ius, cuiuſmodi eſt Rex Turcarum, qui omnia ferè regna Orientis, & vicina armis inuaſit, & tirānicè vſurpauit; ſed fauēte diuina bonitate, quod alias impiè occupauerat, videmus in dies ſic iuſtitia armorum Auſtriacorum, cæterorumq; Catholicorum exigente deponere. Secundo, quatenus licet legitimè principatum obtineat, illegitimè tamen adminiſtret, non ad bonum publicum, ſed ad priuatas, inordinataſque ſuas voluptates, vendendo officia Iudicum, leges condendo potius Reipublicæ pernicioſas, quam vtiles.

Duplex poteſtas altera publica, altera priuata.

In ordine ad peccatores, & maleficos controuerſia eſſe poteſt, vel in ordine ad publicam poteſtatem, vel in ordine ad priuatam. Rurſus, vel in ordine ad certa, & determinata ſcelera, quibus peccatores, & malefici conſtituuntur; vel in ordine ad ſcelera quæcunque enormia, & pernicioſa; circa quod *Scotus in 4. diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 2. non quoſuis peccatores, & maleficos poſſe etiam auctoritate publica interimi, ſed illos dumtaxat, quos Deus in veteri teſtamento expreſſit, & præcipuè *Exod.* 21.

Aſſertio I. Licitum eſt cuicunque de populo occidere tirannum iuxtà primum ſenſum expoſitum acceptum, non ſic tirannum iuxta ſecundum ſenſum *D. Thomas ſecundo ſentent. diſt. vlt. qu.* 2. *art.* 2. *ad quintum*, *Caietanus* 2. 2. *q.* 64. *art.* 3., *Sotus lib.* 5. *de iuſt. q.* 1. *art.* 3., *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. c.* 9. *dub.* 4. *à n.* 7. *ad fin.* Intellige tamen primam partem aſſertionis, quando non eſt, nec poteſt eſſe recurſus ad Superiorem. I

I Licet interficere tirannum, qui vi vſurpat Imperiū, ad quos ius non habet.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia talis tirannus eſt hoſtis populi per iniuſtum bellum opprimens eiuſdem libertatem, ſeu ius publicum eiuſdem populi, & eo vſque perſeuerat opprimere, quouſque tirannicè retinet Imperium, & Principatum, ergo populus ipſe, ſeu quilibet de populo ad defendendam publicam libertatem, ſeu ius commune poterit iuſto bello aduerſus ipſum inſurgere, eumque quotieſcunque potuerit interimere atque hac ratione interimeret auctoritate publica, cum interimeret titulo iuſti belli, qui eſt publicus. Ad hoc confirmandum plurimum prodeſt, quod affert *D. Thomas lib.* 1. *de regim. Princip. c.* 6. id, quod refertur *Iudicum c.* 3. de Aioth perſona priuata, qui pro liberando populo ab eius ſeruitute occidit Eglon regem Mohabitarum, qui tamen laudatur in Sacra Scriptura.

2 Non poteſt tamen occidi, qui legitimè poſsidet, ſed tiranice adminiſtrat.

Ratio ſecundæ partis deducitur primò ex *Concilio Conſtantienſi ſeſſ.* 15., vbi damnatur hic articulus *Quilibet tirannus poteſt, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcunque vaſallum ſuum, & ſubditum etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes non obſtante quocunque præſtito iuramento, ſeu confœderatione factis cum eo non expectata ſententia, vel mandato Iudicis cuicunque*, quam damnationem intelligunt *D. Thomas* 2. *ſent. diſt. vlt. q.* 2. *art.* 2. *ad quintum, & lib.* 1. *de Regimine princip. c.* 6. *Caietanus* 2. 2., *D. Thomæ q.* 64. *art.* 3. *& omnes DD. allegati* de occidente tirannum, ſeu de iure ipſum occidendi, quando talis eſt ſolummodò non ratione dominij, ſed tantum tirannicæ adminiſtrationis.

Ex mala adminiſtratione nō deſinit eſſe ſuperior.

Secundo, quia Princeps, qui iuſto titulo poſſidet Principatum ex illa mala adminiſtratione non deſinit eſſe Superior; vndè etiam in Sacris Scripturis præcipiebatur, vt vnuſquiſque obediret ſuis Principibus, & Superioribus etiam diſcolis, & ethnicis, ergo vnuſquiſque ex populo non poteſt illum interimere, tanquam ſuum Superiorem, & hoc etiam ſi auferat ipſius bona.

Hoc

Digitized by Google

Hoc tamen vnum aduertendum eſt quoad primam partem aſſertionis, quod, ſi adeſſet Superior, à quo poſſet comprimi tirannus, qui vi imperium ſibi vſurpauit, congruentius eſſet, vt per ipſum comprimeretur, vel de eius mandato per quemcunque de populo, tanquam miniſtrum ipſius, vel Reipublicæ.

3 **Non licet priuata auctoritate occidere peccatores, & maleficos.**

Aſſertio II. Non licet priuata auctoritate peccatores, & maleficos interficere, ſi excipias cauſam iuſtæ defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ. *D. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. c. 17. 21., & 26. Gratianus 23. q. 1. per tot. D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 3. in corpore, Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 9. dub. 3. num. 5., & alij communitèr.*

Probatur primò auctoritate *D. Auguſtini lib. 1. de Ciuit. Dei c. 26. in med.*, vbi ſic habet. *Qui ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur, & tanto amplius, quanto ſibi poteſtatem à Deo non conceſſam vſurpare non timuit.*

Rationes D. Thomæ euincentes aſſertum.

Secundò ratione *D. Thomæ loc. cit.* Ad illum pertinet malefactores occidere, ad quem demandata eſt cura communitatis, cum nonniſi in bonum, & ſalutem communitatis poſſint interfici, ſed cura communis boni, ſeu ſalutis communitatis commiſſa eſt principibus habentibus publicam poteſtatem, & auctoritatem, ergo &c. Hanc autem publicam poteſtatem exercent Principes miniſterio aliorum &c. Confirmatur *ex eodem D. Thoma loc. cit. ad tertium*. Exercere aliquam operationem ordinatam ad bonum totius, quamuis ſit commune omnibus partibus, quando eſt præcisè in beneficium, & vtilitatem, non eſt tamen commune omnibus, quando eſt cum nocumento alicuius, quod non debet eſſe, niſi ſecundũ iudicium eius, ad quem pertinet æſtimare, quid ſit ſubtrahendum partibus pro ſalute totius, ſed ille, ad quem pertinet iudicium de bono totius in ordine ad partes, & de partibus in ordine ad totum, eſt ille, qui habet publicam poteſtatem, ergo &c.

Occiſio bannitorũ fit publica auctoritate.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in pluribus caſibus licitum ſit vnicuique perſonæ priuatæ interficere peccatores, ſeu maleficos, vt contingit in ordine ad bannitos, & ad latrones publicos; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia tunc perſonæ priuatæ non occidunt auctoritate propria, & priuata, ſed publica Principis, qui eiſdem confert auctoritatem propriam.

Dixi, *ſi excipias cauſam iuſtæ defenſionis*, quia, vt infra videbimus, in caſu aggreſſionis actualis licet vnicuique ſe defendere etiam cum morte aggreſſoris, quantumuis hoc præſtet propria priuata auctoritate, licet aliqui aſſerant hoc etiam præſtare auctoritate publica, ipſo ſcilicet iure naturæ indicante vnicuique ſe ipſum ſeruare aduerſus quemcunque iniuſtè aggredientem.

4 **Publica auctoritate poſſunt occidi malefici, & peccatores.**

Aſſertio III. Publica auctoritate poſſunt interfici quicumque malefici, ſeu peccatores Reipublicæ noxij *D. Thomas 2. 2. quæſt. 64. art. 2., Caietanus ibid. Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 2. nu. 2., & 4.* aduerſus *Scotum in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2.* volentem publica auctoritate poſſe peccatores interfici ſolum in caſibus, in quibus Deus dedit facultatem occidendi *Exodi 21.* cuius ratio ea eſſe poteſt, quia cum poteſtas vitæ, & mortis ſit ſolum apud Deum, competit hominibus ſolum in ijs caſibus, in quibus Deus expreſsè conceſſit, nec alitèr poſſunt ſe ingerere contra Dei poteſtatem. Caſus autem, in quibus Deus *Exodi 21.* conceſſit facultatem occidendi, ſunt maleficium, blaſphemia, violatio Sabbati, & alij pauci, de quibus ibi.

5 **Etiam vltra caſus præſcriptos Exodi 21.**

Probatur ratione *D. Thomæ loc. cit.*, quæ generalitèr procedit. Quælibet particularis perſona comparatur ad totam Rempublicam; ſicuti pars corporis ad totum corpus; ſed quamlibet partem corporis, quæ ſit noxia, & pernicioſa toti, licitum eſt abſcindere ex quacunque cauſa ſit pernitioſa, ergo quamlibet particularem perſonam, quæ ſit noxia toti Reipublicæ ex quacumque cauſa ſit noxia, licitum erit eidem Reipublicæ præſcindere.

Probatur ſecundo argumento deducente ad abſurdum, ſi ex ſolis cauſis enumeratis *Exodi 21.* licitum fuiſſet malefactores, & peccatores interficere, modo in lege Euangelica nullum liceret interficere, hoc eſt abſurdum, ergo &c. Sequela probatur, quia ex vna parte illæ leges erant merè iudiciales, & accomodæ illi ſtatui Iudaico, quæ propterea modo poſt aduentum Chriſti Domini abrogatę ſunt; ex alia parte in nouo teſtamento nihil diſpoſitum eſt de huiuſmodi internectionibus, quin potius præcepta lex clementiæ, & dilectionis.

Soluitur ratio oppoſita reſtringens facultatẽ ad ſolos illos caſus Exodi 21.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, Deum, vt auctorem naturæ indidiſſe publicis poteſtatibus facultatem à politico corpore Reipublicæ reſcindendi membra, quæ eidem corpori ſunt pernicioſa eo modo, quo à corpore naturali, cuius ipſe præcisè eſt Dominus contulit facultatem reſcindendi partes infectas, & cæteris pernicioſas; nec præcisè intelligendum eſt facultatem illam reſtrixiſſe ad illos caſus enumeratos *Exodi 21.* quandòquidem ante legem ſcriptam pernitioſi ex alijs capitibus capite plectebantur, nec tamen publicæ poteſtates ſic

Digitized by Google

plectentes damnabantur iniuſtæ internectionis. Deindè, aut præcepta illa *Exodi* 21. erant merè legalia, aut naturalia; ſi præcisè legalia, non amplius vigerent; ſi naturalia, ergo lumine ipſo naturali huiuſmodi caſus erant excepti, ſeu non comprehenſi in illo præcepto *Non occides*.

SECTIO IV.

An, & quo iure licitum ſit filiam, vel vxorem deprehenſam in adulterio occidere.

SVMMARIVM.

Iura concedentia Patri facultatem occidendi filiam deprahenſam in actu fornicationis. 1.

Iura concedentia marito ius occidendi vxorem deprehenſam in adulterio. 2.

Doctores, & rationes ſuadentes licitum eſſe Patri, & marito occidere vxorem, & filiam deprehenſas in adulterio. 3.

Textus in l. Gracchus C. de adult. *non dat facultatem occidendi vxorem adulteram, ſed adulterum cum ipſa deprehenſum.* 4.

Nec Patri licitum eſt occidere filiam, nec marito vxorem deprehenſas in adulterio, nec adulteros cum eiſdem verſantes. 5.

Soluuntur rationes oppoſita. 6.

TRadiderunt occaſionem huic diſceptationi nonnullæ iuris ciuilis diſpoſitiones, quæ à Solone legiſlatore incipientes in ſuo pleno robore, vſque ad Iuſtiniani Catholici Imperatoris tempora perſeuerarunt, à quo nec reprobatæ, nec diminutæ fuerunt, ſed in corpore iuris in Codice fuerunt inſertæ, & deinde à cæteris Imperatoribus, & iuris ciuilis interpretibus acceptatæ, & his quoque temporibus ſaltem quoad impunitatem videntur plenum ius retinere.

1 Huiuſmodi autem diſpoſitiones legales in ordine ad filiam deprehenſam a Patre in adulterio habentur *in l. patri, & ſeqq. ff. de adult.* in quibus permittitur eidem Patri facultas occidendi filiam deprehenſam in tali actu adulterij ſimul cum adultero, ſeruatis tamen nonnullis conditionibus ibid. recenſitis, quarum prima eſt vt filia ſit matrimonio copulata. Secunda, vt ſit in patris poteſtate. Tertio, vt eodem impetu occidat ſimul filiam cum adultero, ſi poſſit. Quarta vt id faciat in domo patris, vel Generi. Quinta vt deprehendat eos in opere turpi.

Iura concedentia poteſtatē Patri occidendi filiam deprehensā in actu turpi, & conditiones ad hoc requiſitæ.

In ordine vero ad vxorem deprehenſam à marito in adulterio habentur *in l. marito ff. de adult. & ex l. Gracchus C. eod. tit.* in quibus iuribus conceditur marito nedum vxorem ſic deprehenſam occidere impunè, ſed etiam dant poteſtatem, & ius ſimplicitèr occidendi; ex quo videtur 2
reddi immunis à quacunque culpâ, ſi ſic occidat; quod facile ex eo liquet, quod ex ſupra dictis poſſunt publica auctoritate occidi peccatores, & malefactores, quæ auctoritas poteſt cōmunicari certis perſonis, tanquam adminiſtris iuſtitiæ, eaſq; conſtituere, tanquam executores iuſtæ punitionis; cum igitur iura tribuant hanc facultatem maritis in ordine ad vxores, & patribus in ordine ad filias deprehenſas in adulterio, non eſt, cur licitè non poſſint ſibi commiſſum munus licitè exequi ſine vlla prorſus culpa, & reitate homicidij.

Iura concedentia marito ius occidendi vxorem deprehensā in adulterio.

3 His iuribus, & rationibus moti *Caſtillo in l. 82., Tauri nu. 6. in fin., & ibi Antonius Gomez n. 52. in fin., & l. 76. in fin., Menchaſto de ſucceſſ. creat. §. 7. nu. 22., & vſufreq. c. 8, & Illuſt. c. 94. nu. 4., Azeuedo lib. 8. tit. 20. l. 1. in fin., & lib. 4. tit. 10. lib. 1. n. 21., & alij*, expreſsè aſſerunt, licitum eſſe Patri, & marito occidere filiam, & vxorem reſpectiuè deprehenſam in adulterio, quam opinionem etiam probabilem appellat *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 5. nu. 16.*, quamuis contrariæ opinioni adhæreat *num. 17., & ſeqq.*, quorum aliqui reſpondent etiam duplici argumento cōtrario, quod eiſdem obijcitur, nempe has leges iniuſtas eſſe, vt obijcit *Fortunius tract. de vlt. fin. illat.* 11., & eſſe per ius canonicum correctas, & emendatas *in c. inter hæc 33. q. 3.*, item alteri argumento, quo dicitur, Principes non concedere priuatis perſonis facultatem occidendi peccatores, & maleficos, nonniſi poſt cauſæ cognitionem, & ſententiam latam; Reſpondent, inquam, & quidem in ordine ad primum fortè mirantur, quod hæc nota inuratur iniuſtitiæ prudentibus legiſlatoribus, qui quamuis caruerint lumine fidei Catholicæ, in ordine tamen ad regimen morum, & politicam gubernationem fuerunt norma rectæ diſciplinæ, & prudentis directionis, potiſſimùm, cum hæ leges fuerint acceptatæ a tot pijs, & prudentia pollentibus Imperatoribus, commendatæ à tot viris iuriſperitis. Deindè addunt indubitatum eſſe extare apud Imperatores, & conditores legum poteſtatem concedendi ius ad puniendos malefactores in ordine ad bonum Reipublicæ, quæ poteſtas à nemine reprobatur; vt de facto videre eſt in ordine ad bannitos; cum ergo conceſſa conſtet per leges ciuiles ab Imperatoribus conditas, vel approbatas patribus, & maritis in ordine ad filias, & vxores deprehenſas in adulterio, non eſt, cur huiuſmodi conceſſio, & leges concedentes debeant improbæ, & iniuſtæ reputari; cum extent omnes conditiones ad iuſti-

Rationes, & DD. ſuadentes licitum eſſe Patri, & marito occidere filiam, & vxorem deprehēsā in adulterio.

Satisfit rationibus oppoſitis.

iuſtitiam earundem requiſitæ; nempe legitima poteſtas in concedente, iuſta cauſa conceſſionis, & vtique in ordine ad bonum publicum; ex adulterijs etenim varia damna in Republica emanant, nempè incertitudo prolis, neglectus puerorum, infamia in familijs diſſidia inter coniuges, & his ſimilia, quæ omnia vergunt in maximum eiuſdem Reipublicæ incommodum.

Satisfit ſecundo argumento.

In ordine ad ſecundum aſſerunt ex vniuerſis textibus canonicis, qui allegantur, ſeu poſſunt allegari, non colligi huiuſmodi iurium correctionem; & primo ad textum allegatum *in c. inter hæc 33. q. 2.*, qui eſt Nicolai Papæ, dicunt ibi Pontificem non corrigere iura ciuilia, ſed tantum inſinuare, quid in huiuſmodi euentibus præſtet Eccleſia; ibi enim fuerat interrogatus Pontifex, vtrum liceret marito iuxta leges Longobardorum, quæ tunc vigebant in Italia, interficere vxorem, quæ adulteriũ patrauerat, reſpondit in hæc verba. *Sancta Dei Eccleſia mundanis non conſtringitur legibus, gladium non habet niſi ſpiritualem, quæ non occidit, ſed viuificat.* Conſidera verba, & clarè conijcies iura ciuilia quoad hoc in illis non corrigi, nec emendari; Dicit enim, quod Eccleſia non conſtringitur mundanis legibus, quod veriſſimum eſt; non tamen per hoc dicit, quod ipſa in hoc reprobat huiuſmodi leges; dicit vlterius, quod ipſa non habeat, niſi ſpiritualem gladium, per quod voluit ſolummodo indicare, quod ipſa regularitèr non puniat pæna mortis, ſed reos, & malefactores tradat brachio ſæculari, apud quod gladius temporalis exiſtit, vtique morte plectendos, ſi delictum talem pænam exigat; nec in illo textu aliud exiſtit veſtigium correctionis; ſecundo, ad textũ, qui affertur ad inſinuãdam correctionem factam per ius canonicum de iure ciuili, ſeu quoad ius ciuile circa præſens inſtitutum *in c. admonere 33. q. 2.*, vbi ſic legitur *Prius cauſa criminis ſubtilitèr erat inueſtiganda, & tunc ſi ita fuiſſet inuenta ſecundum legis tramitem, debuit accipere vltionis vindictam*; reſpondent in primis, quod ad ſummum hæc verificentur, quando non fuit actu deprehenſa in adulterio, ſed ſolum habita notitia de eodem; quando etenim actu in tali adulterio non depræhenditur, non licet marito ipſam interficere, ſed debet ad Iudices deferre, qui cognita cauſa eam puniant ſecundum iuris ordinem, & legum rigorem. Deindè vxoricida in eo textu damnatur, eo quod delictum illud perpatrarit ſine ſufficientibus indicijs; delictum etenim, ſeu adulterium vxoris deferebatur per vnum ſolum teſtem flagitioſiſſimum, & ſceleſtum. Ad textum, qui affertur ex *D. Auguſtino lib. 2. de adult. coniug. c. 15.*, vbi ſic legitur. *Poſtremò quæro abſente an marito Chriſtiano liceat, vel ſecundum veterem Dei legem, vel Romanas adulteram occidere &c.*, & nonnullis interpoſitis. *Si quid verius dicitur, non licet homini Chriſtiano adulteram coniugem occidere, ſed tantum dimittere. Quis dicat tibi. Fac, quod non licet, vt tibi liceat, quod non licet? cum enim vtrumque ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſiue adulteram occidere, ſiue illa viuente alteram ducere, ab vtroque abſtinendum eſt*; Reſpondent hanc D. Auguſtini auctoritatem procedere etiam ſolum, quando non vxor actu depræhenſa in adulterio, ſed tantum cognita, vt adultera ſubſequentèr, quia tunc non licet ipſam occidere, ſed tantum dimittere, in quo caſu maritus nequit aliam ducere.

Intelligitur, quãdo actu fuit deprehenſa in adulterio.

In ordine ad tertium dicunt, quod licet iura regularitèr non concedant priuatis perſonis facultatem occidendi malefactores, & peccatores, niſi cognita cauſa, & poſt latam ſententiam; poſſunt tamen conferre talem poteſtatem lata lege, vt id poſſint præſtare, quando notorietas exceſſus examinatione non indiget per textum *in c. bona de elect.*, vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ipſa deprehenſio conſtituit notorietatem, & hoc ſufficere eadem iura approbant in præcitatis legibus, adeout, nec exigant citationem, nec ſententiam ad pænam irrogandam.

Notorietas exceſſus examinatione non indiget.

4 Explicatio textus in l. Gracchus C. de adul.

Antequam deueniam ad meum ſenſum circa præſentem controuerſiam aperiendam aduerto, quod *in l. Gracchus C. de adult.* non conceditur facultas marito occidendi vxorem deprehenſam in adulterio, ſed tantum occidendi adulterum ſi ſit perſona vilis, ſed in ordine ad vxorem aſſerit *Coarruuias de matrimonio 2. part. c. 7. §. 7.*, quod debeat accuſari in iudicio, vt puniatur per textum *in l. 2. ff. de adult.* Prædictis tamen non obſtantibus ſit.

5 Non licet Patri occidere filiam, nec marito vxorem deprehenſas in adulterio.

Aſſertio. Non licet, nec Patri filiam, nec marito vxorem deprehenſam in adulterio propria auctoritate occidere, nec adulteros cum eiſdem coeuntes. Hanc opinionem his temporibus communitèr tradunt DD. *Coaruuias de matrim. 2. p. c. 7. §. 7. n. 15.*, qui teſtatur de communi *Barboſa in collect. tom. 4. part. 2. cauſa 33. q. 2. c. inter hæc*, vbi quadraginta octo DD. enumerat. *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 5. num. 16.*, licet contrariam ſententiam probabilem reputat *Diana part. 3. tract. 4. reſol. 223.*, quam dicit omnino tenendam eſſe.

Ratio ex eo deducitur, primo quia huiuſmodi conceſſiones nedum ad impunè, ſed etiam ad licitè occidendos adulte-

Digitized by Google

ros deprehenſos in adulterio viam aperiunt pluribus, crebris, & iniuſtis occiſionibus cum detrimento ſalutis æternæ animarum, ergo præcipuè in ordine ad forum conſcientiæ nullam vim conferre poſſunt ad huiuſmodi occiſiones. Antecedens patet, quia ex illa facultate poſſet quiſque impunè ſibi maleuolos occidere fingendo cum propria vxore, vel filia comprehenſos in adulterio, & conſequentia etiam rectè ſequitur, quia leges tribuentes occaſiones delictorum ſunt abſolutè abrogandæ.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Secundo, quia non licita eſt occiſio malefactorum, ſeu peccatorum facta per priuatas perſonas cum animarum detrimento, quotieſcunque haberi poteſt per publicam poteſtatem ſine tali damno ſalutis æternæ, vndè etiam docuimus in præcedentibus, quod non licet tirannum occidere priuatæ perſonæ, quotieſcunq; per aliquam publicam poteſtatem poteſt auerti ſiue per mortem, ſiue alio modo; ſed adulteri poſſunt alia via puniri, quam per mortem inflictam vel à Patre, vel à marito, nam capi poſſunt, accuſari, & per ſententiam puniri, ergo &c. nec in hoc currit paritas de bannitis, qui non ità facilè poſſunt capi, & puniri, ergo &c.

6 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Difficultas ſolummodo eſt in ſoluendis rationibus, quæ ex aduerſo afferuntur; & quidem ad primam, qua probatur non eſſe iniuſtas huiuſmodi leges concedentes adulteros in actu adulterij deprehenſos poſſe occidi, patet ex dictis in prima probatione aſſertionis aliquid iniuſtitiæ præferre, vtpotè quæ aperiunt aditum ad iniuſtas neces perpatrandas; neque ex eo, quod Solon. huiuſmodi leges condiderit, per tot ſecula perſeuerauerint, tot Principes non reprobarint, & Iuſtinianus ipſe pijſſimus Imperator in Codice iuris redaxerit, tollitur ſpecies illa iniuſtitiæ, quandoquidem ipſi potuerunt quidem tollere punibilitatem, quæ contra homicidas ſtatuitur, ſeu conſtituere delinquentem impunem ab omni pœna ciuili, non autem tollere malitiam, ſeu motiuum improbitatis, quod poteſt ex genere ſuo conſurgere ex ijſdem legibus. Ad ſecundam, qua probatur huiuſmodi leges non correctas eſſe per ius canonicum, dico in primis, quod rationes adductæ per aduerſarios non ita clarè, & conuincentèr euincunt, non eſſe correctas; cum præcipuè textus in *c. admonere 33. q. 2.*, velit ad Iudicem confugiendum eſſe pro punitione, & Auguſtinus afferat eſſe præceptum diuinum adulterum nō eſſe occidendum. Deindè licet expreſsè non corrigant, non intelliguntur tamen approbare ſpeciem iniuſtitiæ, quæ ex genere ſuo reſultat propter occaſiones, quæ indè conſurgerent, crebrò homines occidendi, quantumuis non adulteros. Ad tertiam, qua dicunt ipſam deprehenſionem in delicto non indigere citatione, nec ſententia, adeoq; &c. dicendum eſt, hæc verificari de iure ciuili præcisè, & quoad impunitatem, non autem de iure naturæ, & Eccleſiaſtico, & quoad negatiónem cuiuſcunque iniuſtitiæ.

SECTIO V.

An quandoque liceat interficere iuſtum, & innocentem.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.
Mors innocentis duplicitèr poteſt intentari directè, vel indirectè. 2.
In ordine ad bonum publicum, ſeu damnum commune vitandum non licet occidere per ſe, & directè innocentem. 3.
Ad euitandam communem Reipublicæ calamitatem poteſt Reſpublica innocentem dimittere, & compellere adire tirannum. 4.
Aggreſſus ab hoſtibus ad tuendam propriam vitam poteſt effugere, quamuis ex fuga immineat mors moralitèr certa innocentis. 5.

PRoponit hanc difficultatem *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6.*, vbi propoſitis de more argumentis in contrarium, tandem ſtatuit nunquam licere occidere innocentem. Vt clariùs hac in re procedamus.

Aduertendum eſt, titulum non procedere conſiderata diuina ordinatione, nam cum ipſe Deus habeat dominium vitæ, & mortis, & ſupremam directionem omniū rerum, & mediorum ad ſuum finem, vtique ſicuti poteſt per ſe ipſum immediatè velle mortem innocentis dirigendo eandem mortem ad oſtenſionem ſuæ gloriæ, ſuique pleni dominij, & ad gloriam ſupernaturalem eiuſdem innocentis, ita etiam poteſt ordinare eandem mortem exequendam per homines, tanquam per ſuos miniſtros; hoc pacto ordinauit Abrahamo necem filij ſui Iſaacchi in ſacrificium ſibi, nec Abraham fuit damnatus propter illam diſpoſitionem ad ſacrificium filij; ſed maximè commendatus eò quod timuit Dominum, quod voluit eiuſdem mandatis obtemperans filium innocentem interficere. Non procedit item, quando procederetur ſecundum ordinem iuſtitiæ, hoc eſt, quando ſecundum allegata, & probata innocens per falſos teſtes conuictus eſſet, vt reus, quamuis ta-

1 Non procedit difficultas attenta ordinatione diuina.

Nec quādo procederetur ſecundū allegata, & probata.

Digitized by Google

lis non eſſet, & à Iudice ipſo per priuatam ſcientiam nō cognoſceretur, vt reus; tunc etenim, ſi ipſum innoxium non poſſet aliundè liberare iterum examinando diligentius teſtes, nec iuditium ad ſuperiorem deferendo, vtique teſte *eod. D. Thoma loc. cit. ad 3.*, poſſet ſine peccato ferre ſententiam iuxta allegata, & probata, de qua re fuſius nos infra agemus.

Procedit igitur ſolummodo titulus in ordine ad humanam poteſtatem, non per

Sed in ordine ad euitandū damnum aliquod commune Reipubl.

modum punitionis ob aliquam culpam prætenſam, & probatam, quantumuis realiter non exiſtentem, ſed ad euitandum damnum aliquod commune Reipublicæ ex peruerſitate alicuius agentis ad tale damnum, niſi innocens interimatur. Hoc explicat *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 7. in titulo n. 36.*, exemplo D. Athanaſij, quem cum tirannicè perſequeretur Conſtantius, quamuis innocentem ad mortem, & minaretur vrbi excidium, niſi illum interimeret, aſſeruit non poſſe occidi etiam ad illud damnum Reipublicæ imminens remouendum.

Aduertendum ſecundo, dupliciter mortem

2 Mors innocentis poteſt intentari dupliciter directè ſcilicet, & indirectè.

innocentis poſſe intentari directè ſcilicet, & indirectè; in caſu propoſito de innocente interimendo ad inſtantiam tiranni, ne tota ciuitas deperdatur, mors directè intentaretur, quando ciues ad remouendum illud damnum ſibi imminens innocentem immediatè per ſe interimerent; indirectè vero, quando per ſe non occiderent, ſed ab vrbe dimitterent, ex qua dimiſſione tirannus caperet, & occideret. Rurſus in alijs caſibus mors directè intentatur, quando actio, & animus operantis immediatè tendit in mortem illius, cui intentatur; indirectè vero, quando illa actio non directè tendit ad illam mortem, ſed hæc ex illa conſequitur, vel per naturalem ſequelam, vel per aliquam connexionem; hoc exemplificant DD. in duplici caſu; in primo, quando emittitur ſanguis è prægnante, ex quo præuidetur mors infantis in vtero eiuſdem exiſtentis; tunc etenim mors infantis directè non intenditur, ſed tantum indirectè, & præter

Explicatur vterq; ſenſus.

intentionem; in ſecundo, quando quis ab hoſtibus inſectatus, quorum manus aliter non poteſt effugere concitato curſu equo inuectus per viam præceps ruit, in qua iacet innocens, quem præterire non poſſit ſine conculcatione; & in hoc etiam caſu mors innocentis illic iacentis non intenditur per ſe, & directè, ſed ad ſummum per accidens, & indirectè. Iuxta vtrumque hunc ſenſum mortis ſcilicet, vel directè, vel indirectè intentatæ, vel in ordine ad bonum commune Reipublicæ, vt in caſu D. Athanaſij ſupra expoſito, vel in ordine ad bonum priuatum, vt in caſu mulieris prægnantis per emiſſionem ſanguinis cum periculo mortis fetus, vel hominis effugientis cum periculo conculcationis iacentis in via præſens titulus diſcutietur. Pro quo ſit

3 In ordine ad bonum publicū, ſeu damnum publicū vitandū nō licet per ſe directè occidere innocētē.

Aſſertio I. In ordine ad bonum publicum communitatis, ſeu in ordine ad vitādum eiuſdem grauem perniciem, non licet directè, & per ſe occidere innocentem *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6. in corpore, Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 9. dub. 7 n. 36., Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 7., Corduba lib. 1. qq., q. 27. in ratione c. 3. pro 3. opinione. Ledeſma 24. q. 8. art. 1. concl. 2.*

Deducitur primo ex illo *Exodi 23. Inſontem, & iuſtum non occides*, per quem textum non intelligitur Deus voluiſſe præcisè id, quod præceperat *Ne occidas*; ſed expreſſo quodam iure voluit innocentis vitam conſeruandam, quatenus ſcilicet reſpectu omnium dominium vitæ, & mortis ſit apud Deum priuatiuè quoad alios omnes, in ordine tamen ad commune bonum Reipublicæ contulit eidem poteſtatem reſecandi ab eadem infectos per enormiora peccata, ne totum corpus per eoſdem inficeretur, ſed hanc poteſtatem non prorogare voluit in ordine ad innocentes, ſed ſibi reſeruare, & propterea dixit. *Inſontem, & iuſtum non occides.*

Deducitur ſecundo ex ratione, qua vtitur *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6. in corpore*, quia tota ratio, ob quam priuatus homo poteſt occidi, ſi fuerit peccator, eſt per comparationem ad commune bonum Reipublicæ; conſiderando etenim hominem peccatorem ſecundum ſe non licet ipſum occidere; quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam, quam fecit Deus, & intantum peccator ipſe per comparationem ad Rempublicam poteſt occidi, in quantum eſt eidem Reipublicæ pernicioſus, ſed homo innocens, & iuſtus per comparationem ad Rempublicam eſt potius eidem Reipublicæ fauorabilis, quam noxius, quia vita ipſius eſt promotiua boni communis, ergo non licet ipſum occidere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, in hoc eſſe pernitioſum Reipublicæ, quod ex conſeruatione ipſius vitæ immineat totius Reipublicæ, ſeu Ciuitatis excidium, ſi non ex culpa ipſius, ex peruerſitate tamen Principis minitantis talem vaſtationem, niſi ipſe innocens occidatur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum, vt prærertur in inſtantia, excidium illud non immineat ex cauſa culpabili eiuſdem innocentis, ſed præcisè ex peruerſitate Principis minitantis, ex illo non acquirit Reſpublica, ſeu Ciuitas ius in corpus, ſeu vitam innocentis, ita vt poſſit

Homo innocens eſt potius Reipublicæ fauorabilis, quam noxius.

Digitized by Google

Non licitum eſt peccatum ab intrinſeco malũ etiam ad euitãdam Reipublicæ perniciem.

poſſit directè ipſum interimere; Neque in hoc valet regula, quod bonum totius debeat præualere bono partis, & proindè conſeruatio totius conſeruationi partis; Nec valet, inquam, quia præualere quidem debet bonum totius bono partis, ſi præcisè ſecundum ſe conſideretur, ſecus verò, quando bonum partis tale eſt, vt ſi conferatur, inuoluat peccatum ab intrinſeco malum; tunc etenim etiam in ordine ad bonum totius auferri non poteſt; ſic occidere inſontem, quando non eſt noxius Reipublicæ, eſt ab intrinſeco malum, quod propterea non licet etiam ex quacunque cauſa mali ſibi iniuſtè intentati; & ſi verum eſſet, quod ad euitandam Reipublicæ imminentem calamitatem licitum eſſet inſontem occidere; verum etiam eſſet, quod liceret mentiri, blaſphemias proferre, inhonorare ſacra, quod nemo dicet.

Proponitur inſtantia oppoſita, & diſſoluitur.

Dices, licitum eſt Reipublicæ exponere vitam ſuorum ciuium in defenſionem ipſius Reipublicæ, ergo etiam ad euitandam imminentem eiuſdem Reipublicæ calamitatem licitum erit priuatum ciuem occidere, quantumuis innocentem. Sed contra, neganda eſt conſequentia. Ratio negationis ex eo deſumitur, quia in caſu conſequentiæ directè vita innocentis aufertur, quod eſt ab intrinſeco malum; in caſu autem antecedentis intenditur præcisè defenſio eiuſdem Reipublicæ, in ordine ad quam iure naturę obligentur omnes ciues, quod, ſi deindè eorundem mors conſequatur, eſt omnino per accidens, & præter intentionem; & hac etiam reſponſione poteſt elidi illud argumentum, quod circumfertur, quod poſſit quis ad obtinendam victoriam dirigere tormentũ in locum, vbi videt multos innocentes, quod nihil aliud eſt, quam occidere innocentes, ergo, ſi ad obtinendam victoriam hoc licet, licebit etiam ad conſeruandam incolumitatem Reipublicæ periclitatem; Elidi, inquam, poteſt, quia in primis hoc non eſt directè intendere mortem innocentium, ſed mortem aggredientium, in qua parte non ſunt innocentes, cum ſint hoſtes; Deindè ſi ſupponas, quod tormentum collimetur ad turrim, vt ſupponit *Leſſius*, ſub qua extent pueri innocentes, & non aggredientes; tunc etiam dicendum eſt, quod non intendatur directè mors eorundem, ſed demolitio turris in ordine ad obtinendam vrbem, quod certè licitum eſt.

Ad euitandum commune Reipublicæ damnum poteſt dimitti innocens, & compelli vt tirannũ adeat.

4 Aſſertio II. Ad euitandam communem Reipublicæ calamitatem proximè, & certò moralitèr imminentem poteſt eadem Reſpublica innocentem dimittere, & compellere, vt ad tirannum accedat. Conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 7. n. 39., Ludouicus Lopez 1. p. inſtruct. c. 60.*, & in hoc præcisè ſenſu arbitror allocutum *Petrum à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 120.*

Rationes poſitiuæ ſuadentes aſſertum.

Duplici ratione hæc aſſertio poteſt euinci; altera poſitiua, altera negatiua tendente ſcilicet ad ſolutionem argumentorum contrariorum. Prima in eo conſiſtit, quod Reſpublica ipſa eſt cuſtos præcisè vitæ ſuorum ciuium, ſed cuſtos concurrente æquali periculo proprio, quinimmo maiori cũ periculo rei, quam cuſtodit, non tenetur præferre rem, quam cuſtodit, maiori ſui ipſius periculo, maximè ſi ſui periculum non obueniat ex ſua cauſa, ſed ex peruerſitate tiranni, cui non poſſit obſiſtere, ergo &c. Confirmatur primò, quia ille innocens ex lege ſaltem charitatis, & naturali pietate tenetur exire ex vrbe, & ad euitandam communem patriæ calamitatem, & perniciem morti ſe exponere, vt tradunt communitèr DD., nec aduertatur *Sotus lib. 5. q. 1. art. 7.*, quamuis acritèr aduerſetur aſſertioni. Dixi *ex lege ſaltem charitatis*, quia nonnulli etiam obligant in tali caſu neceſſitatis communis Reipublicæ innocẽtem ad ita ſe exponẽdum ſub onere etiam iuſtitiæ propter eam rationem, quod ſicuti Princeps, & Reſpublica tenentur ex officio, adeoq; etiam ex iuſtitia conſulere bono cuiuſcunque ciuis, eiuſdemq; malo obuiare, ita è contra quicunque ciuis tenetur ex officio, & per conſequens ex iuſtitia conſulere communi bono eiuſdem Reipublicæ, eiuſque communi malo obſiſtere, vt notat *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 121.*, ergo, & Reſpublica poterit ipſum quantumuis innocẽtem dimittere ab vrbe, & compellere, vt ſe tiranno exhibeat; Neque dicas, hoc eſſe directè cooperari morti innocentis, quod eſt ab intrinſeco malum, & propterea nulla ratione poteſt cohoneſtari; Quid enim aliud eſt tradere innocentem tiranno anxie anhelanti ad ipſius necem, niſi directè tradere ad mortem? & ſicuti ſi ſatellites eiuſdem tiranni caperent ipſum innocentem, & traherent ad eundem tirannum, quem norunt ad eius interitum anhelare, dicuntur mortis eiuſdem innocentis poſitiuè, & directè cooperari, ita &c.; Cõtra enim impugnaberis, quia gratis omnino dicitur, hoc eſſe directè cooperari mortis innocentis, ſed vti iure, quo gaudet eadem Reſpublica in ordine ad ſeruandam ſe incolumem à damno imminenti; ex quo deindè, ſi ſequatur mors innocentis, non eſt ex cauſa eiuſdem Reipublicæ, ſed ex peruerſitate tiranni, & præter intentionem eiuſdem; nec currit paritas

Non eſt directè tradere morti, ſed vti iure ad ſe conſeruandũ.

ritas

Digitized by Google

ritas de ſatellitibus capientibus,& rapientibus ipſum innocentem ad tirannum, tum quia ipſi directè intendunt mortem, & tanquam executores ad ipſam trahunt, nec alium finem habent, quo moueantur; Reſpublica verò directè ſolum intendit propriam incolumitatem, nec innocẽtem compellit adire tirannum ad eum finem, vt occidatur, cum hoc ſit contra ipſius intentionem, ſicque mors conſequitur ex peruerſitate tiranni, non ex cauſa Reipublicæ; tum quia ſatellites non vtuntur iure ſuo, cum nullum ius habeant in innocentem; Reſpublica verò iure ſuo vtitur, quo ſicuti vnuſquiſque iure naturæ tenetur ſe exponere ob bonum eiuſdem, ita, & eadem Reſpublica poteſt compellere eundem ad ſe exponendum.

Neque hic audiendus eſt *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 7.*, qui ex quo nullum cognoſcat onus iuſtitiæ propriæ, & rigoroſæ in ſubditis ad ſe exponendum pro incolumitate, & indemnitate eiuſdẽ Reipublicæ, ſed ad ſummũ onus charitatis, expreſsè aſſerit non poſſe compelli per eandem Rempublicam ad ſe offerendum, ſeu pręſentandum tiranno; Non, inquam, eſt audiendus, quia, vt benè notant *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 7. num. 39. verſ. reſpondet Sotus*, *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 3. à num. 121. ad 133.* dato etiam, quod non teneantur titulo rigoroſæ iuſtitiæ, ſed tantum onere charitatis, non propterea quid euincit ipſius aſſertum, quandoquidem ad plura poſſumus per Rempublicam obligari, ad quæ non tenemur ex iuſtitia. Certè non tenemur ex iuſtitia, ſed tantum ex lege charitatis in magna fame eleemoſinam erogare, & tamen poſſumus cogi per magiſtratum. Non tenemur, niſi ex charitate ſemel in anno confiteri, Euchariſtiam ſumere, ſacrum audire, ieiunia ſeruare, & tamen ad hæc per iura Eccleſiaſtica poſſumus compelli &c.

Ad plura poſſumus per Rempublicam compelli, ad quæ nõ tenemur ex iuſtitia.

Alijs rationibus poſitiuè poteſt aſſertio euinci; & primò in caſu, quo vita Principis catholici, & maximè Reipublicæ vtilis, ſeu neceſſarij periclitaretur ob ſummam egeſtatem, ſeu ob penuriam cibi, & non ſuppeteret, niſi vnus panis perſonæ priuatæ, quæ, ſi eundem Principi erogaret, mortis diſcrimini neceſſariò ſe ipſum ſubijceret; in hoc certè caſu poſſet compelli ad cedendum eundem panem Principi, vt communitèr docent DD., & præcipuè *Leſſius, & Petrus à Nauarra loc. cit.* nõ obſtante certa morte eiuſdem perſonæ priuatæ, ergo etiam vrgente grauiſſima neceſſitate Reipublicæ poterit perſona priuata, quantumuis innocens compelli ad ſe pręſentãdum tiranno ad conſeruandam eandem Rempublicam, quę cæteroqui periclitaretur; vtroque etenim caſu ſequitur interitus innocentis. Secundò ad ſeruandum iuris ordinem ob bonum commune Reipublicæ poteſt condemnari innocens ſecundum allegata, & probata conuictus, vt nocens, quamuis Iudex certò per priuatam ſcientiam nouerit ipſius innocentiam, vt docet expreſsè *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6. ad tertium*, & communior tenet ſententia, & ipſe D. Thomas ſubdit ibidem, *quia ipſe Iudex non occidit innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem*, ergo multo magis ad ſeruandam incolumitatem totius Reipublicæ in periculo grauiſſimo eidem imminenti poterit eadem Reſpublica compellere innocentem ad ſe præſentandum tiranno, quamuis præuideat debere ſequi eiuſdem mortem, & ipſa non erit, quæ occidat, ſed tirannus ipſe.

Aliæ rationes poſitiuæ ſuadẽtes aſſertum.

Secunda ratio negatiua aſſertionis cõſiſtit in ſolutione argumentorum aduerſantium. Primum igitur argumentum, quo vtitur *Sotus loc. cit.* conſiſtit in eo, quia nihil eſt in innocente, quod ius tribuat Reipublicæ ipſum occidendi, ſeu offerendi tiranno ad mortem, ergo nulla ratione poteſt ipſum compellere, vt tirannum adeat. Sed facili negotio huic argumento occurro, fatẽdo in primis, quod non habeat ius ipſum innocentem directè occidendi, benè tamen exponendi vrgente grauiſſima neceſſitate eiuſdem Reipublicæ, præcipuè cum ſit pars eiuſdem Reipublicæ, cui propterea ſubditur in ordine ad bonum commune eiuſdem, & ſicut ipſe innocens iure naturalis charitatis tenetur ſe exponere ob incolumitatem communem totius populi; non video, cur etiam non poſſit compelli ad talem expoſitionem.

Primum argumentum contrarium, eiuſque ſolutio.

Secundum argumentum deſumitur ex mente *D. Thomæ 2. 2. q. 64. art. 6.* volentis nullo modo licitum eſſe occidere inſontem, & iuſtum iuxta illud *Exodi 23.* Sed etiam facile ſatisfit huic argumento iuxta ſuperius dicta, non licere ſcilicet directè occidere innocentem, quia hoc eſt ab intrinſeco malum, licere tamen dimittere ab vrbe, & compellere ad ſe tiranno offerendum, quod non eſt intendere eius mortem per ſe, ſed liberationem totius populi per illam expoſitionem; Neque hic audiendus eſt Sotus, qui aſſerit idem prorſus eſſe occidere innocentem, ac eundem tradere tiranno occidendum, adeoq; vel vtrumque licere, vel vtrumq; illicitum eſſe; Non, inquam, audiendus eſt, quia in primo caſu non vtitur iure ſuo, cum nullum ius habeat; in ſecundo verò rectè vtitur iure, quo gaudet, cum vnuſquiſq;

Secundũ argumentũ, eiuſq; ſolutio.

ex

Digitized by Google

ex Republica teneatur lege ſaltem charitatis in graui neceſſitate eiuſdem Reipublicæ periclitantis eidem ſubuenire, & Reſpublica ipſa non inferat mortem, ſed tirannus.

Tertium argumentum eſt, quo vtitur *Corduba lib. 1. qq. q. 27. in ratione c. 3. pro tertia opin. §. tum quarto ea in ſol. ad quartum ſecunda opinionis*, quia ſcilicet, ſi ob bonum commune totius Reipublicæ liceret innocentem tradere tirannis, immeritò reprehenderetur Pilatus, qui Chriſtum tradidit innocentem voluntati Iudæorum crucifigendum, cũ cæteroqui ei exponeretur excidiũ regni, & gentis. *Venient Romani, & tollent regnum noſtrum, & gentem*; item immeritò Phariſeorum concilium reprehenderetur, dum aſſerebat. *Expedit vnum hominem mori pro populo*. Sed etiam facile reſpondetur huic argumento, cum innumera pateant diſcrimina in hoc caſu mortis Chriſti Domini, ac in caſu, de quo loquimur; in primis Chriſtus non erat priuatus homo, ſed Rex ipſorum, quod optimè nouerat Pilatus, dum aſſerebat *Regem veſtrum crucifigam?* Deinde Chriſtus erat Deus verus, quem non ſolum occidere, ſed leuiſſimè lædere nefarium ſacrilegium erat, & ſcelus. Porrò Pilatus non ſolum obtulit, ſed ſibi oblatum directè condemnauit, & occidit. Tandem non imminebat illud excidium regni, & gentis, vt ſibi confingebant perfidi illi Iudæi. Alia plura vide penes *Petrum à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 3. à num. 128.*

Tertium argumentũ, eiuſq; ſolutio.

Quartum argumentum, quo vtitur *idem Corduba loc. cit.*, conſiſtit in eo, quod non ſunt facieda mala, vt eueniant bona, adeoq; nec tradendus tiranno innocens, vt ſaluetur ciuitas, & populus. Sed huic etiam reſpondetur, aſſerendo petere principium, & aſſumere pro fundamento id, quod præcipuè venit in quæſtione, & eſt probandum; debebat enim in primis probare Corduba, quod ſit malum imminente excidio totius ciuitatis, & populi exponere innocentem tiranno, cum maximè aduerſetur ratio, quam ipſe Corduba non reprobat, quod ſcilicet ipſe innocens teneatur ex lege charitatis, & iure quodamodo naturæ ſe exponere pro defenſione patriæ, ad quod propterea poteſt per Rempublicam ipſam compelli. Deinde, ſi hoc probaſſet, potuiſſet pro aſſumpto axioma illud apponere, quod, cum non præſtiterit, argumentum, vt falſo innixum ſuppoſito nullam prorſus vim habet.

Quartum argumentum, & eius ſolutio.

Aſſertio III. Aggreſſus ab hoſtibus ad tuendam propriam vitam, quam aliter non poteſt tueri, niſi cum periculo innocẽtis, poteſt eandem tueri, quamuis mors innocentis ſit inde ſecutura. *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 9. num. 57. Corduba lib. 1. qq. q. 38. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 3. num. 147.* Hoc contingeret in caſu propoſito in principio præſentis ſectionis de eo, qui ab hoſtibus inſecutus equo vectus celeri curſu per viam tranſiret, in qua iaceret innocens dormiens, vel claudus, quamuis in hoc ſpeciali caſu non aſſentiatur *Petrus à Nauarra mox citatus*, niſi ſit aliqua probabilis ſpes non interficiendi innocentem, qui tamen aſſentitur in caſu, quo quis, dum inuaditur, non poſſit ſe tueri, niſi cum periculo innocentis, qui ab ipſo inuadente interponitur ad ſe protegendum. In vtroque caſu procedit aſſertio poſita, quæ ſic

5

Aggreſſus ab hoſtibus ad tuendam propriam vitam poteſt fugere, quãuis certò immineat mors innocentis.

Probatur ex infra dicendis; aggreſſus per hoſtem in ipſo actu aggreſſionis ius habet ſe defendendi contra aggreſſorem etiam cum morte eiuſdem, ergo etiam poterit contra eundem ſe defendere in caſu, quo ipſe aggreſſor ad ſe protegendum interponat perſonam innocentis, etiam ſi periculum innocentis immineat. Conſequentia probatur, quia illa innocentis interpoſitio non demit ius, quod habet ipſe aggreſſus ad ſe defendendum, quandoquidem ius illud, quod habet aggreſſus, eſt naturale, & in ordine ad tuendũ ſe ipſum, quod præualet cuicunque iuri naturali, etiam in ordine ad alterum; nec in eo caſu ipſe aggreſſus directè, & per ſe intendit mortem innocentis, ſed ad ſummum per accidens, & præter intentionem, quæ propterea ipſi aggreſſo non eſt imputanda, ſed aggreſſori ipſum interponenti. Confirmatur. Obſidentes iuſto titulo belli vrbem hoſtilem poſſunt licitè dirigere, ſeu collimare inſtrumentum bellicum ad euertendam turrim, quantumuis nouerint obſeſſos ibi allegaſſe plures innocentes, qui ex euerſione turris eſſent perituri, vt de communi DD. conſenſu teſtatur *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. d. c. 9. dub. 9. nu. 57.*, ergo etiam aggreſſi poterunt ſe defendere contra aggreſſores, quantumuis iſti ſibi interpoſuerint innocentem, & ex tali interpoſitione præuideant aggreſſi eundem innocentem fore interimendũ. Conſequentia probatur, quia non eſt minus ius, quod quiſque habet ad ſe defendendum contra aggreſſores, ac ius, quod habent obſidentes vrbem ad expugnationem eiuſdem, & ad ea omnia, quæ requiruntur ad talem expugnationem. Hæc tamen pars aſſertionis noſtræ in hoc ſpeciali caſu de interpoſitione innocentis facta per aggreſſorem intelligenda eſt cum nonnullis limitationibus, & primo limitanda eſt in hypotheſi, qua ipſe aggreſſus poſſet de facili vitare mortem innocentis per fugam; tunc etenim ex lege charitatis

Non intendit directè mortem innocentis.

Intellige cum nonnullis limitationibus.

tene-

teneretur potius fugere, quam cum periculo mortis innocentis ſe ipſum defendere; Secundo limitanda eſt, dummodo ſuæ defenſioni ſtudeat cum moderamine inculpatæ tutelæ in ordine ad ipſum innocentem, quatenus ſcilicet directè non impetat ipſum innocentem, nec ictum dirigat immediatè, & eo animo in ipſum, vt ipſo ſublato faciliùs ſuperet aduerſariũ.

Aliæ rationes in caſu particulari non abſimili.

Probatur ſecundò quoad caſum, quo inſecutus ab hoſtibus non poſſit eorum manus effugere, niſi equo vectus concitato curſu tranſeat per viam, in qua iacet infans, vel claudus, quos moralitèr non poſſit præterire, niſi eos proterat; probatur, inquam, quia eadem omnino militat ratio in hoc caſu, quæ militat in præcedenti, quandoquidem ſic inſecutus ius habet à natura ſibi inditum tuendi ſuam vitam non ſolum occidendo hoſtem inſequentem, ſed etiam, quinimmò à fortiori fugiendo ab eius manibus, ergo ſicuti, quando fugere non poteſt ab eius manibus, ſed ſuam vitam defendit impetendo aggreſſorem, poteſt ipſum impetere non obſtante, quod iſte interpoſuerit innocẽtem, cuius interitus certò moralitèr ſit futurus, ita quando defenſionem ſui aſſumit per fugam, poterit ſuam vitam tueri fugiendo non obſtante, quod ipſius fugæ interponatur infans, vel claudus, qui in tali fuga certò, & moralitèr ſit proterendus. Confirmatur, quia ipſe ſic inſecutus ius habet ad fugam per viam publicam, præcipuè in tanto diſcrimine propriæ vitæ, ſed hoc iure in tanto periculo non poteſt priuari ratione infantis, vel claudi ibi interpoſiti, & iacentis, ergo poterit iuſtè per illam viam mortem ſibi imminentem effugere non obſtante, quod in illa infans, ſeu claudus certò moralitèr ſit proterendus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quantumuis ipſe inſecutus ab hoſtibus ius habeat ad fugam per viam publicam, habeat tamen etiam ius ille innocens, ſeu claudus ſic iacens ad illum locum, in quo iacet in illa via, quinimmo ipſe habet fortius ius, cum habeat iuſtam poſſeſſionem, qua non poteſt licitè priuari; ſicuti enim ſi quis eſt iam aſſecutus tabulam, vel panem, quibus extremè indiget, vel ad naufragium vitandum, vel ad mortem ex fame imminẽtem auertendam non poteſt licitè iiſdem ab alio priuari, quantumuis, ſi hic alius ante accepiſſet, iuſtè accepiſſet; ita, cum in præſenti hypotheſi ille innocens, ſeu claudus acceperit poſſeſſionem in illo loco, nec poſſit pro tunc loco cedere, vtique ſequitur, quod non poſſit tali loco priuari, ſed in eodem incolumis ſit præſeruandus nòn obſtante, quod alter extremè illo loco indigeat ad effugiendum, & vitandam mortem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis ille ſic iacens poſſeſſionem habeat illius loci, ibiq; inculpabilitèr ſit, nec poſſit in illo diſcrimine loco illi cedere, non demitur tamen ius, quod habet inſecutus inueniendi ſibi ſubterfugium à morte ſibi imminente ab inſectante, nec innocens ius habet retinendi illius loci poſſeſſionem aduerſus alterum tranſeuntem cum tanto ipſius vitæ diſcrimine, vndè, ſi non euadit, eo quod in ea hypotheſi non poſſit euadere, debet proprio infortunio imputare, non aggreſſo concitato curſu tranſeunti, & proterenti, maximè cum hoc ſit præter ipſius tranſeuntis intentionem intendentis propriam incolumitatem, non alterius innocentis perniciem; vndè in hoc locum obtinet id, quod expreſſis verbis aſſerit *Caietanus 2. 2. q. 67. art. 2.*, nempe quod *occidere innocentem per accidens dando operam rei licitæ, & neceſſaria non ſit contra ius naturale diuinum, & humanum*; nec in hoc currit paritas allata de eo, qui aſſecutus eſt tabulam, vel panem in extrema neceſſitate euitandi naufragium, vel mortem per famem imminentem, quiq; non poteſt priuari, quãdoquidem in hoc caſu poſitiuè concurrit ad mortem auferendo per actionem poſitiuam media, quæ ſunt neceſſaria ad eandem mortem auertendam; in illo verò poſitiuè non aufert media, ſed merè negatiuè ſe habet, & tantum vtitur iure ſuo. Deindè in primo caſu priuat poſſidentem poſſeſſione ſua, qua legitimè gaudet; in ſecundo nulla poſſeſſione priuat, quod, ſi deindè ex perſeuerantia in poſſeſſione illa ſequitur mors, eſt omnino per accidens, & non intenta à tranſeunte. Tandem, quia vectus equo concitato curſu tranſiens per viam, in qua iacet innocens, vel claudus, præfert periculum certum ſuæ mortis, morti incertæ illic iacentis, cum poſſit eſſe ſpes, quod hic euadat, maximè ſi ipſe tranſiens adhibeat congruas cautelas; in ſecundo autem caſu, quo alter à poſſidente arripit panem, vel tabulam, quibus extremè indiget certam mortem, eidem confert auferendo media neceſſaria, quod præſtare non poteſt etiam in ordine ad ſe ipſum ſeruandum.

Diſſoluitur inſtantia propoſita contra probationem.

Occidere innocentẽ per accidens ex cauſa neceſſaria nõ eſt cõtra ius diuinum, & humanũ.

Hic duplex inſurgit ratio dubitandi in ordine ad ea, quæ propoſita ſunt in principio præſentis ſectionis, quarum altera eſt, an ad conſeruandam vitam matris prægnantis poſſint eidem tradi pharmaca, ex quibus poſſit contingere mors fætus in ventre exiſtentis. Secunda, an hoc etiam licitum ſit, quantumuis ſequeretur mors ſpiritualis fætus, quatenus decederet ſine baptiſmate, quæ probabilitèr vitaretur,

taretur,

Digitized by Google

tarctur, ſi huiuſmodi pharmaca non ſumerētur; ſed quia huiuſmodi difficultates oblongam exigunt diſcuſſionem, ideo ad aliam ſectionem refero, quam ſubdo.

SECTIO VI.

An liceat matri prægnanti tribuere pharmaca ad eius ſalutem procurandam, quibus proles putetur moritura, & an quandoque mater ipſa teneatur remedia pati ad ſaluandam vitam pueri, vt baptizetur, & abſtinere à remedijs, quibus ipſa poſſet liberari.

SVMMARIVM.

Remedia ſunt in duplici differentia, & quænam. 1.

Triplex ſtatus vxoris prægnantis in ordine ad talia remedia. 2.

Si fætus nondum ſit animatus, & aliud remedium non ſuppetat matri prægnanti, poteſt hæc ſumere pharmaca directè ordinata ad ſuam ſalutem, quamuis indirectè poſſit ſequi abortus fætus. 3.

Si fætus fuerit animatus, & mater non ſumendo remedia primi generis periclitetur in vita ſine ſpe probabili, quod fætus oriatur viuus, poteſt ſumere pharmaca talis generis, non obſtante periculo fætus, non tamen poteſt ſumere remedia ſecundi generis. 4.

Si ſit ſpes, quod ſine talibus remedijs proles viua naſcatur, ex lege charitatis non poteſt mater eadem ſumere. 5.

Fœmina per vim oppreſſa poteſt ſemen virile eiicere, non ſic fætum iam animatum. 6.

Cur liceat ob bonum totius membrum abſcindere, non ſic ſemen eiicere. 7.

Si remedia applicanda æquè tendant ad ſalutem matris, ac ad abortum fætus poteſt mater illa ſumere. 8.

Mater exiſtens in peccato lethali, nec potens aliter ſibi ſubuenire non tenetur ex lege caritatis abſtinere à remedijs primi generis quamuis ſperetur proles viua edenda, & baptizanda. 9.

Mortuo iam fætu in vtero matris licitum eſt ſcindere eundem vterum ad ſaluandam vitam matris, quando aliter ſaluari non poteſt. 10.

Quamuis licitè poſſit mater ſe tali periculo exponere per ſectionem, non tamen tenetur illam pati. 11.

Quando ex duobus fætibus, alter eſt viuus, alter mortuus, poteſt licitè mater pati illam ſectionem etiam cum periculo propriæ vitæ. 12.

Mortua matre nedum licitum eſt ſcindere eius vterum ad extrahendam prolem viuam, ſi poſſit, ſed etiam neceſſarium. 13.

Tam matre, quàm prole viuente, ſed vtraque conſtituta in certo vitæ diſcrimine licitum eſt vterum maternum ſcindere, vel ad vtriuſque vitam ſaluandam, vel alterius. 14.

Mulier prægnans damnata ad vltimum ſupplicium non debet occidi, quoad vſque pepererit, ſi ſit ſpes, quod proles deueniet ad lucem; ſi non ſit ſpes poteſt auctoritate publica ſecari, vt partus extrahatur. 15.

DVplex difficultas, vt titulus ipſe præfert, hic proponitur; altera in ordine ad ſalutem matris, vt ipſa liberetur à morbo, quantumuis cum periculo prolis; altera in ordine ad ſalutem prolis, quantumuis cum periculo matris. Prima conſiſtit in eo, an mater poſſit licitè ſumere pharmaca, & potiones, quæ ſint eidem ſalutifera, ſed periculoſa proli; ſecunda in eo, an teneatur abſtinere ab eiſdem remedijs, quando præuidentur ita noxia proli, vt timeatur nedum de morte eius corporali in vtero matris, ſed etiam ſpirituali, quatenus periculum ſit, ne decedat ſine baptiſmate, & an in hac hypotheſi teneatur etiam alia remedia pati, puta ſectiones. De vtraque hic ad abundantiam. In ordine ad primam *(Duplex difficultas explicatur in titulo propoſita.)*

1 *(Remedia in duplici differētia, & quænā.)* Aduerte primo remedia, quibus procurari poteſt infirmæ matris ſalus, eſſe in duplici differentia; alia, quæ ex ſui natura directè, & principalitèr ordinantur ad ſanitatem, quam habent cauſare, licet ex eius ſumptione ſequi poſſit, vel ſequatur abortus; alia, quæ ex natura ſua, & directè diriguntur ad immaturi fætus eiectionem. Primi generis ſunt venæ ſectio, ſanguinis emiſſio, ſudatorium balneum, Pharmacum purgatiuum humoris, emplaſtrum mitigatiuum doloris, & alia huiuſmodi. Secundi generis ſunt venenum, dilaceratio, percuſſio, & alia huiuſmodi.

2 *(Triplex ſtatus matris prægnantis in ordine ad talia remedia.)* Aduerte ſecundo, prægnantem poſſe quaſi in triplici ſtatu conſiderari in ordine ad talia remedia; primo, quatenus ipſa non ſumendo talia remedia ſit in morali periculo vitæ, & ſit moralis ſpes, quod fætus naſcatur viuus. Secundo, quatenus ſine talibus remedijs, ſeu medicamentis æquale ſit periculum vitæ, tam matris, quàm fætus, & cum illis æquè poſſit ſperari ſalus matris, ac timeri mors, ſeu abortus fætus, quatenus remedia applicanda æqualitèr tendant, & ad ſalutem matris, & ad fætus interitum. Tertio, quatenus, cum illis timeatur certa mors fætus, & moralis ſpes habeatur vitæ matris. Porrò ſine illis, ſi ſperetur, vt fætus oriatur viuus, etiam moriente matre (qui caſus certè non eſt metaphyſicus, cum *Diana p. 7. tract. 5. reſol. 37.*, teſtetur ſe

præ-

Digitized by Google

præſente bis contigiſſe, vt mortua iam matre fętus ſit ortus viuus, & baptizatus) controuerti poteſt, an ad ſalutem ſpiritualem fætus teneatur abſtinere à talibus remedijs, etiam ſi probabilitèr timeat ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis; & hic etiam diſputabitur, an teneatur in ordine ad effectum vitæ ſpiritualis fætus pati abſciſſiones, & ſimilia.

3 Si fætus nõ ſit animatus poteſt prægnans ſumere pharmaca directè ordinata ad ipſius ſalutem.

Aſſertio I. Si fætus nondum ſit animatus, & prægnanti nullum aliud ſuppetat remedium pro ſalute, poſſunt adhiberi remedia ſecundum ſe ordinata ad eandem ſalutem, licet indirectè poſſint cauſare fætus abortum. *Naldus in ſumma verb. abortus num. 3. Homobonus de caſibus reſeruatis part. 3. c. 67., Diana part. 7. tract. 5. reſol. 34.*, qui etiam aſſerit eſſe comunem inter Neotericos *Boſsius de effectibus matrimonij c. 9. num. 80.*

Ratio ex eo deducitur, quia actiones humanæ ex fine ſuo, & obiecto redduntur bonæ, vel malæ, nec tali bonitate, vel malitia fruſtrantur ex ijs, quæ per accidens, & præter operantis intentionem ſequuntur *D. Thomas 1. 2. q. 64. art. 7. in corpore, Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 8. punct. 2. in fin., & omnes ferè DD. Theologi in quæſtionibus de actibus humanis*; ſed obiectum, & finis, ad quem, ſeu quod ordinatur ſumptio talium remediorum ſunt ex ſe bona, & id, quod poteſt ſequi, nempe abortus fætus eſt præter intentionem ſumentis, ergo &c. Minor probatur, quia obiectum formale ſumptionis talium remediorum eſt ſanitas Matris, ad cuius conſecutionem ordinantur, tanquam ad finem, in quo ſiſtunt; intendere autem talem ſanitatem ex ſe manifeſtè eſt quid bonum, nec vllam inuoluit malitiam. Confirmatur, quia Mater habet ius præferendi propriam vitam ſpei futuræ vitæ prolis, ergo, cum nullus peccet vtendo iure ſuo, nec peccabit mater vtendo talibus remedijs, quibus curat vitam propriam ſeruare, maximè cum talia remedia directè non tendant ad fætus interitum. Neque obſtat, ſi afferatur, non licere propter ſanitatem acquirendam effundere in pollutione ſemen, adeoq; neque ad eandem ſanitatem licere adhibere remedia, quibus eiciatur fætus iam conceptus; Non obſtat, inquam, quia diſpar eſt omninò ratio; pollutio etenim, cum directè procuratur, licet ordinetur ad finem bonum, ſemper eſt ex obiecto mala, nec poteſt cohoneſtari à fine, ad quem dirigitur; Medicina autem ex ſe curatiua non eſt ex obiecto mala, cum ſit à natura ordinata ad ſanitatem, adeoque tanquam medium poteſt per ſe intendi ad bonum finem. Cæterum ſicuti poteſt mater adhibere remedia cauſatiua propriæ ſanitatis directè intentæ, quamuis per accidens, & præter intentionem ſequatur fætus eiectio; ita poteſt quis vti remedijs ex ſe ordinatis ad ſalutem, quantumuis ex ijs ſequatur, vel ſequi poſſit ſeminis effuſio, dummodo per ſe, & directè hæc non intendatur.

Obiectũ, & finis ſunt ex ſe bona.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Aſſertio II. Si fætus eſt animatus, & mater non ſumendo remedia primi generis ſit in morali periculo vitæ, ſine ſpe probabili, quod fætus naſcatur viuus, licitum eſt Matri ſumere Pharmaca, aliaq; remedia talis generis, etiam ſi deinde præuideatur ſecutura mors fætus, non ſic licitum eſt eidem ſumere remedia ſecundi generis. Ita quo ad primam partem *Lugus de iuſt., & iur. tom. 2. diſp. 10. ſect. 5., Laiman lib. 3. tract. 3. part. 3. c. 4 num. 4., Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 13. num. 166., Diana 3. part. tract. 5. reſol. 11.* Quoad ſecundum Lugus, & Diana loc. cit., *Azorius part. 5. lib. 2. c. 26.*, & alij.

4 Ad vitandam propriã mortem, quãdo non eſt ſpes prolis poteſt ſumere remedij primi generis, non ſic ſecundi.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, ſi quid prohiberet talium pharmacorum ſumptionem, maximè eſſet præceptum non occidendi innocentem, & finis propagationis ſpeciei; neutrum autem ex his obſtat; non primum, tum quia talis occiſio per ſe primò, & directè non intenditur, ſed omninò ſequitur per accidens; tum quia interficere aliquem in caſu extremæ neceſſitatis ad ſaluandam propriam vitam præter intentionem non eſt à ratione alienum, vt multis exemplis elucidant *Diana part. 7. tract. 5. reſol. 35., Laiman loco quo ſupra*. Sic inuadente fera matrem prægnantem poteſt, quinimmo tenetur mater feſtinantèr fugere, quamuis ex tali feſtinata fuga certò timeatur fætus animati interitus; ſic vtſupra innuebamus, rhæda, ſeu equo vectus ab aggreſſore timens certum interitum per viã anguſtam poteſt licitè fugere, in qua puer iacens ſit neceſſariò, ſeu certò moraliter proterendus, & alia huiuſmodi; Non ſecundum, tum quia hic finis propagationis iam ceſſat, cum etiam non adhibendo talia remedia, pereunte matre, certo medicorum iudicio proles etiam cum ipſa ſit peritura; tum quia finis propagationis intentæ a natura non obligat cum tanto diſcrimine matris, cum vnuſquiſque ex lege eiuſdem naturæ teneatur primario conſeruare ſe ipſum, quando lex charitatis ad aliud non obligat, quod potiſſimum verum eſt, quando vita vtriuſque eſt inæquali periculo conſtituta.

Nõ intenderet directè, & per ſe mortem fætus.

Dixi *ſine ſpe probabili, quod fætus naſcatur viuus*, quia, ſi non adhibitis illis remedijs moraliter credatur de mortua matre edendum fore fœtum animatum (quod

tamen difficile, & moralitèr impoſſibile videtur) tunc congruentius ſentiendum eſt, ex lege charitatis obligari matrem ad non ſumenda talia remedia, quia eadem lex charitatis exigit, vt præferatur vita ſpiritualis fœtus animati vitæ temporali matris. *Petrus à Nauarra l. 2. de reſtit. c. 3. num. 143., Leſsius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 9. dub. 10. num. 63., Diana part. 7. tract. 5. reſol. 37., & alij innumeri*, quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrim. c. 9. num. 130.*, & quidem quod lex charitatis exigat in caſu neceſſitatis illam prælationem vitæ ſpiritualis alienę vitæ corporali propriæ euincunt DD. ex illo Ioannis 14. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos;* ſicut ergo Chriſtus dilexit nos exponendo vitam propriam corporalem pro noſtra ſpirituali ſalute, ità & nos ſimili modo debemus proximum noſtrum diligere exponendo vitam corporalem propriam pro ſpirituali aliena conſequenda, quod clarius indicatur ex illo *Ioannis 1. c. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, vnde *D. Auguſtinus lib. de mendac. c. 6.* dixit, *temporalem vitam pro æterna proximi ponendam non dubitabit Chriſtianus*. Probant etiam ratione *D. Thomæ 2. 2. q. 26. art. 5.*, quia bona ſpiritualia, & maximè æterna ſcilicet cõſecutio æternæ beatitudinis ſunt bona excellentiora, & Deo gratiora quolibet corporali bono, etiam proprio, ſicque ex charitate, quæ primò reſpicit Deum, bono corporali proprio ſunt præferenda bona ſpiritualia, & æterna proximi.

5 Si ſit ſpes, quod proles viua naſcatur etiam, mortua Matre ex lege charitatis nõ poteſt ſumere talia remedia.

Bona ſpiritualia, & æterna ſunt præferenda temporalibus.

Quod ſi dicas, ex hoc ſequi, quod in fæmina infideli puta Iudæa, & ex Turcico genere, etiam ſi eſſet probabilior ſpes, quod fætus orıretur viuus, adhuc poſſent adhiberi huiuſmodi remedia ad ſaluandã vitam Matris, cum ordo charitatis ratione vitæ ſpiritualis fœtus per baptiſmum non vrgeret; vel ergo dicendum eſt, quod lex naturæ, vetet talia remedia in tali hypotheſi, & ſic ſi fæmina fidelis non poteſt, ſi ſperetur fætus viuus naſciturus nõ adhibitis talibus remedijs, ipſis vti, ita nec poterit infidelis; vel non vetat, & ſic vtraque poterit ijs vti; Si, inquam, hoc dicas; ſtatim reſpondebimus, quod, ſi nulla ſit ſpes, quod fætus, poſtquam ortus fuerit toto vitæ ſuæ tempore non ſit ſuſcepturus baptiſmum, poſſit mater adhibere remedia illa, quia ex vna parte lex naturalis non obligat quemquam ad non adhibenda remedia ex ſe cauſatiua ſanitatis, ex quibus præter intentionem ſequatur alterius damnum, quin potius obligat ad conſeruationem ſui, quam alterius; ex alia charitas propter vitam ſpiritualem non vrget, cum, etiam ſi fætus viueret, nulla ſit ſpes, quod talem vitam eſſet conſecuturus.

Inſtantia de matre infideli diſſoluitur.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia homicidium eſt ab intrinſeco, & ex natura ſua malum, nulloque fine poteſt cohoneſtari, ſed quod eſt tale ab intrinſeco, non poteſt per ſe directè, & primaria intentione intendi, etiam ſi ordinetur ad finem bonum, ergo &c. Maior ex ſe patet. Minor probatur, quia, ſicuti non poteſt directè procurari pollutio, etiam ſi medium neceſſarium reputetur ad vitam conſeruandam, quia pollutio eſt res ab intrinſeco mala, ità nec homicidium, nec quid aliud, quod ſit ab intrinſeco tale, poteſt directè procurari, etiam ſi ordinetur ad eandem vitam conſeruandam. Accedit auctoritas *D. Ambroſij lib. 3. de officijs c. 9.* dicentis. *Si alteri ſubueniri non poteſt, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum iuuari, quam grauari alterum*, quæ verba potiſſimum intelligenda ſunt, quando alter in vita grauatur directa intentione.

Intenderetur directè homicidiũ.

Dices, hanc mortem fætus animati, ſeu homicidium in hoc caſu poſſe cohoneſtari, eo quia fœtus in vtero Matris eſt quaſi aggreſſor contra Matrem; vnde, cum ex iure tam ciuili, quam canonico poſſit aggreſſus impunè, & licitè occidere inuaſorem, etiam poterit mater occidere fœtum. Sed contra reſpondet *Azorius part. 3. lib. 2. c. 1. §. 2.*, non poſſe inuaſorem occidi ab inuaſo, niſi inuadat iniuſtè; iniuſtè autem non inuadit fœtus Matrem, cum non ſit compos rationis. Sed non placet hæc reſponſio, tum quia bannitus ad mortem, ſi non poteſt alia via ſe defendere ab inuaſore, poteſt inuaſorem occidere, & tamen inuaſor non iniuſtè inuadit, cum inuadat vt miniſter iuſtitiæ vindicatiuæ *Nellus tract. de bannitis part. 2. quæſt. 49.*; tum quia furioſus, quamuis ſit Pater, & filius ſi inuadat aliquem, & nõ ſit alia via ipſum effugiendi, & ſe ſaluandi poteſt inuaſus inuadentem occidere *ex c. furioſus clem. de homicidio*, & tamen inuadens, cum non ſit compos rationis, ſicuti non eſt fœtus animatus, non eſt iniuſtus poſitiuè ſaltem. Quamobrem reſpondent alij, inuaſum non poſſe primaria intentione intendere necem inuaſoris; quamuis media ex natura ſua ad illum ordinata adhibeat, ſed ſolummodo propriam defenſionem, ad quam ex medijs illis, quibus intendit propriam conſeruationem, conſequitur mors inuadentis, ſicque matrem non poſſe primaria intentione per talia media intendere eiectionem fætus, benè tamen per ipſa intendere primario propriam ſalutem, quamuis poſtea

Nõ excuſatur Mater ex eo, quod à fætu inuadatur.

Non eſt iniuſtus inuaſor.

ne-

Digitized by Google

neceſſariò ex ipſis ſit ſecuturus eiuſdem fætus interitus; Sed nec ſatisfacit hæc reſponſio; nam, cum media directè ex natura ſua tendant in deſtructionem fætus, parum ad rem noſtram facit, quod dicatur intentio ad aliud primario referri, ſicuti parui faceret, nec excuſaretur ille, qui directè per media ex natura ſua, & neceſſariò cauſatiua procuraret in ſe pollutionem, ſed diceret ſe primario illam non intendere, ſed ſolum propriam ſanitatem. Dico igitur ad inſtantiam, fœtum non eſſe propriè aggreſſorem matris; nam aggredi eſt vim inferre inuito per media violenta per ſe ordinata ad interitum; nō ſic autem fætus ſe habet aduerſus matrem, & per accidens eſt, quod quandoq; ſit nociuus ad interitum eiuſdem, cum vt plurimum fætus non afferat matris internectionem, & mater in ſe ipſa ipſum admittit non inuita, ſed conſentiens; nam, vel concepit à coniuge, vel à fornicario; ſi à coniuge, conſentiendo in matrimonium, & in copulam carnalem iam intelligitur conſentire in ea omnia incommoda, quæ ex ipſo matrimonio, & copula contingunt, & ſic concepto fætu, ſi ab ipſo vim patitur, non poteſt propriè dici aggredi, cum non cenſeatur inuita ſaltem voluntate antecedenti; ſi à fornicario conſentiendo in fornicationem conſentit etiam ſaltem mediatè in talia incommoda, nam qui conſentit in cauſam cenſetur conſenſiſſe etiam in id, quod regularitèr conſequitur ad talem cauſam, vndè non poteſt iuſtè reparari cum morte fætus.

Fætus non eſt propriè aggreſſor Matris.

Mater ipſum admittit nō inuita.

Quod ſi ſupponas mulierem per vim cognitam fuiſſe, & concepiſſe, tunc aliqui arbitrantur difficilimum eſſe intellectu mulierem concipere, & propriè per vim cognoſci; ſed dato caſu, vt poſſibili, dico in primis, quod ſi mulier vi oppreſſa conetur poſt coitum ſemen virile emittere, non peccet, quia in ſemine durat inuaſio *Diana p. 7. tract. 5. reſol. 31. in fine*. Inſuper antequam animetur fætus, exiſtimo poſſe repellere humorem, quia naturale eſt cuicunque repellere id, quod ſibi ex violentia noxium eſt. Poſtquam autem fætus animatus eſt, quia tranſijt in tertiam perſonam non poteſt amplius eius eiectio directè procurari. Ratio eſt, quia inuaſor non eſt fætus, ſed fuit vir ſtuprator; fætus autem eſt tertius innocens; quare igitur culpa vnius debet innocenti obeſſe, certè delictum Patris non debet nocere filio, vt clamant iura in tit. C. *ne filius pro patre*.

6 **Fæmina per vim oppreſſa poteſt ſemen expellere ante animationē, nō autem fætū iam animatū.**

Dices iterum, licet pro ſalute totius partem, puta manum, bracchium, aut pedem præſcindere, vt euenit in eo, qui in parte aliqua mortifero offenſus eſt veneno, ex quo, ſi pars illa offenſa non præſcindatur, tabes imminet, & mors toti; Immò docent *Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 9. dub. 14. num. 201.*, *Toletus lib. 5. c. 6.*, quod, ſi tirannus minaretur alicui mortem, ſi ille ſibi oculum non effodiat, aut truncet manum ad euitandam mortem, poſſit ille oculum effodere, & ſibi manum amputare, quamuis abſolutè nemo poſſit ſe ipſum mutilare, cum nemo ſit Dominus membrorum ſuorū *l. liber homo ff. ad leg. Aquil.*, ergo etiam mater ad ſaluādam propriam vitam poterit abortum procurare, cum fætus in ventre matris ſit pars ipſius, ſicuti fructus eſt pars plantæ *l. 1. §. 2. ff. de ventre inſpic.* Sed contra, nam fætus in vtero matris, maximè ſi ſit animatus, non eſt pars matris, ſed tertia perſona ab ipſa diſtincta; vnde eædem rationes non militant pro fætu, quæ militant pro parte; nam pro fætu militat ratio innocentis, quæ non militat pro parte; pro fætu militat, quod non ſubordinatur matri, ſicuti pars ſubordinatur bono totius, pro cuius ſalute propterea licitè poteſt inſumi.

Fætus in ventre Matris ſi ſit animatus non eſt pars Matris.

Vrgebis obitèr inquirendo, cur liceat ob bonum totius præſcindere partem, & non liceat ob eiuſdem bonum emittere ſemen? Hæc inſtantia magis roborat noſtram aſſertionem, nam, ſi non licet ob ſalutem totius ſemen directè emittere, multominus licebit directè procurare fætus animati eiectionem. Nihilominus doctrinę gratia ad inſtantiam, dico, ſemen ex natura ſua eſſe ordinatum ad generationem, & propagationem ſpeciei, quam principalitèr natura intēdit, membrum autem eſt in ordine tantum ad bonum eius indiuidui, cuius eſt; natura autem magis curat de propagatione ſpeciei, quam de bono, & integritate eiuſdem indiuidui. Addi poteſt, quod, quamuis ſemen non ſit animatum, eſt tamen vita in potentia, vt aſſerunt communitèr cum Medicis Phyloſophi, ordinata ad maximum bonum; membrum autem illud, cum præſupponatur tabe, vel veneno infectum, & potius deſtructiuum, quam conſeruatiuum indiuidui, & ad nullas operationes vitæ inſeruiens, ad nihilum valet vltra, niſi vt præſcindatur, adeoq; &c. Tandem dici poteſt illud membrum ratione infectionis intelligi, quaſi moralitèr ſegregatum à cæteris partibus corporis viuentibus.

7 **Cur liceat ob bonū totius membrū abſcindere, non vero liceat ſemen per pollutionem eicere.**

Aſſertio III. Si ſupponantur remedia applicanda æqualitèr tendere ad ſalutem matris, ac ad fætus abortum, probabilius mater poteſt illa ſumere, abſque iniuſtitia *Trullench. in Decalogum tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 4., & 5., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 20. nu. 18., Diana p. 7. tract. 5.* reſol.

8 **Si remedia æquè tendant ad ſalutē Matris, ac ad fætus abortum poteſt illa ſumere.**

Digitized by Google

reſol. 32., Bonacina de reſtitut. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. 7. verſ. addo tamen, Ramandus de ortu infantium c. 9. nu. 3., & ſeqq. Villalobos 2. p. ſummæ tract. 12. difficult. 3. n. 2. in fin., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effectibus matrimonij c. 9. nu. 121.

Ratio eſt, quia potius ius habet mater ad ſuam vitam conſeruandam, quam habeat fætus, cum hic pendeat à matre, non è contra, ergo, ſi medicina æqualitèr tendat ad ſalutem matris, ac ad necem fætus præferri poteſt attento præcisè ordine naturæ vita matris ſaluti fætus, maximè cum ſupponatur fœtus eſſe in certo periculo, ſiue ſumatur medicamentum, ſiue non ſumatur *Diana loco quo ſupra*. Si autem remedium ſit ex natura ſua mortiferum fœtui, & ſolum hac ratione ſanatiuum matris, non poteſt licitè adhiberi, quia nullo caſu licet directè intendere, ſeu procurare homicidium *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 13. num. 169., Diana, qui ſupra*. Neque dicas, ſi eſſet æquè diſperata ſalus matris, ac fætus ſine illo remedio, & cum illo poſſet eſſe ſpes ſalutis matris, quamuis certus exitus necis fætus, non videri, cur non poſſit mater ſumere tale remedium fœtui mortiferum, cum periculum damni in fætu ſit modicū, cum eius ſalus ſupponatur deſperata, & per ſumptionem ſit ſolum ſecutura aliqua mortis acceleratiò; lucrum autem, quod indè ſperatur, ſit maximum, nempe ſalus matris; quod confirmari poteſt ex eo, quod ſi, licet ſuadere id, quod minus malum eſt ad euitandum, quod maius eſt, v. g. ſuadere matri prægnanti paratæ, & diſpoſitæ ad ſe occidendum ſimul cum fætu, vt ſolum fætum occidat, ita licebit ſuadere, dum tam mater, quàm fætus eſt in certo morali periculo mortis, vt procuret fætus necem ad conſulendum ſpei propriæ ſalutis; in hoc etenim attenditur minus malum ad euitandum maius; Contra enim impugnaberis, cum, vt ait, *Pontius de matrimonio lib. 10. c. 13. num. 102.,* non habeat mater ius ad tuendam propriam vitam cum poſitiua eiectione, ſeu occiſione innocentis; nec refert illa ſpes ſalutis matris; nunquam enim licet illam occiſionem procurare directè, vt patet in ſimili de pollutione, ac de acceleratione mortis infirmi, quæ nullo caſu directè procurari poteſt. Ad id, quod ſubditur, dico parato facere malum licere quidem ſuadere minus malum priuatiuè, non autem poſitiuè; ſuadere minus malum poſitiuè eſt per rationes poſitiuas inducere, & directè operantem, vt faciat tale opus, quod nunquam licet, eſto ſequantur bona, nam non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, ſic nunquam licet mentiri, quamuis ex mendacio aliquod bonum ſperaretur; cum mendacium ſit ab intrinſeco malum; ſuadere minus malum priuatiuè, eſt directè, & per rationes poſitiuas inducere ad deſiſtentiam maioris mali, quamuis ex hoc ſequatur indirectè minus malum, quod quandoque licet, nam aliud eſt facere malum, aliud impedire maius malum. In caſu noſtro dico, fæminam prægnantem in certo mortis periculo conſtitutam, ſi adhibeat directa remedia ad abortum, vel alius ſuadeat poſitiuè, vt talia remedia adhibeat, ſemper facere malum, quod in nullo caſu licet, cum hoc ſit poſitiuè operari.

Intellige ſi remediū non ſit ex natura ſua mortiferū fætui.

Nonnullę inſtantiæ propoſitę, & diſſolutæ.

In hac hypotheſi non ſuaderetur minus malū poſitiuè, ſed tantū priuatiuè.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, inferri poteſt licitum etiam eſſe medico, & obſtetrici applicare prægnanti infirmæ ea remedia, quæ iuxta ſuperius dicta ipſa poteſt aſſumere; illicitum vero, ea applicare in ijs caſibus, in quibus ipſa non poteſt *Ramandus de ortu infantium c. 9. nu. 18., & 19., Malderus 2. 2. tract. 5. c. 1. dub. 17., Sanchez lib. 9. de matrimonio diſp. 20. n. 15., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 9. num. 86.* Ratio facilis eſt, quia, cum applicatio, quam ſibi per ſe facit mater, ſit licita, omnique careat culpa, nō apparet, cur non debeat eſſe ſine culpa, & licita applicatio, quæ ſit per medicum, alioſque, quibus demandata eſt cura eiuſdem matris; ex quibus à contrario infertur, quod ſi mater non poteſt aliqua circa ſe ipſam præſtare, neque poſſint alij erga ipſam facere.

Medicus poteſt applicare remedia infirmæ prægnāti, quæ ipſa poteſt ex ſe ſumere.

9 Aſſertio IV. Mater, ſi timeat probabilitèr ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, & non poſſit inſtante periculo vitæ ſibi in hoc ſubuenire, non tenetur, nec etiam ex ordine, & lege charitatis abſtinere à medicamentis directè tendentibus ad eius ſalutem, quamuis ſine illis ſperetur fœtus in lucem edendus, & baptizandus. Dixi, *& non poſſit inſtante periculo ſibi ſubuenire,* quod certè nimis difficile eſt, & imperceptibile, cum non appareat, cur non poſſit procurare ſtatum gratiæ, ad quem poteſt ſe per actus doloris internos, & per ſacramenta diſponere. Aduerto tamen hic, quod data pro nunc, licet non conceſſa illa impotentia morali ſe diſponendi ad ſtatum gratiæ, mulier, quæ timet ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, non debeat eſſe anxia, & nimis ſollicita, vt ratione cuiuſcunque dubitationis, & timoris nolit abſtinere ab huiuſmodi remedijs, ſed dubitatio debet eſſe cum probabili fundamento conſiſtente in eo, quod certò ſciat, ſe peccatum læthale commiſiſſe, & rationabile fundamentum habeat dubitandi, ſe illud confeſſum non fuiſſe, vel de illo non habuiſſe ſufficientem dolorem, vel non ex-

Mater ſi ſit in periculo vitæ, & in peccato læthali, nec poſſit aliter ſibi ſubuenire poteſt remedia primi generis ſumere non obſtante lege charitatis.

Digitized by Google

explicaſſe in confeſſione circumſtantias neceſſario aperiendas, vel alia huiuſmodi; Si autem dubitatio eſſet ſolummodo in eo, quod poſtquam adimpleuit omnia, quæ in ſe ſunt, adhuc timet, an Deus, ea acceptauerit, nec ne, & ſuam gratiam eidem conceſſerit, tunc certè teneretur abſtinere à talibus remedijs, eo quia ex vna parte poteſt probabilitèr præſumere ſe eſſe in ſtatu gratiæ, ex alia parte nunquam, niſi accedente diuina reuelatione poteſt habere de hac plenam certitudinem, cum teſte Apoſtolo, *nemo ſciat, an amore, & odio dignus ſit*, & ſic nemo præcepto charitatis adſtringeretur ad præferendam vitam æternam alterius vitæ temporali propriæ, cum ſemper hac ratione poſſet dubitare, an ipſe ſit in ſtatu gratiæ, nec ne?

Nonnulla notabilia.

Probatur iam iuxta hos terminos noſtra reſponſio, quia ſi quid obſtaret, ne Mater pręgnans in data hypotheſi poſſet adhibere remedia directè cauſatiua propriæ ſanitatis, & indirectè, & per accidens mortis fætus, maximè præceptum charitatis exigens præferri vitam ſpiritualem fætus vitæ propriæ tẽporali, ſed in hoc caſu hoc præceptum non vrgeret, cum immineret non ſolum periculum mortis temporalis propriæ, ſed etiam æternæ, quæ certè præferenda eſt alienę, nam ſicuti ex ordine charitatis debet vnuſquiſque magis conſulere propriæ vitæ temporali, quam alienæ, ita etiam propriæ vitæ æternæ, quam alterius; ordo enim gratiæ ſequitur ordinem naturę, ergo ſi in ordine naturæ, quando cætera ſunt paria, magis teneor ad meum conſeruandum, quam ad tuum, etiam ita teneor in ordine gratiæ.

Vita ſpiritualis propria eſt præferenda alienæ.

Ex his infertur primo, quod, ſi inuaſus ab hoſte certo ſciat moraliter, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, & hoſtem in peccato læthali teneatur ex lege charitatis, permittere ſe occidi, ne occidat aggreſſorem exiſtentem in peccato læthali, ne amittat vitam æternam; ſecus autem, ſi probabiliter iuxta ſuperius dicta timeat, ſe eſſe in ſtatu damnationis. Secundò vnumquemque teneri ſe exponere periculo vitæ ad baptizandum puerum filium chriſtiani exiſtentem in loco peſtifero in articulo mortis, vel apud infideles alioqui ſine baptiſmo periturum, dummodò ipſe probabilitèr non timeat, ſe per talem actum deceſſurum in damnatione. *Maior in quarto diſt. 15. q. 22., Suarez de cenſuris diſp. 9. ſect. 2. num. 3., Coninchus de actionis ſupernaturalibus diſp. 25. num. 88., Rainaudus de ortu infantium c. 6. num. 19.* An autem quis teneatur ſe exponere tali vitæ periculo ad baptizandum puerum filium infidelium in ſimilibus circunſtantijs poſitum. Affirmant *Suarez, Coninch., Rainaudus loc. cit., & Caſtrus Palaus tom. 1 tract. 7. de charitate diſp. 1. punct. 9. num. 5.*, dummodò fiat abſque iniuria, & iniuſta perturbatione parentum. Tertiò teneri etiam iniuſtè inuaſum æquo inſidentem, vel Rhæda vectum, vt effugiat mortem ab aggreſſore etiam iniuſto ſibi inferendam abſtinere à curſu, ſeu fuga per viam anguſtam in qua iacet puer nondum baptizatus, & neceſſariò proterendus, niſi concurrentibus circunſtantijs proprij ſtatus damnationis prout ſupra.

Aſſertio V. Mortuo iam fætu in vtero Matris licitum eſt ſcindere eundem vterum, quando alia via non ſuppetit extrahendi, vt fætus ipſi noxius extrahatur, & ſaluari poſſit Mater incolumis, cęteroqui certo moralitèr peritura. Conſentit *Ioannes Angelus Boſsius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 158.* Dixi, quando alia via non ſuppetit, quod vix eſt credibile, nam vt refert *Moſchius c. 16. excerptorum Plinius lib. 2. c. 8. q. 13. 14., & 22., & lib. 21. c. 20., & 22., & l. 22. c. 21.* extrahi poteſt, vel medicamentis, vel miniſterio chirurghi, vt conſtat ex quotidiana praxi, & tradunt *Tertulianus de anima c. 23., Paræus de hom. gen. c. 26., & Iacobus Ruffius lib. 3. de mulieribus c. 6.*, vel conatu, & impulſu ipſius naturæ, vt ſcribit *Cagnatus lib. 4. var. c. 9.* 10

Mortuo iam fætu in vtero Matris licitum eſt ſcindere vterũ ad extrahendum eundem, quãdo aliter extrahi nequit ad ſaluandã vitã Matris.

Ratio ex eo deducitur, quia poteſt quis licitè exponere ſe periculis mortis nõ certę, & euitabilis, vt certam mortem alioqui illa actione prætermiſſa ſecuturam euitet, ergo etiam Mater ad ſaluandam vitam, ſeu mortem certam vitandam poterit licitè ſe exponere per ſciſſionem periculo mortis, cum tamen hæc non ſit certo ſecutura, quin potius ſperetur eiuſdem ſalus, cum plerumque hoc contigiſſe referant *Eccloſterus decade 6. obſeruat. caſu 3. in ſcholio Matthæus Cornari in Enchir. conſult. medic. Carolus Stephanus de diſſect. part. corp. hum. c. 2. Schenchius lib. 4. obſer. medic. tit. de fœtibus, Sennertus lib. 4. part. 2. ſect. 6. c. 8. in princip.*, procedit enim noſtra aſſertio in ſuppoſitione, quod non poſſit aliunde Matri ſubueniri, niſi per ſectionem, ſi etenim adeſſent alia remedia non ita noxia, & periculoſa, vtique non liceret. Antecedens varijs probatur exemplis; ſic conſtitutus in certo periculo mortis, vel ab hoſte, vel à fera poteſt licitè, vel ſe proiciendo à muro, vel ſe præcipitando a ponte in certo periculo vitæ ſe committere, ſi alia non ſuppetat via, certam, & ineuitabilem mortem fugiendi *Boſsius de effect. matrimonij c. 9. num. 151., Sairus lib. 7. clau. c. 9. num. 36., & ſeqq. Balthaſar Gomez de poteſt. in ſe ipſum lib. 1. c. 22. nu. 22.*,

Poteſt quis ſe exponere periculis mortis incertæ vt euitet mortem certam.

Digitized by Google

22., ſic infectus gangræna, vel tabe mortifera poteſt ſe exponere ſectioni membri ſiderati, ſine qua certa mors ſequeretur, licet ratione ſciſſionis neruorũ, tendonum, venarum, & arteriarum, & applicationis candentium laminarum ad ſiſtendum ſanguinem ſit periculum propter horrendam dilacerationem, & conuulſionem, quia tamen talis ſectio non ſemper eſt mortifera, cum feliciter quandoque euenerit, vt refert *Plutarchus de Caio Mario, & Hipocrates lib. 6. Epidimiæ ſect. 3. de quodam baiulo*, licita eſt, & paſſim à Medicis ad praxim redacta; Sic in vniuerſum docent *Innocentius in c. ſignificauit nu. 1. de corpore vitiato Archidiaconus in c. 1. num. 2. eod. tit.* licere ad bonum totius ſcindere membrum principale, &, ſi ſciſſio ſit periculoſa, dummodo tamen non ſit ſemper mortifera. Conſequentia primi argumenti tenet, nam, ſi ex vna parte licita eſt ſectio aliorum membrorum, etiam principalium ad bonum totius, cur non licebit etiam ſciſſio vteri materni ob idem bonum? ex alia tale remedium multis experientijs cognitum fuit, vt proficuum ipſi Matri vt multis exemplis refert *Rainaudus de ortu infantium c. 5. & 6. num. 8., Rouſetus opuſ. de partu cæſareo, Daniel Sennertus lib. 4. part. 1. c. 1. ſect. 2., & teſtantur communitèr Medici*. Neque dicas, ſectionem vteri materni viuentis eſſe intrinſecè malum, nec licitam etiam ad finem bonum ſpiritualem cum teſte *Apoſt. ad Romanos 3.* non ſint facienda mala, vt eueniant bona; contra enim impugnaberis, quia ſi eſſet ab intrinſeco mala, id eſſet, quia de ſua natura, & per ſe inferret mortem Matri; hoc autem non eſt, tum quia intenditur potius, vt proficua, quam vt noxia; tum quia, ſicuti non eſt ab intrinſeco mala ſciſſio vteri ob gangrænam tendentem ad interitum Matris, cum talis ſciſſio poſſit eidem afferre ſalutem, prout de facto attuliſſe refert *Chriſtophorus Vega tract. de prouidentia vteri Mercurialis de morbo muliebri lib. 4. c. 21.*, ita nec videtur ab intrinſeco mala ob fætum mortuum, qui æquale damnum in corruptione poteſt afferre Matri, ſi non tollatur. Ratio horum omnium fundamentalis eſt, quia, quamuis nullus ſit Dominus membrorũ ſuorum, ſicuti non eſt Reſpublica domina vitæ ſuorum ſubditorum, vt ſupra probauimus, eſt tamen cuſtos eorundem membrorum, ſicuti eſt cuſtos Reſpublica ſuorum ſubditorum, & ſicuti Reſpublica ad bonum totius communitatis poteſt criminoſos ſubditos perimere, ita poteſt quiſque in bonum ſui eſſe aliquas partes infectas reſcindere &c.

Talis ſectio in pleriſque caſibus fuit proficua.

Hic duplex inſurgit difficultas. Prima eſt, an in hac hypotheſi non ſolum licitum ſit Matri ſe exponere tali periculo ſciſſionis, ſed etiam teneatur eidem ſe exponere. Secunda eſt, an ſi duplex fuerit fætus gemellus in vtero Matris alter mortuus, alter viuus, vel ſaltem præſumptus viuus, licita ſit talis ſciſſio ad vtrumque extrahendum.

Duplex difficultas excitata.

11 **Non tenetur pati illam ſectionem.**

In ordine ad primam ſentio, non teneri eidem ſciſſioni ſe exponere, cum fieri nequeat, niſi cum dolore acerbiſſimo, quem ſufferre non tenetur, quia homo tenetur conſeruare ſuam vitam per media ordinaria, & non per extraordinaria, & difficilima, quod extendi debet etiam in ordine ad abſciſſionem membrorum in Religioſo ad acquirendam ſalutem, quem veriſimile eſt, neq; ex obedientia, & imperio Superioris obligari poſſe ad res adeo difficiles, niſi talis perſona ſit maximè neceſſaria ad commune bonum Reipublicæ, propter quod, ſicuti quiſque tenetur, & à Superioribus obligari poteſt ad exponendam vitam, multo magis ad ſuſtinendum dolorem, quantumuis acerbiſſimum.

12 **Quando ex duobus fætibus alter eſt viuus, & alter mortuus poteſt Mater ſe exponere ſectioni.**

In ordine ad ſecundam à fortiori arbitror licitam eſſe talem abſciſſionem, prout ſuſtinet idem *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimonij d. c. 9. num. 158., & alij magis communitèr*, quia in hac hypotheſi non ſolum reſpicitur ſalus Matris, ſed etiam bonum fætus viuentis, qui ex illa permanentia cum fætu mortuo non modicum poteſt pati.

13 **Mortua Matre licitum, & neceſſariũ eſt ſcindere ipſius vterũ, ad extrahendam prolem viuã, ſi poſſit.**

Aſſertio VI. Mortua Matre licitum eſt vterum eiuſdem ſcindere ad effectum, vt extrahatur, ſi poſsit, fætus viuus, vt baptizetur, quinimmo non ſolum licitum, ſed expediens, & forte etiam neceſſarium *D. Thomas 3. parte q. 68. art. 11. in reſponſ. ad tertium, Alenſis 3. part. q. 17. memb. 4, Paludanus in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. concl. 3., Sotus in 4. diſt. 5. q. vnica art. 11. concl. 3. circa tertium, Pelbartus roſ. 4. tract. de baptiſmo cap. 5. caſ. 5., Laiman lib. 5. tract. 1. c. 3. q. 1., Fagundez in Decal. lib. 5. c. 12. num. 35.*, & alij innumeri, quos allegat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius de effect. ib. matrimonij c. 9. num. 144.*

Ratio ex eo deducitur, quia præceptum charitatis obligat etiam cum notabili detrimento proprio ad vitam corporalem proximi procurandam, quando eſt in extrema neceſſitate, & multo magis ad vitam æternam, ergo, cum in noſtro caſu nullum poſſit eſſe detrimentum Matri, cum ſupponatur præmortua, & poſſit eſſe ſpes aliqua ſalutis, tum temporalis, tum æternæ fætus debet admitti ſectio vteri materni vt extrahatur. Ex quo ſequitur, quod nedum liceat, ſed debeat

fieri

Digitized by Google

Tenentur parentes proximiores permittere ex lege charitatis.

fieri talis ſciſſio, adeo vt contra charitatem,& pietatem peccarent parentes proximiores, & illi, quibus filiorum tutela commiſſa eſt, ſi ſtatim talem ſciſſionem non procurarent, & in ipſorum defectum Rectores loci quoad temporalia, & ſpiritualia ex vi officij ſui. Neque dicas cum *Roderico de Castro lib. 4. de morb. mulieb. c. 3. in ſcholijs*, impoſſibile eſſe, Matre iam mortua, fætum etiam per momentum in eius vtero poſſe viuere, eo quia ceſſante motu, ſeu vita Matris prægnantis ceſſat etiam in fætu cordis motus, qui pendet ex contractione, & diſtenſione duarum arteriarum vmbellicaliũ, qui motus, cum primum in Matre ceſſat, ceſſat etiam in fœtu, quiq; propterea ex tali defectu neceſſariò ſtatim moritur; contra enim impugnaberis, nam fœtus, vt ad aliquam moram viuat, non indiget motu pulmonum reſpirationis, nam, vt bene docet *Rainaudus loc. cit. c. 2. n. 8.* neceſſaria ſolum eſt propter refrigerationem magni caloris, cuius ſignum euidens eſt, quod mulieres paſſione hiſtericæ laborantes propter exiguum calorem vix reſpiratione vtantur,& quandoque accidit fuiſſe ante mortem ſepulturæ traditas ob non animaduerſam reſpirationem; Cum igitur fætus habeat exiguum calorem, non eget reſpiratione, ſed tantum tranſpiratione, ad quam valdè poteſt inſeruire, ſi ſtatim aperiatur mortuæ Matris os eidem immiſſo epiſtomio, vt puer aerem poſſit atrahere.

Comprobatur exẽplis, & experientijs.

Hæc veritas multis comprobatur exemplis, & experientijs ab auctoribus relatis; ſic refert *Ioannes Angelus Boſsius tract. de effect. matrimonij c. 9. num. 146.* prægnante Auguſtiſſima Imperatrice Maria vxore Ferdinandi Tertij,& partui proxima grauiſſimis doloribus perempta, & ſtatim ſecta extractum fuiſſe puerum viuum, & baptizatum; Sic *Molina de iuſt., & iur. tract. 2. diſp. 624. num. 1.* refert ex matre defuncta,& ſecta extractum fuiſſe Gerardũ, qui poſtea fuit Epiſcopus Conſtantienſis; de duobus alijs refert *Diana part. 7. tract. 5. reſol. 37.*

14 Tam Matre, quàm prole periclitante licitũ eſt vterũ maternum ſcindere.

Aſſertio VI. Tum Matre, quam fætu adhuc viuente, ſed vtroque conſtituto in certo vitæ diſcrimine licitum eſt vterum maternum ſcindere, vel ad vtriuſque vitam ſaluandam, vel alterius ſaltem, *Rainaudus de ortu infant. c. 5. per totum, Franciſcus Rouſsettus opuſ. de partu cæſar. Maunilius Cordæus comment. 1. ad primum lib. Hipocratis de morbo muliebri text. 11. Ioannes Marinellus lib. 3. de morb. mulieb. c. 50. Daniel Nerettus lib. 4. med. pract. part. 2. ſect. 6. c. 6. caſ. 3. Balthaſſar Gomez tract. de poteſt. in ſe ipſum lib. 2. c. 4. num. 3.*, quibus adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 9. num. 151., & ſeqq.* ſuppoſita tamen duplici conditione, nempè quod ſit certus, & ineuitabilis interitus Matris, & prolis non adhibita tali inciſſione, & quod illa inciſſio non ſit certo, & infallibiliter allaturà mortem Matris.

Ratio ex eo deducitur, quia licitum eſt ex ſuperius dictis ad extrahendum fœtum mortuum admittere ſectionem in vtero matris viuentis, ergo, ſi altera via prouideri non poteſt vtriuſque, vel ſaltem alterius ſaluti ſine ſectione vteri materni, licita erit talis ſectio, maximè cum per hoc videatur conſuli vitæ æternæ fætus, & ſpei ſalutis corporalis matris, cæteroqui infallibilitèr perituræ. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, talem ſectionem matris prægnantis viuentis eſſe intrinſecè malũ, & nullo modo licitam, neque etiam ad finem, vt proles, cuius ſalus corporea, & naturalis partus deſperatur, baptizetur, prout ſentire videntur *D. Thomas 3. p. q. 68. art. 11. in reſponſione ad 3., Alenſis 3. p. q. 17. memb. 4., Paludanus in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. concl. 3., Poſſeuinus de offic. Curati c. 6. n. 8. in fin.*, quod probant ea ratione, quia talis inciſio de ſui natura, & per ſe inferat matri mortem, & ita ſecare vterum matris viuæ eſt illam occidere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis huiuſmodi DD. maximum ſuis auctoritatibus addant robur in aſſertionibus moralibus, & Theologicis, in rebus tamen, quæ ad eorum profeſſionem non pertinent, poſſunt ex falſis fundamentis decipi, prout decipiuntur in præſenti hypotheſi, ſecundum quam præſupponunt ex illa inciſione certam matris mortem ſecuturam, quod tamen falſum ex experientijs aſſerunt medici præallegati, cum plurimi caſus contigerint, ſecundum quos plures matres inſectæ incolumes euaſerunt.

Non certa ſequitur mors matris.

Si autem hic inquiras, an in hac hypotheſi permittere teneatur mater hanc inciſſionem. In primis, certum eſt, in ordine præciſè ad ſalutem corporalem matris non adeſſe obligationem permittendi ſciſſionem, cum fieri nequeat, niſi cum dolore acerbiſſimo cum magna diuiſione multarum partium maximè ſenſitiuarũ, ſeu ſenſu ſummè pollentium, ſcilicèt abdominis, piritonæi &c. quem non tenetur perpeti, cum non teneatur vitam conſeruare per media ita atrocia, & dolorifera; In ordine verò ad vitam æternam, quę ſperari poteſt in fætu per baptiſmum, dubidium maximum eſt inter DD. Probabilius exiſtimo ſentire *Torrem 2. 2. tom. 2. diſp. 26. dub. 2. nu. 27., Ioannem Angelum Boſſium de effectu matrimonij c. 9. nu. 200., Rainaudum de ortu infant. c. 6. num. 8.*, qui

Mater in ordine ad ſalutem corporalem propriam nõ tenetur pati illam inciſionẽ.

15 In ordine ad ſalutẽ æternam fætus tenetur pati illã inciſſionem.

Digitized by Google

ſuſtinent teneri admittere illam ſciſſionem ex illa generali regula, quod præferenda ſit vita æterna proximi vitæ temporali propriæ, & comprobatur exemplo ſuperius allegato, quod prægnans cum periculo ſuæ vitæ corporalis ex præcepto charitatis teneatur abſtinere à remedijs etiam ex natura ſua ſanatiuis, ſi illa adhibendo timeatur damnum in vita ſpirituali fœtus. Neque obſtat, ſi dicatur, vel poſſe matrem remittere vitam ſpiritualem fœtus prouidentiæ diuinæ, ſicuti eidem poteſt remittere ſalutem corporalem propriam, vel nunquam, quoad hoc poſſe eſſe caſum extremæ neceſſitatis, cum ſine ſectione vteri poſſit proles in eodem vtero baptizari opera obſtetricis, vel admiſſa impoſſibilitate ſine ſectione vteri materni, quod fœtus baptizari poſſit, poſſe ſuppleri per parentum preces, & pueri oblationem, ſicuti fiebat antiquitus in lege naturæ, vt tenere videtur *Caietanus part. 3. q. 68. art. 2.*, & fauent *Valentia 3. parte diſp. 3. q. 5. punct. 3.*, *Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 27. ſect. 3.*, quatenus docent Deum ex ſua infinita miſericordia ſupplere defectum baptiſmi irriti ex defectu materiæ, vel formæ, vel intentionis miniſtri; Non obſtat, inquam, non primum, quia vtique poteſt mater, cum agitur de ſua vita tantum, cedere iuri ſuo, quod habet ad talia media pro conſeruanda ſua vita, prælertim ſi inferant magnum dolorem; non autem poteſt cedere iuri, quod habet proles, vt in extrema neceſſitate, in qua ſupponitur conſtituta, procuretur eius æterna ſalus *Boſſius loco quo ſupra*, *Rainaudus d. c. 6. n. 21.*; Non ſecundum, quia ad validitatem baptiſmi requiritur, quod aqua pertingere poſſit corpus baptizandi, ſecus ſequeretur, quod occluſo in ſacco coriaceo poſſet validè baptizari, quod nullus admittet; non videtur autem quomodo aqua poſſit phyſicè pertingere ad corpus fœtus animati exiſtentis in vtero, cum ob obſtructionem matricis, quæ a die conceptionis vſque ad tempus partus ita occluditur, vt nihil os eius intrare poſſit; tum quia, etiam ſi daretur obſtetrix adeo perita, vt manum immittere poſſit, immediatè tamen non poſſet pertingere corpus infantis, eo quia obuolutum eſt ſecundinis, quæ non ſunt partes eiuſdem fætus, ſed prægnantis, & ſic tangendo tales ſecundinas, non videtur validè baptizare, ſicuti tangens tegumentum ſacci coriacei non baptizaret; Non tertium, quia illud ſupplementum non valet pro baptiſmo, vt eruitur ex illis verbis Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt intrare in Regnum Dei*, quæ verba, cum importent negationem, quæ eſt malignantis naturæ, important neceſſitatem ſimpliciter baptiſmi ad ſalutem æternam conſequendam. Deindè, ſi ſubſiſteret illud ſupplemētum, nullus, vel ſaltem pauci infantes Chriſtianorum decederent ſine gratia, cum Patres ex lege charitatis preces funderent, vel deberent fundere, & infantes adhuc in vtero exiſtentes Deo offerre. Quamobrem aliqui DD. ſententiam Caietani appellant temerariam, alij ſuſpectam, & Pius V. iuſſit in Romana Commentariorum Caietani editione talem opinionem non apponi, & ſententia aliorum aſſerentium Deum quādoque ſupplere in baptiſmo defectum materiæ, formæ, & intentionis Miniſtri, nullo innititur fundamento.

Reijciuntur nonnullæ inſtantiæ aduerſariorum.

16 **Mulier prægnans damnata ad vltimū ſupplicíū non debet mori, quouſq; pepeterit, ſi ſit ſpes partus.**

Aſſertio VII. Quando mulier prægnans ob enorme crimen damnata eſt ad vltimū ſupplicium, & ſit ſpes, quod fætus poſſit deuenire ad partum naturalem, differendum eſt ſupplicium vſque ad partum, & non ſecanda eſſe mater prægnans, prout colligitur *ex l. Imperator Adrianus ff. de ſtatu homin. l. prægnantis ff. de pœnis*; ſi vero probabilitèr timeatur, fætum non poſſe deuenire ad partum naturalem, ſed moriturum antè tempus, poteſt auctoritate publica vteri materni ſectio adhiberi. Ratio eſt, quia ex vna parte in ordine ad matrem ſicuti poteſt Princeps eam ob delictum occidere, vel hoc, vel illo modo, ita poteſt etiam eius vitam exponere ad ſectionem; ex alia in ordine ad fætum illi potius ſuffragatur, quam noceat, cum per hanc intēdatur eius vita ſpiritualis, de cuius ſalute timetur, ſi ſic non extrahatur, ſed relinquatur vſque ad partus naturalis tempus *Suarez tom. 2. in 3. parte qu. 68.*, *Coninchus de Sacramentis q. 68. nu. 92.*, *Layman lib. 5. tract. 2. c. 3. q. 1.*

SECTIO VII.

An ad defenſionem ſui, rerumque ſuarum liceat inuaſorem interimere.

SVMMARIVM.

Aggreſſio in ordine ad quæ bona poſſit eſſe. 1.

Licitum eſt occidere iniuſtum inuaſorem in defenſionem ſuæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ. 2.

Si aggreſſor actu non feriat, accedat tamen ad feriendum, & non ſit modus euadendi, poteſt licitè occidi. 3.

Si aggreſſus poteſt fugere, quantumuis cum ignominia non poteſt occidere aggreſſorem. 4.

Si non actu accedat, inſtructus tamen ſit ad accedendum, nec poſſit vitari, poteſt occidi. 5.

Si quis inuadat per famulum, poteſt inuaſus famulum

Digitized by Google

mulum occidere. 6.
Non licet occidere criminatorem inuadentem per falſos teſtes. 7.
Inuaſus per maleficia non poteſt interimere inuadentem per alia maleficia. 8.
In caſibus, in quibus priuata perſona poteſt occidere inuadentem, poteſt etiam occidere ſuperiorem, ſi hic ſit inuadens. 9.
In actu inuaſionis poteſt aggreſſus occidens inuadentem non ſolum intendere propriam defenſionem, ſed etiam mortem inuaſoris, tanquam medium neceſſarium ad ſuam vitam. 10.
Aggreſſus occidens aggredientem, id non præſtat auctoritate publica, ſed priuata. 11.
Clerici, & Eccleſiaſtici poſſunt licitè inuaſores aggredientes occidere. 12.
Laici etiam poſſunt occidere Clericos inuadentes. Ibid.
An Clericus occidens Laicum aggredientem incurrat irregularitatem, remiſſiuè. 13.
Pro defenſione pudicitiæ licitum eſt fœminæ, & adoleſcenti occidere aggreſſorem, quando alia via non ſuppetit. 14.
Maritus occidens inuadentem propriam vxorem ad fornicationem, cui vxor ipſa inuita non poſſit reſiſtere, cum aliter non poſſet vxorem liberare, non peccat. 15.
Maritus ſuperueniens, antequam carnalis congreſſio incipiat vxoris cum adultero, & aliter non poteſt adulterum reicere, poteſt ipſum occidere. 16.
Licet perſona honorata ad ſui defenſionem occidere aggredientem cum fuſte, vel alapa, quando aliter non poteſt. 17.
Non licet occidere detrahentem falſis criminationibus apud Principem. 18.
Non licet acceptare duellum etiam ad finem vitandæ notæ puſillanimitatis. 19.
In actu, quo fur aggreditur res alienas magni valoris, nec poſſit aliter reici, poteſt occidi, ſi non ſit ſpes recuperationis. 20.
Etiam Clericis licitum eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere rerum ſuarum aggreſſores, ſeruatis debitis conditionibus. 21.
Etiam Religioſis. 22.
Clerici, & Religioſi in defenſione rerum ſuarũ, & Monaſterij cum moderamine inculpatæ tutelæ occidentes aggreſſores, non contrahunt irregularitatem. 23.
Poteſt etiam quis occidere aggreſſorem in defenſionem rerum alterius ſuæ curæ commiſſi ſeruatis &c. 24.
Quandonam aggreſſorem vitæ alterius ad ipsã ſeruandam liceat alteri occidere. 25.
An liceat filio Patrem occidere in defenſionem alterius innocentis. 26.

AGgreſſor in ordine ad terminum poteſt conſiderari primo, prout aggreditur alterum ad ipſum lædendum in bonis vitæ, & corporis; ſecundo, prout aggreditur ipſum in bonis famæ, & honoris; tertio, prout aggreditur in bonis fortunæ. Iuxta primum ſenſum, prout ſcilicet eſt aggreſſor vitæ proximi ad eum interimendum plura in præſenti diſcriminatim inquirentur; primum, vtrum licitum ſit occidere iniuſtum inuaſorem ob defenſionem vitæ ſuæ, & integritatis membrorum. Secundũ, an liceat abſolutè occidere, nullis ſeruatis conditionibus, an vero in certis dumtaxat caſibus, ſeruatoque moderamine inculpatæ tutelæ. Tertium, an liceat in ordine ad quemcunq; inuaſorem quantumuis ſuperiorem & Principem. Quartum, quonam titulo liceat inuaſorem perimere an ſcilicet ſolummodo titulo propriæ defenſionis, quatenus directè intendatur conſeruatio propriæ vitæ, & nonniſi indirectè mors aggreſſoris, & quaſi per accidens; an vero etiam titulo occiſionis intentæ, tanquam medij ad ſaluandam propriam vitam. Quintum, an illa aggreſſoris occiſio per aggreſſum intelligatur fieri priuata auctoritate, an vero publica.

I Aggreſſio in ordine ad quæ bona poſſit eſſe.

Articuli examinãdi circa præſentẽ titulum.

Iuxta ſecundum ſenſum erit ſermo, primo, an liceat mulieri, vel adoleſcenti, & cuiuis alteri pro defenſione pudicitiæ occidere inuaſorem, & quomodo; ſecundò, an homini honorato liceat occidere eum, qui actione aliqua turpi, & iniurioſa, & cedente in graue dedecus ipſius aggreſſi ipſum aggreditur, puta fuſte, alapha, contumelijs, & ſimilibus. Tertiò, an liceat occidere eum, qui falſis criminationibus alteri nititur detrahere apud Principem, Iudicem, alioſque probos viros, iſque alia via nequeat auerti ab illo damno in fama auertendo; quarto, an liceat prouocato ad duellum illud acceptare, quando niſi acceptet, cenſebitur ignarus, & meticuloſus, nec poterit amplius in aula comparere, nec vllam promotionem militarem ſperare.

Alij articuli diſcutiendi.

Iuxta tertium ſenſum; inquiretur primo, an in actu aggreſſionis furis, vel alterius ad arripiendas res ſuas liceat tibi eundem interficere. Secundo, an hoc non ſolum licitum ſit laicis, ſed etiam Eccleſiaſticis, & Religioſis. Tertio, an ſolum in ordine ad res proprias conſeruandas, an vero etiam in ordine ad res alienas apud ſe depoſitas. Quinto, an Eccleſiaſticus, ſeu Religioſus in defenſione rerum ſuarum cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſorem occiderit incurrat irregularitatem, & alia his ſimilia. Pro ſolutione harum omnium dubitationum.

Alij articuli item diſcutiendi.

Aduerte primo, pleriſque modis poſſe quemque alterum inuadere in bonis vitæ; primo actu armis feriendo; ſecundo accedendo

Modi, quibus poteſt eſſe aggreſſio in bonis vitæ.

Digitized by Google

dendo actu armis, vt feriat, nec aggreſſus poſſit euadere, niſi vel præueniat, vel effugiat, & fugiendo grauem ſibi aggreſſus inureret ignominiæ notam; tertiò etiam, ſi actu non accedat, tamen inſtructus eſt ad inuadendum; quarto, inuadendo per famulum, & ſicarium, quibus mandatum dedit ad occidendum; quinto, falſis criminibus, teſtibuſque ſubornatis impetendo vitam alterius in iudicio imponendo delicta, ex quibus damnatio in vita conſequetur, nec poſſit eſſe alia ratio euadendi; ſexto, aggrediendo per maleficia poſitis certis ſignis magicis.

Modi aggrediendi circa bona famæ.

Aduerte ſecundò, etiam in ordine ad bona famæ, & honoris multis modis poſſe contingere inuaſionem; primò contumelijs afficiendo perſonam honoratam cum magno ipſius dedecore, & ignominiæ nota. Secundò, intentando actionem aliquam turpem, & ignominioſam, ex qua conſurgere valeat nota vilis infamiæ, vt ſi inſequatur fuſte, vel baculo &c. Tertiò, falſa crimina imponendo tam apud Principem, quam apud alias honoratas perſonas, ex quibus denigratio non modica famæ poſſit conſurgere. Quartò, arrepta iniuſta occaſione prouocando ipſum ad duellum &c.

Modi aggrediendi circa bona fortunæ.

Aduerte tertio, multis modis etiam poſſe contingere inuaſionem in bonis fortunæ; primo nocturno tempore furtim aggrediendo alienam domum, vt bona ex illa arripiat. Secundò, armata manu aggrediendo perſonam, vt bona, quæ apud ſe habet, auferat. Tertiò, inuadendo per famulos, & ſicarios. Quartò, impediendo iniquè debitores, ne creditori perſoluant. Quintò, falſa accuſatione intentando graue damnum in eiſdem bonis fortunæ, quod aliter nequeat euitari. His pro notitia ſic ſuppoſitis incipiendo ab inuaſore in bonis vitæ, & corporis ſit

Licitum eſt occidere iniuſtũ inuaſorem ob defenſionem ſuæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ.

2 Aſſertio I. Licitum eſt occidere iniuſtum inuaſorem ob defenſionem vitę ſuę, & integritatis membrorum cum moderamine inculpatæ tutelæ. *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7., Victoria relect. de homicid. nu. 17., Gomez tom. 3. c. 3. num. 22., Couaruuias relect. in clem. ſi furioſus 3. part. §. vnico nu. 6., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. num. 332., Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 9. nu. 41., & alij communiter.* Dixi *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, hoc eſt, vt explicant communiter DD. cum ea moderatione, ſine qua depelli non poſſet iniuria, ita vt tantum ſolummodò ſibi aſſumat de nocendo proximo, quantum eſt neceſſe ad repellendam vim ſibi illatam; cæteroqui non eſſet defenſio, ſed ſpecies vindictæ, quod videtur innuiſſe *Alexander III, c. ſi vero I. de ſententia excommunicat.*

Rationes ſuadentes aſſertum per auctoritatem.

Clarè liquet ex illo *Exodi 22. Eum, qui furem nocturnum occiderit, non eſſe reum homicidij*; ex quo textu ſic argumentor; vel loquitur de fure nocturno aggrediente præciſè ad ſurripienda bona fortunæ, vel de fure nocturno, vt explicat *D. Auguſtinus q. 84. in Exodum*, qui diſcerni nequeat, an venerit animo occidendi, an furandi tantum; Si iuxta primum ſenſum, ſic infero, ergo, ſi licet inuaſorem in bonis fortunæ occidere, licebit à fortiori interimere aggreſſorem in bonis vitæ, & corporis, quæ ſunt præferenda bonis fortunæ; ſi iuxta ſecundum; ergo, ſi licet occidere inuadentem, quando non conſtat, an venerit animo occidendi, an furandi tantum, à fortiori licebit eum interimere, quando certo venit ad occidendum, & actu aggreditur. Hoc idem conſtat ex pluribus textibus iuris canonici, & *primò c. 3. §. ſi vero de ſentent. excommun.*, vbi ſic legitur. *Si verò clericum ſibi vi irruentem vi repellat, quis non debet propter hoc ad ſedem Apoſtolicam transmitti, ſi incontinenti vim repellat, cum vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittant*; idem ferè habetur *in c. ius naturale diſt. 1., & in clement. 1. de homicid., & in c. interfeciſti eod. tit.* Hoc idem euincitur in omnibus ferè iuribus ciuilibus *in l. cũ arietes ff. ſi quadrupes princip. fecis. dicat., & l. vt vim ff. de iuſt., & iur., & l. 1., & 3. ff. de vi, & vi armat., & l. & ſi ff. ad leg. Aquil.*

Rationes in iure naturali fũdatæ.

Probatur etiam rationibus in iure naturali fundatis primò, quia ipſum lumen naturalis rationis dictat vitam propriam alienæ eſſe præferendam; neque in hoc audiendus eſt *Gerſon tractat. de Euchariſtia* aſſerens legem charitatis in hoc præualere lumini rationis naturalis, ſecundum quam vnuſquiſque tenetur vitam ſpiritualem proximi propriæ temporali præferre, & ſic, cum aggreſſor periclitetur in vita ſpirituali, aggreſſus debet potius pati iacturam propriæ temporalis vitæ, quam detrimentum æternæ reſpectu aggreſſoris; Non, inquam, audiendus eſt, quia vt benè notant *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. num. 336., & Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. num. 51.* illa lex charitatis, quod plus teneamur diligere ſalutem ſpiritualem proximi, quam noſtram temporalem, intelligenda eſt, quando ſalus æterna, ſpiritualiſq; proximi eſt in extremo diſcrimine, cui ipſe in tali periculo conſtitutus ſubuenire non poſſit, niſi mediante ſua ope, & auxilio; tunc etenim teneor illam opem præſtare etiam cum meæ vitæ corporalis diſcrimine; in caſu autẽ, de quo hic loquimur, aggreſſor poteſt ſibi per ſe ipſum ſubuenire deſiſtendo ab illa iniuſta aggreſſione; in qua ſe per

ſuam

Digitized by Google

ſuam malitiam, & prauam voluntatem conſtituit; vnde non mihi, ſed illi, & mors corporalis, & æterna eſt imputanda. Secundò, quia, data contraria opinione, eſſet occaſio nefarijs hominibus innocentes aggrediendi & occidiendi, dum eſſent certi, ſe ab illis non occidendos, & ſic ius naturale induceret vinculum iniquitatis, & meliorem ſceleratorum hominum cōſtitueret conditionem. Tertiò, quia, ſubſiſtente contraria ſententia, nunquam Iudices poſſent flagitioſos homines interimere, cum poſſent impænitentiam fingere, vt iudicium eluderent, quod non videtur dicendum.

Deſcendendo iam in particulari ad caſus recenſitos, ſecundum quos quis alterum poteſt impetere in bonis vitæ, & corporis, & quidem ſi actu, & poſitiuè impetat armis, non eſt dubium, quod ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ poſſit aggreſſus eundem occidere, cum hic ſit ſpecialior modus inuadendi in bonis vitæ, & corporis, & in hoc locum habent omnia iura allegata, & rationes pro aſſertione adductæ; ſi verò actu non feriat, ſed accedat ad feriendum, & non ſit locus euadendi, niſi præueniatur ab aggreſſo; tunc etiam ſine dubio aggreſſus poteſt præuenire eum occidendo, quia ille acceſſus ſaltem moralitèr loquendo habet effectum actualis aggreſſionis, nec aggreſſus tenetur expectare, donec aggreſſor, vel actu percuſſerit, vel ſit in actu percuſſionis cum periculo, vt ipſe percuſſus iaceat, prout ſentiunt *Iulius Clarus de homicidio nu. 32.*, *Sotus lib. 5. de iuſt. qu. 1. art. 8.*, *Coaruuias relect. in Clement. ſi furioſus 3. p. §. vnico nu. 6.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 9. n. 44. in fine*. Quod ſi ſupponas, quod, dum aggreſſor accedit, alter poſſit effugere, licet cum periculo ignominiæ; tunc *Leſſius loc. cit. num. 44. cum alijs*, arbitratur non teneri fugere, ſed poſſe inuaſorem occidere, quando ipſe non effugiendo niſi cum illa ignominia, & dedecore, ſubiaceret periculo certæ occiſionis propriæ, quod idem ſenſiſſe videtur *Iulius Clarus lib. recept. tit. de homicidio num. 32.*, Sed non libentèr acquieſcerem huic opinioni ſtantibus declarationibus Alexandri VII. fel. record. damnantis inter cæteras propoſitiones ſub die 2. Octobris 1665. in ordine ſecundam, qua dicitur, *Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*; ex quo ſic argumentor; ſi non obſtante timiditatis nota non poteſt vir equeſtris acceptare duellum, ad quod prouocatur, ergo non obſtante ignominia, quæ poteſt conſurgere ex tali timiditate fugiendo aggreſſorem, non poterit aggreſſus acceptare conflictum ab eodem aggreſſore intentatum, ex quo ſequatur occiſio eiuſdem aggreſſoris; ſi enim timor ignominiæ indeſecuturæ non excuſat virum equeſtrem ab acceptando duello, nec timor eiuſdem ignominiæ excuſare poteſt ab interficiendo inuaſore, ſi effugiat &c. Si verò actu nondum accedat, tamen inſtructus ſit ad inuadendum, nec aggreſſus poſſit euadere niſi præueniat, poſſe præuenire, docent cum præcitatis DD. *Nauarrus c. 15. nu. 3.*, qui hoc exemplificat in marito, qui ad occidendam vxorem pugionem condidit ſub ceruicali; tunc etenim vxor, ſi hoc certò ſciens, ſi aliud remedium non ſuppetat mortem euadendi, poteſt extracto pugione præuenire maritum. Idem tenet *Corduba lib. 1. q. 38.*, qui hoc exemplificat in eo, qui parauit venenum ad occidendum innocentem; hic etenim, ſi mortem non poteſt alitèr effugere, poteſt illud per induſtriam conuertere in auctorem. Ratio horum omnium ea eſt, quia qui in ſimilibus caſibus mortem alteri parat, licet nondum actu inuadat, æquiualenter tamen intelligitur inuadere, & in ordine ad effectum, cum non poſſit aggreſſus ſubterfugere, perinde eſt, ac ſi actu inuaderetur. Verum tamen eſt, quod vix poſſit percipi, quomodo non poſſit effugere; poteſt enim illa pugionem eripere, & abijcere, & ille venenum effundere. Si tamen caſus contingeret, non video, cur nōn poſſit præuenire. Si verò inuadat per famulum, vel per ſicarium, qui actu aggrediatur, tunc etiam poteſt in ſui defenſionem eundem famulum, vel ſicarium occidere, cum militet eadem ratio, quæ militat in præcedentibus caſibus; quod ſi actu non inuadat, ſed tantum mandatum receperit ad inuadendum, & tantum parat inſidias, tunc abſolutè arbitror, nec licitum eſſe occidere mandantem, nec mandatarium, cum aliter poſſit ſibi proſpicere, vel ſe intra domum concludendo, vel Iudicis officium implorando, vel cum comitatu procedendo, vel præpotentium ope, & auctoritate mandantis iram flectendo &c. Si verò inuadat falſis criminationibus, & teſtibus ſubornatis ad perdendam vitam innocentis, tunc *Bannes 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4.*, expreſsè aſſerit, licitum eſſe occidere talem criminatorem, quando alitèr in iudicio falſo accuſatus non poteſt euadere mortem ex illo falſo crimine, & accuſatione iniuſta ſibi imminentem; rationemque ex eo adducit, quia illa occiſio eſt iuſta defenſio contra inuaſorem, non inuaſio, & criminator ipſum inuadit, ſi nō gladio proprio, inuadit ſaltem alieno, nempe Iudicis. vndè merito Nathan ad Dauid ait, *Interfeciſti Vriam*

gladio

Hoc procedit, ſi inuaſor impetat armis.

3 Si aggreſſor actu nō feriat, accedat tamen ad feriēdum poteſt occidi, ſi alia via non ſuppetat euadendi.

4 Si aggreſſus poteſt fugere quantumuis cum ignominia tenetur fugere.

5 Si nō actu accedit, inſtructus tamen ſit ad inuadendum poteſt occidi, ſi alia non ſuppetat via.

6 Si quis inuadat per famulum, ſeu ſicariū poteſt inuaſus occidere famulum, & ſicarium.

gladio filiorum Ammon; atque hanc opinionem probabilem iudicat *Petrus à Nauarra lib. 2. c. 3. n. 191.*, eidemque fauet *Caietanus 2. 2. q 95. art. 8. ad 3.* Sed contraria opinio modo abſolutè tenenda eſt, ſtante declaratione Alexandri VII., qui in Congregatione generali Sanctę Romanæ Inquiſitionis habita anno 1665. die 2. Octobris damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine decima octaua, qua dicitur, *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, & etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare*; nec incongrua ratione facta eſt talis damnatio, quandoquidem, admiſſa illa propoſitione, facilè homines traherentur ad homicidia, cum de facili ſibi ſuadeant, ſe per calumniam accuſari. Si tandem inuadat per maleficia poſitis certis ſignis torquendo per Dæmones; tunc etiam probabilius arbitror, nõ poſſe ſic inuaſum interimere inuadentem per talia maleficia, ſed teneri deferre maleficium ad ſacrę Inquiſitionis Tribunal; ſe pijs orationibus adiuuare; exorciſmis contra Dæmones armare, & ſicuti iniuſtè calumniatus, iuxta ſuperius dicta, non poteſt calumniantem occidere, quamuis inuadat miniſterio Iudicis, ita iniuſtè oppreſſus per maleficium ope, & miniſterio Dæmonum, non poteſt eundem maleficum per ſe ipſum interimere.

7 **Non licet occidere criminatorem inuadentẽ per falſos teſtes.**

8 **Inuaſus per maleficia non poteſt per alia maleficia interimere inuadentem.**

Aſſertio II. In caſibus, in quibus priuata perſona poteſt licitè interimere inuaſorem actu, vel æquiualentèr aggredientem, poteſt etiam licitè occidere, quantumuis fuerit ſuperior, qui inuadit, ſi iniuſte inuadit, prout exemplificando docet *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 9. num. 41.* de Monacho aduerſus Abbatem, de filio aduerſus parentem, de ſeruo contra Dominum, de vaſſallo contra Principem, & hoc etiam, quando inuaſus eſt in quocunque officio occupatus; vnde *D. Antoninus 3. parte tit. 4. c. 3. §. 1.*, *Silueſter verbo bellum 2. q. 7., & 5.*, & alij docent, quod Sacerdos, ſi celebret, & inuadatur, poſſit ſe tueri, & occidere inuaſorem, & poſſet Sacrum continuare.

9 **Poteſt etiam occidi ſuperior, ſi hic ſit inuadens.**

Ratio horum omnium ea eſt, quia huiuſmodi aggredientes, dum iniuſtè inuadunt, conſiderantur vt priuatæ perſonæ, & maleficæ, nec dignitas, ſeu præeminentia, qua gaudent, eis tribuit aliquod ius ad ſic iniuſtè aggrediendum, cum non ſint Domini vitę ſuorum inferiorum, ſeu ſubditorum, nec iuriſdictionem aliquam habeant in eoſdem, niſi ad ſummum prout ſunt pernicioſi tanquam membra putrida Reipublicæ, ergo, ſicuti aggreſſus actu, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, poteſt aggreſſores ſuos perimere, quando alia via non ſuppetit euadendi, poterit etiam occidere, quantumuis quouis titulo ſint ſibi ſuperiores. Accedit, quod ius naturæ, quod vnicuique inditum eſt ad ſe ipſum conſeruandũ, pręualet cuicunq; dignitati, & cõditioni in humanis in ſimili actu iniuſtę aggreſſionis; hoc tamẽ limitandũ eſt in caſu, quo aggreſſor eſſet Princeps adeo Reipublicæ neceſſarius, vt ex ipſius interitu, maximæ orirentur perturbationes in eadem Republica, ſeditiones, bella ciuilia ob ſucceſſionem, quia in hac hypotheſi debet præualere bonum commune eiuſdem Reipublicæ, quod etiam eſt ius naturæ, bono priuato perſonæ aggreſſæ, vt docent *Sotus lib. 5. de iuſt., & iur. q. 1. art. 8.*, *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 9. num. 42.*

Superiores dum inuadunt conſiderantur, vt perſonæ priuatæ, & maleficæ.

Excipe, niſi Princeps eſſet maximè Reipublicæ neceſſarius.

Quod autem liceat Sacerdoti inuaſo, dum actu peragit ſacrum cum moderamine inculpatæ tutelæ, perimere inuaſorem, & deinde ſacrum continuare, videtur ex eo deduci, quod ius ſe defendendi inditum à iure naturæ non tollitur ex illo ſacro miniſterio; nec actio ſecundum ſe iuſta vitiatur ex eo, quod ſit exercita, dum ſacroſancto illi miſterio Sacerdos eſt occupatus. Hæc dixi attenta auctoritate præcitatorum DD., cæterum cenſuræ Eccleſiæ hoc reſoluendum remitto.

Aſſertio III. In actu inuaſionis ad vitam perimendam non ſolum licet aggreſſo intendere propriam defenſionem, ſed etiam mortem inuaſoris, tanquam medium neceſſarium ad propriam defenſionem, & ad propriam vitam conſeruandam, *Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 1. art. 8.*, *Victoria relect. de homicidio nu. 17.*, *Nauarrus c. 15. nu. 3.*, *D. Antoninus 3. part. tit. 4. c. 3 §. 1.*, *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. nu. 342.*, *Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 9. n. 53.*, *& alij magis communitèr.*

10 **Poteſt intendere mortem inuaſoris, tanquam neceſſariã ad ſuam vitam.**

Ratio ex eo deducitur, quia quando alia non ſuppetit via euadendi mortem, licitum eſt omnibus modis eandem aduerſus inuaſorem procurare directè emittendo ſagittam, iaculo iugulum, ſeu cor petendo, quod eſt intendere mortem inuaſoris tanquam medium tunc neceſſarium ad conſeruationem propriæ vitæ; & vtique talis actus, quo ſequitur talis occiſio, eſt cum ſcientia, & per conſequens actus humanus, & volitus, cum procedat ex intentione finis, & non intenditur, vt in eodem ſiſtatur, ſed vt medium electum ad finem propriæ conſeruationis; ex quibus omnibus poteſt argumentum ſic efformari. Quotieſcunque licitus eſt finis intelligi debent licita, & media, quæ ſunt neceſſaria ad talem finem, ergo, cum ſit licita defenſio ſui ipſius, & alterius inuadentis occiſio ſit neceſſaria

Media ſpecificãtur a fine.

ceſſaria ad talem defenſionem, cum ſine illa haberi non poſſit intendendo aggreſſus talem finem, poterit medium illud mortis alterius tanquam medium neceſſarium intendere.

Neque obeſſe poteſt, quod *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7.* aſſerit, nempè non licere priuatæ perſonæ occidere per ſe, ſed tantum per accidens, quatenus ſcilicèt, vt intendat præcisè ſui defenſionem, non mortem alterius; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *Sotus de iuſt. & iur. lib. 5. q. 1. art. 8.* ſenſus D. Thomæ eſt ſolummodo; quod nemo poſſit alterum occidere, niſi inuadatur, & ità non per ſe, ſed vt effectus propriæ defenſionis, ſeu vt alij loquuntur, & ipſemet D. Thomas tanquam medium ad propriam conſeruationem. Corduba *lib. 1. qq. q. 38. in ſolut. ad quartum* non acquieſcens huic Soti explicationi abſolutè aſſerit, mentem Angelici Doctoris eſſe, vt non liceat intendere mortem aggreſſoris; & poſteà ſuum ſenſum aperit his verbis. *Quo non obſtante, dicerem, licitum eſſe ſcienter occidere inuaſorem, & id confusè velle, quomodo Deus ſcit illi licitum eſſe; Neque oportet in particulari conſiderare, qua intentione fiat.* Sed quamuis hæc, quæ dicuntur à Corduba, ſubſiſtant, Theologo tamen, vt notat *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 344.* incumbit onus ſpeciatim titulum examinare, non in confuſa illa voluntate perſiſtere, quamobrem ſiſtendum in Soti explicatione. Leſſius verò *d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. n. 53.* omiſſa Soti explicatione, alitèr explicat mentem D. Thomæ; dicit enim, ipſum ſolum intendere, & velle, quod non liceat perſonæ priuatæ abſolutè deſiderare, vt inuaſor moriatur, quia hoc non eſt neceſſarium ad ſui defenſionem, ſed tantum, vt concidat viribus deſtitutus, ne amplius lædere poſſit, quod ſi moriatur, hoc ſit per accidens, quæ certè explicatio ſufficiens eſt ad præſens inſtitutum.

Explicatur mens D. Thomæ aſſerentis non licere per ſe occidere, ſed tantù per accidens.

II **Non occidit auctoritate publica, ſed priuata.**

Aſſertio IV. Aggreſſus in defenſione ſui ipſius contrà aggreſſorem ipſum interimens id non præſtat auctoritate publica, ſed priuata, *Sotus lib. 5 de iuſt. q. 1. art. 2. in princip. verſ. primum enim, Corduba lib. 1. qq. q. 38. in prima ratione primæ opin., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 346. Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 9. n. 54.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia id, quod præſtat, non efficit aliqua poteſtate ſibi à publico collata, ſed iure vnicuique indito à natura ad ſe defendendum, & adhibenda media ad talem defenſionem neceſſaria, ergo non occidit publica auctoritate, tanquam adhoc deſtinatus à publico, ſed priuata, & propria; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ius ipſum naturæ, quod tribuit talem facultatem occidendi inuaſorem, habeat vim publicæ poteſtatis, non minus, ac habeat ipſa Reſpublica, adeòque ſicuti conſtitutus a Republica ad occidendum dicitur auctoritate publica occidere, ità conſtitutus à iure naturæ ad occiſionem inuaſoris ob ſui defenſionem dicitur auctoritate publica prouueniente à iure defendere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ius naturæ eſt tantum in ordine ad bonum particulare cuiuſcunque, non in ordine ad bonum commune, adeòque cuicunque ex ſe tribuit facultatem ſe defendendi per media neceſſaria, nec ex eo, quod illa facultas procedat à iure naturæ benè deducitur, quod ſit ex vi publicæ poteſtatis, cæteroqui, cum etiam quis extremè indigens pane acceperit à diuite ad ſibi ſubueniendum, diceretur publica auctoritate accepiſſe, quandòquidem hoc ius ipſi competit ex iure naturæ, quod tamen non eſt dicendum.

Inditum vnicuique eſt à natura ſe ipſum defendere.

Secundo ex eo deducitur, quia, ſi id præſtaret non priuata, ſed publica auctoritate, quaſi miniſter, & executor legis Diuinæ, & naturæ, poſſet illum occidere animo vindictæ, non meræ defenſionis, ſicuti hoc, & tali animo præſtat Iudex, & Princeps, quod tamen non eſt de facili approbandum.

Solum hic remanet ſoluendum argumentum ex auctoritate *D. Thomæ 2. 2. qu. 64. art. 7. in corpore* deductum, vbi habet hæc expreſſa verba. ***Sed quia occidere hominem non licet, niſi publica auctoritate propter bonum commune, illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, vt ſe ipſum defendat, niſi ei, qui habet publicam poteſtatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem refert hoc ad publicum bonum, vt patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro Iudicis pugnante contra latronem, quamuis etiã, & iſti peccent, ſi priuata libidine moueantur;*** ex quibus verbis clarè deducitur, nec etiam ad propriã defenſionẽ licere aggreſſorem propria auctoritate interficere; Sed reſpondere poſſumus, quod ex his verbis, ſi nudè ſumerentur, dicendum eſſet, mentem D. Thomæ eſſe, quod non liceret inuaſorem occidere in ſui defenſione, quandòquidem, cum dicat non licere occidere hominem, niſi publica auctoritate propter bonum commune, & per conſequens illicitum eſſe, quod homo intendat hominem occidere, vt ſe defendat, niſi ei, qui habet publicam auctoritatem, & cum hoc exemplificet ſolummodò in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro Iudicis pugnante contrà latronem; ex conſequenti videtur dice-

Explicatur circa hoc mens D. Thomæ.

dicere, quod hæc publica auctoritas non ſit in ſe defendente contrà aggreſſorem, & propterea nequeat occidere, ſi ad licitè occidendum hæc publica auctoritas requiratur. Quamobrem dicendum eſt D. Thomam, ſolummodò ibi velle, quod inuaſus nequeat licitè primaria intentione velle mortem aggreſſoris occaſione ſuæ defenſionis, non autem, quod nequeat primaria intentione velle ſui defenſionem, & intendere tanquam medium ad eandem occiſionem eiuſdem inuaſoris.

Ex quibus omnibus inferre licet, quod,
12 cum omnibus inditum ſit à natura ius ad ſe ipſum defendendum, & ad eligenda media neceſſaria ad talem defenſionem, eodem iure vti poſſint Clerici, & Eccleſiaſtici aduerſus laicos aggredientes, non obſtantibus ſpecialibus iuribus Eccleſiaſticis interdicentibus eiſdem ſub pœnis violentam ſanguinis effuſionem, quinimmò, & laici contra Clericos, non obſtante excommunicatione latę ſententiæ contrà imponentes violentas manus in eoſdem Clericos, prout docent *Petrus à Nauarra lib.2. de reſtit. c.3. n.345., Leſſius lib.2. de iuſt., & iur. c.9. n.52., & alij magis communitèr*; ius etenim naturæ cum ſit commune omnibus prodeſt, nec eidem obſiſtere poſſunt iura poſitiua; ex quo ſequitur, quod laici occidentes Clericos inuaſores non contrahant cenſuram excommunicationis, prout expreſsè colligitur *ex c.3. §. ſi verò de ſent. excommunic.*, nec Clerici occidentes laicos aggreſſores contrahant irregularitatem, prout notat *Gloſa ſingularis* ab omnibus ferè recepta, quæ eſt penult. *Clem. 1. de homicid.*, vbi dicit, quod in hac hypotheſi ſuæ defenſionis, qui hominem necat, neque peccet, neque ſit irregularis, licet in cæteris caſibus, quamuis non peccet, contrahat irregularitatem *Nauarrus in man. c.15. n.2.*

Clerici aggreſſi poſſunt licitè laicos occidere aggredientes.

Et laici clericos inuadentes.

Neque obſtat *D. Thomas 2. 2. qu.64. ad tertium*, vbi habet hæc verba, *Et propter hoc Clericus, etiam ſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt, quamuis non intendat interficere*, cuius rationem antecedentèr adduxerat, quia ſcilicèt irregularitas conſequitur actum homicidij, etiam ſi ſit abſque peccato, vt patet in Iudice, qui iuſtè aliquem condemnat ad mortem.
13 Non, inquam, obſtat, quia vt notat in primis *Petrus à Nauarra lib.2. de reſtitut. c.3. n.345.* D. Thomas in illis verbis ſecutus eſt præciſè iura antiqua, ſecundum quæ ſic occidens fiebat irregularis; modo autem poſt *Clement. ſi furioſus*, illa irregularitas ſublata eſt. Deindè, vt notat *Leſſius d. lib.2. de iuſt. & iur. c.9. nu.52.* D. Thomas in illo loco loquitur tantum de illo, qui in ſua defenſione modum exceſſit; in tertio etenim argumento, cui modo reſpondet, citauerat *c. de Clericis diſt.50.*, quod agit de illis, qui debitum modum non ſeruarunt, ſed an hæc, quæ hactenus dicta ſunt de irregularitate, modo ſubſiſtant ſtante diſpoſitione *Concilij Trident. ſeſſ.14. c.7. de reform.*, vbi exigitur diſpenſatio in tali caſu, videtur affirmare *Petrus à Nauarra d. lib.2. de reſtitut. c.3. n.367. & ſeqq.* Tu vero cogita

An Clericus occidens laicum aggredientem incurrat irregularitatem.

Aſſertio V. Pro defenſione pudicitiæ licitum eſt vxori, & adoloſcenti occidere aggreſſorum, quando alia via non ſuppetit euadendi. *Mercatus cap.5., Silueſter verb. homicidium 2. qu.5., Leſſius lib.2. de iuſt. c.9. dub.12. nu.76., Petrus à Nauarra lib.2. de reſtitut. c.3. nu.393.*, qui omnes teſtantur de communi. 14

Ad ſeruandam pudicitiam licitum eſt occidere inuaſorē.

Ratio ex eo deducitur, quia pluris faciunt homines cordati pudicitiam, quam diuitias multas, ſed pro conſeruandis diuitijs, quando alitèr via non ſuppetit conſeruandi in actuali ipſa aggreſſione, licitum eſt aggreſſorem occidere, vt infrà videbimus, ergo etiam licitum erit pro conſeruanda pudicitia, quando alitèr cōſeruari non poteſt; atque hæc, quæ hic dicuntur, non ſolū verificantur, quando fœmina inuaditur ad fornicationem, ſed etiam quando adoleſcens inuaditur ad actum nefarium, & ſodomiticum, quam veritatem etiam cognouerunt Ethnici, vt ſcribit Cicero in oratione pro Milone de quodam adoleſcente, qui à Tribuno militum inuaſus ad actum nefarium eundem Tribunum occidit, nec fuit damnatus, ſed abſolutus à Mario Imperatore exercitus.

Pudicitia pluris habetur, quā diuitiæ.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, maritum non poſſe licitè propria auctoritate occidere vxorem deprehenſam in adulterio, quamuis grauis infamia per illud adulterium inferatur marito; vndè Alexander VII. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis habita die 2. Octobris 1665. damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine decima nona, qua dicitur. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem deprehenſam in adulterio*, ergo neque licebit eidem vxori, ſeu alteri fœminæ occidere inuaſorem conantem ſibi inferre infamiam per ſtuprum, ſeu violentam fornicationem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omninò eſt ratio, primò, quia in caſu, de quo hic loquimur, ipſa fœmina per vim, & inuita aggreditur, nec alteri aggredienti ſuam pudicitiam proſtituit; in caſu verò de vxore deprehenſa in adulterio; ipſa ſponte ſe proſtituit; ſecundo, quia in primo caſu illa occiſio aggreſ-

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Digitized by Google

aggreſſoris ad perdendam pudicitiam eſt ad defenſionem eiuſdem pudicitiæ; in ſecundo vero eſt ad vindictam. Tertio, quia in primo caſu aliter honor reparari non poteſt, in ſecundo, cum iam ſit læſus, poteſt officio, ſeu miniſterio Iudicis vindicari.

Quod ſi ſupponas, vxorem renitentem eſſe aduerſus aggreſſorem, eademque, quantum vires patiuntur, reſiſtere; & quæras, an tunc maritus ſuperueniens
15 poſſit licitè occidere aggreſſorem? tunc ſine ſcrupulo admittam, quod, ſi alitèr maritus vim illam non poſſit repellere, poſſit aggreſſorē vxoris perimere, prout docent *Mercatus d. c. 5., & Petrus à Nauarra d. l. 2. de reſtit. c. 3. n. 393., & 394.*, etiam in terminis amplioribus de vocatis ab eadem vxore in ſuam defenſionem; nec difficilis eſt ratio, quandoquidem tunc honorem ſuum defendit aduerſus iniuſtum aggreſſorem, quem aliter non poteſt reparare, & ſicuti hoc poteſt præſtare in defenſionem rerum ſuarum, cur non poterit præſtare in defenſionem proprij honoris, & vxoris, quæ caro vna cum ipſo eſt?

Poteſt maritus ad defendendam vxorem per vim aggreſſam occidere aggrediētem.

Si vlterius inquiras, an, ſi ipſa vxor fuerit conſentiens aggreſſori, & antequā carnalis congreſſio cum eodem incipiat, ſuperueniat maritus, qui nequeat alitèr congreſſum auertere, niſi aggreſſorem occidendo, an, inquam, maritus licitè
16 poſſit eundem occidere. In ordine ad alios à marito negant *Mercatus, & Petrus à Nauarra loco cit.*, quia ex quo illa eſt conſentiens accedens ad ipſam non eſt aggreſſor, & licet peccet ſic accedendo, non peccat tamen contra iuſtitiam aduerſus ipſam. Sed quidquid ſit de hoc, in ordine ad maritum diſparem omnino inuenio rationem, quia ipſe ius habet, ne vxor ſui alteri copiam faciat, & ex illo congreſſu futuro honor ipſius non modicum læditur, & iniuria maxima infertur, ergo viribus omnibus poteſt obſiſtere illi dedecori ſibi imminenti repellendo, & ſi aliter non poſſit, occidendo, ſicuti hoc poteſt præſtare in defenſione rerum ſuarum, & in ordine ad ipſum aggreſſor propriè peccaret contra iuſtitiam, vt per ſe patet.

Quid poteſt facere maritus inueniens ante actū carnalis cōgreſſionis amaſiū volentem congredi cum vxore conſentiente, & nolentem recedere.

17 Aſſertio VI. Licitum eſt perſonæ honoratæ ad defenſionem ſui honoris occidere inuaſorem, qui fuſte, vel alapa nititur ipſum afficere cum magno ſuo dedecore, ſi aliter non poſſit auertere, *Sotus lib. 5. de iuſt., & iur. q. 1. art. 8., Nauarrus in manual. c. 15. n. 3., Silueſter verb. Homicidium primo q. 5., Ludouicus Lopez c. 62., Antonius Gomez tomo 3. c. 3. n. 23., & alij*; quos citat, & ſequitur *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 9. dub. 12. nu. 77.*

Licet perſonæ honoratæ ſe defendere contra aggredientē ſe cum fuſte, vel alapa etiā cū morte inuadentis ſi aliter nō poſſit.

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia ſcilicet per illas actiones iniurioſas, & maximum dedecus inferentes non ſolum aggreſſus grauitèr læderetur in vita, ſed longè grauiùs in honore ſibi debito, ergo ad euitandam talem læſionem in actu ipſo aggreſſionis, quando aliter euitare non poteſt, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, poterit aggreſſorem occidere. Conſequentia probatur, quia æquè quandoque æſtimant homines talem læſionem per tales iniurioſas actiones, ac læſionem in vita, & corpore, & longè pluris honorem, ac bona fortunæ.

Neque obeſſe poteſt declaratio Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij XI. Pontificis nunc Regnantis, qua Feria V. die 2. Martij 1679. In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine trigeſima *Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſtè percutiat, & poſt impictam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*; ex quibus in primis ſic arguo; ergo, ſi non eſt fas viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari non poteſt, nec licitum erit eundem occidere, quando nititur alapa, vel fuſtè percutere, quandoquidem æquè læditur honor per illam calumniam, ac per illas iniurioſas actiones; Deindè, ſi non licet occidere, quando alapam impixit, ac fune percuſſit ad recuperandum honorem, nec licebit occidere, quando eſt in actuali aggreſſione per talia media ad conſeruandum talem honorem. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omnino eſt ratio de inuaſore per calumniam, ac de inuaſore per huiuſmodi iniurioſas actiones, nempe per fuſtem, ſeu alapam; nam inuaſor per calumniam afficit tantum verbis; qui verò per fuſtem, & alapam inuadit, afficit facto; vndè in primis, vt aſſerit *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 12. nu. 78. verſ. 2. ſi contumelijs* in Republica ſatis eſſe debet, vt iniuriæ verbales verbis repellantur, & legitima vindicta comprimantur; iniuriç vero per factum, quæ attingunt realiter perſonam, antequā fiant, & ſint in actu, vt fiant, nec aliter poſſunt vitari, poſſunt facto repelli, & quando ſunt cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam morte. Deinde, quæ intentantur per calumniam poſſunt reparari, vel per retractationem, cum omnia iura ad hoc compellant, vel per contrariam probationem, vel alio modo,

Declaratio SS. D. N. Innocentij XI.

Non aduerſantur noſtræ ſententiæ.

Digitized by Google

modo, quæ vero per alapam, vel fuſtem non poſſunt alitèr eludi, & ſpecialiori iure inditum eſt à natura vnicuique, vt euitet ea, quæ vitam eius, vel corpus attingunt per læſionem omnibus medijs neceſſarijs, ac ea, quæ attingunt famam per læſionem in verbis; vndè quoad ea, quæ attingunt famam præcisè quoad calumniam emanauit alia declaratio ab Alexandro VII., qua die 2. Octobris anno 1665. in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine decima ſexta, qua dicebatur *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur*. Quoad ea, quæ ſubduntur in dicta damnatione Innocentij XI. nempè *idem quoque dicendum ſi quis impingat alapam, vel fuſtè percutiat, & poſt impictam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*; dic rectè procedere, nec noſtram attingere aſſertionem quandoquidem tunc occidere eum, qui iam alapham impixit, vel fuſte percuſſit non poteſt eſſe in defenſionem, ſed in vindictam, & non ad reparandum, ſed ſimplicitèr ad vlciſcendum; nec refert, quod ex illa vltione quodamodo conſequatur raparatio iniuriæ, & ignominiæ ſecundum communem hominum æſtimationem; non refert, inquam, quia quando iam læſio facta eſt, non licet de ea vltionem ſumere, quia non eſt ad defendendũ, & læſus tunc eſſet aggreſſor, non aggreſſus, nec licet ad recuperandum honorem læſum in aliqua iniurioſa actione circa corpus vitam alterius profundere, licet fas ſit, ne honor per aliquam iniurioſam actionem circa corpus inferendam deperdatur omnibus modis obſiſtere etiam cum profuſione vitæ alterius ſeruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.

18 **Non licet occidere falſo detrahentem apud Principem, vel Iudicem.**

Aſſertio VII. Non licet occidere eum, qui falſis criminationibus alteri nititur detrahere apud Principem, Iudicem, alioſque probos viros, quantumuis alia via nequeat ipſum auertere ab illo damno in fama inferendo.

Non diu immorandum in probatione huius aſſertionis, quandoquidem definita reperitur tum ab Alexandro VII. fel. record. in propoſitione illa damnata, quę eſt in ordine decima octaua, qua dicitur, *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, & etiam Iudicem à quo iniqua, certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare*, quam ab Innocentio XI. Pontifice nunc Regnante in damnatione illius propoſitionis, quæ eſt in ordine trigeſima, quo dicitur *Fas eſt homini honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hac ignominia vitari nequit*.

Aſſertio VIII. Non licet acceptare duellum, etiam ſi non acceptans contracturus ſit labem puſſilanimitatis *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 12. nu. 84.*, & alij rectiùs ſentientes contra *Petrum à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 3. nu. 375.* 19 **Non licet acceptare duellum, quamuis ex illa nõ acceptatione inferatur puſſilanimitas.**

Expreſsè definita eſt per Alexandrum VII. fel. record. in propoſitione per illũ damnata die 2. Octobris 1665. in Generali Congregatione Sanctæ, & vniuerſalis Romanæ Inquiſitionis, quæ eſt in ordine ſecunda, qua dicitur. *Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*, nec motus ille, quod ſit contracturus labem puſſilanimitatis, poteſt obſiſtere, cum non ſolum Pontifices, & concilia per ſanctiones, & canones, ſed omnes ferè Principes Chriſtiani per leges pænales, & ſeueriſſima decreta illi timori puſſilanimitatis conſuluerint inhibendo talia duella, ſeu monomachias; vnde prouocatus poteſt legitimè non acceptare, non, vt indulgeat timiditati, ſed vt iuribus, tam Eccleſiaſticis, quam ciuilibus obtemperet; & Chriſtiana pietas cuicunq; inani timori debet præualere. **Declaratio Alexandri VII.**

Aſſertio IX. Licitum eſt laicis in defenſione rerum ſuarum actu, quo eas fur aggreditur, nec aliter poſſit ipſum auertere, eundem occidere ſeruato moderamine inculpatæ tutellæ, ſi illę res ſint magni momenti, nec ſit probabilis ſpes illas aliter recuperandi *D. Antoninus 3 part. tit. 4. c. 3. §. 2., Caietanus 2. 2. q. 67. art. 7., Silueſter verb. homicidium primo num. 5., Ioannes Medina de reſtitutione q. 45. num. 5., Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 9. dub. 11. num. 66.* 20 **Quando nam liceat laicis occidere furem aggredientẽ res ſuas.**

Poteſt hæc aſſertio in vniuerſum deduci ex illo *Exodi 22.*, vbi dicitur *non fore reum ſanguinis, qui furem nocturnum occiderit, ſed qui diurnum*, vbi ſpecialitèr permittitur in ordine ad furem nocturnum, non ad diurnum, non quia præcisè nocturnus præſumatur venire ad occidendum, non ſic diurnus, vt nonnulli arbitrantur, ſed vt optimè interpretantur *Ioannes Medina C. de reſtitutione q. 4., & Leſſius loc. cit. in aſſertione*, quia quando fur eſt nocturnus, cum ſit ignotus, non poteſt eſſe ſpes recuperationis; quando vero eſt diurnus, cum poſſit cognoſci, adeſſe poteſt ſpes recuperationis miniſterio Iudicis, vel alia via. **Quid veniat nomine furis nocturni.**

Secundò deduci poteſt *ex c. interfeciſti de homicidio*, vbi dicitur. *Si autem ſine odij medi-*

Digitized by Google

meditatione te, tuaque liberando huiuſmodi Diaboli membra interfeciſti, ſi aliquid ieiunare volueris, bonum eſt tibi; vbi non in pœnam imponitur ieiunium, ſed commendatur ad bonum eſſe, & propterea non ſupponitur ibi delictum.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Tertiò ratione, quia illa poteſtas in ea hypotheſi occidendi inuaſorem, quando aliter res defendi non poſſunt, eſt maximè conueniens, & bono aggreſſi, & bono totius; bono ipſius met aggreſſi in ſuis rebus, & facultatibus, qui ſicuti ius habet ad conſeruandam vitam, ità etiam ius habet ad conſeruanda ea, quæ ſunt neceſſaria ad eandem vitam, ſiuè ſimplicitèr, ſiuè conuenienter, & honeſtè, & eo ipſo, quo in ordine ad huiuſmodi res conceditur ius ad defenſionem, cōceditur etiā ius ad ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad talem defenſionem, & per conſequens etiam ad mortem inuaſoris, quando ſine ipſa non poteſt haberi defenſio; bono totius, quia, ſi non adeſſet talis poteſtas, oh quam facilè irruerent fures, & latrones ad expoliandos probos, & innocentes facultatibus ſuis, cum optimè noſſent non poſſe in defenſione illarum ab illis occidi.

Non licet pro re minima.

Dixi, *ſi illæ res ſint magni momenti*, non enim pro re minima æquum eſt hominem interimere; vnde meritò Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius XI. Pontifex nunc regnans damnauit die 2. Martij 1679. propoſitionem illam, quæ eſt in ordine trigeſima prima, qua dicitur *Regularitèr occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei*; ex qua damnatione poſſum inferre pro noſtra aſſertione, ergo pro conſeruatione in notabili quantitate, quando aliter furtum auerti non poteſt, poterit fur occidi.

Dixi, *Nec ſit probabilis ſpes aliter recuperandi*, quia extante tali ſpe recuperationis incongruum omninò videtur pro re certo moralitèr recuperanda vitam alterius profundere. Sed an hoc ſolum verificetur, quando poteſt læſus recuperare miniſterio Iudicis, cum fur rebus acceptis effugeret, an vero etiam quando aggrederetur præſente Domino, & vellet ſe tueri aduerſus eundem Dominum obſiſtentem, adeout nec in hoc ſecundo caſu poſſit occidere inuadentem ex eo motiuo, quod poſſit per Iudicem recuperare, Leſſius *lib. 2. de iuſt. c. 9. num. 69.* arbitratur in ea hypotheſi, qua fur actu aggrederetur res præſente Domino, & vellet ſe tueri aduerſus eundem, quod non teneatur Dominus expectare recuperationem miniſterio Iudicis habendam, ſed poſſit vim vi repellere, quantum neceſſe eſt, vt res ſalua fiat, eamque adducit rationem, quia nec lex iuſtitiæ, nec ordo charitatis exigit, vt

An præſente Domino, ſi fur res accipiat poſſit occidi, quantumuis ſit ſpes recuperationis.

Dominus patiatur res ſuas in ſui præſentia capi, vtque tantæ furis improbitati non reſiſtat; vnde *Silueſter in verbo Bellum 2. num. 3.* habet hæc verba *quando res per viam iudicij poteſt rehaberi, non licet eam defendere, niſi dum eſt in ipſo rapi*. Sed non libenter ſubſcriberem huic aſſerto, quandoquidem pluris facienda eſt vita aggreſſoris, quam incommodum illud in recuperandis rebus, & contumelia.

An poſſit occidi poſt furtū in actu fugæ.

Sed data pro nunc ſententia Leſſij vberioris doctrinæ gratia oritur hic difficultas, an ſi fur actu res à Domino abſtulerit, vel quia Dominus non potuerit reſiſtere, vel quia clam arripuerit, poſſit Dominus ipſum in actu fugæ inſequi ad res illas rehabendas, & ſi aliter rehabere non poſſit iniecto iaculo poſſit ipſum perimere; tunc reſpondent *Leſſius d. lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. num. 74., Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 8., Silueſter verb. Bellum 2. num. 3., &* 10. poſſe inſequi, & iniecto iaculo vulnerare, & occidere, quod probant ea ratione, quia adhuc durat inuaſio, ſi non quoad perſonam ſaltem quoad res ipſas, & hoc quoſque ſe receperit fur in loco certo, in quo incipiat quietè poſſidere.

Argumenta contraria.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, multa inſurgunt argumenta, quę nunc profero, & diluo. Primum eſt, quia ordo charitatis exigit, vt præferatur vita corporalis proximi rebus familiaribus proprijs, ergo ad defendendas res familiares proprias licitum non erit vitam corporalem aggreſſoris perimere; Sed reſpondendum eſt ordinem illum charitatis intelligēdum eſſe, quando vita corporalis proximi eſt ita in tali neceſſitate conſtituta, vt non ſit in ſua poteſtate periculum illud euadere, in præſenti autem hypotheſi, non eſt ex neceſſitate in periculo illo conſtitutus, ſed ex propria prauitate, & malitia, à quo poteſt ſe retrahere deſiſtendo ab illo furto.

Secundum argumentum deſumitur *ex D. Auguſtino de libero arbit. c. 5.*, vbi ſic habet. *Hoc etiam in antiquis legibus ſæcularibus, quibus lex Dei Exod. 23. eſt antiquior, inuenitur impunè videlicet occidi nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe telo defenderit. Iam enim plus eſt quam fur*; antecedentèr autem dixerat; quod *diurnus poterat diſcerni, an ad furandum veniret, vel occidendum, & ideo non debet occidi*; ex quibus omnibus deducit poteſt, quod præciſè in ordine ad defenſionem rerum temporalium non liceat aggreſſorem occidere; cum enim in primis dixerit, quod non poſſit occidi fur diurnus, quia poteſt diſcerni, an ad furandum veniat, vel occidendum, arguitur, quod ſi veniat præciſè ad furandum non liceat ipſum occidere;

Soluitur argumentum primum deſumptum ex D. Auguſtino.

Digitized by Google

ad quid enim dicere, quod diurnus poſſit diſcerni, an veniat ad furandum, an vero ad occidendum, ſi æquè poteſt occidi, ſi veniat præciſè ad furandum? Deindè cũ ſubdat, quod liceat diurnum furem occidere, ſi ſe telo defenderit, arguitur, quod, ſi præciſè acceſſerit ad furandum, non poſſit Dominus eum occidere; ad quid enim apponere conditionem, *ſi telo ſe defenderit*, ſi independenter ab illo poteſt occidi? Tandem cum dicat. *Iam enim plus eſt, quam fur*, iam ſupponit, quod fur ſimplicitèr non poſſit occidi. Sed reſpondendum eſt, quod, quantumuis interpretatio D. Auguſtini illius textus *Exodi c. 22.* optima ſit, non tamen excludat alias interpretationes, quæ conformari poſſint textui, & rationi, qualis eſt, ſi dicatur, vt ſupra, quod in ordine ad furem diurnum iura non permittant eius occiſionem, quia aliud poteſt ſuppetere remedium ad res illas recuperandas; & Dominus inculpatum habere poteſt moderamen; non ſic in fure nocturno, & iuxta hunc ſenſum procedunt *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 8. in ſolut. ſecunda, Caietanus 2. 2. q. 64. art. 7.*

Soluitur ſecundum argumentum à iure deſumptum. Tertium argumentum eſt, quia textus *in c. interfeciſti de homicidio*, qui adducitur pro noſtra aſſertione, expreſsè militat cōtra eandem, quandoquidem ibi dicitur *te, tuaque liberando*, quæ particulæ ſtant copulatiuè, & coniunctim, non diſiunctiuè, cum non explicentur per particulam *vel*, ſed per particulam *&*; propterea requiritur, vt fur accedat, & aggrediatur tum perſonam, tum res, ergo, vbi præciſè aggreſſus fuerit quoad res, non quoad perſonam, non poterit licitè occidi. Sed huic argumento facile eſt reſpondere in primis, ſi dicatur, quod, ſi fur ſeu ſicarius præciſè aggrederetur perſonam, non poſſet licitè occidi, cum aggreſſio perſonæ, & rerum in illo textu copulatiuè requiratur, quod eſt contra ſuperius probata. Deindè dici poteſt cum *Petro à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 3. nu. 406.* aliud eſſe duo importari copulatim, aliud copulatiuè; quando duo importantur copulatim ad veritatem propoſitionis requiritur, quod prædicatum verificentur de vtroque, adeout de altero ſeparatim non poſſit verificari; vt cum dicitur omnes Apoſtoli ſunt duodecim, quod prædicatum nequit verificari de ſingulis, niſi ſimul accipiantur; quando vero duo importantur copulatiuè ad veritatem propoſitionis prædicatum verificari poteſt de ſingulis etiam ſeorſim acceptis, vt cum dicitur omnis homo eſt animal, quod prædicatum verificatur de ſingulis hominibus, etiam ſeorſim acceptis. Videndum eſt ergo, an textus ille, quo dicitur, *te, tuaque liberando &c.* ſumendus ſit copulatim, vel præciſè copulatiuè; & quidem congruè ſolum copulatiuè, non copulatim accipiendus eſt; cæteroqui, vt mox innuebam, ſi eſſet aggreſſio ſolummodo quoad perſonam, non liceret aggreſſorem occidere, quod tamen ex ſuperius dictis falſum eſt; vnde meritò ſubdit *Caietanus 2. 2. q. 64. art. 7. in fine. Non propterea dicit textus, quod ſi ſolum tua liberando interfeciſti, vbi aliter abſque occiſione ſaluari nequibant, homicidij reus es.*

Sed quoniam ex vno capite dictum eſt, aggreſſorem rerum familiarium, quando alitèr furtum euitari non poteſt, poſſe licitè occidi ſeruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; ex alio poſſe hunc varijs modis aggredi, ideo placet per ſingulos modos diſcurrere inueſtigando, vtrum in ſingulis liceat aggreſſorem occidere; & quidem primo, ſi fur per ſe ipſum nitatur auferre, ſeque defendat contra impedientem, vtique poteſt occidi, quando alitèr furtum euitari non poteſt, & in hoc procedunt omnia iura, & rationes ſuperius adducta; ſecundò, ſi re accepta fur fugiat, tunc ſecundum Leſsium, & alios ſupra allegatos, etiam Dominus poteſt ipſum inſequi, & ferire; ſecundum ſententiam autem noſtram non poteſt, ſi adſit ſpes recuperandi miniſterio Iudicis. **Enumerātur modi, quibus fur poteſt aggredi, & an in omnibus poſſit licitè occidi.** Secundò, ſi inuadat per ſicarios, vel famulos; tunc poteſt eoſdem immediatos inuaſores, ſi aliundè non poteſt furtum auertere, occidere in actu ipſo aggreſſionis, quia contrà eoſdem directè defendit res ſuas, & æquum ius habet defendendi aduerſus ipſos, ac aduerſus Dominum, ſi per ſe ipſum aggrederetur, & ſicuti, ſi ipſe Dominus aggrederetur per ſuperius dicta poſſet ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ occidi, ita, ſi de mandato eiuſdem Domini famuli, & ſicarij aggrederentur, poſſent, & impunè ipſi occidi, quia Dominus rerum habet ius ipſas defendendi contrà quoſcunque iniuſtè aggredientes. Tertiò, ſi inuadat iniuſtè impediendo debitores, ne creditori debita ſua perſoluant; tunc non poteſt probabilius ipſum occidere, cum non ſit in violenta aggreſſione, & poſſit eoſdem debitores iuſte compellere implorando Iudicis officium. Quartò, ſi inuadat falſa accuſatione, & falſis teſtibus ad effectum, vt bonis fortunæ per Iudicem ſpolietur; tunc non poteſt ipſum occidere; nam neque ratione huius inuaſionis etiam in ordine ad bona vitæ per ſuperius probata poteſt eundem occidere, ergo multo minus poterit occidere propter huiuſmodi inuaſionem in ordine ad bona fortunæ.

Aſſer-

Digitized by Google

21 Aſſertio X. Etiam Clericis licitum eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ pro defenſione rerum ſuarum occidere aggreſſorem ſeruatis conditionibus, de quibus in præcedenti aſſertione *D. Antoninus 3. part. tit. 4. c. 3. §. 2., Leſſius lib. 2. de iuſtit. & iure c. 9. nu. 72., Silueſter verb. bellum 2. q. 7. ad fin. & verb. excommunicatio 6. §. 4. dict. 9., Coaruuias in clem. ſi furioſus de homic. 3. part.* aduerſus Roſellam *verb. Homicidium §. 3. & alios.*

Etiā Clericis licitū eſt pro defenſione rerum ſuarū occidere aggreſſores.

Ratio ex eo deducitur, quia Clericis in defenſione propriæ vitæ ſeruato moderamine inculpatæ tutelę licitum eſt aggreſſorem in actu aggreſſionis occidere per ſuperius probata, ergo etiam eiſdem licitum erit ſeruatis debitis conditionibus, de quibus ſupra, in defeſione rerum ſuarum illum interimere. Conſequentia probatur, quia non minus ius naturale vnicuique inditum indicat ſeruare propriam vitam, ac propria bona contrà iniuſtè aggredientes, & vim vi repellere, ergo &c. Neque iura poſitiua ratione ſtatus Clericalis in hoc videntur obſiſtere, nam, ſi quæ adducantur, procedent quando nō eſt ſeruatum moderamen inculpatæ tutelæ, vt videre eſt *in c. interfeciſti de homicidio*, in quo presbyter præcipitur pænitentiam toto vitæ ſuæ tempore agere, quia exceſſit moderamen inculpatæ tutelæ, cum capere poſſet furem, & non occidere; item *in cap. ſuſcepimus de homicidio*, in quo Monaci Benedectini dicuntur irregulares; quod certe capitulum rectè procedit, non quia moderatè res ſuas defenderint, ſed quia occiderunt, cum poſſent res ſuas habere ſine occiſione; ligauerunt enim latrones, & cum ſe ſoluere vellent, occiderunt.

Ius naturale vnicuique eſt inditum.

Hic immediatè oritur difficultas, an ea, quæ dicta ſunt de Clericis æquè intelligenda ſint de Religioſis. D. Antoninus 3. *part. tit. 4. c. 3. §. 2.* de Religioſis negat ea motus ratione, quia Religioſi non poſſunt habere proprium, & ità non poſſunt gaudere iure defenſionis rerum, & pro hoc adducit textum *in d. c. ſuſcepimus de homicidio*, vbi declarantur irregulares illi Monaci. Nihilominus *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. n. 72., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. nu. 415., & alij*

22 tutius arbitrantur, extendi etiam ad Religioſos, quia à natura vnicuique inditum eſt ius ſe, reſque ſuas defendendi contrà inuaſores; neque obſtat ratio D. Antonini, quia, licet ſinguli Religioſi ſint incapaces dominij, eorum tamen communitas non eſt incapax, & ſinguli tenentur res communitatis cuſtodire, & defendere; Deindè, quamuis non habeant proprium & dominium, habent tamen vſum in eorum fauorem, quem propterea poſſunt defendere, & ſicuti ex ſuperius dictis furtum non ſolum committitur in vſurpatione dominij, ſed etiam in vſurpatione vſus, ità eſt ius defenſionis non ſolum ratione proprietatis, ſed etiam intuitu vſus, adeòque &c. Ad illud, quod ſubditur ex textu *in c. ſuſcepimus de homicidio* patet ex dictis, quid ſit reſpondendum.

Etiam Religioſis.

Aſſertio XI. Clerici, & Religioſi in defenſione rerum ſuarum, & Monaſterij occidentes latrones, & aggreſſores ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ non contrahunt irregularitatem *Coaruuias 3. part. relect. clem. ſi furioſus §. vlt., Sotus de iuſt. lib. 5. q. 1. art. 8. in fin. corp., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 9. nu. 73., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. nu. 418., & alij* aduerſus *Silueſtrum verb. Bellum 2. §. 7. & verb. excommunicatio 6. §. 4. caſ. 9. & verb. Homicidium 3. q. 2., Nauarrum in manual. c. 15. nu. 2. & 3. & c. 27. nu. 209., Cordubam lib. primo qq. qu. 26. §. nec mirum, Armillam verb. irregularitas §. 41.* volentes in defenſione quarumcunque rerum præter vitam, & bona corporis contrahi per occiſionem aggreſſoris irregularitatem. 23

23 Clerici, & Religioſi in allegatis caſibus non contrahūt irregularitatem.

Ratio ex eo deducitur, quia Eccleſiaſticus, & Religioſus occidens inuaſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ in bonis vitæ non contrahit irregularitatem per ea, quæ ſupra probauimus, & fatentur etiam DD. aduerſantes huic noſtræ aſſertioni, ergo nec contrahet ſeruatis prędictis conditionibus occidens in defenſione rerum ſuarum. Conſequentia probatur, tum quia inditum eſt à natura vnicuique non ſolum ſe ipſum defendere, ſed etiam res ſuas neceſſariàs, vel ſimplicitèr ad conſeruationem vitæ, vel ad eandem vitam honeſtè, & conuenientèr ducendam; tum quia nullibi in iure reperitur diſpoſitum, quod ſeruata moderatione inculpatæ tutelæ contrahatur irregularitas vim vi abigendo, ſiue ob vitam, ſiue ob aliam rem; quod, ſi quandòque iura diſponunt, vt *in d. c. interfeciſti, & c. ſuſcepimus de homicidio*, quod in defenſione rerum contrahatur irregularitas hoc eſt, quia ſupponunt non ſeruatum eſſe moderamen, & occiſorem eſſe potius inuaſorem, quam inuaſum.

Rationes pro aſſerto.

Aſſertio XII. Probabilius non ſolum in defenſione rerum propriarum poteſt quicunque aggreſſorem occidere quando alia via non ſuppetit euadendi furtum, ſed etiam in defenſione rerum ſui proximi innocentis, quæ ſunt ſub ipſius defenſoris cuſtodia. *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 419. & ſeqq., D. Antoninus 3. part. tit. 4. c. 3. §. 2., Leſſius de iuſt. & iur.* 24

24 Poteſt quis etiā à defēſionem rerū alterius ſub propria cura exiſtentiū aggreſſorem occidere ſeruatis &c.

Digitized by Google

& iur. lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 88. & alij.

Ratio ex eo deducitur primò, quia ex quo illarum rerum habet cuſtodiam tenetur res illas cuſtodire, & defendere, & non cuſtodiendo vix ab iniuſtitia, & reſtitutione eſſet immunis, ergo ſi alitèr cuſtodire, nec defendere poſſit, cum moderamine inculpatæ tutelæ poterit aggreſſorem impune interimere. Secundò, quia in ea hypotheſi non ſolum lege charitatis, ſed etiam iuſtitiæ, ex quo eſt cuſtos, tenetur illas cōſeruare, ſicuti proprias, ergo ſi in defenſione rerum ſuarum poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ furem occidere, poterit etiam &c.

Ex ijs deducere poteris, quid ſentiendum ſit circa quæſitum, an pro defenſione alterius licitum ſit occidere inuaſorem, & ad hoc quis teneatur. Cui reſpondendum eſt primo licitum eſſe, quando alitèr innocens nequit defendi, & ab aggreſſore iniuſtè impetitur ipſum defendere, & ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ etiam cum interfectione inuaſoris *Iulius Clarus §. homicidium nu. 27. & 28., Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. dub. 13. nu. 87., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 3. n. 419.* Ratio ex eo deducitur, quia ex lege charitatis obligatur vnuſquiſque ad tuendam vitam ſui proximi innocentis, ergo aſſumendo illius defenſionem aduerſus iniuſtum aggreſſorem, ex qua contigerit mors eiuſdem aggreſſoris non cenſendus eſt peccaſſe. Hoc tamen vnum aduerto, quod quamuis poſſet, non teneri tamen cenſendus ad vitam proximi tuendam cum probabili periculo vitæ ſuæ, quia nemo tenetur, nec ex lege charitatis vitam ſuam exponere pro vita corporali proximi, niſi vita corporalis alterius eſſet maximè neceſſaria bono Reipublicæ; nec item teneatur tueri vitam alterius priuati, quando non poteſt ſine occiſione inuaſoris, quia vbi mala ſunt paria, nemo tenetur alterum inferre, vt excludat alterum.

25 *Quandonã in defenſionem vitæ alterius liceat aggrediẽtem occidere.*

Sed quid ſentiendum eſſet, ſi Pater tuus aggrederetur innocentem, vt illum perderet? Poteris ne illum innocentem defendere etiam cum internectione parentis tui ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ? Reſpondendum eſt negatiuè, quia non eſt conſonum pietati, quam debent filij erga parentes; tenetur tamen quantum poteſt ex lege charitatis remouere Patrem ſuaſionibus, alijſq; omnibus modis licitis ab illa aggreſſione, & ab illo propoſito occidendi innocentem; quod ſi per illa non poſſit remouere, deobligatur a quocunque alio onere.

26 *An liceat filio patrem occidere in defenſionem innocentis.*

PRÆNOTIO XVI.

De iniuſtis actionibus circa bona ſpiritualia.

SVMMARIVM.

Bona ſpiritualia, alia naturalia, alia ſupernaturalia. 1.

Quomodo poſſint eſſe iniuſtæ actiones circa bona ſpiritualia naturalia, quæ ſe habent per modum proprietatis. 2.

Illa læſio eſſet contra iuſtitiam legalem, non commutatiuam. 3.

Quomodo lædi poſsint bona ſpiritualia naturalia conſiſtentia in perfectionibus acquiſitis. 4.

Grauitèr peccat lædens alterum in bonis ſpiritualibus ſe habentibus per modum habitus pertrahendo ipſum ad actus peccaminoſos, per quos amittuntur. 5.

Si pertraxerit dolo, vi, & fraude peccauit contra iuſtitiam. 6.

Secus ſi precibus, & ſuaſionibus. 7.

Grauitèr peccat, qui ſiue vi, & fraude, ſiue prauis concilijs alium retrahit a Religione, ſiue dum eſt in via, ſiue dum eſt in ſtatu inchoato, ſiue perfecto eiuſdem. 8.

Si iam ingreſſum extraxit per vim, & fraudem peccauit contra iuſtitiam. 9.

Non tenetur aliquid compenſare Monaſterio, ſi extractum ſuæ libertati reſtituerit, & fraudem aperuerit, & ſuaſerit ingredi pro tempore, quo illi integrum ſit redire. 10.

Tenetur tamen ſi id egerit pro tempore, pro quo ille non poſſet redire. Ibid.

Retrahens à Religione profeſſum per preces non peccat contra iuſtitiam, benè tamen ſi per vim, & fraudem. 11.

NON eſt hic mens agere de onere reſtitutionis ob læſiones circa huiuſmodi res ſpirituales, quandoquidem de tali onere, & quomodo facienda ſit reſtitutio fusè agetur infra *ſub tit. de Reſtitutione 2.*, hic tantum erit ſermo de peccatis, & iniuſtis actionibus, quæ circa tales res poſſunt contingere. Pro quo

Aduerte primo, generatim bona ſpiritualia eſſe in duplici differentia; alia purè naturalia, alia ſupernaturalia; prima pertinent ad ordinem naturæ, ad quam referuntur, vel vt dotes propriæ eiuſdem, vel proprietates, cuiuſmodi ſunt intellectus, voluntas, vel vt perfectiones, vt ſciētiæ, artes, inſtructiones proprio ſtatui conuenientes; ſecunda pertinent ad ordinem gratiæ; atq; huiuſmodi ſunt ipſa gratia, quæ eſt quaſi natura in ordine ſupernaturali, cum conſtituat animam rationabilem, ſeu ſubiectum, in quo recipitur 1 *Bona ſpiritualia, alia naturalia, alia ſupernaturalia.*

Digitized by Google

pitur conſors diuinæ naturæ; habitus virtutum infuſarum, fidei, ſpei, & charitatis, cæterarumque virtutum. Porrò bona ſupernaturalia quædam conſiſtunt quaſi in habitu, quæ inhærent potentijs, ſeu eidem animæ, cuiuſmodi ſunt habitus gratiæ, & virtutum ſupernaturalium; quædam in exercitio, cuiuſmodi ſunt conſilia ſpiritualia, quæ magis pendent ex donis ſpecialibus Spiritus Sancti, quam ex ſola doctrina, & ſtudio humano, & inſtructiones puerorum, & rudium in miſterijs fidei, ad quæ reduci poſſunt incitamenta, & propoſitum Religionis ſuſcipiendæ, & ingreſſus in eadem &c.

Bonorum ſpiritualiũ naturaliũ diuerſæ cõſidera-tiones.

Aduerte ſecũdo, in ordine ad bona ſpiritualia purè naturalia alia eſſe actu poſſeſſa, cuiuſmodi ſunt ſcientiæ, ſeu artes iam acquiſitæ; alia in via ad acquiſitionem, cuiuſmodi ſunt inſtructiones ad tales artes, vel ſcientias acquirendas. Porrò inſtructiones, & rudimenta, vel ſunt debita alicui ex iuſtitia, quatenus vnus tanquam peritus in illa arte, & ſcientia ſit certo ſtipendio conductus ad docendum, vel inſtruendum; vel non debita ex iuſtitia, ſed ex quodam motiuo congruentiæ, & ad ſummum charitatis; quæ omnia proportionali ratione intelligi poſſunt etiam quoad dona ſpiritualia ſupernaturalia, quatenus, vel quis ea actu poſſidet, puta dona gratiæ, ſupernaturales habitus, vel eſt in via tantum ad poſſidendum, quatenus per auxilia actualia excitatur, & diſponitur ad ea acquirenda. Circa huiuſmodi bona ſpiritualia, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia ſub præſenti titulo examinabitur, an, & quandonam contingere poſſint actiones iniuſtæ peccaminoſæ, quæ ſint, vel contra charitatem, vel contra iuſtitiam.

2
Bona ſpiritualia naturalia per modũ paſſionis quomodo iniuſtè lædantur.

Aſſertio I. Quoad bona ſpiritualia purè naturalia, quæ ſe habeant per modum proprietatis, & paſſionis, cuiuſmodi eſt potentia ad actus intellectus, & voluntatis, & ad vſum rationis contingere poſſunt iniuſtæ actiones peccaminoſæ per dementationem, & læſionem inductam philtro, veneno, vel alio modo. Conſentiunt communitèr, & præcipuè *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. in ſolut. primi arg.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 8. n. 1.*, qui tamen inter ſe diſſentiunt in eo, quod Sotus vult ex tali dementatione, & læſione oriri obligationem reſtitutionis pecuniariæ arbitrio boni viri; Leſſius verò nullam eſſe obligationem compenſationis pecuniariæ pro ipſa læſione formalitèr ſumpta, ſed ſolum pro damnis temporalibus indè contingentibus.

Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis homo non ſit Dominus ſuæ vitæ, & corporis, & eorum, quæ pertinent ad vitam humanam, & rationalem, habet tamen ius, ne in eiſdem lædatur per voluntariam, & iniuſtam aliorum actionem, ergo lædens grauitèr peccat dementando, vel lædendo &c. Confirmatur, quia lædendo in bonis corporis, puta in membris grauitèr peccat, ergo à fortiori lædendo in bonis animæ.

Solum hic remanet difficultas, an huiuſmodi iniuſta læſio ſit peccatum contra iuſtitiam, an verò contra aliam virtutem, & quamnam? Et quidem videtur eſſe contra iuſtitiam, quandoquidem eſt contra ius, quod vnuſquiſque habet ad conſeruanda propria bona tam corporis, quam animæ, & quamuis nemo habeat dominiũ in talia bona, habet tamen vſum ipſorum, & non ſolum committitur peccatum contra iuſtitiam lædendo proprietatem, ſed etiam vſum auferendo. È contra alij ſtatuunt non eſſe contra iuſtitiam, quia læſus non habet aliquod ius iuſtitiæ in propriam vitam, adeoque ipſam lædens non peccat contra iuſtitiam propriam, & rigoroſè ſumptam. Quid igitur concludendum? Recole ea, quæ dicta ſunt ſub hoc eodem *tit. de Reſtitut. 1. Prænotio 15. ſect. 2. aſſert. 6.*, & hic applica, & licet ibi dicta procedant præcisè de mutilatione in membris corporis, vel de occiſione, ex paritate tamen rationis poſſunt rectè deduci ad ſtatum præſentem dementationis; quamobrem rectè dicere poteris illam iniurioſam actionem eſſe quidem contra iuſtitiam legalem, & generalem, nõ autem contra iuſtitiam commutatiuam rigoroſè ſumptam, niſi fortè ſumere velis in ordine ad damna, quæ ex tali dementatione temporalitèr poſſunt obuenire.

3
Illa læſio eſſet contra iuſtitiam legalem, non cõtra cõmutatiuã

4
Quomodo lædi poſſint ſpiritualia naturalia conſiſtentia in perfectionibus quæſitis.

Aſſertio II. Quoad bona ſpiritualia naturalia conſiſtentia in perfectionibus acquiſitis, vel acquirendis contingere poſſunt iniuſtæ actiones, vt ſi quis doceatur doctrinas non ſanas, fiant inſtructiones noxiæ, tradantur conſilia inducentia ad malum, & ſimilia. Ità docet *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 2. n. 4., & 5.*, vbi citat *Ledeſmam, Caietanum, Mercatum, & alios &c.*

Ratio ex eo deducitur, quia in ijs omnibus læditur inſtructus, & inducitur ad iniuſtas, & iniquas operationes, quibus cooperatur malè inſtruens, erudiens, & conſulens, ergo per hanc falſam doctrinam, inſtructionem, & iniqua conſilia peccat, qui docuit, inſtruxit, & conſuluit aduerſus inſtructum, malè doctum, & conſultum; vndè meritò docet idem *Petrus à Nauarra loco quo ſupra*, quod, ſi ille, qui tradidit doctrinam non ſanam, inſtru-

Læduntur per falſas doctrinas, & inſtructiones.

Digitized by Google

inſtructiones noxias ; & conſilia pernicioſa, hæc præſtitit ex officio, non ſatisfaciat, niſi verè doceat, ſi falſa docuit, & vt inſtruat, ſi omiſit ; ſi verò ex officio non pręſtitit, ſufficientèr ſatisfacit, ſi ſignificet falſa eſſe, quæ docuit.

Aſſertio III. Grauitèr peccat, qui alterum lædit in bonis ſpiritualibus ſe habentibus per modum habitus, pertrahendo ipſum ad actus peccaminoſos aduerſantes huiuſmodi bonis, per quos amittuntur. In hoc conſentiunt omnes, nec vllus eſt ex Catholicis, qui dubitet.

5 Peccat pertrahẽs alterũ ad peccandũ, per quod amittit bona ſpiritualia.

Ratio ſecundum ſe eſt manifeſta, quia ſic inducendo, ſi efficacitèr hoc præſtat, ad peccatum communicat in peccato cum ipſo operante, ſeu effectiuè peccante, quandoquidem ſecundum modum, quo inducit, influit in peccatum, ergo &c. Solum hic remanet dubitandum, an ille, qui ſic induxit, peccarit, ſeu peccet contra iuſtitiam, an vero dumtaxat contra charitatem. Pro cuius dubij reſolutione aduerte, an induxerit ad peccatum metu cadente in conſtantem virum, dolo, vel fraude, an vero ſine vi, dolo, vel fraude induxerit, ſed ſolummodo conſilijs precibus, & ſuaſionibus; Si vi, dolo, & fraude induxerit, certum eſt, quod peccauit contra iuſtitiam, vt affirmant *Petrus de Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 2. in princip. verſ. dicet fortaſſe quiſpiam*, *Riccardus in 4. diſt. 15. art. 5. q. 2.*, *Corduba in ſumma q. 172.*, *Silueſter verbo Reſtitutio 3. q. 1.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 8. dub. 2. n. 3.*, Si abſque vi, metu, fraude, & dolo, ſed ſolis precibus, conſilijs, & ſuaſionibus probabiliùs eſt, quod non peccauerit contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. *Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 1.*, *Ledeſma 24. q. 18. art. 2. §. ſed quid dicendum*, *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. concl. 3. D. Thomas opuſc. 17., & 19.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia homo in ordine ad operationes liberas plenum habet dominium iuxta ea, quæ ſuperius dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. de reſtitut. 1. prænot. 15. ſect. 1. ſub 1. aſſert.* iuxta illud Ezechiellis 15. *Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui*, quem textum intelleximus non in ordine ad bona vitæ, & corporis, ſed in ordine ad operationes liberi arbitrij, ergo eidem inferre vim quoad huiuſmodi operationes, vel per dolum, & fraudem ipſum inducere ad operationes eidem noxias erit peccatum directè contra iuſtitiam, ſeu contra ius, quod habet, ne fraudolentèr, & doloſè in huiuſmodi actionibus lædatur; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod per huiuſmodi vim, dolum, & fraudem vix intelligi poſſit, quomodo ſit peccatum, & non liberè conſentiat, & ſic nõ

6 Si induxerit ad peccandũ vi, dolo, & fraude peccauit contra iuſtitiã

Homo in ordine ad operationes liberas habet plenũ dominium.

eſt contra iuſtitiam, quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria ; quod ſi liberè non conſentiat, non eſt peccatum, adeoq; &c. Non, inquam, obeſſe poteſt ; nam dato adhuc, quod poſita illa vi, fraude, & dolo conſentiat libertate ſufficiente ad inducendam noxam læthalem, adhuc tamen inducens per talia media peccaret contra iuſtitiam, quia illa vis, fraus, & dolus ſupponuntur tales, vt, ſi ipſa non fuiſſent poſita, actus illi per deceptum nõ fuiſſent poſiti, nec eliciti, & ſic illa deceptio, coactio, & fraus demit libertatem quoad ponendum, vel non ponendum actum, cum ſine illa non poneretur, quod ſatis eſt ad obligandum ex iuſtitia. Quod ſi ſupponas, quod deceptus ignorantia omnino inuicibili actum illum elicuerit, priuſquam veritatem cognouerit ; tunc, ſi ex illo actu, ſeu opere damnum aliquod contigerit operanti, decipiens vtpotè qui voluntariè coegit, & decepit, contrahet grauem noxam, & tenebitur ad compenſationem illius damni ex iuſtitia, quamuis deceptus non peccauerit ; ſi vero nullum damnum contigerit, imputabitur eidem decipienti culpa, ex iuſtitia tamen ad nihil tenebitur. Conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 8. dub. 2. nu. 11.*, Vtraque pars ex eo deducitur, quia ex illa deceptione in primo caſu conſecutum eſt illud damnum ; & in ſecundo nullum penitus, non in anima, cum nullum peccatũ imputetur operanti; non in rebus extrinſecis, cum nullum ſupponatur emerſiſſe. Peccauit tamen in vtroque decipiens, quia opus illud prauum exercitum fuit penes ipſum omnino voluntarium ; vndè emanauit illud Heſiodi. *Malum conſilium conſultori peſſimum*.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ille, qui precibus, & ſuaſionibus, & conſilio inductus opus illud peccaminoſum perpatrauit, omnino ſciens, & liberè perpatrauit, ergo, qui ſic induxit, non peccauit contra iuſtitiam, quandoquidem ſcienti, & conſentienti non fit iniuria.

7 Secus ſi precibus, & ſuaſionibus.

Aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt, nempe peccare contra iuſtitiam eum, qui vi, fraude, & dolo alterum induxit ad peccatum reſtringunt aliqui ſolum ad caſus, in quibus error contingit circa materiam iuſtitiæ, puta circa reſtitutionem, & contractus, non autem extendunt, quando error contingit circa materiam aliarum virtutum, quia tunc exiſtimant peccare ſolum contra illam virtutem, circa quam eſt deceptio, vel error, ad quem induxit ; & ea ratione mouentur, quia eodem pręcepto, quo quis tenetur non facere contra aliquam virtutem, tenetur nihil contra

Argumẽta contraria diſſoluuntur.

illam

Digitized by Google

illam ſuadere; quod ſi ſuadeat, peccat contra illam virtutem, ſicuti ſolummodo contra illam peccat, ſi aliquid contra illam operatur. Sed non libentèr acquieſco huic reſtrictioni, nam, quantumuis certum ſit, quod peccet contra illas virtutes, aduerſus quas inducit operantem, non tollitur tamen, quin, ſi inuitum induxerit, peccet etiam contra iuſtitiam, quãdoquidem priuat iure, ſeu libertate, qua gaudet in ordine ad huiuſmodi actus; & ſic prout inducit liberè conſentientem ad huiuſmodi actus cõtra tales virtutes, peccat peccato eiſdem oppoſito; prout verò inducit inuitum, peccat contra iuſtitiam propter ius læſum in tali coactione, deceptione, & fraude.

8

Peccat alterũ retrahens à Religione.

Aſſertio IV. Grauitèr etiam peccat aduerſus bona ſpiritualia ſupernaturalia, qui ſiue vi, & fraude, ſiue prauis cõſilijs, & ſuaſionibus aliquem abducit à Religione, ſiue dum eſt in via, ſiue dum eſt in ſtatu incohato, ſiue in ſtatu perfecto eiuſdem. In hanc aſſertionem ſic nudè ſumptam conſentiunt omnes tam Theologi, quàm Canoniſtæ, qui in hac materia ſcripſerint. Pro notitia aduerte, eum dici in via ad Religionem, qui in corde ſuo diſpoſuit coram Deo propoſito efficaci illam ingredi, quamuis adhuc non fuerit ingreſſus; eum dici eſſe in ſtatu incohato, qui iam ingreſſus eſt Religionem, non tamen in ea adhuc profeſſus; eum tandem dici in ſtatu perfecto, qui ſe per vota ſolemnia, & profeſſionem Religioni obſtruxit.

Hos omnes grauitèr peccare ex eo liquet, quia iniuſtè retrahunt à bono maximè ſpirituali, & à perfectione ſtatus, ad quam, vel quis tendit, vel quam iam aſſecutus eſt, vel inchoatiuè, vel perfectè, ergo ſaltem contra charitatem, ſecundũ quam bonum ſpirituale alterius debet potius promouere, quam ab illo remouere, peccabunt, & quidem non ſolum aduerſus eum, quem retrahunt, ſed etiam aduerſus Religionem, à qua retrahunt; & quidem, ſi retrahant ab ingreſſu in Religionem, peccant quidem contra charitatem, etiam ſi ſolis ſuaſionibus, & conſilijs retrahant ſine coactione, & metu, aut deceptione; non autem contra iuſtitiam, nec aduerſus ſic retractum, neque aduerſus Religionem, à qua retrahunt non aduerſus ipſum, ſi quidem ſponte, & voluntariè aſſentitur ſuaſionibus, & conſilijs, cui propterea non fit iniuria propriè ſumpta; non aduerſus Religionem, nam ante ingreſſum Religio non habet ius ad illam perſonam, neque ad ea, quæ ex libera voluntate eius dependent; Verum tamen eſt, quod ex lege

Peccat nõ ſolũ cõtra eũ, quem retrahit, ſed etiam cõtra Religionem à qua retrahit.

charitatis, & æquitate tenetur illũ hortari ad bonum propoſitum reaſſumendũ, vt reparet illud magnum bonum, quod nefariè in animo eius deſtruxit remouendo incitantis ſpiritus præmotiones; Si vero retrahat à Religionis ingreſſu per vim, fraudem, & deceptionem tenetur quidem ex iuſtitia vim tollere, & fraudem aperire, & ſuadere raſſumptionem propoſiti ad ingrediendum, & ingreſſum ipſum, prout videtur ſentire *Leſſius d. lib. 2. de iuſt., & iur. c. 8. dub. 3. num. 13.*, qui quamuis loquatur, quando iam ingreſſũ retrahit, videtur tamen etiam intelligendus, quando ab ingreſſu per vim, & fraudem remouet. Ratio ex eo deducitur, quia non minus ius quis habet, ne per vim, dolum, & fraudem inducatur ad malum, ac ius habeat, ne remoueatur à bono, ſed inducens per vim, deceptionem, & fraudem ad malum peccat contra iuſtitiam per ſuperius probata, & tenetur remouere deceptionem, vim, & fraudem, & ſuadere reditum ad ſtatum gratię per ea, quæ infra probabuntur, ergo etiam &c. Confirmatur, quia per vim, fraudem, & deceptionem infertur iniuria propriè ſumpta aduerſus deceptum, fraudatum &c. ergo &c.

Procedit; etiã ſi remoueat ante ingreſſum.

Si verò retraxit à Religione iam ingreſſum in eandem, nõ tamen adhuc profeſſum ſolis ſuaſionibus, & conſilijs, non peccauit contrà iuſtitiam, nec tenetur ad aliquam compenſationem *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. part. 5. concl. & in ſolut. ad ſecundum, Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 2. n. 13. verſ. mihi vero tertio*, etiam ſi, id fecerit animo nocendi. Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia ipſi retracto non fit iniuria, cum conſenſum liberum præbuerit; nec Religioni, quia ante profeſſionem, ſeu acceptationem votorum nullum ius habet in perſonam extractam; Neque obeſſe poteſt animus ille, ſeu intentio nocendi, quandòquidem propoſitum in mente retentum nihil operatur, quando actio, cum qua coniungitur, non eſt ſecundum ſe læſiua iuſtitiæ.

A fortiori ſi poſt ingreſſum.

9

Et multo magis, ſi per vim, & fraudẽ, in quo caſu peccauit contra iuſtitiam.

Si verò retraxit à Religione iam ingreſſum per vim, & fraudem, ſeu deceptionem, probabilius peccauit contrà iuſtitiam, & tenetur remouere fraudem, tollere vim, & veritatem aperire. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt; ſi enim peccat contrà iuſtitiam, & ad huiuſmodi onera tenetur, quando per vim retraxit ab ingreſſu, à fortiori peccare dicendus eſt, quando iam ingreſſum per ſimilem vim, & coactionem retraxit, & compulit ad egrediendum. An vero in ea hypotheſi teneatur ad compenſandum

Digitized by Google

aliquid Religioni, à qua retraxit, negant aliqui, quia Religio ipſa ante acceptationem votorum, ſeu ante profeſſionem nullum ius habet in perſonam illam ſic extractam. Affirmat verò *Leſsius d. lib.2. de iuſt. c.8. num.5.* teneri ſcilicet compenſare ex iuſtitia Monaſterio, quanti ſpes illa communis commodi, quod ex ipſius hæreditate, donatione, & induſtria expectabatur, valebat. Rationem ex eo deducit, quia, quantumuis Monaſterium, & Religio ante profeſſionem non habeat ius certum in illam perſonam, habet tamen ius quoddam inchoatum, ſeu vt ita dicam, ad rem, & ne ipſi ingreſſo fiat vis aut fraus in ipſius detrimentum, ea proportionali ratione, qua quantumuis quis non habeat ius certum ad legatum, ſeu hæreditatem, quam quis ſtatuerat ipſi conſtituere, ſeu fortè conſtituerit, habet tamen ius, ne per vim, & fraudem, ſeu deceptionem remoueatur legans à legato, ſeu hæreditate ſibi relinquenda. Quid ergo concludendum? Sentio abſolutè, quod, ſi deceptor extractum ſuæ libertati reſtituerit, fraudemque aperuerit, & ſuaſerit ad reaſſumendum propoſitum, & iterum ingrediendum pro tempore, quo ipſi integrum ſit redire, non teneatur

10 amplius ad illam compenſationem; ſi vero hæc præſtiterit pro tempore, pro quo non ſit integrum redire, teneatur ad illam compenſationem, de qua Leſſius, ad æqualitatem illius ſpei, qua bona illa expectabantur. Ratio primæ partis deſumitur ex eo, quia ex quo Nouitium priſtinæ libertati reſtituit remouendo impedimenta deceptionis, & fraudis, ipſeque eſt in ſtatu libero, & integro regrediendi, iam cauſa damni Monaſterij eſt ipſe Nouitius non ingrediens, non ille, qui per vim, & deceptionem remouit; Neque obſtat, ſi aſſeratur, quod ex illa deceptione, & fraude proueniat, quod ipſe non amplius redeat, nam, ſi ex deceptione, & fraude non fuiſſet extractus, perſeueraſſet in Religione, quæ propterea non caruiſſet illa ſpe conſequendi bona illa. Non obſtat, inquam, quia quando deceptor ea præſtitit, quæ congruè potuit ad reducendum deceptum ad iterum ingrediendum, non eſt amplius in ipſius poteſtate eum compellere, & ſicuti in ea hypotheſi ſeductor eximitur à quocunque onere verſus Monaſterium ratione perſonæ, ita eximitur à quocunque onere ratione rerum, quæ dependent à libera voluntate eiuſdem perſonæ, potiſſimum cum ea bona, quæ ex permanentia Religioſi in Monaſterio expectantur, non ſint debita ex iuſtitia, vt infra clarius patebit.

An, & quando teneatur compenſare aliquid Monaſterio pro illo retractu.

Si vero extraxit à Religione iam profeſſum in eadem abſq; vi, & fraude, peccauit quidem grauiter cõtra charitatem, 11
non tamen tenetur ex iuſtitia ad aliquam compenſationem, nec verſus ipſum extractum, nec verſus Religionem, nec quoad prouentus temporales, qui ex ipſius perſona ſperabantur; tenetur tamen remouere conſilium, & veritatem aperire; ſi verò per vim, & fraudem extraxerit, tenetur ex iuſtitia compenſare, quanti emolumentum temporale ex ipſo proueniens, æſtimabitur, & vlterius efficere quantum poteſt, vt ipſe redeat, quod ſi ille redire nolit, vel procul abſit vt conueniri non poſſit, tenetur, ſi commodè poſſit alium inducere. Quoad vtramque partem conſentiunt *Sotus lib.4. de iuſt. q.6. art.3.*, *Leſsius de iuſt. lib.2. c.8. num. 16.* Ratio primæ partis, quod ſcilicet grauiter peccet contra charitatem, deducitur ex ſuperius dictis, quia ſcilicet remouet à bono per falſa conſilia, & ſuaſiones iniquas. Quod vero non teneatur ex iuſtitia ad aliquam compenſationem verſus ipſum reductum, ſeu extractum, ex eo patet, quia ipſe ſpontè conſenſit, cum conſilia, & ſuaſiones non tollant rationem voluntarij; ſcienti autem, & conſentienti non fit iniuria; Quod verò non teneatur erga Religionem quoad prouentus temporales, qui ex perſona extracti expectabantur, ex eo deducit *Leſsius lib.2. de iuſt. c.8. dub.3. num.18.*, quia Religioſus ipſe non tenetur ex iuſtitia procurare illa emolumenta, quæ ex ipſius perſona expectabantur, ſed ſolum ex virtute obedientiæ, & Religionis, vt docet *Bannes 2.2. q.62. art.2. dub.6.*, ergo is, qui abſque vi, & fraude, ſed ſolum precibus, & conſilio extraxit è Religione, & per conſequens tollit, ne emolumenta illa acquirantur Religioni, quæ ex perſona extracta expectabantur, non intelligitur peccaſſe contra iuſtitiam, adeoque, nec teneri ad compenſationem; Si enim principalis non tenetur opera illa impendere, & ſi non impendat, non tenetur ad reſtitutionem, ita nec tenetur conſultor, & ſuadens, qui vim non intulerit; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ille, qui ſuadet egreſſum a Religione, iniuriam faciat Religioni, quæ ius acquiſiuit in perſonam profeſſi, ex qua iniuria conſequitur illud damnum, ergo tenetur ad illud damnum compenſandum; nec currit ratio de Religioſo ipſo extante in Religione, qui non tenetur ex iuſtitia ad illa emolumenta procuranda, ac de extrahente à Religione, quantumuis ſolum per ſuaſiones, & conſilia, & impediente illa emolumenta, ſeu illorum acquiſitionem, quandoquidem, vt præfertur in inſtantia ipſe Religioſus

Retrahẽs a Religione iam profeſſũ abſq; vi, & fraude peccat nõ tamen cõtra iuſtitiam.

Benè tamen retrahens per vim, & fraudẽ.

Cur, quãdo per vim non extraxit, nõ teneatur ad Religionem de prouẽtibus temporalibus.

Digitized by Google

gioſus perſeuerans in Religione non tenetur, niſi ex obedientia, & Religione illa emolumenta procurare, extrahens verò tenetur non lædere ius, quod habet Religio in Religioſum profeſſum ipſum extrahendo, & per conſequens ad omnia damna, quæ ex illa extractione conſequuntur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſi diceretur facere quidem Religioni iniuriam, ſed non talem, quæ ſit contra ius iuſtitiæ, ſed dumtaxat contra virtutem Religionis, quæ non obligat ad reſtitutionem, nihil diceretur, quod veritati poſſet obeſſe. Deinde poteſt eſſe iniuria quoad egreſſum contra voluntatem Religionis, quę acquiſiuit ius ex profeſſione, ne ille egrediatur, non tamen eſſet obligatio ex iuſtitia ad compenſanda illa damna, quæ conſequi poſſunt ex illo egreſſu; quod clarè videre eſt in Religioſo profeſſo, qui, ſi è Religione fugiat iniuriam quidem facit Religioni, verſus quam eſt obligatus ratione profeſſionis, & quamuis ex illo egrèſſu ſequantur damna, quatenus ipſe induſtriam non applicat, non exercet munera, ex quibus prouenirent temporales prouentus, non tamen tenetur ex iuſtitia ad illorum compenſationem, & quia ad illa opera non tenetur ex iuſtitia, nec ad procurandam vtilitatem Religionis, ſeu Monaſterij, ſed ſolum ex obedientia, & virtute Religionis, quæ non obligant ad reſtitutionem, Hæc proportionalitèr poſſunt applicari conſulenti, & ſuaſori, qui, quamuis ſic ſuadendo, & conſulendo iniuriam faciat Religioni, & ex illo egreſſu, quem conſuluit, ſequantur, ſeu ſequi poſſint damna, non propterea tenetur ex iuſtitia ad compenſationem illorum damnorum prouenientium ex non applicatione induſtriæ eiuſdem egreſſi, nam ſicuti ipſe non tenetur ex iuſtitia ad applicationem illius induſtriæ, ſed tantum ex obedientia, & ſi non applicet, non tenetur ad compenſationē, ità nec ſuadens, nec conſulens, qui quamuis ſit cauſa moralis egreſſus, non tamen damni ſecuti, eo quod hoc damnum immediatè ex libera voluntate Religioſi, non ex ſuaſione illa dependeat. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ſcilicèt, quādo vi, & fraude extraxit, teneatur ad compenſationem illorum damnorum temporalium, quæ ex non egreſſu expectabantur, ex eo deducitur, quia quamuis Religio, ſeu Monaſterium, non habeat ius iuſtitiæ in ordine ad illos temporales prouentus, qui ſperari poſſunt ex illa applicatione induſtriæ, cum nonniſi ex obedientia poſſit obligare ad illam applicationem; habet tamen ius, ne iniuſtè, & inuitè impediatur à conſecutione illorum prouentuum, eo modo quo ſupra dicebamus, quod quamuis quis non habeat ius ad legatum ante mortem legantis, habet tamen ius, ne iniuſtè, & per violentiam remoueatur legans ab illo legato. Verum tamen eſt, quod attente hic conſiderandum eſt, an eſſet ſpes futuri emolumenti ex perſeuerantia illius perſonæ in Religione; ſi enim ille tantum conſumebat, vel alius in eius locum ſubſtituatur, qui parem vtilitatem afferat, non eſt neceſſario facienda reſtitutio. Quod verò teneatur detecta fraude, vel vi ablata reſtituere primæ libertati facile innoteſcit ex ſupradictis. Quod, ſi ſic reſtitutus nolit amplius redire, tunc docet Leſſius, non teneri imposterum deceptorem, vel fraudatorem, ſed tantum pro eo damno, quod datum eſt pro tempore, quo fraus, vel vis durauit. Tutius tamen crederē in eo caſu, ſi commodè poſſet, teneri alium inducere paris qualitatis, & habilitatis ad ingrediendum pro ipſo, quo in caſu ceſſaret quæcunque ratio reſtitutionis. Verum vtrum ipſe teneatur pro egreſſo ingredi, dicetur in ſequentibus.

Nonnullæ rationes oppoſitæ diſſolutæ.

Quando per vim extraxit tenetur ad compenſationem prouentuū temporalium.

Tenetur detecta fraude curare, vt redeat.

DISQVISITIONES I.

A prima ad quartam prænotionem excluſiuè.

§. I.

An, ſi fur non habeat, quid pro furto reddat, poſſit venundari, vt ſatisfiat læſo.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries. 1.
Rationes ſuadentes poſſe vendi. 2.
Rationes ſuadentes non poſſe vendi. 3.
Fur non habens quid reſtituat poteſt compelli ad obſequia corporalia in fauorem læſi. 4.
Fur non potens reſtituere non poteſt inuitus à læſo trahi in ſeruitutem, bene volens. 5.
Fur, qui non eſt ſoluendo, poteſt iuſta condemnatione per Iudicem tradi in ſeruitutem, ſi furtum ſit tale, vt ſit condignum ad talem pœnam. 6.

Diſquiſitio I. Sertorius fur inter cætera furta, quæ patrauerat, vnum commiſerat maximæ quantitatis aduerſus Sempronium, cumque ageretur ad compenſationem damni, ſeu reſtitutionem, inuentus eſt minus habens, cum res furto I

Exponitur factū in ſuis terminis.

furto ſublatas conſumpſerit, nec aliunde haberet, quo reſtitueret. Quæſitum tunc fuit, an poſſet venundari, vt ex illius pretio ſatisfieret Sempronio, vel in ſeruitutem eidem tradi, vt compenſaretur in damno per illius opera, & obſequia.

Bona corporis fuit incompenſabilia per bona fortunæ.

Bona corporis, & vitæ eſſe incompenſabilia per bona fortunæ late probatum eſt ſupra, adeò vt, ſi pro corpore, vel membro læſo, ſeu mutilato nequit fieri in bonis fortunæ compenſatio ad æqualitatem ex iuſtitia requiſitam, ità nec videtur poſſe fieri compenſatio pro læſione in bonis fortunæ per traditionem perſonæ. Quamobrem in præſenti titulus intelligendus eſt ſolummodò de obligatione perſonæ in ordine ad ſeruitutes, & obſequia perſonalia alteri, ſeu læſo præſtanda pro ſatisfactione damni illati.

2 Rationes ſuadentes poſſe venundari.

Videtur affirmandum, quandòquidem hoc expreſsè habetur in Sacra Scriptura *Exodi* 22. Ibi -- *Si fur non habeat quid pro furto reddat, ipſe venundabitur*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem ius iuſtitiæ exigit, vt læſo fiat compenſatio quocunque modo poſſibili, vel per reſtitutionem rei ablatæ, ſi adhuc extet, vel in æſtimatione, ſi non extet; hæc autem æſtimatio poteſt haberi, vel in pecunia, vel in operibus, & obſequijs æquiualentibus, quæ ſunt pretio æſtimabilia, ergo, vbi per aliud haberi non poteſt compenſatio in damno per furem illato, poterit fur ipſe diuendi, vt per ſua obſequia, & opera ſatisfaciat.

3 Rationes euincētes non poſſe vendi.

Ex aduerſo videtur negandum, quia libertas, quæ iure, & titulo venditionis mancipatur, non eſt compenſabilis pro pretio, cum longe ſuperioris ſit ordinis, & conditionis, vndè emanauit illud commune effatum. *Non bene pro toto libertas venditur auro*, & *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 201.* æquiparat libertatem vitæ naturali, quia per ſeruitutem inducitur mors ciuilis; ſicuti igitur pro damno in bonis temporalibus illato æquum non eſt, vt vitam temporalem profundat, ita æquum non eſt, vt libertatem vendat. Confirmatur, quia mors ciuilis, quæ per ſeruitutem inducitur, eſt pluris habenda, quam truncatio, flagella, & alia ſimilis pæna corporalis, ſed pro damno per furtum illato formalitèr non poteſt fieri obtruncatio, nec alia pæna corporalis, ergo nec induci mors ciuilis per ſeruitutem. Dixi pro damno per furtum illato *formalitèr*, hoc eſt in compenſationem illius, quandòquidem, ſi per Iudicem ob furtum imponatur obtruncatio, vel alia ſimilis pæna corporalis, hoc non fit pro compenſatione damni formalitèr, ſed in vltionem, & vindictam criminis ad deterrendos alios à ſimili crimine, quod non poteſt fieri per perſonam priuatam. Quid igitur in hoc concludendum?

Reſpondeo primò. Fur non habens quid pro furto reſtituat, poteſt compelli, vt ſatisfaciat læſo per opera, & obſequia corporalia. Ratio eſt, quia fur tenetur ex lege iuſtitiæ Domino ſatisfacere omnibus modis, quibus poteſt, & ponere æqualitatem, quam abſtulit, ſed, vbi non poteſt ponere hanc æqualitatem reſtituendo rem ablatam, vel pretium æquipollens eidem, eandem æqualitatem poteſt conſtituere per opera, & obſequia perſonalia, quæ ſecundum ſe ſunt pretio æſtimabilia, & ſecundum communem æſtimationem, & vſum pretio conducuntur, ergo poteſt compelli ad eadem præſtanda ſic exigente lege iuſtitiæ. Verum tamen eſt, quod, ſi ille, qui res alienas furto accepit, & factus eſt impotens ad eas reſtituendas, fuerit perſona nobilis; cui ex vi proprij ſtatus, & conditionis impar ſit opera ſeruilia reddere, ſi aliunde non habeat, quo reſtituat, videatur eximi ab onere compenſationis per illa obſequia, cum nemo teneatur reſtituere cum tanto damno, & incommodo proprij ſtatus, & ſuæ bonæ æſtimationis. 4

Fur nō habens quid pro furto reſtituat, poteſt cōpelli ad obſequia in fauorē læſi.

Reſpondeo ſecundo. Fur non potens reſtituere pro furto in bonis fortunæ non poteſt inuitus trahi in ſeruitutem propriè, & rigoroſè ſumptam propria auctoritate creditoris, bene tamen volens ſeruatis conditionibus adhoc requiſitis. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia modi, & tituli à iure conſtituti, quibus acquiritur dominium in homines, ſeu mancipia, ſeu quibus homines conſtituantur ſerui quatuor dumtaxat numerantur, nempè ius belli, natiuitas, iuſta condemnatio, & emptio, & venditio *Silueſter verb. ſeruitus q. 3., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 4. dub. 4. n. 11. & ſeqq.*, & in hoc omnes conſentiunt, ſed nullo ex his modis fur poteſt inuitus trahi, vt conſtituatur ſeruus; non iure belli, cum, vt per ſe patet, nullum intercedat bellum; non natiuitate, cum ipſe natus ſit liber; non condemnatione, cum non poſſit eſſe propria auctoritate creditoris, ſed per ſententiam Iudicis; non tandem emptione, & venditione; cum emptio, & venditio mutuo conſenſu contrahantur, qui mutuus conſenſus hic non intelligitur, cum fur præſumatur inuitus; Neque obſtat textus *Exodi* 22., ibi -- *Si fur non habeat, quid pro furto reddat, ipſe venundabitur*, vbi fur ipſe non ſupponitur volens, ſed inuitus trahi in ſeruitutem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa diſpoſitio, 5

Fur non potens reſtituere pro furto nō poteſt inuitus à Domino trahi in ſeruitutē, bene tamen volens.

vtpotè

Digitized by Google

vtpotè merè iudicialis, non naturalis iam intelligitur poſt aduentum Chriſti Domini ſublata; Deindè illa diſpoſitio non ſumenda eſt, quatenus huiuſmodi venditio poſſit fieri propria auctoritate creditoris, ſed auctoritate publica per condemnationem.

Serui ſpõtè poſſunt fieri per venditionem.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia inter cæteros modos acquirendi dominia in ſeruos, & mancipia eſt titulus emptionis, & venditionis, & cum quiſque ſit dominus propriæ libertatis, ſicut, & famæ, & honoris, non eſt, cur concurrente iuſta cauſa, & propriæ voluntatis arbitrio non poſſit ſe in ſeruitutem redigere; hic autem legitima cauſa concurrit nempè onus reſtitutionis pro furto, ergo volens poteſt per venditionem trahi in ſeruitutem.

6 Fur poteſt iuſtè à Iudice damnari in ſeruitutem.

Reſpondeo tertio. Fur, qui non eſt ſoluendo pro furto, poteſt iuſta condemnatione per Iudicem tradi in ſeruitutem creditori, ſi furtum fuerit tale, vt talem pænam mereatur, vel æqualem, vel maiorem *Silueſter verb. ſeruitus q. 3., Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 4. dub. 4. num.* 14. Ratio ex eo deducitur, quia fur pro furto poteſt morte damnari, vel in perpetuum carcerem coniici, vel ad triremes iudicari, ſi delictum fuerit tale, vt huiuſmodi pænas mereatur, ergo etiam poterit ſeruitute damnari, quæ computatur pro morte ciuili.

§. II.

An, ſi Teſtator, qui poſt teſtamentum conditum obijt, reſurgat, eidem bona, quæ per teſtamentum reliquit, ſint reſtituenda.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & rationes pro vtraque parte. 1.
Probabilius repetit bona, quæ per teſtamentum reliquit. 2.
Ius Teſtatoris non eſt extinctum abſolutè, ſed tantum conditionatè. 3.
Quomodo intelligendus ſit Apoſtolus aſſerens teſtamentum confirmari morte teſtatoris. 4.
Non currit paritas de Matrimonio diſſoluto per mortem alterius coniugis. 5.

1 Exponitur facti ſeries.

DIſquiſitio II. Caius condito ſuo vltimo teſtamento, quo hæredem ſibi inſtituit Theodoricum filium Sempronij è viuis deceſſit, & Theodoricus inſtitutus adijt hæreditatem. Poſt aliquod temporis Deo ſic diſponente Caius ad vitam reuocatus eſt, & contendebat ad ſua bona per teſtamentum relicta recuperanda, aduerſus quem excipiebat Theodoricus, ius illud in proprijs bonis Caij in ipſo ſemel extinctum per mortem non amplius reuiuiſcere; ſubdebat, quod teſtamentum erat per mortem confirmatum ex mente *Apoſt. ad Hebreos 9.*, quod propterea non poterat reuocari, allegabat vlterius, quod, ſi antecedentèr ad mortem idem Caius fuiſſet matrimonio copulatus poſt reſurrectionem eidem vxor non eſſet reſtituenda, vt docent communitèr Theologi, quidquid ex aduerſo ſentiant nonnulli iuriſtæ. Tandem addebat, quod ſi Religioſus profeſſus obierit, & Diuina Prouidentia reſurrexerit nõ ſit reſtituendus Religioni, prout docet *Panormitanus in c. fraternitatis de frig., & malef.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Ioannes Andreas in d. c. fraternitatis, & alij*, cum illa obligatio intelligatur reſtricta ad tempus vitæ eiuſdem Religioſi profeſſi. Quid igitur concludendum?

Rationes pro vtraq; parte.

2 Probabilius repetit bona, quæ per teſtamentum reliquit.

Reſpondeo probabilius eſſe, quod teſtator, qui ſurrexerit, ſit reſtituendus in bonis, quæ per teſtamentum reliquit *Gloſa in l. ex ijs ff. de legat., & in l. ſeruus ff. de act. oblig., Bartolus in l. 1. C. de Sacroſ. Eccleſ. ArchiDiaconus in c. 2. 32. q. 7.; Silueſter verbo reſuſcitatus*; atq; his aſſentiri videtur *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtitutione c. 2. n. 8.*, Ratio ex eo deducitur, quia illa diſpoſitio teſtamentaria intelligitur ſemper ſub tacita conditione, vt valeat pro tempore, pro quo ipſe gaudere non poteſt eiſdem bonis per teſtamentum relictis, vndè ipſo viuente non valet teſtamentum, ſed dato, quod poſt mortem reſurrexerit, poteſt gaudere bonis eiſdem, ergo non eſt, cur illis non ſit reſtituendus, ſi apparuerit. Secundo, quia, ſi quis iure inuentionis poſt diligentem inquiſitionem factus fuerit rei inuentę poſſeſſor, ſi poſtea verus Dominus apparuerit, tenetur eandem rem illi reſtituere, non obſtante, quod legitimè acquiſierit *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtit. c. 2. num. 8.*, ergo etiam, ſi quis iure teſtamenti bona teſtamentaria acquiſierit per mortem teſtatoris apparente per reſurrectionem eodem teſtatore tenebitur eadem bona ipſi reſtituere; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo primo loco afferebantur, nempe, quod per mortem teſtatoris ius ipſius intelligatur extinctum; ius autem ſemel extinctum non amplius reuiuiſcat ex vulgatiſſimis iuribus; vndè etiam dici poteſt, quod quoad inuenta intelligatur ius non extinctum, ſed dumtaxat ſopitum, quoad relicta verò per teſtamentum intercedente morte teſtatoris fuerit penitus extin-

Diſpoſitio teſtamentaria eſt ſub tacita conditione.

Digitized by Google

extinctum. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia ius teſtatoris non intelligitur
3 *Ius teſtatoris non eſt extinctum abſolutè, ſed tantū conditionatè.* extinctū, niſi quatenus extincta eſt perſona teſtatoris, vnde hæres, eo mortuo, poſſidet in perſona teſtatoris, quam ræpreſentat, & ſic non eſt, cur eodem teſtatore apparente ius in ipſo non debeat conſolidari, tanquam in eo, in cuius perſona ræpreſentans poſſidet. Deindè dici poteſt, quod ſit extinctum non abſolutè, ſed conditionatè, ſi ſcilicèt teſtator non apparuerit, ſeu adhuc inter viuos non egerit. Tertio, deduci poteſt *ex l. poſtlim. ff. de captiuis, & poſtlim. reuer.*, vbi dicitur, quod res etiam vſucapta, & præſcripta propter ſeruitutem, & captiuitatem veri domini ſit eidem reſtituenda, poſtquam à captiuitate, & ſeruitute redierit, ergo &c. Quarto, quia vniuerſum ius, quod habet hæres in hæreditate, eſt dependentèr à voluntate teſtatoris; non eſt autem præſumendum, quod teſtator voluerit bona hæreditatis fieri hæredis, ſi ipſe poſt mortem de nouo apparuerit.

Ad exceptiones Theodorici aduerſantis, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad
4 *Soluuntur exceptiones oppoſitæ.* primā iam patet ex dictis; ius etenim teſtatoris perſeuerat in perſona hæredis, qui illum ræpreſentat. Ad ſecundam deſumptam ex *Apoſtolo ad Hebræos 9.* dicendum eſt teſtamentum, quidem confirmari morte teſtatoris, quatenus tunc ſolum ius eiuſdem teſtatoris deuoluitur ad hæredem, qui proindè ſolum tunc ſit dominus, non quatenus, ſi teſtator reſurrexerit, non ſit idem teſtamentum reuocabile; ſicuti enim teſtamentum vim habet à morte teſtatoris, ita vim habet irreuocabilem à morte continuata eiuſdem, & non alitèr.

Ad tertiam, præterquam quod plures Iuriſtæ aſſerunt reſuſcitatum reſtituendū eſſe vxori viuenti, vt teſtatur *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtit. c. 2. nu. 4.*, dicendum eſt, non currere paritatem, quandoquidē hoc habet matrimonium ex natura ſua, vt non diſſoluatur, niſi per mortem alte-
5 *Non currit paritas de matrimonio diſſoluto per mortem alterius coniugis.* rius coniugis, & eo perempto, vinculum coniugale penitus, & abſolutè diſſoluatur, nec in hoc contrahentes poſſunt habere aliquā tacitā conditionem; teſtamētum vero habet quidem hoc, quod morte teſtatoris confirmetur, quatenus, cū per mortem reddatur ipſe teſtator impotens ad poſſidenda bona ſuæ hæreditatis ipſa transfert in inſtitutum à ſe ipſo, & cum hoc præſtet ex propriæ voluntatis arbitrio, præſtat implicitè conditionatè, ſi ipſe per mortem continuatam perſeueret in illa impotentia, & incapacitate poſſidendi; in tantum enim transfert in alium, in quantū ipſe nequit poſſidere, & propterea; ſi ipſe per reſurrectionem adhuc reddatur capax, non eſt, cur in illis bonis non debeat reſtitui, præcipuè cum tranſtuliſſe ſub illa conditione cenſendus ſit.

Ad quartum, idem ferè reſpondendum eſt; profeſſio etenim Religioſa eſt quoddam quaſi matrimonium ſpirituale, & ita ſicuti de carnali, ita de ſpirituali matrimonio fateri debemus, quod per mortem naturalem penitus diſſoluatur, atque ita fatentur *Silueſter verb. diuortium qu. 2.*, de vtroque matrimonio, & ſpecialitèr de matrimonio ſpirituali per profeſſionem Religioſam, docet *Panormitanus in d. c. fraternitatis de frig., & malef.*, præcipuè, cum illa obligatio per profeſſionem Religioſam ſit alligata, & reſtricta ad tempus vitæ eiuſdem profeſſi; Nec obſtat, quod in aliquibus Religioſorum ordinibus concipiatur formula profeſſionis per hæc verba. *Profiteor, & voueo caſtitatem, paupertatem, & obedientiam perpetuam in tali Religione*; non obſtat, inquam, quia quantumuis *Silueſter in verbo Reſuſcitatus*, in profeſſione ſub illis verbis concepta, quinimmo etiam, ſi præciſè dicatur *Voueo talem regulam*, non reſtringendo tempore vitæ meæ, intendat adeſſe obligationem perpetuam, adeò vt, ſi reſurgat, teneatur illam adimplere; nihilominus ly *perpetuum* referendum eſt ad tempus vitæ eiuſdem viuentis, & profitentis, vt benè explicat *Petrus à Nauarra lib. 1. de reſtitut. c. 2. nu. 5.*, nam natura huius dictionis accipitur ad vitam, ſeu quandiù aliquis fuerit ſuperſtes *Menochius cōſ. 265. num. 35.*, *Petrus Enriquez reſponſ. opuſ. 2. n. 30.*, *Seraphinus decis. 874. n. 5.*, & perpetua dici poſſunt ea omnia, quæ licet aliquo modo ante mortem finiri poſſunt, apta ſunt ad vitam durare *l. ſufficit ff. de condit. indeb. c. vltimo iuncta gloſ. verb. perpetuus de reſcript. in 6.*

Soluitur alia inſtantia.

§. III.

Quomodo intelligendus ſit D. Thomas dum aſſerit, ſi iuſtè aliquid ablatum eſt inæqualitas eſt, ſi reſtituatur.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ. 1.
Intelligendus eſt, quando, qui iuſtè detinet, compellitur ante tempus reſtituere. 2.
Item, quando illud, quod iuſtè acceptum dicitur, erat debitum ipſi accipienti. 3.
Quomodo res ablata iuſtè ſit reſtituenda, vel non reſtituenda. 4.

Diſqui-

Digitized by Google

1 Ratio dubitandi.

DIſquiſitio III. D. Thomas *2.2.q.62. art. 2. in corpore*, habet hæc expreſſa verba, *Si verò iuſtè ablatum eſt, inæqualitas erit, ſi reſtituatur*. Circa hæc immediatè ſubintrat ratio dubitandi, quomodo cum veritate poſſint intelligi, cum mutuum, & depoſitum ſit reſtituendum, & tamen iuſtè acceptum eſt?

Mens Caietani circa illud dictum.

Caietanus *2.2.q. 62. art. 2.*, *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 2.* expreſsè aſſerunt literam D. Thomæ eſſe corruptam, & putant deficere cauſam; Sed *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 1. nu. 9.*, non cognoſcit neceſſitatem mendatium literæ imputandi, cum ſatis cauſæ præceſſerit; dixit enim reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, ex quo intulit, ergo facienda eſt.

2 Intelligitur quādo detinens iuſtè compellitur ante tempus reddere.

Reſpondeo iam primo, verba illa S. D. intelligenda eſſe, quando, qui iuſtè accepit compellitur antè tempus conuentum Domino reſtituere inuitus; tunc etenim ius ipſius detinentis quodamodo violatur, cum ex conuentione ius acquiſierit, ne ante tempus conuentum poſſet conueniri ad reſtituendam rem, quam iuſtè detinet, & accepit; & ſicuti, qui titulo gratuitæ donationis rem aliquam acquiſiuit, non poteſt compelli ad reſtituendū, & ſi compellatur, conſtituitur inæqualitas, ità, ſi quoad vſum, vel titulo collationis gratuitæ, vel alio titulo oneroſo acquiſierit ad determinatum tempus, & ante illud tempus compellatur reſtituere, committetur inæqualitas, cum priuetur illo vſu, quo legitimè gaudet, & ſic non haberet, quod ex conuentione habere deberet.

3 Itē quādo erat debitū ipſi accipienti.

Reſpondeo ſecundo, verba illa S.D. intelligenda eſſe, quandò id, quod iuſtè acceptum dicitur, erat propriè debitum ipſi accipienti. Sic explicat verba D. Thomæ *Sotus lib. 4. de iuſt. q 6. art. 2.* eique aſſentitur *Petrus à Nauarra lib. 2. c. 1 n. 9.* Hoc exemplificatur in mercede laboris, vel depoſito alicui debito; ſi etenim operarius, vel deponens mercedem laboris acceperit, vel depoſitum ſibi debitum, certè inæqualitas conſtitueretur, ſi cogeretur reſtituere, nam ipſe priuaretur re ſua, quæ alteri traderetur, cui non eſt debita.

4 Quando res iuſtè ablata ſit reſtituenda, vel nō reſtituenda.

Ex quibus poteris deducere, quod res iuſte ablata ſit reſtituenda, vel non reſtituenda, multipliciter poſſit contingere; primò, quatenus fuerit accepta conſentiente Domino, vel ad tempus, vel ſine tempore; hoc contingit in depoſito v. g. commodato, mutuo, & precario; ſi etenim hæc accepta ſint ad tempus, poſt lapſum temporis ſunt reſtituenda Domino tradenti, ante quod ex iuſtitia non ſunt reſtituenda, niſi ſuppoſitis certis conditionibus, de quibus alibi; ſi ſine tempore, reſtituenda ſunt, vel ad placitum eiuſdem tradentis, & concedentis, vel ad arbitrium boni viri conſiderato fine, ad quem tradidit, & conceſſit; Secundò, quatenus Dominus acceperit rem ſibi debitam, vel mercenarius mercedem ſibi competentem ex proprijs laboribus de manu detinentis, vel non ſoluentis talem mercedem, & tunc res illa, ſeu merces non eſt reſtituenda ei, à quo accepta eſt, & ſi reſtitueretur, conſtitueretur inæqualitas, prout dixit *D. Thomas loc. cit.* nam recipiens id haberet, quod habere non debet.

§. IV.

Verum ex tranſgreſſione aliarum virtutum à iuſtitia oriatur quandòque obligatio reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo conſiſtat ratio controuerſiæ. 1.
Sententia aſſerens oriri obligationem reſtitutionis etiam ex læſione aliarum virtutum, quando ex illa alter damnificatur. 2.
Sententia non cognoſcens obligationem reſtitutionis, niſi ex læſione iuſtitiæ. 3.
Sententia Petri à Nauarra ſub varijs diſtinctionibus. 4.
Ex tranſgreſſione aliarum virtutum probabilius non oritur onus reſtitutionis. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.

DIſquiſitio IV. Paſſim in præcedentibus diximus ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ oriri obligationem reſtitutionis. Nunc ex profeſſo examinandum eſt, an tale onus ità ſit reſtrictum ad iuſtitiam commutatiuam læſam, vt minimè oriatur ex læſione aliarum virtutum. Hæc controuerſia in multis caſibus poteſt habere locum, quos nunc profero. Primus eſt, quando quis videns proximū in extrema neceſſitate conſtitutum non aperit viſcera miſericordiæ ſuæ, eique non ſubuenit per eleemoſinam; tunc etenim videtur præcisè lædere leges charitatis. Secundus, quando quis non teſtificatur in fauorem alicuius, verſus quem lege charitatis ſolummodò tenetur. Tertius, ſi quis non impediat damnum alteri imminens, ad quod impediendum non tenetur ex officio, vel contractu, & per conſequens ſolum ex lege charitatis. Alios caſus his non abſimiles tibi confinge, & in ijs, quære, an ſic lædens aliarum virtutum leges à iuſtitia teneatur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem. 1

1 Expoſitio ſtatus cōtrouerſiæ.

Prima

Digitized by Google

2 Sententia aſſerens oriri obligationem reſtitutionis ex læſione aliarum virtutum.

Prima opinio docet etiam oriri obligationem reſtitutionis ex læſione aliarum virtutum, quando ex tali læſione tertius damnificatur, prout contingit in caſibus allegatis; atque in hac opinione ſunt *Angelus verb. furtum qu.29.*, *Tabiena verb. reſtitutio §. 25. prope fin.*, *Caietanus verb. reſtitutio caſ. 1. verſ. aduerte*; qui aſſerunt non ex charitate præciſè oriri hanc obligationem reſtitutionis, ſed ex iuſtitia trahente originem ab eadem charitate; nam ex charitate ius oritur, habito verò iure ex lege charitatis acquiſito, qui illud violat, violat iuſtitiam.

3 Sententia oppoſita exponitur

Secunda opinio eidem extremè contraria docet nullam in allegatis, & ſimilibus caſibus oriri obligationem reſtitutionis *Alexander Alenſis 3. part. q. 87.*, *Adrianus in 4. de reſtitut. qu. 1. col. 6. & quodlib. 11.*, *Coaruuias in reg. peccatum 2. part. §. 3. n. 5.*, *Nauarrus cap. 17. nu. 11.*, *Medina C. de reb. reſtit. q. 9. verſ. primus modus*, *D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 12. §. 13.*, & alij magis communitèr. Ratio duplex huius opinionis adducitur. Prima, quia aliæ virtutes à iuſtitia non reſpiciunt directè, & principalitèr actus exteriores, ſed circa interiores verſantur, & ſola iuſtitia reſpicit actus externos, ergo ex læſione ſolius iuſtitiæ, non ex tranſgreſſione aliarum virtutum oritur obligatio reſtitutionis, vtpotè, quæ oritur ſolummodò ex actione externa damnificatiua, non ex ſolo animo damnificandi opere externo non ſecuto. Secunda eſt, quam magis commendat *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 2. n. 15.*, quia iuſtitia per ſe, & directè verſatur circa bona vtilia, inter quæ intendit principalitèr æqualitatem ſeruare; cæteræ autem virtutes directè non verſantur in æqualitate bonorum temporalium ſeruanda, ſed vel in colendo Deo, vt Religio, vel diligendo, vt charitas &c. & ideò, ſi ex talium virtutum tranſgreſſione damnum alteri conſurgat oritur quidem in tranſgrediente actio peccaminoſa, non tamen obligatio reſtitutionis, cum acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis atque hanc rationem multis illuſtrat exemplis idem Petrus à Nauarra loco quo ſupra.

4 [S]ententia Petri à Nauarra ſub varijs diſtinctionibus.

Tertia ſententia, quæ eſt eiuſdem *Petri à Nauarra loco quo ſuprà n. 17.* varijs diſtinctionibus procedit, & primo conſiderat, an actus, quo fit talis tranſgreſſio, & damnum infertur, ſit poſitiuus, an verò negatiuus? ſi ſit poſitiuus, ſemper agnoſcit obligationem reſtitutionis, quia ſemper eſt læſio iuſtitiæ; ſi negatiuus; tunc quandòque agnoſcit obligationem reſtitutionis, cum etiam ſit contrà iuſtitiam, quandòque non agnoſcit talem obligationem, cum ſit dumtaxat contra charitatem; primo modo procedit, quando ille, qui omittit, tenetur ex officio, vel contractu non omittere, vt cum teneatur ex officio, vel contractu cuſtodire vineam, & omittit cuſtodire, adeò vt ex tali non cuſtodia ſequatur damnum, & poſtquam ſecutum fuerit ex non manifeſtatione damnificantis, non reparetur. Secundo modo procedit, quando ille, qui omittit non tenetur, nec ex contractu, nec ex officio. Secundo, quando non tenetur, nec ex contractu, nec ex officio ad non omittendum, & omittit, & tunc adhuc diſtinguit; vel etenim eſt ſermo de re ex charitate, vel Religione debita, vel de damno ex non ſoluendo ſecuto; ſi de primo, arbitratur abſolutè, quod omittens teneatur reſtituere, quamuis actio non oriatur ex iuſtitia. Rationem adducit ex eo, quia non minus obligat præceptum charitatis, & Religionis; quam præceptum iuſtitiæ, quinimmò magis, cum illę habeant pro obiecto Deum, cuius cultus, & dilectio eſt magis homini neceſſarius, quem indemnitas, & dilectio proximi, ſi de ſecundo ſentit, quod omittens nullo modo teneatur reſtituere propter rationes ſuperius adductas pro ſecunda opinione; In hac opinionum varietate quid igitur eſt ſentiendum?

5 Ex tranſgreſſione aliarum virtutum probabilius non oritur onus reſtitutionis.

Reſpondeo probabilius eſſe ex tali aliarum virtutum tranſgreſſione, quantumuis damnum inde ſequatur, non oriri obligationem reſtitutionis. Ità præter præcitatos DD. pro ſecunda opinione *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 2. art. 4. & lib. 4. q. 7. art. 3. col. 4.*, *Nauarrus in relect. cap. inter verba pag. 208. nu. 714. & in apolog. de redit. q. 2. mon. 2. & 7.* Rationes pro eadem adductæ videntur ſatis efficaces; nihilominus ad clarius roborandum aſſertum placet eas intimiùs penetrare, & ab obiectis *Petri à Nauarra d. lib. 2. c. 2. n. 13. & aliorum* vendicare; & primò ſuppono cum *D. Thoma 2. 2. q. 58. art. 10.* iuſtitiam ad differentiam aliarum virtutum reſpicere mediū rei, dum aliæ virtutes reſpiciunt dumtaxat medium rationis, quod eſt id, quod ſub alijs terminis dicebatur in prima ratione ſecundæ opinionis, ſcilicèt alias virtutes à iuſtitia non reſpicere directè, & principalitèr actus exteriores, quos tamen directè, & principalitèr reſpicit ipſa iuſtitia. Quo modo autem ſumendum ſit medium rei, dic pro quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad perſonam exteriorem ſumi, adeò vt vnà perſona tantum habeat, quantum habere debet, & alia perſona, quæ plus habet reddat alteri, quæ minus habet, quam habere debeat, id quod plus habet; qua ſuppoſita do-

Digitized by Google

doctrinâ ſic probo reſponſionem; cæteræ virtutes, cum reſpiciant ſolummodò medium rationis, perficiunt ſolummodò ſubiectum in ordine ad ſe; iuſtitia verò, cum reſpiciat medium rei, perficit ipſum in ordine ad alterum, cum quo conſtituenda eſt æqualitas; ergo ex læſione præcisè aliarum virtutum à iuſtitia non oritur obligatio reſtitutionis;

6 *Soluuntur rationes oppoſitæ.* Neque releuant ea, quæ aduerſus hanc rationem obijcit *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 2. nu. 13.*, nempè, quod aliæ etiam virtutes directè verſentur circa actus exteriores, vt videre eſt in virtute Religionis; quæ ex D. Thoma, aliorumque communiori ſententia in hoc differt à virtutibus Theologicis; quod iſtæ cultum Deo exhibent internum; illa verò non niſi externum; item in virtute temperantiæ, quæ verſatur circa actus externos, puta circa ieiunium, aliaſque carnis macerationes. Rurſus, nec verum videtur, quod iuſtitia verſetur directè, & principalitèr circa actiones exteriores, cum omnis virtus moralis conſiſtat in actu voluntatis; Non, inquam, releuant, quia, licet reſpiciant actus exteriores, referuntur tamen ad perficiendam ipſam perſonam operantem, hocque reſpiciunt tanquam vltimum finem, quod non militat in virtute iuſtitiæ rigoroſè ſumptæ, quæ vltimato reſpicit alterum, cum quo conſtituenda eſt æqualitas. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, quod, quamuis iuſtitia, tanquam virtus moralis conſiſtat in actu voluntatis, & ſubiectiuè in eadem voluntate recipiatur, terminatiuè tamen referatur ad æqualitatem conſtituendam cum altero, quæ eſt formalis ratio diſtinguens iuſtitiam à cæteris virtutibus.

---

§. V.

An quis teneatur alteri de damno, quod intulit præter intentionem.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Rationes ſuadentes teneri. 2.
Si damnificans adhibuit omnem diligentiam, ne noceret, & nocuit, non tenetur ad aliquam compenſationem. 3.
Qualis debeat eſſe talis diligentia. 4.
Non eſt neceſſe, vt defectus ille diligentiæ ſit cum culpa læthali. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 6.

DIſquiſitio V. Venator quidem percurens campos, & nemora arbitrans feram occidere occidit hominem; quem certè non occidiſſet, ſi cognouiſſet, hominem eſſe. Rurſus arbitrans lupum occidere occidit alterius venatoris canem venationi aptiſſimum, quem Dominus plurimi faciebat. Rurſus quis deferebat lucernam ſuam accenſam ad aliqua ſua negotia obeunda, qua inopinato domus aliena combuſta eſt. Hic orta fuit controuerſia, an in omnibus allegatis caſibus teneretur, qui ſic inopinato damnum intulit, illud compenſare. 1 *Facti expoſitum.*

Videtur abſolutè aſſerendum, quod, quantumuis præter intentionem damna illa intulerit, teneatur ad illorum compenſationem. Ratio multiplex eſſe poteſt. Prima, quia ad onus reſtitutionis, ſeu compenſationis non attenditur voluntas nocendi, ſeu lædendi, ſed ipſa læſio, ſeu nocumentum illatum; vndè, ſi quis voluntatem haberet lædendi, & actu non læderet, ad nullam reſtitutionem, ſeu compenſationem teneretur; voluntas igitur requiritur ad contrahendam noxam; ad onus verò reſtitutionis ſufficit actualis læſio. Secunda, quia onus reſtitutionis erga læſum oritur ex ipſa læſione, ſeu damno illato; æquè autem reſpectu læſi eſt damnum, ſiue fuerit ex læſione culpabili, ſiue inculpabili. Tertia, quia ſi animal alicuius, vel ſeruus ſine culpa Domini alteri damnum intulerit, puta ſata paſcendo, vel conterendo ſegetes, vel alterius animal occidendo tenetur Dominus ipſe tale damnum reſarcire *§. vlt. inſtit. de noxal. act. & l. 2. & l. ſi ſeruus ff. eod. & c. fin. de iniur., Antonius Gomez tom. 3. opuſ. c. 3. nu. 20., Paludanus in 4. diſt. 15. qu. 2. art. 2. concl. 5., Gabriel in 4. diſt. 15. q. 14. dub. 2. & q. 15. dub. item 2.* Nihilominus 2 *Rationes ſuadentes adhuc teneri.*

Aduerte, an ille, qui talia damna intulit, intulerit ex caſu, quem humana ſolertia non potuerit præcauere, qua ratione dicitur omninò inopinatus, an ex caſu, qui potuerit præuideri, & humana ſolertia euitari. Rurſus, ſi ex caſu, qui potuerit præuideri, & vitari, an damnificans adhibuerit eam diligentiam, quam adhiberet in ordine ad res ſuas conſeruãdas, vel talem diligentiam non adhibuerit. Rurſus, an ſi interuenerit aliqua culpa ex parte damnificantis, an talis culpa fuerit læthalis, & an venialis, & ſi venialis, an hæc inducat onus reſtitutionis ſub læthali. *Damna, vel fuerũt ex caſu inopinato, vel ex aliqua culpa.*

Reſpondeo primo; ſi damnificans omni adhibita diligentia, ne noceret, præter ſui intentionem nocuit, non tenetur verſus læſum ad aliquam reſtitutionem, vel compenſationem *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 8., & ibi Caietanus, Mercatus tract. de reſti-*

Digitized by Google

3 Si adhibuit omnẽ diligẽtiã, ne noceret non tenetur.

tut. c. 5., *Medina C. de reb. reſtit. q. 7. verſ. ſed obuèr*, *Coaruuias in clement. ſi furioſus c. 1. §. 4. nu. 1.*, Ratio ex eo deducitur, quia Dominus de damno illo illato non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus, cum vellet id, quod alter non poteſt euitare, ergo, cum non interueniat iniuria alteri voluntariè intenta, nõ poterit eſſe onus reſtitutionis; vndè merito D. Auguſtinus ad Publiolam ſcribens Epiſt. 154. dicit, *non eſt mortis alienæ reus, qui, cum ſuæ poſſeſſioni murum circumduxerit, aliquis ex ipſorum vſu percuſſus intereat*, quod non alia ratione aſſeruiſſe arbitrandus eſt Auguſtinus, niſi quia inopinatè, & præter intentionem eius, qui circumduxit murum, euenit illius interitus. Confirmatur primo *ex c. ſi quis de iniur.*, vbi ſic dicitur, *Si quis damnum intulerit, vel aream cuiuſque incenderit voluntariè, ſublata, & incenſa reſtituat*, ergo ſi voluntariè damnum non intulit, nec accendit, non tenebitur ablata, vel incenſa reſtituere argumento à contrario ſenſu deducto. Confirmatur ſecundo *ex c. fin. de iniur.*, vbi ſic dicitur *Sanè licet, qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videatur, ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui, vt non occideret, de contingentibus nihil omiſit*.

4 Qualis debeat eſſe talis diligentia.

Reſpondeo ſecundo. Diligentia, quam debet quis adhibere, ne teneatur ad reſtitutionem ob damnum inuoluntariè illatum, debet eſſe talis, qualem prudens homo ſolet adhibere in ordine ad res ſuas, ne pereant. Ratio ex eo deducitur, quia, quando quis ex officio, vel ex contractu, vel quia res ſolummodo cedat in incommodum ipſius, non tenetur ad ſeruandas res alienas, non tenetur maiorem diligentiam adhibere erga illas, ac vir prudens regularitèr ſoleat adhibere erga res proprias, ergo, ſi adhibuerit illam diligentiam, quam alij prudentes adhibent ad conſeruationem rerum ſuarum, non tenebitur ad reſtitutionem, ſi euenerit interitus rei alienæ. Hinc in particulari, ſi quis circumferens cãdelam, vel lucernam accenſam per loca, ad quæ tranſit ad ſua negotia peragenda illam cautelam adhibeat, quam adhibent prudentes homines, dum tranſeunt per ſua loca, non tenebitur ad damni reparationem, ſi quod inde cõtigerit. Ex aduerſo, ſi ſic deferens candelam, vel lucernam accenſam negligentèr reliquerit in loco minus tuto, in quo excitetur incendium, & damnum alteri inferatur, tunc certè non eximitur ab onere reſtitutionis, quia tunc eſt cauſa culpabilis damni. Secundo, ſi quis venator non benè re inſpecta ſclopum exploderit, & pro fera hominem occiderit certè tenetur ad damna, quia eſt cauſa culpabilis ob non diligentem inſpectionem; ſecus, ſi quamcunque diligentiam adhibuerit.

5 Non eſt neceſſe, ad onus reſtitutionis, vt defectus ille diligentiæ ſit cũ culpa læthali

Reſpondeo tertio. Ad hoc, vt ob defectum debitæ diligentiæ teneatur damnificans ad onus compenſationis non eſt neceſſe, vt ille defectus inuoluat culpam læthalem. In hanc reſponſionem propendent nonnulli apud *Petrum à Nauarra lib. 2. de reſt. c. 1. nu 42.*, licet ipſe cum alijs pluribus, quos allegat, inclinet in contrariam ſententiam. Ratio ex eo deducitur primo, quia licet ad inducẽdam obligationem reſtitutionis requiratur in lædente voluntarietas, vel vera, quatenus verè ſit in actu elicito, vel debita, quatenus operans, vel omittens operari debeat præcauere, & non præcaueat, non tamen requiritur plena, & poſitiua deliberatio ad inducendum damnum, ſed ſufficit inconſideratio, ſed ex defectu indeliberationis peccatum ex ſe læthale poteſt eſſe veniale, ergo ſtante illa indeliberatione poterit eſſe tantummodo peccatum veniale, & nihilominus vigere onus reſtitutionis, ſeu compenſationis. Minor probatur, quia, vbi deficit de voluntarietate, diminuitur de malitia; vbi autem eſt indeliberatio, nõ eſt plena voluntarietas, adeoq; &c. Secundo ex diſcrimine, quod cognoſcit Petrus à Nauarra intercedere inter peccatum, vt Theologi loquuntur, ac inter culpam, vt iuriſtæ; nam peccatum apud Theologos eſt deuiatio a ratione recta actus inquit, cui deeſt rectitudo rectæ rationis debitæ in eſſe, & ſic ſemper inuoluit aliquam Dei offenſam; culpa verò apud Iuriſtas eſt deuiatio ab eo, quod bonum eſt, quodq; per hominis prouidentiam, & diligentiam vitari poteſt; vndè non tam dicit defectum rationis, ſed etiam debitæ diligentiæ, ex quo ſequitur, quod hæc non ſemper inuoluat noxam læthalem, cum nullus ſecundum rationem rectam, & legem aliquam obligantem ſub læthali in omni ſua actione teneatur eſſe prudentior; ex culpa autem iuridica, quandoque etiam leui oritur obligatio reſtitutionis, ergo ad inducendum onus reſtitutionis non ſemper ex neceſſitate requiritur peccatum læthale.

Diſcrimen inter peccatum, & culpã iuridicam.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebãtur in principio præſentis diſquiſitionis, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primum fateor, non oriri obligationem reſtitutionis ex ſolâ voluntate lædendi non ſecuta læſione, nego tamen ſemper ex læſione oriri talem obligationem, quando talis læſio reſpectu lædentis non eſt voluntaria, nec iniuſta; hoc exemplificari poteſt in eo, qui bona fide rem alienam conſumpſit arbitrans hanc eſſe ſuam; hic etenim verè læſit eum, cuius res illa erat,

nec

Digitized by Google

nec tamen, ſi ex illa conſumptione non factus fuerit ditior, tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, nonniſi, quia nec obligatur ratione rei acceptæ, cum amplius non extet, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum bona fide poſſederit, & conſumpſerit. Cum igitur in hypotheſi etiam, de qua loquimur, nec amplius res illa extet, nec conſumpſerit voluntariè, ſed omninò præter intentionem, non poteſt iuſtè lædens obligari ad reſtitutionem, & læſus debet imputare proprio infortunio, quod res illa fuerit conſumpta. Idem ferè reſpondeas ad ſecundum. Ad tertium dico, falſum eſſe teneri Dominum animalis, vel ſerui damnum illud illatum ab eodem animali, & ſeruo reſarcire, ſi non fuerit in culpa; non enim iura, & DD. allegati hoc afferunt, ſed tantum dicunt, quod Dominus teneatur tale damnum reſarcire, ſi fuerit cauſa culpabilis, vel animal, & ſeruum deſerere læſo, ſi ipſe Dominus non fuerit in culpa; Si autem inquiras, cur Dominus teneatur deſerere læſo animal, ſeu ſeruum, qui damnificarunt; an hoc proueniat ex iure naturali; an vero ex diſpoſitione præciſè iuris poſitiui? Nonnulli arbitrantur, hoc prouenire ex iure naturali, quandoquidē ex quo animal, vel ſeruus non ſunt liberi, manent naturalitèr obligati ei, quem damnificarunt ad differentiam eorum, qui liberi ſunt, qui non poſſunt obligari, niſi moralitèr ratione ſuæ voluntatis, ſiue iuſtæ, ſiue iniquæ, quæ tamen voluntas iniqua in hac hypotheſi non ſupponitur in domino, qui propterea remanere non debet obligatus; remanet igitur ſolum obligatum, vel animal, vel ſeruus naturali obligatione ſecundum modum ſuæ naturæ pro damno illato. Addunt, quod, ſicuti animal, & ſeruus non ſunt ſui iuris, ſed quidquid in ipſis eſt, eſt Domini, & per conſequens omnis vtilitas, ita, & damnum eiuſdem Domini eſſe debeat, qui per conſequens debet illud, ſeu illum pro damno illato damnificato cedere. Alij è contra ſuſtinent prouenire tantum de iure poſitiuo, & ſuppoſita ſententia, inter quos videtur potiſſimùm eſſe *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 1. n. 35., & ſeqq.*, cum non videat, quomodo res irrationalis poſſit remanere læſo obligata; quod, vt clarius explicet, ſibi confingit, quod tranſeuntem per viam lignum aliquod, vel ferrum, vel aurum è mea domo decidens percutiat, & offendat; & tunc aſſerit, quod ſic læſus nullo modo poſſit ſibi retinere ferrum, vel aurum, à quo læſus eſt; atque hæc extendit ad caſus, de quibus loquimur, quoad animalia, ſeu ſeruos damnificantia, ſeu damnificantes; nec ipſum Petrum à Nauarra terret; quod animal, & ſeruus moueantur à ſe ipſis; inanimantia verò non ſe mouent, ſed mouentur a generante; Non, inquā, terret, quandoquidem parum refert, quod actiuè, vel paſſiuè moueantur in ordine ad damnum, quando ita naturalitèr, & ex neceſſitate operantur, vt dominus non concurrat. Arbitror hanc ſecūdam opinionem probabiliorem eſſe.

Variæ rationes ad illudendū argumentū aduerſantium.

---

§. VI.

An occidens ex ignorantia concomitante aliquem teneatur ad compenſationem damnorum.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens teneri ad compenſationem. 2.
Adhibita diligentia, qua alij eximerentur, & ipſe eximitur. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

1 **Factum in ſuis terminis.**

Diſquiſitio VI. Titius inimicitias habet cum Caio, quem occidere intendit, & procurat. Idem Titius die quadam oblectationis cauſa venationem agreditur, dumque aliquid in loco aliquo dumetis obſito ſibi obuiam videt, arbitratur eſſe feram, adhibitaque omni diligentia ſemper fixum animo hæret eſſe feram; Sclopum explodit, & Caium inimicum occidit. Quæritur hic, an teneatur ad compenſationem omnium damnorum, quæ ex illa occiſione proceſſerunt?

2 **Sententia aſſerens teneri ad compenſationem.**

Mercatus *tract. de reſtitut. c. 5.* arbitratur teneri ad talem compenſationem, quia in hac actione concurrunt omnia, quæ requiruntur ad obligandum ad reſtitutionem; praua ſcilicèt voluntas operantis, cum ſemper intenderit Caium inimicum occidere; & ipſa iniuſta operatio, qua de facto ipſum occidit. Addit, quod ignorantia concomitans inducit excommunicationem, & irregularitatem, vt ſi quis occidat Clericum ex ignorantia inuincibili arbitrans non eſſe Clericum, quem tamen etiam occidiſſet, ſi cognouiſſet, ergo &c. Nihilominus

3 **Adhibita diligētia, qua alij eximerentur, & ipſe eximitur.**

Reſpondeo, quod, ſi talem diligentiam adhibuerit Titius, qualem alius adhibendo eximeretur ab onere reſtitutionis, certè non obligabitur ad reſtitutionem, quantumuis interceſſerit illa ignorantia concomitans. *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 1. n. 61.* Ratio ex eo deducitur, quia ex illa actione ſecundum ſe

ſumpta non oritur onus reſtitutionis, quandòquidem præter omnem intentionem operantis eſt damnificatiua, cum per illam intendat præcisè feram occidere, & omnem diligentiam adhibuerit, ne hominem occideret, ergo neque ex illa, vt coniuncta cum ignorantia concomitante poteſt conſurgere illud onus reſtitutionis. Conſequentia probatur, quia illa ignorantia, ſeu praua voluntas concomitans nullo modo influxit in illam actionem damnificatiuam, ſiquidem actio illa fuit elicita ex animo præcisè occidendi feram, nec voluntas occidendi inimicum ad eandem actu impulit, quantumuis forte impuliſſet, ſi cognouiſſet eſſe inimicum. Confirmatur primò, quia voluntas occidendi inimicum ſecundum ſe non poteſt parere onus reſtitutionis, niſi coniungatur cum actu externo prouueniente, ſeu imperato ab illa praua voluntate, ergo neque praua voluntas concomitans occidendi inimicum poteſt parere talem obligationem reſtituendi, ſeu reparandi damnum, quamuis externa occiſio ſecuta fuerit. Conſequentia probatur, quia, quod cum opere externo occiſionis adſit illa praua voluntas concomitans, non efficit, quod opus illud externum procedat ex illa praua voluntate, cum præcisè fuerit imperatum à voluntate feram occidendi. Confirmatur ſecundo, quia illa voluntas concomitans ſolum dicit, quod, ſi Titius cognouiſſet, quod ille, qui reputatur fera, eſſet inimicus, adhuc occidiſſet, ſed hoc, quod dicit, quod, ſi cognouiſſet, adhuc occidiſſet, nõ dicit, quod actu occiderit ex illa voluntate, ergo ipſa actualis occiſio non eſt refundenda in illam prauam voluntatem.

Praua voluntas nõ influxit in necè inimici.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ pro contraria opinione afferebantur ex Mercato, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam dico, prauam illam voluntatem concomitantem non eſſe ſufficientem ad onus reſtitutionis, nam, quantumuis coniungatur cum actu externo, in illud tamen nõ influit, cum procedat ex diuerſo principio. Ad ſecundum idem reſpondeo quoad effectum excommunicationis, quę non incurritur, niſi ob noxam læthalem, quæ in hac hypotheſi non ſupponitur in illa actione, quantumuis præſupponatur in praua illa voluntate concomitanti occidendi inimicum, ſed illi voluntati pręcisè non eſt annexa excommunicatio, quoad effectum verò irregularitatis poteſt eſſe ſpecialis ratio, cum hæc etiam incurratur ex homicidio caſuali ſine vlla culpa formali.

§. VII.

An ebrius, & dormiens, ſi alium occiderit, teneatur reſtituere.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Se inebrians grauitèr peccat. 2.
Probabilius grauitèr peccat, ſi præuiderit, vel præuidere potuerit illud damnum, ſecus, ſi non præuiderit, nec præuidere potuerit. 3.
Si quis ſua culpa priuatus ſit vſu rationis cum præuiſione futuri homicidij, & occidat, ſit irregularis, ſecus, ſi ſine illa præuiſione. 4.
In caſibus, in quibus præuidere potuit damna, tenetur ad reſtitutionem. 5.

1 Status quæſtionis expoſitus.

DIſquiſitio VII. Caius immoderatè bibens inebriatus eſt, & vino ſopitus in profundum ſomnum procubuit. Contigit, quod vel ante ſomnum captũ ob ebrietatem impos rationis, vel in ſomno ipſo, ſeu dormitione alterum occiderit. Hic multiplex orta eſt difficultas. Prima, an in illa occiſione grauitèr peccarit. Secunda, an contraxerit irregularitatem. Tertia, an teneatur ad compenſationem damnorum, quæ ex illa occiſione prouenerunt.

2 Se inebriãs grauitèr peccat

Grauitèr peccaſſe ſe inebriando nulli dubium, cum ſit contra temperantiam, & per illam actionem obtundantur ſenſus, & lumen rationis peruertatur; Sed, an actiones ſecundum ſe malæ, quæ inde obueniunt, ſint grauitèr peccaminoſæ, id eſt, quod in præſenti controuertitur. Aliqui affirmant, quia, licèt illæ actiones non ſint voluntarię in ſe ipſis, ſunt tamen voluntariæ in cauſa, quæ propterea imputantur eidem delinquenti, qui, ſicuti operam dedit rei illicitę, ità ſit reus cuiuſcunque labis, quæ ex illo opere illicito proueniunt. Alij è contrà ſtatuunt, actiones illas ſubſequentes non eſſe imputandas culpæ ſe inebriantis, cum non prouueniant ex deliberatione animi requiſita ad culpam formalitèr ſumptam, nec poſſunt dici voluntariæ in cauſa, cum non fuerint præuiſæ, vel ante, vel in actu ipſo ebrietatis. Alij tandem procedunt ſub diſtinctione; vel etenim Caius ante ebrietatem præuidit, vel præuidere potuit damna illa, quæ inde ſubſequi poterant, eo quia alias ex hac cauſa obuenerint, & ſic aſſerunt ei imputari ad culpam diſtinctam a culpa ipſa ebrietatis, vel non præuidit, nec rationabilitèr præuidere potuit, quia nunquam in ſimilibus circun-

Sententia aſſerens actiones, quæ inde ſequuntur, eſſe peccaminoſas.

Sententia negans.

Sententia media.

Digitized by Google

cunſtantijs hoc illi contigit, & ſic arbitrantur, non imputari eidem ad culpam diſtinctam ab ipſa ebrietate. Quid igitur in hoc concludendum?

3 Peccauit, ſi præuidit, ſecus non. Reſpondeo probabiliorem eſſe hanc tertiam opinionem, quam ſuſtinet *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 1. n. 61.*, quod ſcilicèt grauitèr peccet occidendo, ſi præuiderit, vel præuidere potuerit, ſecus, ſi nec præuiderit, nec rationabilitèr potuerit præuidere. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia vnuſquiſque tenetur ab eo opere abſtinere, ex quo præuidet, vel rationabilitèr poteſt præuidere damnum alterius, & non abſtinendo voluntarie, & contrà ordinem iuſtitiæ dat cauſam illi damno; nec poteſt dici, quod non abſtinendo vtatur iure ſuo; Non, inquam, dici poteſt, quia ius non habet ad opus ſecundum ſe illicitum, & verè dicimur, id non poſſe, quod licitè non poſſumus, præcipuè, quando illud opus cederet, ſeu præuidetur debere cedere in alterius præiudicium; Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod actiones ebriorum, & dormientium, vtpotè elicitæ ſine exercitio vſus rationis non ſunt liberæ, nec voluntariæ, nec hominis, ergo non inducunt aliquam noxam homini imputandam; Nec obeſt, quod operam dederit rei illicitæ ſe inebriando; Non, inquam, obeſt, quia ex quo non præuidit, nec rationabilitèr præuidere potuit ſecuturum tale damnum non poteſt intelligi tale opus voluntarium, nec in ſe, nec in cauſa, nec omnia, quæ inopinato contingunt ex aliquo opere prauo ſunt imputanda agenti, quando non ſunt coniuncta cum tali opere, nec ex natura ſua, nec ex præcognitione ipſius operantis.

4 Si priuatus eſt vſu rationis cum præuiſione mortis alterius fit irregularis, ſecus non. Reſpondeo ſecundo. Si Caius ſua culpa priuatus ſit vſu rationis cum præuiſione veriſimili futuræ occiſionis, vtique ex illa occiſione euadit irregularis, ſecus, ſi ſua culpa priuatus ſit, non tamen cum illa præuiſione futuræ veriſimilis occiſionis. Prima pars videtur communis, & admittitur ſpecialitèr a Petro à Nauarra *lib. 2. de reſtitutione cap. 1. nu. 75.* Secunda pars eſt *Caſtr. lib. 2. de lege pænali cap. 14. concl. 1.* Prima pars ex eo euincitur, quia irregularitas nedum contrahitur ex homicidio voluntario, ſed etiam ex caſuali, quando procedit ex negligentia operantis, ſeu cauſantis illud homicidium, cum præcipuè inducta ſit ob negligentiam, prout habetur *in cap. quæſitum de pænit.*, *Silvius 2. 2. q. 64. art. 8. concl. 3.*, ſed, quando quis ſua culpa ſe priuat vſu rationis cum præuiſione rationabili futuræ occiſionis, & de facto ſequitur illa occiſio, procedit ex negligentia operantis, ſiquidem ſtante illa præuiſione debebat præcauere ab ebrietate, ergo &c. Secunda pars euincitur *ex clement. ſi furioſus de homic.* cuius textus eam arbitror eſſe rationem, quia non poteſt præſumi negligentia in euitando periculo, vbi non eſt rationabilis præuiſio talis periculi, ergo, cum non adſit talis negligentia, non poteſt præſumi irregularitas, quæ in homicidio caſuali inducta eſt dumtaxat ob talem negligentiam.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac ſecunda reſponſione, æquè intelligenda ſunt de homicidio caſualitèr proueniente ab ebrio, amente, & dormiente, & quamuis *in d. clement. ſi furioſus de homicid.* fiat mentio dumtaxat de amente, & dormiente, qui eximuntur à nota irregularitatis, hoc ex eo prouenit, quia in dormiente, & amente vix contingit homicidium, & præuiſio eiuſdem; cæterum, ſi etiam in ebrio præſuponatur carentia talis præuiſionis non video, cur hic etiam non debeat eximi à tali nota. Idem dic de ebrio, & amēte.

Reſpondeo tertio iuxtà dicta in reſpōſionibus præcedentibus, quod, ſi Caius præuiderit, ſeu rationabilitèr præuidere potuerit futuram illam occiſionem, teneatur damna inde ſecuta reparare, ſecus, ſi non præuiderit, nec rationabilitèr præuidere potuerit. Conſonat cum prædictis. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia Caius per illam actionem intelligitur verè cauſa, & quidem voluntaria ſaltem in cauſa illius occiſionis, & damnorum inde ſubſequentium, & item culpabilis, ergo non eſt, cur non teneatur damna illa reparare, quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia voluntariè non confluit ad illa damna, cum ea non præcognouerit, nec præcognoſcere potuerit, ergo &c. 5 In caſibus, in quibus præuidere potuit, tenetur ad reſtitutionem.

§. VIII.

An impediens fiſcum, vel alios à conſecutione pœnæ pecuniariæ ex delicto teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Factum exponitur in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens teneri ad reſtitutionem. 2.
Sic impediens probabilius non tenetur. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

Diſquiſitio VIII. Deliquerat grauitèr Franciſcus, & ratione delicti iuxtà

1 Factum exponitur in ſuis terminis.

iuxtà diſpoſitionem iuris mulctandus erat per Iudicis ſententiam in graui pœna pecuniaria in fauorem fiſci, vel alterius. Antequam Iudex ferret ſententiam Titius, vel fraude, vel mendacijs ipſum Iudicem auertit a tali ſententia, quantumuis iuſta, & per conſequens fiſcum à conſecutione pœnæ pecuniariæ ob illud delictum debitæ. Orta hic fuit controuerſia, an Titius erga fiſcum teneatur ad reſtitutionem illius pœnæ pecuniariæ, quam impediuit.

2 Sententia aſſerens teneri ad reſtitutionem.

Molina *de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp. 95. n. 36.*, *Laiman in Theologia mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 2. c. 6. num. 4.*, *Sotus de iuſtitia lib. 1. qu. 6. art. 6.*, *Caſtrus de leg. pæn. lib. 2. c. 15.* expreſsè docent ſic impedientem teneri ad reſtitutionem, ad quod aſſerendum duplici ratione mouentur primo, quia nedum impedit ius, quod competit fiſco, ſed etiam modo iniquo, nempè per fraudem, & mendacia. Secundò, quia iuxtà ſuperius dicta, ſi quis per vim, vel fraudem impedierit, ne quis conſequatur legatum, aut quid aliud non debitum, niſi in voluntate donantis, ſeu legantis impediendo ſcilicèt, ne hic leget, aut donet, tenetur ad reſtitutionem, ergo à fortiori, ſi quis impediat fiſcum, ne conſequatur pœnam ex delicto ipſi debitam impediendo per fraudem, & mendacia Iudicem, ne ſententiam condemnatoriam, ſeu declaratoriam proferat, tenebitur ad reſtitutionem. Nihilominus

3 Probabilius non tenetur.

Reſpondeo ſic impedientem non teneri ad reſtitutionem. *Azorius tom. 1. inſtit. mor. lib. 5. c. 8. quæſt. 5.*, *Tannerus in 2. 2. D. Thomæ diſp. 5. q. 6. dub. 2. n. 76.*, *Diana part. 3. tract. 6. reſol. 35.*, *Sanchez in ſumma tom 1. lib. 2. c. 22. n. 22.*, *Carbonius de reſtit. qu. 31. concl. 5.*, *Salonius in 2. 2. D. Thomæ q. 62. controu. 2. art. 3.*, *Nauarrus in ſumm. c. 18. n. 49.* Ratio ex eo dedecitur, quia huiuſmodi pœna pecuniaria non eſt debita fiſco ante ſententiam condemnatoriam, vel declaratoriam *Gloſa communitèr recepta in c. fraternitas 12. q. 2.*, *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 3.*, ergo, ſi principalis delinquens ad eam pœnam non tenetur, niſi poſt Iudicis condemnationem, nec tenebitur impediens; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſic impediens peccet contrà iuſtitiam impediendo media, per quæ fiſcus legitimè procedit ad conſequendum finem, nempè pœnam pecuniariam, adeòque, quod non eximatur à tali reſtitutione; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſemel dato, quod talis pœna non debeatur ante ſententiam, impedimentum illius ſententiæ non eſt cauſa ſufficiens ad obligandum ad reſtitutionem, cum ratio obligans ad pœnam ſit delictum non quomodocunque, ſed poſt ſententiam, qua propterea non poſita, ex quacunque cauſa id proueniat, non eſt in fiſco ius aliquod ad pœnam. Confirmatur, quia, ſi ipſe delinquens per fraudem, & mendacia impediat ſententiam contrà ſe ipſum iuſtè ferendam, non tenetur ad pœnam, cui ratione ſententiæ deberet ſubeſſe, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neque, ſi altèr ab ipſo, vt ipſi gratum faciat, impedierit talem ſententiam, non tenebitur ad reſtitutionem talis pœnæ, ſiquidem deobligato principali ob talem cauſam ab onere ſolutionis non eſt, cur ex eadem cauſa non ſit deobligandus minus principalis, & acceſſorius.

Pœna non eſt debita fiſco ante ſententiã.

Corrollaria ad dicta.

Corrollariè ad hæc dicta multos caſus in particulari referunt *Tannerus, & Diana loc. cit.*, in quibus impedientes ſententiam non obligantur ad reſtitutionem, quantumuis hoc præſtent per vim, fraudes, & mendacia, quos caſus tu recole apud eoſdem.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad rationes aduerſantium nunc reſponde, & quidem ad primam dic, quod ius, quod habet fiſcus, non ſit, niſi in pœnam, quæ ante ſententiam non eſt illi debita, & ſic, quouſque ſententia illa non fuerit ſecuta, nullum penitus ius habet, ex quocunque titulo, vel cauſa non ſequatur illa ſententia, & licèt impediens per fraudem, vel mendacia peccet fraudando, vel mentiendo, non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia non adhuc extat titulus, ratione cuius illa pœna debeatur. Ad ſecundam dic, diſparem omninò eſſe rationem, quia vnuſquiſque ius habet, vt vel per ſe ipſum, vel per alium ſe ſubtrahat à pœna, & impediat ea, quæ requiruntur ad pœnam ſubeundam, non autem ius quis habet, vt impediat bonum, ad quod altèr ius habet in voluntate volentis conferre. Deindè, cum hic verſemur in pœnalibus, & odioſis, debemus ſtrictè procedere, ità vt non intelligatur pœna debita, niſi poſitis omnibus conditionibus ad ipſam requiſitis; in caſu autem impedimenti ad conſecutionem legati verſamur in fauorabilibus, ad quæ quis ius habet, ne per vim, fraudem, & mendacia impediatur.

Digitized by Google

§. IX.

An cuſtodes negligentes accuſare reos, quibus impoſita eſt mulcta, teneantur ipſi eandem ſoluere.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu accipiendus ſit titulus. 1.
Sententia obligans huiuſmodi cuſtodes ad ſoluendum de ſuo. 2.
Non tenentur cuſtodes huiuſmodi mulctas perſoluere. 3.
An teneantur vectigalia non ſoluta perſoluere ſatisfit cum diſtinctione. 4.

1 Facti ſeries expoſita. DIſquiſitio IX. Impoſita eſt per publicam poteſtatem pœna aduerſus eos, qui certas merces exportant, aut important in ciuitatem, & gabellas non ſoluunt, hæcque pœna eſt pecuniaria. Cuſtodes deſtinati ad inueſtigandum, denuntiandum, & accuſandum delinquentes diſſimulant, nec accuſant. Oritur hic ratio dubitandi, an iſti teneantur ad mulctam perſoluendam, quam ex ipſorum incuria ad perquirendum, & denuntiandum delinquentes non perſoluerunt. Memini de hac difficultate me alibi diſputaſſe. Nihilominus vberioris doctrinæ gratia placet nonnulla etiam hic innuere.

2 Sententia obligans ad ſoluendum de ſuo. Petrus à Nauarra *lib. 3. de reſtit. cap. 4. nu. 142., Salonius in 2. 2., D. Thomæ qu. 62. art. 7. contron. 5.* ſuſtinent cuſtodes ſic negligentes teneri ex ſuo ſoluere. Rationem ex eo deducunt, quia ex quo huiuſmodi cuſtodes ſtipendium accipiunt in ordine ad vices dominorum obeundas, ne fraudentur in inuehendis, & transferendis mercibus tenentur eorundem dominorum commoda procurare, ergo, ſi negligant munus exercere non denuntiando, nec accuſando, tenebuntur ex ſuo damna illa dominis compenſare.

3 Non tenentur de ſuo mulctas illas perſoluere. Reſpondeo tamen non teneri huiuſmodi cuſtodes mulctam illam ex ſuo perſoluere *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 13. dub. 10. n. 73., Nauarra in man. c. 25. n. 34. Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 5. & alij.* Non moueor ea ratione, quia pœnæ non debeantur ante Iudicis ſententiam, quia hic non agitur de pœna præciſè, ſed de damno dato, vel commodo contrà officium neglecto. Moueor igitur ea ratione, quia huiuſmodi cuſtodes conducti quidem intelliguntur ad vectigalia procuranda, non autem ad mulctas inquirendas, & ad vitanda quidem damna, non autem, vt gabellarij ditentur mulctis, ergo non tenentur huiuſmodi mulctas ex ſuo perſoluere, ſi non denuntient, neç accuſent. Neque dicas, quod ex eorundem cuſtodum negligentia huiuſmodi damna dominis oriantur; contrà enim impugnaberis, quia negligentia attendenda eſt in ordine ad ea, ad quæ huiuſmodi cuſtodes fuerunt conducti, non verò in ordine ad ea, quæ ſunt extrà eorum officium; neque leges pœnales, & commiſſoriæ ſunt inductæ, vt principales gabellarij mulctis, & pœnis ditentur, ſed vt leges ſeruentur, & ſubditi Principum iuribus ſubiaceant.

Sed, an ſaltem huiuſmodi cuſtodes ſic omittentes accuſare, & denuntiare, teneantur vectigalia, quæ inuehentes, & transferentes non perſoluerunt, perſoluere, maius eſt diſſidium inter DD. nam aliqui arbitrantur abſolutè non teneri, ex quo ipſi inuehentes, & transferentes non tenentur perſoluere, cum poſſint ſe exponere pœnis commiſſi. Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim huiuſmodi cuſtodes in inuectione, & translatione eam diligentiam adhibuerunt, quæ in ſimilibus ſolet adhiberi, nec conſcij fuerunt alicuius deceptionis ex parte inuehentium, & transferentium, vel eam diligentiam omiſerunt, & conſcij deceptionis non inquiſierunt. Si primum afferatur, arbitror non teneri ex ſuo vectigalia illa perſoluere, quia exactores in rebus ità odioſis non tenentur ſummum ius dominorum curare, præcipuè cum gabellarij conducant ius gabellarum minori pretio, ac in ſe valeat eo intuitu, quod gabellæ ſæpius defraudentur; & vſus iam inualuit, vt vbi non eſt apparens ſuſpicio fraudium gabellæ, non exigantur; Si ſecundum afferatur probabilius eſt, quod teneantur ex ſuo perſoluere; nam fuerunt ad hoc munus conducti, & tenentur eam diligentiam adhibere, quæ ſolet in huiuſmodi officio adhiberi. Regularitèr autem cuſtodes adhibent hanc diligentiam inquiſitionis, quando non ſolum ſunt conſcij fraudium, ſed etiam de eiſdem ſuſpicantur. 4 An teneatur vectigalia non ſoluta perſoluere.

§.X.

Digitized by Google

§. X.

Vtrum damnum irrogatum per mancipium, vel animal tuum ſit compenſandum, vel per traditionem mancipij, ſeu animalis, vel per equiualens ante Iudicis ſententiam.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Inſpecto præciſè iure naturæ non tenetur Dominus ante ſententiam tradere animal, ſeu mancipium in poteſtate damnificati. 2.
Idem dic attento etiam iure poſitiuo. 3.
Læſus in iudicio poteſt petere animal, quod læſit, etiam ſi tranſierit ſub alterius poteſtate. 4.

1 Expoſitio caſus.

DIſquiſitio X. Dictum fuit in præcedentibus, quod ſi animal alicuius, vel ipſius ſeruus damnum intulerit in alterius grege, vel agris teneatur Dominus, vel damnum compenſare, vel mancipium, ſeu animal in poteſtate damnificati dimittere per textum *in §. ult. inſtit. de noxal. act. & l. 2. & l. ſi ſeruus ff. eod. tit.* Modo quæritur, an Dominus animalis, vel mancipij teneatur eadem dimittere læſo ante ſententiam Iudicis?

Hæc difficultas poteſt diſcuti, vel inſpecto præciſè iure naturæ, & ſecluſo quocunque iure poſitiuo; vel ſpectato iure poſitiuo.

2 Attento præciſè iure naturæ non tenetur tradere ante ſententiã.

Reſpondeo primo attento præciſè iure naturæ, & ſecluſo quocunque iure poſitiuo non tenetur Dominus dimittere animal, ſeu mancipium in poteſtatem damnificati ante Iudicis ſententiam, nec damnum compenſare *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. dub. 17. nu. 117.* Ratio ex eo deducitur, quia Dominus non tenetur ratione rei acceptæ; nec ratione iniuſtæ acceptionis; non ratione primi, quia res illa non amplius extat, nec apud Dominum, nec apud alios; non ratione ſecundi, quia Dominus non ſupponitur fuiſſe in culpa, nec concurriſſe ad illud damnum; Neque dicas, teneri ratione animalis damnificantis, quod naturali obligatione ex illa damnificatione intelligitur obligatum; contrà enim impugnaberis, quia ad ſummum dici poteſt naturalitèr obligatum, prout ly *naturalitèr* contradiſtinguitur ab obligatione libera, quæ contrahitur ex propriæ voluntatis arbitrio, non prout importat obligationem ab ipſa natura inductam; vndè merito docent DD., quod mancipium ipſum poſſit ſe abſcondere, & fugere, ex quo ſequitur, quod nec Dominus de iure naturæ teneatur illud tradere, quia obligatio Domini eſt ſecundaria ad obligationem ſerui, & per conſequens, ſi ſeruus de iure naturæ non tenetur ſe tradere læſo, nec Dominus illi ipſum tenetur de iure naturæ dimittere. Vide, quæ tradidimus ſupra *ſub hoc eodem tit. de Reſtitutione I. Diſq. 1. §. V. ad finem.*

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ille, qui læſus eſt, poſſit iure naturæ compenſare ſibi damnum in re, quæ læſit, ſi præter ſe ipſam illa nihil aliud habeat, ergo Dominus de iure naturæ tenetur rem illam tradere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia falſum omninò eſt aſſumptũ; ſi etenim ſtatua in portticu meo appoſita decidens prætereuntem offendat non poteſt ille de iure naturæ eam ſibi detinere; Deindè eſto, quod ille poſſit ſeruum ſibi detinere de iure naturæ, non tamen ex hoc ſequitur, quod Dominus de iure naturæ teneatur illam tradere læſo, cum ſeruus poſſit effugere.

Reſpondeo ſecundo. Neque inſpecto iure poſitiuo tenetur Dominus dimittere ſeruum, vel animal ante Iudicis ſententiam. Conſentit *Leſſius loc. cit. num. 118., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 1. n. 38., & alij.* Probant aliqui, quia leges de hoc diſponentes ſunt pænales, quæ propterea non debentur, niſi poſt ſententiam; ſed hanc rationem merito impugnat *Leſſius loc. cit.*, quandòquidem excludunt omnem culpam, ſeu ſupponunt non interuenire ex parte dominorum. Ratio igitur eſt, quia huiuſmodi leges videntur pertinere ſolummodò ad forum externum, & ſolummodò diſponere quid in Tribunalibus Iudices debeant decernere, & iudicare; ſæpè etenim Iudices auctoritate legis decernunt per ſententiam aliquam reſtitutionem, quæ ante ſententiam non erat debita. Hæc ferè ad verbum colligo ex eodem *Leſſio loc. cit.* 3 Idem dic attento etiam iure poſitiuo.

Neque obeſſe poteſt textus *in cap. fin. de iniur.*, vbi expreſsè inſinuatur obligatio etiam ante condemnationem, ſeu ſententiam; ibi enim dicitur: *Quod ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi ea dando paſsis damnum velis liberare te ipſum*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi textus intelligendus eſt, quando læſus ageret in iudicio ad ſatisfactionem, nam, tunc Iudex debet iudicare, quod animal, ſeu mancipium eidem læſo ſit tradendum, vndè ſubditur, niſi ea dando damnum paſſis velis liberare te ipſum, nempè ab impetitione actoris.

Hic

Digitized by Google

4 Læſus poteſt agere ad animal repetendum, etiã ſi tranſierit ſub alterius poteſtatem. Hic oritur difficultas, an, ſi animal, vel ſeruus poſt damnum datum in alterius bonis cæperit deſinere eſſe ſub poteſtate Domini, adhuc actio competeret læſo repetendi idem animal, ſeu mancipium ab eo, in cuius poteſtatem venerit. Reſpondẽdum eſt affirmatiuè, prout colligitur *ex toto tit. inſtit. & ff. de noxal. act.*, quandòquidem ſemper tranſit cum vitio; ex quo etiam fit, vt ſi ſeruus, qui damnum alteri intulit, manumittatur, poſſit læſus ipſum conuenire vt liberum, & ſi vendatur à Domino, poſſit actio intentari à læſo contrà eundem emptorem; Verum tamen eſt, quod Dominus in venditione debet emptorem certiorare de vitio, cui eſt obnoxium animal, cæteroqui venderet cum inæqualitate, & contra iuſtitiam, & in quocunque euentu in fauorem eiuſdem emptoris teneretur de euictione.

§. XI.

An, ſi filius familias alium occiderit, vel in alterius bonis damnum intulerit, teneatur Pater damna reparare.

SVMMARIVM.

Proponitur factum in ſuis terminis. 1.
Ratio ſuadens Patrem teneri. 2.
Pater non tenetur ex delicto filij damna compenſare, vel filium noxæ tradere, ſi Pater non concurrerit. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

1 Facti ſeries expoſita. DIſquiſitio XI. Titius filius familias Pauli iuuenili ardore percitus, vel occidit Caium, vel in eius bonis damna plurima intulit. Quæſitum hic fuit, an Paulus ipſius Pater teneretur, vel damna reſarcire, vel filium noxæ dedere, ſi ipſe non contulerit ad tale homicidium, vel ad talia damna.

2 Ratio ſuadens Patrem teneri. Videtur abſolutè aſſerendum, teneri, vel damna reſarcire, vel filium tradere, eo quia filius eſt ſub ipſius poteſtate non minus, ac ſeruus, cum naturali quodam iure filius ſit Patri ſubiectus, & ſeruus Domino, nonniſi de iure gentium, & poſitiuo; item quia, ſicuti quidquid vtilitatis acquirit filius, acquirit Patri, ità quidquid damni infert, in Patrem inferre cenſendus eſt. Nihilominus

3 Pater non tenetur damna compẽſare, nec filium tradere. Reſpondeo, Patrem ex delicto filij non teneri, vel damna, quæ inde emanarunt, reſarcire, vel filium noxæ tradere, ſi delictum illud abſque culpa Patris fuerit commiſſum *Silueſter verb. reſtitutio 2. verſus finem, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. dub. 17. n. 121.* Expreſsè colligitur *ex §. vltim. Inſtit. de noxal. act.*, & ratio ex eo deducitur, quia æquum non videtur, vt nequitia filij imputetur Patri, qui nullo pacto ad eandem concurrit; neque obſtat, quod filius ſit ſub poteſtate Patris, & ſub gubernio eiuſdem, ad quem propterea ſpectat ipſum dirigere; & ſicuti imputatur ad gloriam Patris filius ſapiens, ita ad opprobrium, & noxam Patris imputanda videtur inſipientia filij in peccatis ab eodem commiſſis; Non, inquam, obſtat, quia, quantumuis filius ſit ſub poteſtate Patris quoad gubernium, & politicam gubernationem, & directionem, non tamen actiones liberæ eiuſdem filij imputandæ ſunt Patri, quando Pater, nec ad eaſdem directione concurrit, nec eas præcauere potuit, nec impedire; quod, ſi ad gloriam Patris imputatur, quod filius ſit ſapiens, hoc eſt ex præſumptione, quod Pater eum rectè, & laudabilitèr educauerit, & per exempla, & ſuaſiones honeſtas ad ſapientiam atraxerit, & ſecundum hanc rationem è conuerſo dici poteſt, quod inſipientia filij ſit opprobrium Patris, ſi hic non rectè educauerit, & per malas actiones ad malum quodamodò atraxerit. Cæterum in ordine ad operationes, quæ proueniunt ex libera voluntate filij, quaſque Pater non poteſt impedire, non eſt, cur eidem Patri ſit imputandæ. Actiones liberę filij nõ imputantur Patri.

Probatur iam, quod non teneatur noxę filium tradere, quia ex vna parte Pater non habet dominium ſupra corpus filij, cum hoc ſit liberum; ex alia valdè impium, & aſperum videtur, & iuri ſanguinis repugnans, quod compellatur corpora ſuorum liberorum prodere. Confirmatur, quia filius familias delinquens poteſt pro ſuis delictis conueniri, & in ordine ad hoc habetur, tanquam liber, & capax dominij *§. vlt. Inſtit. de noxal. tit.*, ergo non eſt, quod pater innocens contrà ius ſanguinis teneatur noxæ dedere. Pater non habet dominiũ ſuper corpus filij.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, patet ex dictis quid reſpondendum, & quidem non eſſe filium ſub poteſtate Patris æquè, ac ſeruus ſit ſub poteſtate Domini; nam filius eſt ſolummodò ſub poteſtate Patris quoad vim directiuam, & politicam gubernationem; ſeruus autem eſt ſub poteſtate Domini quoad omnia; vndè verificatur quidem, quod quidquid acquirit ſeruus, pleno iure acquirat Domino, non autem verificatur, quod quidquid acquirit filius, pleno iure acquirat Patri, nam quoad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia acquirit ſibi, & quoad aduentitia acquirit ſibi 4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Digitized by Google

quoad proprietatem, & ſolum Patri quoad vſumfructum; nec valet id, quod ſubditur, nam in primis verum non eſt, quod quidquid vtilitatis acquirit filius, acquirat Patri, cum ad ſummum acquirat quoad vſumfructum, & adminiſtrationem non quoad proprietatem. Deindè hoc etiam dato, eſt in ordine ad compenſationem oneris, quod habet Pater ad alendos filios, ex quo propterea non ſequitur, quod teneatur damna ex delicto filij ſubire.

§. XII.

An Chriſtiani Turcarum captiui poſſint ob eiſdem abſque iniuſtitia ſurripere bona.

SVMMARIVM.

Series facti expoſita. 1.
Rationes ſuadentes non poſſe bona infidelium ſurripere. 2.
Fideles captiui ex tacito Principis conſenſu poſſunt ob plurimas cauſas bona infidelium ſurripere. 3.
Poſſunt vectigalia contra fideles impoſita fraudare. 4.
Non ſolum mancipia, ſed quilibet fidelis hoc poteſt praſtare. 5.
Soluuntur obiecta aduerſantia. 6.

1 *Factum in ſuis terminis.* DIſquiſitio XII. Piratæ Turcarum, aliorumque infidelium percurrentes litora Chriſtianorum plurimos in ſeruitutem redigerunt, ſuaſque in regiones tranſtulerunt. Hic quæſitum fuit, an huiuſmodi captiui poſſent abſque labe iniuſtitiæ tam à Dominis particularibus, ſub quorum poteſtate detinentur, quàm ab alijs eiuſdem Religionis, & infidelitatis bona ſurripere?

2 *Rationes ſuadentes non poſſe ſurripere.* Videtur abſolutè aſſerendum, non poſſe, eò quia præceptum de non furando naturale eſt ſuppoſita diuiſione dominiorum inducta de iure gentium, quod propterea non reſtringitur ad ſolos Chriſti fideles, ſed ad omnes extenditur, quinimmò, etiam ſi eſſet præcisè diuinum, & prohibitum in ſeptimo legis præcepto, non furaberis, omnes afficeret, cum Deus ſit Dominus proprietatis, & iuriſdictionis in ordine ad omnes, & reſpectu omnium, & ſi ſemel admitteremus, quod liceret bona infidelium diripere, de facili confunderentur dominia, quorum non ſunt incapaces infideles. His tamen non obſtantibus

3 *Poſſunt ex pluribus cauſis de conſéſu tacito Principis ſurripere.* Reſpondeo. Fideles captiuos apud Turcas ex tacito Principis fidelis conſenſu, cuius ſunt ſubditi, poſſe accipere nedum à Dominis particularibus infidelibus, ſed etiam ab alijs eiuſdem Religionis, ſeu infidelitatis aſſeclis, quantum ſufficit ad congruam compenſationem pro iniuria captiuitatis, mercede ſeruitutis, pro damno emergente, priuatione bonorum ob abſentiam à patria, & pro redemptione. *Albertinus rub. de haret. in 6. qu. 8. n. 9. & Theologi plurimi in Congreg. de propag. fid. apud Peirinum priuileg. minim. tom. 3. tract. 4. n. 29., Molina de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp. 37. n. 1.* Ratio ex eo deducitur primò, quia Turcæ ſunt hoſtes publici, & Chriſtianorum bona tirannicè poſſident, aduerſus quos propterea Principes Chriſtiani ius habent geredi bellum iuſtum, ergo accedente eorundem Principum conſenſu Chriſtiani apud eoſdem captiui poterunt bona illa ſurripere &c. Secundò, quia huiuſmodi ſurreptiones non ſunt furta, ſed compenſationes, iuſtę mercedes, & legitimæ defenſiones, ergo non eſt, cur non ſint licitæ.

4 *Poſſunt vectigalia contra fideles impoſita fraudare.* Amplia primò, vt extendatur quoad vectigalia a Turcis in ordine ad Chriſti fideles impoſita, adeò vt fideles abſque labe iniuſtitiæ poſſint fraudare, prout docet *Sanchez opuſ. tom. 1. lib. 2. c. 4. dub. 5. n. 38.*, impoſitio etenim huiuſmodi vectigalium iniuſta eſt, quæ propterea non poteſt obligare.

5 *Non ſolū mancipia, ſed quilibet fidelis hoc poteſt præſtare.* Amplia ſecundò, vt non ſolum extendatur ad mancipia Chriſtianorum apud Turcas, ſed etiam ad quemlibet Chriſtianum, prout docet *Molina tom. 1. tract. 2. diſp. 37. nu. 1.* propter eam rationem, quod Turcæ tirannicè poſſideant bona Chriſtianorum; nec in hoc ambigendum eſt de tacito conſenſu Principum, cum agatur de rebus tirannicè poſſeſſis.

6 *Soluuntur rationes oppoſitæ.* Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur; non enim in hoc interuenit furtum, ſed compenſatio, ſeu ſolutio tirannicæ vſurpationis, quæ nec de iure Diuino, nec humano eſt vetita, vnde hæc non comprehenditur ſub ſeptimo Decalogi præcepto. Dici etiam poteſt, quod acquirant illa bona ex iuſto titulo belli ſic præſumptiuè conſentientibus Principibus, vt debiliores fiant vires infidelium, & licet regularitèr loquendo non fiat acquiſitio iure belli, niſi in actu belli, nihilominus, vbi agitur de infidelibus, qui tirannicè vſurpant, & poſſident bona à fidelibus ablata, non eſt curandum de conſenſu Principum quoad modum, cum ſufficiat præſumptus eorundem conſenſus quoad ſubſtantiam.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

An homicidia Chriſtianorum facta à Turcis in Mari remigibus Chriſtianis poſſint iuſtè eiſdem remigibus imputari.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Sententia aſſerens Chriſtianos remigantes peccare lathalitèr. 2.
Sententia negans peccare lathalitèr. 3.
Si vno ceſſante cæteri remigarent, & damnum ſine illo ſequeretur, ille non peccaret. 4.
Si vno deſiſtente cæteri deſiſterent, & inde grauius damnum fidelibus immineret, teneretur non deſiſtere. 5.

1 Exponitur facti in ſuis terminis.

DIſquiſitio XIII. Per Piratas Turcarum capti fuerunt nonnulli fideles, & damnati ad remigandum in eorum Triremibus; cumque triremes huiuſmodi mare percurrerent in occurſum, & perniciem Chriſtianorum, obuias habuerunt nonnullas ipſorum naues, quas vt ſuæ poteſtati ſubigerent Turcæ compulerunt eoſdem captiuos remiges Chriſtianos flagris, & metu mortis ad fortius remigandum, quo contigit, vt eaſdem naues Chriſtianorum attingerent, & plures ipſorum perimerent, quod fortè non contigiſſet, ſi non ità concitatè remigando triremes Turcarum compuliſſent. Quæſitum hic fuit, an huiuſmodi fidelium homicidia, & damna patrata à Turcis ſint imputanda eiſdem remigibus Chriſtianis captiuis, adeò vt eorundem conſtituantur rei.

2 Sententia aſſerens eos peccare læthalitèr.

Hæc difficultas examinari poteſt, vel ſpectato præcisè ordine charitatis, vel inſpecto ordine iuſtitiæ? Nauarrus *in manual. c. 17. nu. 63.* ſuſtinet eos peccare læthalitèr ducendo remos, quando contra Chriſtianos agitur, & potius teneri mortem oppetere, quam ſic remos ducere, ſed non exprimit, an huiuſmodi peccatum ſit contra iuſtitiam, an verò ſolummodò contrà charitatem.

3 Sententia negãs peccare læthalitèr.

Leſſius verò *lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. dub. 18. n. 122. & 123.* ſentit, nec peccare contrà iuſtitiam, nec contrà charitatem, niſi in certa hypotheſi, qua quis ſuo exemplo poſſet alios remouere à remigando, & ſic auertere maximam Chriſtianæ Reipublicę perniciem. Rationem primæ partis ex eo deducit, quia Remigatio ex natura ſua non eſt actio contrà iuſtitiam, nec pernicioſa Chriſtianæ Reipublicæ, ſicuti, nec aurigatio, ergo vrgente graui periculo mortis per minas, & percuſſiones Turcarum non peccabunt captiui Chriſtiani remigantes contrà iuſtitiam. Conſequentia probatur, quià nec illo actio ex natura ſua influit in illud Chriſtianorum damnum, nec ex voluntate remigantium; non ex natura ſua, quia illa actio ſecundum ſe eſt indiferens; non ex voluntate ipſorum, quia illi non intendunt per illam actionem illud damnum, & inuiti illam præſtant ad euitandam mortem ipſis imminentem, & ſicuti non dicitur peccare contrà iuſtitiam, qui reddit enſem apud ſe depoſitum furioſo, quando alitèr non poteſt vitare illam redditionem, niſi per mortem propriam, ità &c. Rationem ſecundæ partis ex eo deſumit, quia nemo tenetur ex charitate vitam ſuam exponere, quando alitèr effectus ipſe independentèr ab ipſo poteſt ſequi, vt in præſenti hypotheſi, ſecundum quam, ſi altèr deſiſteret à remigando, probabile eſſet, quod alij remos ducerent, & ſequeretur effectus occiſionum. Monet tamen, quod ſi aliquis foret, qui ſuo exemplo, & exhortatione probabilius poſſet alios remouere à remigando, & ſic auertere maximum Reipublicæ Chriſtianæ damnum, teneretur ex charitate abſtinere, & ſic alios remouere. Sic Leſſius. Quid ergo concludendum?

Illa actio non videtur ex natura ſua influere.

4 Si vno ceſſante cæteri remigarent, ità vt damnũ ſine illo eueniret, iſte remigando nõ peccaret.

In ea parte, qua Leſſius aſſerit, quod ſi altero ceſſante à remigatione cæteri remigarent, ità vt euenire probabilitèr poſſet damnificatio in fideles independentèr ab illo, eidem adhæreo, quod non peccaret contrà charitatem, nec contrà iuſtitiam, ſi non deſiſteret à remigando. Ratio ex eo deducitur, quia ipſe non dicitur cauſa efficax illius damni, cum ſine ipſo adhuc veriſimilius eſſet ponendum, & charitas non ſuadet, quod quis propriam vitam exponat ad euitandam mortem, vel damna aliorum, quando adhuc ipſo abſtinente ab opere, damna illa aliundè prouenirent.

5 Si verò deſiſtente cæteri deſiſterent, & maius damnum Eccleſiæ immineret tenetur non remigare.

In ea verò parte, qua aſſerit, quod, ſi altero ceſſante à remigando cæteri deſiſterent, tum diſtinctione reſpondeo; vel etenim ex tali deſiſtentia maius, & conſiderabilius damnum Reipublicæ Chriſtianæ immineret, ità vt prejudicium toti Eccleſiæ immineret, vel magnæ eiuſdem parti, & tunc arbitror teneri ex lege charitatis deſiſtere, quia bonum totius debet præualere bonis partis; vel immineret ſolummodò æquale, vel parum excedens damnum damno proprio, & tunc arbitror non teneri ex lege charitatis ſe ipſum exponere, quia in pari,

vel parum excedenti periculo non tenetur potius alium diligere, quam ſeipſum.

DISQVISITIONES II.

A quinta ad duodecimam prænotionem,

§. I.

An, ſi teſtator relinquat filio familias alterius hæreditatem, vel legatum ea conditione, & lege, vt vſusfructus non acquiratur Patri, teneatur filius vſumfructum conferre Patri.

SVMMARIVM.

Quomodo intelligendus ſit titulus. 1.
Ratio ſuadens legatum, ſeu hæreditatem non ſubſiſtere. 2.
Ratio ſuadens, quando ſubſiſteret, vſumfructum pertinere ad Patrem. 3.
Illud legatum abſolutè ſubſiſtit. 4.
Soluuntur rationes aduerſantium. 5.
Illud legatum pertinet pleno iure ad filium. 6.
Soluuntur rationes oppoſita. 7.

1 Factũ ſingulariter explicatum.

Diſquiſitio I. Titius condito ſuo vltimo teſtamento reliquit Caio filio familias Petri, & ex parte Matris ſibi Nepoti legatum pingue, vel hæreditatem ea adiecta conditione, vt nihil vſus fructus deueniret ad Petrum patrem eiuſdem Caij. Quæſitum hic fuit, an tale legatum, vel hæreditas ſubſiſteret, & ſuppoſito, quod ſubſiſtat non obſtante tali conditione appoſita, an Caius teneretur talem vſumfructum legati, ſeu hæreditatis conferre Patri?

2 Ratio ſuadens illam hæreditatem, ſeu legatũ nõ ſubſiſtere.

In ordine ad primum videtur dicendũ, nec legatum, nec hæreditatem ſubſiſtere, quandoquidem illa conditio eſt contra diſpoſitionem iuris volentis bonorum aduentitiorum filij vſumfructum pertinere ad Patrem, quæ autem ſunt contra diſpoſitionem iuris omnino irrita ſunt.

3 Ratio ſuadẽs, quãdo etiam ſubſiſteret, vſumfructum pertinere ad Patrem.

In ordine ad ſecundum etiam videtur dicendum ſuppoſita validitate legati, ſeu hæreditatis legatum illud, ſeu hæreditatem conferendam, ſeu conferendum eſſe Patri quoad vſumfructum, quia illa cõditio vtpotè contra diſpoſitionem iuris vitiatur, & habetur pro non adiecta ea proportionali ratione, qua legatum, ſeu hæreditas relicta Religioſo profeſſo, ea lege, ſeu conditione adiecta, vt nihil legati, ſeu hæreditatis perueniat ad Monaſterium ſubſiſtit quidem, ſed pleno iure defertur ad Monaſterium reiecta illa conditione, tanquam turpi, & contra diſpoſitionem iuris. Nihilominus

4 Illud legatum abſolutè ſubſiſtit.

Reſpondeo primo, illud legatum, ſeu hæreditatem abſolutè ſubſiſtere. Conſentit in hoc *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 70.*, *Bartolus in tract. de duob. fratribus*, *Silueſter verb. peculium* 1. *q.* 5. Probatur primo, quia, ſi quid donetur filio familias, qui non ſit miles cum expreſſione, quod ſit ei caſtrenſe, quantumuis non teneat in ratione boni caſtrenſis, tenet tamen in ratione boni aduentitij per textum *in l. ſi forte ff. de caſtrenſ. pecul.*, ergo etiam quantumuis legatum, ſeu hæreditas fuerit relicta filio familias à tertia quadam perſona cum conditione, quod vſusfructus non tranſeat ad Patrem, ſed ſit proprius eiuſdem filij, tenebit in ratione boni aduentitij. Conſequentia probatur, quia illa conditio appoſita legato, ſeu hæreditati, quod vſusfructus non tranſeat ad Patrem, nihil aliud importat, quam quod illud relictũ habeatur pro bono caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, ergo, ſi relictum ſub expreſſione, quod ſit caſtrenſe non tenet in ratione tali, tenet tamen in ratione boni aduentitij, etiam relictum ſub conditione, quod quoad vſumfructũ non tranſeat ad Patrem, tenebit ſub ratione eiuſdem boni aduentitij.

Illa conditio non eſt irritatiua legati, ſeu hæreditatis.

Probatur ſecundo, quia illa conditio, quod vſusfructus legati, ſeu hæreditatis non tranſeat ad Patrem non eſt ſecundum ſe irritatiua legati, ſeu hæreditatis, ergo eadem appoſita ſubſiſtet propriè legatũ, ſeu hæreditas in ratione boni aduentitij. Antecedens probatur primo per textum *in §. ſanctum inſtit. per quas perſonas nobis acq.*, vbi multi exprimuntur caſus, in quibus relicta, ſeu acquiſita à filio familias viuente Patre eidem filio planè acquiruntur abſq; eo, quod vſusfructus acquiratur Patri, nec tamen deſinunt eſſe bona aduentitia, inter quos caſus numeratur hic, niſi ab aliquo ſit donatum, vel relictum hoc pacto, vt ad Patrem non pertineat vſusfructus, atq; ita ſpecialitèr ſentit *Silueſter verb. peculium* 1. *q.* 3. *ad fin.* Probatur ſecundo idem antecedens, quia quantumuis ex diſpoſitione iuris bona aduentitia pertineant quoad proprietatem ad filium, & quoad vſumfructum ad Patrem, quando aliud non eſt expreſſum, talis tamen diſpoſitio iuris non impedit, quominus poſſit ex libera voluntate teſtantis, ſeu legantis adijci conditio, quod plenè ad eundem filium pertineant, quia

hæc

Digitized by Google

hæc conditio eſt præter naturam boni aduentitij, non autem contra naturam, ea proportionali ratione, qua aſſecuratio ſortis in contractu ſocietatis eſt præter naturam, non contra naturam eiuſdem ſocietatis.

5 Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebātur, dicendum eſt illam conditionem non eſſe cōtra diſpoſitionem iuris, ſed tantum præter, quæ propterea non irritat legatum, ſeu hæreditatem, quæ cum procedat à libera voluntate legantis, ſeu teſtantis, qui poteſt rebus ſuis illam legem ſtatuere, quæ ſibi placuerit, poteſt velle, ita in filium tranſire, vt nihil iuris pertineat ad Patrem, ſtante tali voluntate liberè diſponentis per textum *in auth. excipitur C. de bonis quæ lib.*

Soluuntur rationes aduerſantium.

6 Reſpondeo ſecundo, in hac ſuppoſitione, quod legatum, ſeu hæreditas relicta filio ſub illa conditione, quod vſusfructus pertineat ad ipſum, & nō ad Patrem, pertinet idem legatum pleno iure ad eundem filium, tam quoad proprietatem, quàm quo ad vſumfructum. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 70., Bartolus in tract. de duob. fratrib., & in l. ſi forte ff. de caſtren. pecul., Silueſter verb. peculium 1. q. 5., Nauarrus in manual. c. 17. n. 143.* Expreſsè colligitur *ex d. auth. excipitur, & auth. idem C. de bon., quæ lib.*, & vlterius ratione deducitur, quia filius familias non eſt incapax illius vſusfructus, nec conditio illa eſt contra, ſed præter iuris diſpoſitionem, ergo accedente libera voluntate teſtatoris rebus ſuis legem ponentis non erit, cur legatum illud, ſeu hæreditas non ſit pleno iure ad eundem filium deferendum.

Illud legatum pertinet pleno iure ad filium.

7 Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, non militare eandem rationem de legato, ſeu hæreditate relicto, ſeu relicta Monacho profeſſo cum expreſſa conditione, vt nihil eiuſdem tranſeat ad Monaſterium, ac de legato, & hæreditate relictis filio familias ea adiecta conditione, vt nihil vſusfructus tranſeat ad Patrem. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod illa conditio appoſita legato, ſeu hæreditati relictis Monaco reſpicit perſonam omnino incapacem talis hæreditatis ex vi proprij ſtatus; vnde tamquam impoſſibilis, & turpis vitiatur, & reicitur; conditio vero appoſita legato, ſeu hæreditati relictis filio familias non reſpicit perſonam incapacem vſusfructus, cum ſit capax eiuſdem in bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, & non eſt contra diſpoſitionem iuris, cum nullum ius vetet relinqui filiofamilias vſumfructum, ſed præter, & ideo non eſt, cur ſtante expreſſa voluntate teſtatoris non debeant plenè ſuum ſortiri effectum, & pleno iure deuenire ad eundem filium.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

---

§. II.

An, ſi filius familias fuerit emancipatus à Patre, bona aduentitia pleno iure tranſeant ad eundem filium.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.

Rationes ſuadentes pleno iure tranſire ad filium. 2.

Filio emancipato bona aduentitia quoad medietatem vſusfructus remanent penes Patrem, quoad medietatem tranſeunt ad filium. 3.

Satisfit rationibus aduerſantium. 4.

Diſquiſitio II. Acquiſierat Titius filius familias non ex bello, neque ex publico officio, ſed vel hæreditario iure à conſanguineis, vel amicis, vel proprio labore, & induſtria, vel fortuna fauente plurima bona, quæ ex genere ſuo dicuntur aduentitia, & quoad proprietatem pertinent ad eundem filium, quoad vſumfructum vero ad Patrem. Poſt aliquod temporis Pater emancipauit eundem Titium filium familias. Quæſitum fuit, an per talem emancipationem vſusfructus conſolidetur cum proprietate in fauorem filij, adeout Pater teneatur eidem cedere vſumfructum, an vero diuiſus adhuc remaneat in fauorem Patris, quatenus Pater gaudere adhuc illo poſſit, quoadvſque vixerit. 1

Factum elucidatū in terminis particularibus.

Videtur per emancipationem filij ipſo iure conſolidari vſumfructum cum proprietate in fauorem eiuſdem filij, quandoquidem in tantum vſusfructus videtur pertinere ad Patrem, in quantum filium eſt ſub poteſtate Patris, & in quantum ab eodem Patre alimenta ſumit; æquum etenim non videtur, quod Pater alimenta tradat filio, & filius ipſe habeat bona, quæ ſaltem in vſufructu non communicat cum Patre. Cum autem filius a Patre emancipatus ſit ſui iuris, nec ſub poteſtate Patris, nec ab eodem ſumat alimenta, non videtur teneri bona ſua aduentitia conferre Patri quoad vſumfructum, cum ceſſet ratio collationis. Nihilominus 2

Rationes ſuadentes pleno iure tranſire ad filium.

Reſpondeo, ſi Pater filium emancipauerit bona aduentitia filij quoad medietatem ſolummodo vſusfructus remanent apud Patrem, quoad reliquam medietatem tranſeunt ad eundem filium emancipatum. 3

Quoad medietatē vſusfructus pertinent ad Patrem.

Digitized by Google

patum. *Silueſter verb. peculium* 1. *q.* 3. Expreſsè colligitur *ex §. hoc quoque inſtit. per quas perſon. nob. acq.*, vbi ſic legitur *Ideoque ſtatuimus, vt parens pro tertia parte dominij, quam retinere poterat, dimidiam non dominij rerum, ſed vſufructus retineat; ita etenim res intactæ apud filium remanebũt, & Pater ampliori ſumma fruetur pro tertia dimidia poſiturus*. Pro cuius rei intelligentia aduertendum eſt, quod conſtitutionibus Conſtantini ante Iuſtinianum cautũ erat, vt recitatur *in l. cum oportet C. de bon. quæ lib.*, vt parens emancipando liberos ſuos ex rebus, quæ adquiſitionem effugiebant, ideſt, vt explicat *Gloſa ibid. in eod. verbo*, quæ patri non acquirebantur, quantum ad proprietatem ſibi tertiam partem retineret, quaſi pro pretio quodamodo emancipationis; quam diſpoſitionem nimis inhumanam reſpectu filij conſiderans *Iuſtinianus in §. hoc quoq;* moderatus eſt, diſponens quidem, quod Pater pro beneficio emancipationis retineret vſumfructum pro medietate bonorum aduẽtitiorum filij, cæterum, quod quoad proprietatem nihil eidem filio decreſceret, & ſic pro beneficio emancipationis aliquid Pater reciperet, non tamen cum diminutione proprietatis.

4 Satisfit rationibus aduerſantium.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, quod Pater recipiat illam medietatem vſusfructus ex eo, quod beneficium impertiatur emancipationis eidem filio, per quod ipſum liberat à paterna poteſtate, & quodamodo conſtituit ſui iuris, quod eſt quid pretio æſtimabile, cum priuet Patrem iuribus, quibus poſſet gaudere, ſi filius non eſſet emancipatus, & quantumuis poſt emancipationem filium amplius non alat, non propterea priuatur iure ad illam medietatem vſusfructus, quia hæc non eſt pro alimentis, ſed pro libertate, quæ conceditur.

§. III.

An, ſi filius habens bona aduentitia deliquerit delicto exigente publicationem bonorum, talia bona ſint publicanda.

SVMMARIVM.

Exponitur quæſitum in terminis particularibus. 1.
Sententia aſſerens non eſſe publicanda. 2.
Sententia contraria. 3.
Probabilius non ſunt publicanda. 4.

DIſquiſitio III. Viuente adhuc Patre, vel iure hæreditario, vel proprio labore, & induſtria Titius filiusfamilias plurima bona acquiſierat, quæ ex ſuperius dictis quoad proprietatem pertinebant ad eundem filium, quoad vſumfructum ad Patrem. Mox idem Titius graue delictum commiſit, & tale, vt ſecundum ſe exigat publicationem, ſeu confiſcationem bonorum. Quæſitum hic fuit, an talia bona ſint confiſcanda non obſtante, quod non pertineant pleno iure ad eundem filium delinquentem.

1 Facti ſeries expoſita.

2 Sententia aſſerens non eſſe publicãda.

Videtur abſolutè negandum, eo quia, dum Pater adhuc viuit, bona illa non pertinent ad eundem filium, ſed ad Patrem, quibus propterea non eſt priuandus ob delictum, quantumuis atrox eiuſdem filij, & ſicuti, ſi Pater familias deliquerit delicto exigente publicationem bonorum nõ obſtante, quod in bonis profectitijs filij habeat proprietatem, & vſumfructum, bona talia profectitia non veniunt publicanda in publicatione bonorum Patris, vt expreſsè per textum *in l. ſi finita §. ſi de vectigalibus ff. de dam. infect.*, & probant cõmunitèr DD., ità à fortiori, quantumuis filiusfamilias delicto tali deliquerit, quod exigat publicationem, non obſtante, quod habeat proprietatem in bonis aduentitijs in publicatione bonorum eiuſdem non erunt talia bona publicanda, cum maius ius habeat filius familias in bona aduentitia, quam Pater in bona profectitia filij. Nihilominus *Bartolus in d. l. ſi finita §. ſi de vectigalibus ff. de dam. infect.*, & ibi, *Angelus, & Salicetus*, ſuſtinent eſſe publicanda quoad proprietatem remanẽte vſufructu apud Patrem, quouſque vixerit, quorum rationem eam arbitror eſſe, quia in ordine ad proprietatem bona illa pertinent ad eundem filium, nec in hoc officitur Patri, quandoquidem non habet ius, niſi quoad vſufructum, qui ceſſat deſinente vita eiuſdem Patris; Quid igitur hac in controuerſia concludendum?

3 Sententia contraria.

4 Non ſunt publicãda.

Reſpondeo, probabilius eſſe, non eſſe publicanda, & ab hac reſponſione non recedit *Bartolus in d. l. ſi finita §. ſi de vectigalibus ff. de dam. infect.*, quidquid pro contraria ſententia ipſum adducat *Silueſter verb. peculium* 1. *q.* Hanc reſponſionem probat Bartolus hac ratione, quia filius non poteſt alienare per expreſſam conuentionem huiuſmodi bona, Patre non conſentiente, per textum *in l. cum non ſolum §. filijs C. de bon., quæ lib.*, ergo, nec delinquendo, ſeu delictum eiuſdem filij inuito Patre poterunt venire ſub alienatione, & confirmat exemplo mulieris, quæ, ſicuti non poteſt alienare, ità nec eius delicto dos publicatur, niſi in caſibus, de quibus *in l. quinque legibus ff. de bon. damn.*

Sed

Digitized by Google

Sed hanc rationem impugnant alij, quia hæc alienatio eſt quædam alienatio legalis, quæ non exigit conſenſum Patris, cum lex ipſa ſuppleat talem conſenſum, *arg. l. 2. ff. de bon. cor.*, ſecundo, quia filius prohibetur alienare, & tamen propter eius delictum bona publicantur, per textum *in l. clarum C. de auct. præstand. l. ſi quis in tantum C. vnde vi*. Tertio, quia poteſt publicari ius, quod quis habet *l. ſi poſtulauerit §. iubet de adult.*, filius autem habet ius in proprietate bonorum aduentitiorum. Sed congruè reſpondet ad hæc omnia Bartolus, & quidem ad primum dicit, quod diſpoſitio legalis in ſimilibus poteſt dupliciter conſiderari, vel quatenus eſt in fauorem præciſè filij, & hoc modo eodem fauore filius ratione delicti priuatur, vel quatenus eſt in fauorem alterius, & ſub hac conſideratione non eſt, cur ratione delicti filij alter debeat ſuſtinere infelicem exitum. Idem reſpondet ad ſecundum. Ad tertium dicit, quod poteſt publicari ius, quod quis habet, quando illud poteſt alienare, ſecus quando non poteſt.

Inſtantiæ propoſitę, & diſſolutæ.

Ratio à paritate poteſt deduci ex ijs, quæ in principio attigimus, nempe, quod, ſi Pater deliquerit, vt bona eius veniant confiſcanda in tali publicatione non veniant bona profectitia filij, quantumuis hæc tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum pertineant ad eundem Patrem, ergo multominus in publicatione bonorum filij ob delictum eiuſdem venient bona aduentitia eiuſdem filij, ſi quidem maius ius habet Pater in bona profectitia filij, ac habeat filius in ſua bona aduentitia.

Aliæ rationes.

---

§. IV.

An peculium filij exiſtens apud Patrem veniat in publicatione bonorum eiuſdem filij ob delictum.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes in tali confiſcatione venire. 2.
Reſolutio Bartoli ſecundum varias diſtinctiones. 3.
Cur ratione vſusfructus Patris eludatur ius Fiſci. 4.

1 Exponitur factum.

DIſquiſitio IV. Deliquerat filius crimine exigente confiſcationem bonorum. Detinebat autem idem filius peculium apud Patrem. Quæſitum fuit, an in publicatione bonorum idem peculium veniat publicandum.

Ex textu *in l. 3. §. idem ſcribit ff. de peculio*, videtur dicendum, in tali confiſcatione venire tale peculium, ſiquidem ibidem dicitur *Patrem iudicati quoque actione de peculio teneri*, vbi Bartolus ait, *quod in iuditio quaſi contrahitur, & ideo iudicari Pater tenetur prima actionis origine non inſpecta*, quod idem dicitur *in l. ſi filio familias 54. ff. ſoluto matrim.*, vbi legitur, quod filius familias tenetur vxori ſoluto matrimonio de dote inſolidum, ſed Pater non niſi de peculio filij, quod habetur apud ſe; ex quibus videtur inferri, quod peculium abſolutè debeatur filio, adeoq; veniat in publicatione bonorum eiuſdem. Nihilominus hac in re *Bartolus in d. l. ſi finita §. ſi de vectigalibus ff. de damn. infect.*, varijs diſtinctionibus rem reſoluit; vel etenim filius familias nunquam fuit in iuditio, vel quoad tale iuditium fuit quandoque in iuditio; ſi nunquam fuit in iuditio arbitratur huiuſmodi peculium non venire in publicatione bonorum, propter iura, & rationes adducta, ſeu adductas in probatione reſponſionis in præcedenti diſquiſitione; nec in hoc refragantur textus *in d. l. 3. §. idem ſcribit ff. de peculio, & in l. ſi filio familias 54. ff. ſol. matrim.*, quandoquidem huiuſmodi iura procedunt dumtaxat, quando filius familias ſtetit ſaltem incohatiuè in iuditio, in quo caſu videtur quodamodo contrahere, ſeu quaſi contrahere, quod non euenit in præſenti hypotheſi; ſi quandoque fuit in iuditio, adhuc diſtinguit, vel etenim illud peculium eſt quodamodo donatum à Patre filio, & relictum in eius diſpoſitione quoad adminiſtrationem, & tunc arbitratur, quod veniat in confiſcatione propter iura adducta *in d. l. 3. ff. de peculio, & in l. ſi filio familias ff. ſolut. matrim.*, vel illud peculium eſt præciſè aduentitium, & quoad adminiſtrationem, & vſumfructum ſub poteſtate Patris, & tunc exiſtimat non venire in publicatione bonorum eiuſdem filij, quia filius ipſe, nec per delictum, nec per quaſi contractum in iuditio poteſt Patri præiudicare in ſuis iuribus; atq; in hoc Bartolo ahærendum exiſtimo.

2 Rationes ſuadentes in tali cõfiſcatione venire.

3 Reſolutio Bartoli ſecundum varias diſtinctiones.

Ad textum *in l. ſi filio familias 54. ff. ſol. matrim.*, dicendum eſt procedere de peculio filij, tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum, & adminiſtrationem, qui propterea potius ſuffragatur noſtræ ſententiæ, quam refragetur.

Si autem hic inquiras, cur potius ratione vſusfructus, quem habet Pater in bonis aduentitijs filij eludetur ius fiſci in cõfiſcatione bonorum filij delinquentis, quam ratione proprietatis, quam habet

4 Cur ratione vſusfructus Patris eludatur ius fiſci.

Digitized by Google

habet filius in eiſdem bonis aduentitijs, foueatur ius eiuſdem fiſci, præcipuè cum proprietas ſit quid magis, quam vſusfructus, & adminiſtratio, nec ius Patris quoad vſumfructum lædatur, cum illud detineat, & vſufructu gaudere debeat toto ſuæ vitæ tempore non obſtante, quod bona illa ſint deuoluta fiſco quoad proprietatem. Si, inquam, hoc inquiras, ſtatim reſpondebo, hoc prouenire, quia in criminalibus, & noxijs potius ſubueniendum eſt iuri innocentis, cum odioſa ſint ſtrictiſſimè accipienda, nec Pater ex delicto filij debet amittere ius in ſpe, quod habet ad conſolidationem proprietatis cum vſufructu, ſi filius præmoriatur ad Patrem, adeòque iura prouiderunt, ne bona illa manente vſufructu, apud Patrem confiſcentur, ſeu publicentur.

---

§. V.

An, ſi filius inuito Patre vſurpet bona ſibi relicta cum expreſſione, quod ſint ei caſtrenſia, quantumuis non ſit miles, committat furtum.

SVMMARIVM.

Series facti expoſita. 1.
Vſusfructus illius legati non pertinet ad Patrem, ſed ad filium. 2.
Non committit actionem furtiuam illud auferendo. 3.

1 ſeries facti expoſita.

DIſquiſitio V. Reliquit Caius in ſuo vltimo teſtamento Antonio filio familias Franciſci legatum ſatis pingue cum ea expreſſa conditione, quod eſſet eidem Antonio caſtrenſe, quantumuis ipſe Antonius non eſſet miles. Mortuo teſtatore Antonius adiuit hæreditatem, ſeu legatum, illudque non contulit Patri, vel ſi forte contulit, poſtea abſtulit. Quæſitum hic fuit, an actionem iniuſtam in illa non collatione, ſeu ablatione commiſerit.

Dictum fuit in præcedentibus, quod, ſi teſtator dixerit in ſuo vltimo teſtamento, quod legatum pleno iure perueniat ad Filium, adeò vt nihil iuris etiam quoad vſumfructum pertineat ad Patrem, efficere quidem, quod tale legatum computetur inter bona aduentitia filij per textum *in l. ſi forte ff. de caſtren. pecul.*, non tamen, quod vſusfructus acquiratur Patri per textum *in auth. excipitur C. de bonis, quæ lib.* An autem hoc etiam intelligendum ſit, ſi teſtator dixerit, quod tale legatum ſit caſtrenſe filio, quantumuis hic non fuerit miles, videtur maior ratio dubitandi, quandòquidem, ſi defectu ſubiecti non ſubſiſtit in ratione boni caſtrenſis, vt docent Bartolus *in d. l. ſi forte ff. de caſtrenſ. pecul.*, *&* *Silueſter verb. peculium* 1. *q.* 5., ſed tranſit in aduentitium, & nulla ſit addita expreſſa voluntas teſtatoris, quod vſusfructus non tranſeat ad Patrem; per conſequens videtur ſequi, quod quoad vſumfructum tranſeat iuxta naturam aduentitiorum ad Patrem. Nihilominus

Nonnullæ conſiderationes ex præcedentibus.

Reſpondeo primo, in hac etiam ſuppoſitione vſusfructum illius legati non pertinere ad Patrem, ſed ad filium. *Bartolus in tract. de duobus fratrib.*, *Silueſter d. verb. peculium* 1. *q.* 5. Ratio ex eo deducitur, quia ſi teſtator dixerit ſe velle legatum illud pleno iure tranſire ad filium, adeò vt nihil iuris etiam quoad vſumfructum pertineat ad Patrem, ex ſuperius probatis vſusfructus nullo modo pertinet ad Patrem, ergo etiam, ſi dixerit ſe velle, vt illud legatum ſit caſtrenſe filio, quantumuis hic non fuerit miles, illud pleno iure pertinebit ad filium, nec deuoluetur ad Patrem quoad vſumfructum. Conſequentia probatur, quia dicere ſe velle illud legatum eſſe caſtrenſe filio, idem eſt, ac dicere, ſe velle, vt nullo modo vſusfructus illius legati pertineat ad Patrem, nam de ratione bonorum caſtrenſium eſt, quod pleno iure pertineant ad filium, nec aliud potuit velle in illa expreſſione, quod legatum ſit caſtrenſe filio, niſi quod plenè ad ipſum pertineret, & nullo modo ad Patrem, ſed quando teſtator dixit, quod legatum pleno iure tranſiret ad filium, & non ad Patrem ſecluſo etiam vſufructu, vſusfructus ipſe deuoluitur ad filium per textum *in d. auth. excipitur C. de bon. quæ lib.*, & per ſuperius probata, ergo etiam &c. 2 Vſusfructus pertinet ad filiũ, non ad Patrẽ.

Reſpondeo ſecundò, ſi in hac ſuppoſitione filius familias non contulerit illud legatum Patri, vel abſtulerit, actionem iniuſtam, & furtiuam non comiſit in Patrem. Conſequitur reſponſio ex dictis in præcedenti reſponſione, nam ſi huiuſmodi legatum pleno iure pertinet ad eundem filium, ergo illud ſibi attribuendo, & de eodem diſponendo iuxta propriæ voluntatis arbitrium nullam inferet iniuriam Patri, cum nullum ius ipſius violet, ſicuti non violat diſponendo de proprijs bonis caſtrenſibus, ſeu quaſi caſtrenſibus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illud legatum propriè non ſit caſtrenſe defectu ſubiecti, ad quod ordinatur, adeòque, quod neque poſſit ſortiri 3 Non committit filius actionem furtiuam illud auferendo.

na-

Digitized by Google

naturam bonorum caſtrenſium, ſeu quaſi caſtrenſium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis non ſit propriè, & formalitèr caſtrenſe, eſt tamen æquiualentèr, & virtualitèr tale, quatenus pleno iure pertinet ad eundem filium, ſi non titulo militiæ, ſeu quaſi militiæ, titulo tamen voluntatis expreſſæ teſtatoris ſic diſponentis, qui vtique hoc potuit efficere iuxtà diſpoſitionem *auth. excipitur C. de bon. quæ lib.*

§. VI.

An legatum filio familias militi abſque alia expreſſione intelligatur ipſo iure caſtrenſe.

SVMMARIVM.

Exponitur factum. 1.
Nonnulla conſideranda circa factum. 2.
Si legatum fuerit quoad neceſſaria ad militiam cenſetur caſtrenſe. 3.
Si non fuerit neceſſarium ad militiam, non cenſetur caſtrenſe. 4.
Si fuerit factum, vt vendatur, & emantur ex pretio illius res militares eſt caſtrenſe. 5.
Si donans fuerit ſolum notus ex militia donum cenſetur caſtrenſe. 6.
Si legatum ſit indiferens quomodo ſit præſumendum. 7.

1 *Expoſitio caſus propoſiti.* Diſquiſitio VI. Addictus erat militiæ Caius filius familias Antonij. Sempronius condito ſuo vltimo teſtamento eidem Caio reliquit legatum ſatis pingue, vel in quantitate, vel in ſpecie. Mortuo Sempronio teſtatore contendebat Antonius Pater legatum illud ad ſe pertinere quoad vſumfructum, tanquam bonum aduentitium, cum non fuerit legatum intuitu militiæ, quamuis legatum militi, aduerſus quem excipiebat Caius, quod eo ipſo, quod ipſe intelligitur addictus militiæ, legatum illud intelligatur caſtrenſe.

2 *Nonnulla conſiderabilia.* Prò ſolutione controuerſiæ plurima conſiderat *Bartolus in tract. de duob. fratribus, & in l. ſi forte ff. de caſtren. pecul.*, & primo ex parte legati, an ſcilicèt illud ſit neceſſarium, vel ſaltem aptum militiæ, an verò non ſit neceſſarium, nec aptum, vt ſi legetur aliquod immobile puta prędium, vel quid ſimile; rurſus, ſi non ſit aptum ad militiam, an ita expreſsè ſit legatum, vt vendatur, & pretium implicetur in emptione rerum ad militiam neceſſariarum, vel ſaltem aptarum, vel, an ſine tali expreſſione. Secundo ex parte legantis, an ſcilicèt notus ſit ſolummodò ex militia, an verò etiam extrà militiam. Tertio etiam ex parte legati, an illud ſit aptum ad militiam, & ad alia, an ſolummodo ad alia, & non ad militiam, vel è contrà.

Reſpondeo primò, ſi legatum fuerit neceſſarium, & aptum ad militiam, puta equus, vel arma probabilius eſt caſtrenſe, nec Pater ius aliquod habet ad ipſum *Bartolus in d. l. ſi forte ff. de caſtren. pecul. & in tract. de duob. fratr., Silueſter verb. peculium* 1. q. 4. hocque intellige, à quocunque illud fuerit legatum ſine alia expreſſione. Expreſsè colligitur ex textu *in l. miles præcipua, & l. caſtrenſe ff. de caſtren. pecul.*, nec difficilis eſt probatio huius reſponſionis, quandòquidem peculium caſtrenſe illud eſt, quod filio degenti in militia occaſione militiæ conceditur, vel à Patre, vel à conſanguineis, vel ab alijs per textum *in l. caſtrenſe ff. de caſtrenſ. pecul.*; ſed quod legatur militi neceſſarium, vel aptum ad militiā, ſupponitur traditum, ſeu legatum occaſione militiæ, ergo tanquam bonum caſtrenſe, adeòque tanquam debitum eidem filio, vt ius proprium quocunque iure proprietatis ſcilicèt, & vſusfructus. 3 *Si legatū fuerit quoad neceſſaria ad militiam, cenſetur caſtrenſe.*

Reſpondeo ſecundò, ſi legatum non fuerit neceſſarium, nec aptum ad militiam, vt ſi fuerit bonum immobile, puta prædium, & aliud non fuerit expreſſum, probabilius non eſt caſtrenſe *Dinus in l. ſi forte ff. de caſtrenſ. pecul. & in l. 1. C. eod. tit., Bartolus in tract. de duob. fratrib, Silueſter verbo peculium* 1. q. 4. Ratio ex eo deducitur, quia ad hoc, vt peculiū dicatur caſtrenſe, non ſufficit, quod fuerit traditum militi, ſeu acquiſitum a milite quomodocunque, ſed vlterius requiritur, quod fuerit acquiſitum, ſeu traditum occaſione militiæ per ſuperius allegata iura, ſed ex eo, quod legatum fuerit relictum militi in re ſecundum ſe non neceſſaria, nec apta ad militiam ſine alia expreſſione, non intelligitur relictum occaſione militiæ, & intuitu eiuſdem, ergo nec intelligitur caſtrenſe. Minor probatur, quia nec ex natura rei legatæ, nec ex intentione legantis poteſt intelligi relatum ad militiam, & intuitu ipſius relictum; non ex natura rei legatæ, quandòquidem hęc, cum ſit fundus quidam immobilis, eſt potius ad alios vſus deſtinatos, quam ad militiam; non ex intentione legantis, qui ex quo nihil expreſſit, videtur ex præciſo affectu erga legatarium, vt poſſet, quomodo ipſi beneplacitum eſſet, diſponere, legaſſe, non vt præciſè inſeruiret militiæ, ergo &c. 4 *Si nō fuerit neceſſarium ad militiam non cenſetur caſtrenſe.*

Digitized by Google

5 Si nõ fuerit neceſſarium ad militiã, ſa ctũ tamen ſub illa conditione, vt vendatur, & emantur res militares, eſt caſtrenſe.

Reſpondeo tertio legatum, quantumuis ſecundum ſe non ſit neceſſarium, nec aptum ad militiam; ſi tamen ità fuerit relictum, vt vendatur, & pretium ipſius inſumatur in rebus neceſſarijs, vel aptis ad militiam, eſt caſtrenſe, & pleno iure pertinet ad filium, non ad Patrem. *Cinus in l. 1. C. de caſtrenſ. pecul., Silueſter verb. peculium 1. q. 4. in ſecunda fallentia*. Ratio ex eo deducitur, quia arma, equus, & alia neceſſaria, vel apta ad militiam relicta militi intelliguntur ipſo iure ſine alia expreſſione bona caſtrenſia per allegatos textus *in l. miles præcipuè, & l. caſtrenſe ff. de caſtrenſ. pecul.*, ergo etiam relictum ea conditione, vt vendatur, & pretiũ eius inſumatur in arma, aliaque neceſſaria, vel apta ad militiam erit caſtrenſe, quandoquidem perindè eſt, ac ſi immediatè eſſent relicta arma, aliaque neceſſaria ad militiam.

Difficultas propoſita, & diſſoluta.

Hic ſolum oritur difficultas, an in ea hypotheſi, qua fuerit relictum aliquid non aptum ad militiam ſub ea conditione, vt vendatur, & pretium implicetur in rebus neceſſarijs ad militiam, ſi pro aliquo tempore differatur venditio, pro illo tempore intermedio vſusfructus rei legatæ pertineat ad Patrem, an verò pleno iure ad filium militem legatarium. Reſpondeo probabilius eſſe pertinere ad filium legatarium. Ratio eſt, quia illud legatum intelligitur relictum intuitu, & occaſione militiæ, ex quo relictum eſt cum ea conditione, vt vendatur, & pretium implicetur ad emenda ea, quæ ſunt propria militiæ, & ſi contigerit pro aliquo tempore non diuendi, & pretium eius non implicari iuxtà diſpoſita per teſtatorem, per hoc non tollitur qualitas eidem rei affixa per voluntatem teſtatoris, & propterea non deſinit eſſe caſtrenſe, ſeu relictum intuitu militiæ.

6 Si donãs fuerit ſolum notus ex militia donũ cenſetur caſtrenſe.

Reſpondeo quartò, ſi donans, ſeu legans fuerit notus ſolummodo ex militia, donatum, ſeu legatum, quãtumuis ſecundum ſe non ſit aptum ad eandem militiam, intelligitur indiſtinctè caſtrenſe. *Panormitanus in d. l. ſi forte ff. de caſtrenſ. pecul., Silueſter verb. peculium 1. q. 4*, & clarè deducitur *ex l. ſi mihi ff. de caſtrenſ. pecul.* Ratio ex eo habetur, quod ex quo legans, ſeu donans eſt notus ſolummodo ex militia, rationabilitèr præſumitur, quod legarit, ſeu donarit intuitu, & occaſione militiæ, cum non potuerit alia ratione, ſeu hinc moueri ad donandum, ſeu legandum, ergo illud relictum erit abſolutè, & indiſtinctè caſtrenſe.

7 Si legatũ ſit indiferens, vel ad militiam, vel ad aliud quomodo ſit præſumendum.

Reſpondeo quintò, ſi legatum, ſeu donatum æquè poſſit eſſe aptum ad militiam, & ad alia extra militiam, & donans, ſeu legans ſit aliundè notus à militia, vbi non conſtet, an intuitu militiæ fuerit legatum, ſeu donatum, an intuitu alterius, ad quod eſt aptum, præſumendum eſt, quod non ſit caſtrenſe *Silueſter eodem verb. peculium q. 4 in fine*, quod probat per textum *in d. l. ſi mihi ff. de caſtrenſ. pecul.* Si autem inquiras, cur, cum legatum ſit aptum æquè ad vſus militiæ, ac ad alios vſus, potius præſumatur relictum ad alios vſus, & per conſequens non eſſe caſtrenſe, quam ad vſum militiæ, & eſſe caſtrenſe? Dicam hoc prouenire, quia iura præſumunt pro eo, quod vt plurimum, & frequentius fit in ſimilibus; frequentius autem, & regularitèr relicta filio familias habentur pro bonis aduentitijs.

Ex quibus omnibus poteris deducere, quandonam filius familias miles vſurpando bona ſibi relicta, committat actionem iniuſtam, ſeu furtiuam aduerſus Patrem, & quando non; tunc etenim committit, quando euincitur, quod bona illa non fuerint relicta, ſeu donata occaſione, ſeu intuitu militiæ, tunc vero è contrà non committit, quando coniectatur eſſe relicta intuitu eiuſdem militiæ, prout in reſponſionibus ſupra expoſitis.

---

§. VII.

An Aduocatus filius familias acquirat pleno iure ea, quæ non ex publico, ſed à clientulis ipſi erogantur.

S V M M A R I V M.

In quo ſenſu procedat titulus. 1.

Rationes probantes bona, vt ſint quaſi caſtrenſia debere prouenire ex officio publico, ſeu à publico. 2.

Rationes ſuadentes oppoſitum. 3.

Illa bona pleno iure acquiruntur filio. 4.

Hæc, quæ dicuntur, extenduntur etiam ad Aſſeſſores, & Notarios. 5.

I Proponitur factũ in caſu particulari.

DIſquiſitio VII. Titius Aduocatus in hac alma Ciuitate Mediolanenſi, cum adhuc eſſet filius familias ſub poteſtate Patris viuentis, plurima non iam à publico, ſed à ſuis priuatis clientulis ſibi cumulauit, eaque non contulit Patri, vt in ipſis vſufructu gauderet. Quæſitum hic fuit, an non conferendo Patri iniuſtitiam commiſerit, quaſi quod vſumfructum ſibi vſurpauerit debitum eidem Patri, an verò iuſtè egerit vtendo iure ſibi competenti, quod eſt idem, ac quærere, an illa ſic acquiſita ſint eidem filio familias aduocato bona quaſi caſtrenſia,

an

Digitized by Google

an verò præcisè bona aduentitia.

2 Contendebat Pater, quod bona illa eſſent præcisè aduentitia, adeòque ſibi debitâ quoad vſumfructum, cum ad rationem bonorum quaſi caſtrenſium requiratur non ſolum officium aduocatiæ, tabellionatus, ſed etiam, quod ex publica cauſa, vel publico officio ſalaria, vel ſtipendia recipiantur publica *l. cum antiquis C. de inoffic. teſtam.*, quod non militat in præſenti hypotheſi, ſecundum quam id, quod recipitur, non recipitur ex publico, ſed ex priuatis clientulis.

Exceptio Patris, quod bona illa nō proueniāt à publico, vel ex publico officio.

3 Ex aduerſo excipiebat filius, quod quãtumuis illud, quod acquiſiuit, non receperit ex publico ſalario, ſed à clientulis, ſuccedat tamen pro ſalario publicò, ex quo his temporibus non ſoluatur aduocatis ſalarium ex publico per textum *l. fori tui C. de adu. diu. Iud.* atque ità ſentit *Baldus in l. fin. C. de inoff. teſtam.* & *Bartolus in l. ſi mulier C. de caſtrenſi pecul.* Quid igitur iuris in hac controuerſia?

Replicationes filij afferẽtis illa bona ſuccedere pro publico ſalario.

4 Reſpondeo potiora eſſe iura filij familias excipientis. Ità DD. præallegati. Ratio ex eo deducitur, quia intantum iura prærequirebant publicum ſtipendium, ſeu ſalarium, inquantum tunc illud aſſignabatur à publico, cæterum priuilegium à iuribus conceſſum reſpiciebat potiſſimum officium aduocatiæ maximè Reipublicæ proficuum ob commoda ciuibus inde emanantia, ergo, cum modo à publico non aſſignetur aduocatis publicum ſtipendium, ſed acquirant à clientulis, pro quorum cauſis aduocant, illud habendum erit pro peculio quaſi caſtrenſi, cum ex vno capite illud ſubſtituatur loco publici ſalarij, & ex alio conferatur ex eodem fine, & pro eodem munere, quo conferebatur antiquitus publicum ſtipendium; atque ad hoc plurimum facit textus allegatus *in d. l. fori tui C. de adu. diu. Iud.*

Illa bona pleno iure acquiruntur filio.

5 Hæc, quæ dicta ſunt de aduocatis, extendit etiam *Bartolus in l. fori tui C. de adu. diu. Iud.*, ad acceſſores, qui, quamuis non habeant ſalarium à publico, ſed a priuatis, quorum cauſis accedunt, dicuntur tamen illud habere tamquam bonum quaſi caſtrenſe propter rationem ſuperius adductam de aduocatis; ſed, an hæc extendenda ſint etiam ad Notarios, negat *Silueſter verb. peculium 1. q. 16. in fin.*, dum dicit, quod notarij communes non acquirant quaſi caſtrenſe, ſed ſolum notarij cõmunis, vel dominiorum, ſeu officialium, qui habere debent ſalarium ex publico. Sed ſuppoſito, quod notariatus, ſeu tabellionatus ſit ex illis officijs, quibus à iure datum eſt, vt ea, quæ intuitu ipſorum acquiruntur, ſint quaſi caſtrenſia, non video, cur eã, quæ acquiruntur ab aduocatis ratione ſui muneris à priuatis clientulis debeant dici quaſi caſtrenſia, & non ea, quæ ratione ſui muneris acquiruntur per notarios, & tabelliones à priuatis perſonis; vnde, vel dicendum erit, quod munus notarij, vel tabellionis non ſit ex illis, quibus tribuitur priuilegium bonorum quaſi caſtrenſium, vel, ſi eſt ex illis, fatendum erit, quod acquiſitum ratione talis muneris ſit quaſi caſtrenſe, ſiue fuerit acquiſitum à publico, ſiue à priuatis perſonis, ſicuti dictum eſt de Aduocatis.

Extenduntur etiam ad acceſſores, & ad notarios.

Ex quibus, quantum pertinet ad rem præſentem, inferre licet, quod, ſi filius familias aduocatus diſpoſuerit de bonis ſic acquiſitis ratione proprij muneris inſcio, inconſulto, quin etiam inuito Patre non ſit reus iniuſtitiæ, nec ad aliquid teneatur verſus Patrem, cum diſpoſuerit de rebus pleno iure ſibi competentibus.

Filius de illis diſponens non eſt reus iniuſtitiæ.

---

§. VIII.

An acquiſita à filiofamilias remige, ſeu nauta in Mari ſint bona quaſi caſtrenſia.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Si nauim conduxerit, & nautam egerit in apparatu bellico iuſto ex illo acquiſita ſunt bona caſtrenſia. 2.
Secus, ſi in bello iniuſto. 3.
Si nautæ munus obierit ad merces vehendas, & priuata negotia, acquiſita non ſunt bona caſtrenſia. 4.
Quomodo ſit ſentiendum, ſi filius conduxerit nauim ex pecunia Patris, vel fratrum. 5.

1 Diſquiſitio VIII. Titius filiusfamilias Antonij nauigium conduxit, in eoque munus nautæ gerebat, & fortè etiam remigabat. Ex illo munere, quo functus fuit, bona plurima ſibi cumulauit, quæ contendebat ſibi eſſe quaſi caſtrenſia, nec quoad vſumfructum pertinere ad Patrem, qui tamen excipiebat munus naucleri, ſeu remigis non eſſe ex illis, quę ex diſpoſitoine iuris habent priuilegium, vt bona ex illo acquiſita ſint quaſi caſtrenſia, & propterea ad ſe deuolui, quòad vſumfructum, tanquam bona merè aduentitia. Quæſitum fuit quid iuris?

Expoſitio caſus in particulari.

Pro ſolutione nonnullæ habendæ ſunt inſpectiones circa propoſitum dubium, & primo, an Titius nauim conduxerit, & nautæ, ſeu remigis munus egerit in bellico apparatu maritimo iuſto aduerſus Rei-

Nonnullæ conſiderationes circa factũ.

publicæ hoſtes, an vero in bellico apparatu iniuſto, ſeu pro bello iniuſto. Secundo, an conduxerit, & tale munus obierit ex cauſa priuata puta, pro mercibus, & huiuſmodi. Tertio, an conduxerit ex bonis Patris, ſeu communibus cum cæteris fratribus &c.

2 Si fuerint acquiſita ex officio nautæ exercito in bello iuſto ſunt bona caſtrenſia.

Reſpondeo primo. Si nauim conduxerit, & nautæ munus egerit in claſſibus, ſeu bellico apparatu maritimo iuſto aduerſus hoſtes Reipublicæ, lucrum inde acquiſitum eſſe caſtrenſe, ſeu quaſi caſtrenſe, & propterea pleno iure pertinere ad eundem filium. Ità expreſsè *Silueſter verb. peculium* 1. *q.* 11., quod deducit *ex l.* 1. *ff. de bon. poſſeſſ. ex teſtam. mil.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem nautæ, ſeu remiges in claſſibus milites dicuntur, & ſunt per textum *in d. l.* 1. *ff. de bon. poſſeß. ex teſt. mi.*, quæ autem acquiruntur in militia, & occaſione militiæ, ſunt bona caſtrenſia per textum *in l. caſtrenſe ff. de caſtrens. pecul.*, & tradunt cõmunitèr DD. *Silueſter verb. peculiũ*, 1. *q.* 1., *Nauarrus in ſumma c.* 17. *nu.* 142., *Leſſius lib.* 2. *de iuſt., & iur. c.* 4. *dub.* 3. *n.* 7.

3 Secus, ſi in bello iniuſto.

Reſpondeo ſecundo, ſi tale munus egerit in bello nautico iniuſto, acquiſita ex illo probabilius nõ ſunt bona caſtrenſia. Ità expreſsè *Silueſter loc. cit.*, nec incongruè hoc ſtatuitur, quia non eſt præſumendum, quod iura voluerint fauere iniuſtitiæ, quinimmò, vt ſubdit idem Silueſter, non eſt cauſa publica, vel officiũ, quod non ordinetur ad bonum commune, & eſt cum publica iniuſtitia; ex quibus etiam infert, quod acquiſita à piratis in bello iniuſto nõ ſint caſtrenſia etiamſi haberent ſalarium ex publico.

4 Acquiſita ex officio nauiæ in ordine ad priuata negotia non ſunt bona caſtrenſia.

Reſpondeo tertio, ſi cõduxerit nauim, & munus nautæ obierit ad negotia obeunda, vel ad merces tranſuehendas, & alia huiuſmodi, indè acquiſita non ſunt caſtrenſia, nec quaſi caſtrenſia *Silueſter loco quo ſup.* Non difficilis ratio huius reſponſionis, quandoquidem hoc munus, nec ex genere ſuo, nec ex fine, ad quem ordinatur, nec ex diſpoſitione iuris, nec ex liberalitate artis eſt tale, vt exigat hoc priuilegium conceſſum vel ratione militiæ, vel muneri publico ex arte liberali, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia tale munus eſt mechanicum, vile, nec tale, vt exigat maius priuilegiũ, ac habeant alia munera ſeruilia ſimilia; quoad ſecundam etiam euincitur, quia finis, ad quem ordinatur, eſt lucrum medijs operibus perſonalibus; huiuſmodi autem lucrum ſicuti ex alijs operibus ſeruilibus non habet priuilegium, ita nec videtur habere ex hoc munere; quoad tertiam patet, quia nullibi reperitur in iure diſpoſitum, quod bona ex arte nautica acquiſita ſint caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia.

5 Quomodo ſit diſcurrendum, ſi nauim acquiſierit ex pecunia Patris, vel fratrũ.

Reſpondeo quarto, ſi nauim conduxerit ex pecunia Patris, vel communi cum cætoris fratribus, & deindè medio labore, & munere, quo functus eſt, nautæ, bona acquiſierit, illa bona, prout correſpondẽt pecuniæ Patris, erunt profectitia, prout correſpondent pecuniæ communi, erunt æqualitèr diuidenda inter ſe, & fratres, prout correſpondent proprio labori, & muneri, erunt aduentitia, ſi fuerint acquiſita viuente Patre, ſi mortuo Patre, erunt pleno iure eiuſdem acquirentis. Conſonat cum ijs, quæ ſupra docuimus, & ita ſentiunt *Bartolus in tract. de duob. fratrib.*, & *in l. cum oportet C. de bon. quæ lib. Summa Angelica*, & *ſumma Roſella verb. peculium* §. 7., & 8. Colligitur *ex l.* 1. *C. pro ſocio*, & *l. ſi non fuerint* §. 1. *ff. eod.*, & *l. cum oportet poſt principium C. de bon. quæ lib.* Recolo, quæ ſupra latè in prænotionibus de hoc dicta ſunt.

---

§. IX.

Vtrum frater habens cum fratre bona indiuiſa teneatur communicare lucrum proueniens ex officijs publicis.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in terminis particularibus. 1.

Non tenetur illud lucrum conferre, nec ratione indiuiſionis bonorum, nec ratione ſocietatis ſimplicitèr initæ. 2.

Si illud lucrum conſulerit in communem vtilitatem poteſt illud repetere. 3.

DIſquiſitio IX. Titius, & Caius fratres habebant bona, & hæreditatem paternam indiuiſa, & ſocietatem ſimplicitèr, ſed Caius habebat lucrum ex publico officio. Quæſitum fuit, an Caius lucrum illud teneretur conferre cum Titio fratre ratione talis ſocietatis, præcipuè, ſi illa fuerit expreſsa. 1 Factum in ſuis terminis.

Varia genera ſocietatum.

Recolendæ ſunt diſtinctiones ſocietatis, de quibus alibi egimus; alia etenim eſt ſocietas generalis, ſeu omnium bonorum; alia ſimplicitèr, quæ eſt quoad bona prouenientia ex patrimonio, & mercantia, ſeu ex queſtu, & victu; alia particularis, quæ eſt quoad aliqua bona, ſeu negotia in particulari. Societas omnium bonorum regularitèr non præſumitur, niſi fuerit expreſſa, nec eo ipſo, quo eſt

inter

inter fratres habentes bona indiuiſa intelligitur adeſſe per ea, quæ ſupra latè probauimus.

2 Frater nõ tenetur lucrũ illud conferre, nec ex eo, quod bona habeat indiuiſa, nec ex eo, quod fuerit contracta ſocietas.

Reſpondeo non teneri Caium lucrum illud ex publico officio conferre cum Titio, nec ex eo, quod habeat cum ipſo bona, ſeu hæreditatem indiuiſa, nec ex eo, quod inita fuerit ſocietas ſimplicitèr. *Speculator in tit. de iudicijs §. ſequitur verſ. quid ſi alter, Bartolus in l. ſi patruus C. communia vtrius. Iud., Silueſter verb. peculium 2. q. 20., Panormitanus in quodam conſ. quod incipit in cauſa vertente, & alij magis communitèr.* Poteſt in fortioribus terminis clarè deduci reſponſio ex textu *in l. cum duobus §. ſi fratres ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod, ſi fratres tenuerunt hæreditatem indiuiſam, vt emolumentum, & damnum cõmunitèr ſentiretur, quod aliundè quæſierunt, in commune non redigatur, ergo à fortiori non erit in commune redigendum, ſi fuerit quæſitum ex publico officio.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Confirmatur *ex l. coiri cum §. ſequenti ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod, quantumuis contrahatur ſocietas ſimplicitèr etiam expreſsè, non intelligatur contracta, quoad prouenientia ex meritis perſonæ, vndè hæreditas, legata, ſeu donationes, quæ vni ex ſocijs deferuntur, nõn veniũt in communi; ſalarium autem delatum ratione officij publici, intelligitur potius prouenire ex meritis perſonæ, quam ex quæſtu per textum *in l. cum muneris ff. de mu., & ho.*

Hic ſolũ oritũr difficultas, an, ſi frater habens ſalariũ ex publico officio, illud deputet in communem vtilitatem, præſumendum ſit, quod illud fecerit commune, adeo vt non poſſit repetere in diuiſione.

3 Si illud lucrũ contulerit in cõmunem vtilitatem poteſt repetere.

Reſpondendum eſt negatiuè, ſed iuſtè poſſe repetere in diuiſione. *Bartolus in l. ſi patruus C. commun. vtrius. Iud. Speculator in d. §. ſequitur in verſ. quod ſi vnus, Silueſter loc. cit.* Deducitur *ex l. in hoc iuditium ff. communi diuid.*, vbi dicitur, quod ea, quæ qui ſolus expendit in re communi, poſſit in eius diuiſione repetere. Confirmatur argumento a contrario ſenſu deducto, quia, ſi quis ex bonis ſocietatis, ſi frater ſit, expenderit in dotanda propria filia, tenetur in diuiſione bonorum computare in parte ſibi contingente *Speculator in d. tit. de iudic. §. ſequitur verſ. quod ſi vnus*, quod extenditur ad alias expenſas pro vtilitate vnius dumtaxat factas, ergo, ſi quis ex fratribus, ex bonis ſibi pleno iure competentibus inſumpſerit in re communi, poterit in diuiſione cum altero fratre ante factum illa ſibi deducere;

Rationes huius aſſerti.

non enim æquum videtur, quod ea, quæ in propriam commoditatem ex re communi inſupſit, teneatur compenſare, & non poſſit ea, quæ ex proprio in vtilitatem communem inſumpſit, non poſſit repetere. Confirmatur ſecundo, quia non poteſt eſſe præſumptiõ, quod ea, quæ ſunt propria ipſius, quæq; contulit iure cõmmuni ad cõmunem vtilitatem contulerit titulo donationis, ſed quod contulerit ad conſulendum pro interim rebus communibus, ergo non erit, cur in diuiſione non poſſit repetere.

---

§. X.

An, ſi publicum officium fuerit acquiſitum a Patre pro filio, vel ex bonis communibus fratrum teneatur poſſidens tale officium lucrum conferre?

S V M M A R I V M.

Series difficultatis exponitur. 1.
Pretium ſolutum ex bonis communibus à fratre maiore mortuo Patre eſt reſtituendum cæteris fratribus. 2.
Si Pater emerit officium publicum pro altero ex filijs, & non conſtet, quo animo, præſumendum eſt pro donatione. 3.
Frater, qui emit officium communi pecunia, ſed nomine proprio non tenetur lucrum conferre. 4.
Nec intereſſe legalè ſoluere pro tempore, pro quo pecuniam non reſtituit. 5.
Nec lucrum officij eſt conferendum, quando eſt emptum à Patre. 6.

I Explanatur factũ.

DIſquiſitio X. Viuens Pater ex proprijs bonis emit officium publicum alteri ex proprijs filijs, vel fortè eodem Patre mortuo, alter ex filijs ipſius natu maior officium huiuſmodi ex pecunia communi ſibi acquiſiuit. Ex eodem officio lucra plurima coegit ſibi filius, cui officium illud fuit acquiſitum. Quæſitum hic fuit, an illa lucra eſſent cum cæteris fratribus conferenda? & an viuento Patre ad ipſum pertinerent, an verò ad filium, cui quæſitum fuit beneficium?

Extenditur titulus.

Quantumuis titulus propoſitus ſit ſub terminis ſolummodò de lucris ex tali officio prouenientibus, examinari tamen poteſt etiam in ordine ad pretium, quod fuit pro tali officio acquirendo perſolutum; an ſcilicet illud reſtituendum ſit ante partem per filium officium illud poſſidentem, an ſaltem conferendum cum cæteris fratribus; an tandem, nec reſtituendum, nec reparandum.

Reſpondeo primò, ſi mortuo Patre filius alter natu maior ex bonis cõmuni-

bus

Digitized by Google

bus officium illud ſibi acquiſierit, tenetur in diuiſione bonorum pretium in illius acquiſitione perſolutum cæteris fratribus reſtituere *Speculator in tit. de iudicijs*, vbi dicit, quòd debitum contractum per vnum ex fratribus poſt mortem Patris non ſit ſoluendum de communi, ſed ex bonis proprijs illius fratris, niſi probet in communem vtilitatem eſſe inſumptum per textum *in l. non debet ff. de reg. iur. l. liure ſocietatis ff. pro ſocio*. Ratio ex eo deducitur, quia illud, quod fuit pro illo officio perſolutum, non cedit in communem vtilitatem fratrum, ergo non eſt de communi perſoluendum. Confirmatur à contrario ſenſu, quia, ſi quis ex fratribus ex ſuo contulerit pro re communi poteſt in diuiſione id, quod inſumpſit, repetere per textum *in l. in hoc iudicium ff. com. diuid.*, ergo, ſi quis ex bonis communibus in proprium commodum inſumpſerit, tenebitur ex proprijs reſtituere.

2 Si filius natu maior, mortuo Patre, ex bonis communibus officium publicū ſibi emerit, tenetur pretium fratribus reſtituere.

3 Si Pater viuens emerit pro vno ex filijs officiū publicū, & nō conſtet, quo animo, præſumēdum eſt pro donatione.

Reſpondeo ſecundò, ſi Pater viuens officium illud publicum pro altero ex filijs emerit, & non expreſſerit, an illud eidem contulerit titulo donationis, probabilius eſt coniectandum ex circunſtantijs, quęnam fuerit ipſius mens, & iuxtà præſumptionem eiuſdem diiudicandum; vbi verò non conſtiterit, præſumendum videtur pro donatione, adeòque illud non eſt in diuiſione cum cæteris fratribus computandum in partem fratris poſſidentis illud officium publicum. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus, & quoad vltimam partem de præſumptione donationis intelligitur *ex l. 1. §. nec caſtrenſe ff. de collat.* Recole, quæ dicta ſunt dum de iniuſtis actionibus inter fratres.

4 Frater, qui emit officiū pecunia cōmuni nomine proprio reſtituta pecunia nō tenetur cōferre lucrū illius.

Reſpondeo tertiò, ſi officium publicum emptum fuerit per alterum ex fratribus pecunia communi, ſed nomine proprio facta reſtitutione pretij inſumpti in ipſius emptione non tenetur emptor lucrum ex illo officio acquiſitum cum cæteris fratribus communicare. Ratio ex eo deducitur, quia lucrum, ſeu fructus rei cedit domino rei ex vulgatis iuribus, ſed frater, qui emit officium illud nomine proprio, quantumuis ex pecunia communi factus eſt Dominus illius officij, ergo lucrum, ſeu fructus ex illo prouenientes debent eidem cedere, & non alijs. Minor probatur, quia emptum ex pecunia hæreditaria communi per vnum ex fratribus non eſt commune cum cæteris fratribus, prout docet *Baldus in l. ſi patruus C. commun. vtriuſ. Iud. & cum eo alij communitèr* per textum *in l. Titium, & Meuium §. alterum ff. de adminiſt. tut.*

Solum hic oritur difficultas, an ſaltem teneatur hic frater, qui ex pecunia communi emit nomine proprio officium pro tempore, pro quo reſtitutionem adhuc non fecit pecuniæ pro illo ſolutæ cæteris fratribus intereſſe legale perſoluere illius pecuniæ. Reſpondendum arbitror negatiuè, niſi inde damnum aliquod cæteris fratribus prouenerit, vel lucrum aliquod ceſſarit, in quo caſu teneretur ad compenſationem damni, vel lucri. Ratio ex eo deducitur, quia nullus adeſt titulus, ratione cuius obligetur, ſeu obligari poſſit ad illud intereſſe legale.

5 Nec intereſſe legale pecuniæ, pro quo non reſtituit pecuniā.

Reſpondeo quartò, ſi emptum fuerit à Patre viuente pro altero ex filijs, eique traditum ſine vlla expreſſione iuxtà ſuperius dicta lucrum ex illo proueniens non eſt cum cæteris fratribus conferendum, quia in dubio præſumitur facta donatio per textum *in l. 3. §. fin. ff. de muner. & lucro*, *Bartolus in tract. de duob. fratrib. n. 30.*, & ad hoc etiam facit textus *in l. ex parte §. filius cum gloſ. ff. famil. erciſ.*, & per conſequens, ſicuti non tenetur compenſare cæteris fratribus pretium pro illo ſolutum, ità nèc tenetur conferre lucrum ex illo perceptum.

6 Nec lucrū eſt conferendum quādo officiū emptum eſt à patre pro vno ex filijs.

Difficultatem aliquam videntur ſolummodo ingerere ea, quæ affert *Nauarrus in man. c. 17. n. 145.*; nempè donationes à Patre factas filio, & è contrà non valere, quod probat *ex l. fin. C. de impub.* Nihilominus hæc obſtare non videntur, quandòquidem multæ ſunt donationes, quæ etiam in foro iudiciali tenent, inter quas hæc etiam, ſi non expreſsè ſaltem ex paritate rationis, poteſt recenſeri. Has autem donationes latè enumerat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. num. 78.*, *Nauarrus c. 17. nu. 140.*

Exceptio Nauarri reijcitur.

---

§. XI.

An Pater, cum recipit bona aduentitia filiorum, teneatur facere inuentarium.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis. 1.
Rationes ſuadentes inuentarium faciendum eſſe à Patre. 2.
Rationes pro contraria opinione. 3.
Probabilius tenetur conficere inuentarium, vel declarare quænam ſint bona aduentitia filij. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

Diſquiſitio XI. Dictum fuit latè in præcedentibus bona aduentitia filiorum quoad proprietatem pertinere ad eoſdem filios, & quoad vſumfructum ad Pa- 1

1 Expoſitio caſus.

Digitized by Google

Patrem, quouſque ipſe vixerit, vndè Patre defuncto vſusfructus conſolidatur cum proprietate in fauorem filiorum habentium huiuſmodi bona aduentitia. Cum igitur poſt mortem Patris bona aduentitia pleno iure tranſire debeant ad eos filios, quorum ſunt bona, quæritur, an quando Pater illa recipit, teneatur inuentarium de illis conficere ad effectum, vt conſtet de illorum dominio, & ne confundantur cum bonis patrimonialibus in præiudicium bona illa poſſidentium, ſeu habentium ius ad illa.

2 Rationes ſuadentes conficiendum eſſe inuentarium à Patre.

Et quidem cum proprietas pertineat ad filios, ad quos tandem debent deuenire, videtur neceſſario concludendum, debere de illis confici inuentarium ad ſimilitudinem bonorum fideicommiſſorum, quæ cum pleno iure non pertineant ad primum fideicommiſſarium, ſed tranſire debeant ad alios ſucceſſiuè vocatos, obligant eundem primum ad conficiendum libellum, in quo bona fideicommiſſa deſcribantur ad effectum, vt haberi poſſit plena notitia, & diſtincta eorundem bonorum, ne controuerſię oriantur, quãdo ſunt reſtituenda vocatis.

3 Rationes pro contraria opinione.

Nihilominus *Marc. Sill. apud Silueſtrum verb. peculium* 1. *q.* 20. ſuſtinet Patrem non teneri de illis bonis facere inuentarium, atque ità deciſum fuiſſe Bononiæ plenè teſtatur. Rationem triplicem huius ſuæ aſſertiones reddit, quarum prima fundatur in iure, quod habet Pater non reddendi rationem de illis bonis, præcipuè, ſi fuerint bona mobilia, quæ potuit inſumere in vtilitatem eiuſdem filij, & familiæ; Secunda fundatur in negatione iuris præſcribentis talem confectionem, quatenus ſcilicèt non eſt aſſignabile ius, quod hanc præſcribat. Tertia fundatur in iure conſuetudinario, ſecundum quod huiuſmodi inuentaria in ſimilibus non conficiuntur. Quid igitur concludendum? Fateor mihi magnam vim facere auctoritatem præallegatorum DD. cum aliud in iure, nec apud DD. diſpoſitum inueniam. Nihilominus

4 Probabilius tenetur conficere inuẽtariũ, vel declarare, quænam ſint bona aduentitia filij.

Reſpondeo, probabilius eſſe ipſum teneri ad talem libellum conficiendum, vel ſaltem declarandum, quænam ſint huiuſmodi bona, quæ ſpeciali iure proprietatis pertinent ad aliquem particularem filium, vbi ex alijs documentis non conſtaret. Ratio ex eo deſumitur, quia Pater tenetur huiuſmodi bona quoad proprietatem ſeruare illi filio, reſpectu cuius dicuntur aduentitia, cum illorum ſit adminiſtrator, & ſolummodò vſufructuarius, ergo tenetur ea præſtare, quæ ſunt neceſſaria, vt eadem proprietas ipſi ſeruetur, & ne confundatur cum cæteris bonis patrimonialibus, ità vt controuerſia inter fratres oriatur in diuiſione, & ne defectu notitiæ habens bona aduentitia ſuccumbat; hoc autem congruentius nequit efficere, quam conficiendo libellum, in quo bona illa deſcribantur, vel declarando &c. Verum tamen eſt, quod, ſi huiuſmodi bona conſiſtant in rebus vſu conſumptibilibus, & inſumantur per Patrem in commodum eiuſdem filij, & familiæ, non teneatur de illis rationem reddere, ſiquidem, ex quo habet vſum, per quem conſumuntur gaudendo vſu, & vſufructu vtitur iure ſuo, & propterea &c.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam, quod quamuis Pater habeat ius, ratione cuius non poſſit compelli à filio ad reddendum rationem, habeat tamen onus ſaltem in foro conſcientiæ ad ſeruandam proprietatem illorum bonorum illæſam, & ea præſtanda, quæ neceſſaria ſunt, vt filius poſſit ipſo mortuo proprietatem illorum conſequi, & ne in diuiſione cum cæteris fratribus iure ſibi competente fraudetur. Ad ſecundam dicendum eſt, quod quamuis in iure formalitèr, & expreſsè non ſit diſpoſitum, vt conficiatur, ſit tamen implicitè, & æquiualentèr, ex eo quod in ſimilibus, in quibus facienda eſt reſtitutio, puta in fideicommiſſis, pręſcribatur. Ad tertiam illud ius conſuetudinarium tantum vigere, quando aliundè conſtat de talibus bonis aduentitijs, puta per publicas tabulas, vel documenta, vel quando Pater declarat &c. 5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

---

§. XII.

An, ſi frater habeat cum alio bona indiuiſa, & ſocietatem cum eodem ſimplicitèr teneatur conferre lucra bonorum aduentitiorum.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes lucra illa non eſſe conferenda. 2.
Rationes ſuadentes oppoſitum. 3.
Si illud lucrum extiterit pro tempore diuiſionis cum cæteris fratribus, illud non eſt ex neceſſitate cum illis conferendum. 4.
Si illa lucra cum lucris bonorum patrimonialium fuerint inſumpta in vſibus ſocietatis, non ſunt probabilius conferenda. 5.

Diſqui-

Digitized by Google

1 *Facti ſeries expoſita.*

DIſquiſitio XII. Dum Caius Pater Titij viueret, idem Titius, vel propria induſtria, vel hæreditate ſibi delata, vel ſucceſſione cõſecutus eſt plurima bona aduentitia, quæ quoad vſumfructum deuenerunt ad Patrem. Mortuo poſteà Caio Patre bona indiuiſa hæreditaria permanſerunt cum alijs fratribus, quos habebat ex eodem Caio Patre Titius, nec etiam bona illa aduentitia fuerunt ſeparata; quinimmo inter ſe ipſi fratres ſocietatem inierunt ſimpliciter nulla facta expreſſione de illis bonis aduentitijs. Quæſitum hic fuit, an lucra correſpondentia bonis illos aduentitijs Titij ex vi illius ſocietatis ſimpliciter eſſent conferenda cum cæteris fratribus?

Bona aduentitia poſt mortem Patris tranſeunt pleno iure in filium.

Bona illa poſt mortem Patris pleno iure, tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum pertinere ſecundum ſe ad eundem Titium indubitati iuris eſt, per textum *in §. ſancitum Inſtit. per quas perſonas nob. acq.*, ſed, an ex vi illius ſocietatis ſaltem, quoad lucra ſint cõmunia cæteris fratribus, hoc eſt baſis præſentis controuerſiæ. Pro qua

2 **Rationes ſuadentes lucra illa eſſe conferenda.**

Videtur dicendum, quod lucra illa nõ teneatur conferre, quia quidquid frater ſolus expendit de ſuo in re communi, poteſt in eius rei diuiſione repetere, per textum *in l. in hoc iudicium ff. communi diuid.*, quod ex contrario ſenſu etiam euincitur, quod, ſi ex communibus bonis aliquid expẽdatur in commodum vnius dumtaxat, debet in communi diuiſione illud computari in parte illius, cuius commodo facta fuit illa expenſa *Speculator tit. de iudicijs §. ſequitur in vers. quid ſi vnus*, ergo, ſi ex bonis vni pleno iure competentibus aliquid expendatur in commodum totius ſocietatis, illud erit ex bonis omnium computandum. Nihilominus

3 **Rationes ſuadentes oppoſitũ.**

Alij contrarium ſentiunt, quia, cum inter eos intelligatur contracta ſocietas conuiuendi, quia ad vnum panem, & vinum viuebant, nulla videtur conſideratio habenda ad illud lucrum bonorum aduentitiorum, quia ſocietatis iure intelligitur quodamodo conſumptum, prout habetur *in c. ſi duo fratres de fratribus de nouo benef. inueſt. in vſi feud.*

4 **Illud lucrũ, ſi extet pro tẽpore diuiſionis non eſt conferendum.**

Reſpondeo primo, ſi illud lucrum bonorum aduentitiorum pro tempore diuiſionis cum cæteris fratribus adhuc extiterit, non tenetur habens illa bona aduentitia illud conferre cum cæteris fratribus *Baldus in l. cum duobus ff. pro ſocio*, cui adhærere videtur, *Siluester verb. peculium 2. q. 22. in princip.* Ratio ex eo deſumitur, quia non oritur onus collationis, nec ex vi communionis in bonis, nec ex vi ſocietatis, néc ex præſumpta voluntate habentis talia bona aduentitia, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia ex eo præcisè, quod habeat bona adhuc indiuiſa, non intelligitur ille, qui habet maius, & ſpecialius ius in aliquibus ex illis bonis cedere iuri ſuo ad illa conſequenda, & fructus ipſorum; quoad ſecundam etiam euincitur, quia ſocietas illa non intelligitur ad omnia bona, ſed ſolummodo ad patrimonialia, quæ debent æqualitèr diuidi inter fratres, qui omnes habent æquale ius ad ipſa; nec præſumẽdum eſt, vbi aliter expreſsè non conſtet, quod habens ſpeciale, & diſtinctum ius ad aliqua bona, in quibus ex natura ſua non communicat cum alijs, voluerit illa etiam quoad lucra facere communia; quoad tertiam etiam ſic euincitur; quia ex quo illa lucra non fuerint inſumpta, ſed reſeruata præſumitur, quod habens ius ad illa voluerit reſeruare tanquam propria, adeoq; non conferre cum alijs.

5 **Si lucra illa fuerunt inſumpta cũ lucris patrimonialibus in vſibus ſocietatis non ſunt conferenda.**

Reſpondeo ſecundo, ſi illa lucra bonorum aduentitiorum fuerint inſumpta ſimul cum lucris bonorum patrimonialium in vſibus, ad quos inita eſt ſocietas inter fratres ex præſumpta voluntate fratris habentis illa bona aduentitia in diuiſione cum cæteris fratribus non videtur ratio habenda de illo lucro bonorum aduentitiorum inſumpto in illis vſibus, ad quos ordinata fuit ſocietas *Baldus in d. l. cum duobus ff. pro ſocio, Siluester eod. verb. peculium 2. q. 22.*, Hoc videtur colligi *ex c. ſi duo fratres de fratribus de nouo benef. inueſt. in vſib. feu.*, & hoc iure communis menſæ.

§. XIII.

An, ſi filio familias legetur non proprietas alicuius boni immobilis, ſed vſuſfructus dumtaxat, poſſit idem filius de tali vſufructu inſcio Patre diſponere.

SVMMARIVM.

Caſus cum rationibus Patris. 1.
Exceptiones. 2.
Replicationes Patris aduerſus exceptiones filij. 3.
Filius poteſt diſponere de tali vſufructu ſibi legato. 4.
Satisfit rationibus pro Patre. 5.

1 **Caſus cũ rationibus filij.**

DIſquiſitio XIII. Legauit Caius in ſuo vltimo teſtamento Franciſco filio familias Antonij vſumfructum dumtaxat alicuius proprietatis conſiderabilis, quo gauderet pro tempore ſuæ vitæ, &

deindè

Digitized by Google

deindè alteri reſtitueretur. Contendebat Antonius vſumfructum illum ſic legatum Franciſco filio ſuo ad ſe deuolui eo modo, quo ad ipsũ deuoluitur vſusfructus quorumcunque bonorum aduentitiorum filiorum ſuorum. Quæſitum hic fuit quid iuris?

Excipiebat aduerſus Patrem Franciſcus multis rationibus, & quidem conuincentibus, & primo, quod illud legatũ
2 Exceptiones Patris
non erat ipſi factum intuitu, & contemplatione Patris, ac proindè non tanquam profectitium, ſed tanquam aduentitium, ratione cuius aliquod ius debet ipſi competere; nullum autem ius ipſi competeret, ſi vſusfructus deuolueretur ad Patrem. Secundo, quia vſusfructus non poteſt ſtatui ſupra vſumfructum ipſum, nam hic nihil aliud eſt, quam vtilitas, & commoditas rei; vnde ſicuti ex communi Iuriſtarum conſenſu ſeruitutis non poteſt eſſe ſeruitus, ita nec poteſt eſſe vſusfructus eiuſdem vſusfructus. Tertio, quia, ſi quis reliquerit filiofamilias bona aliqua cum expreſſa conditione, ne vſusfructus illorum tranſeat ad Patrem, re vera ille vſusfructus pertinet ad filium per ea, quę allegatis ſuperius iuribus latè docuimus, & tradunt *Nauarrus in manual. c. 17. num. 142., & ſeq., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 4. dub. 3. num. 10., & alij communitèr*, ergo vſusfructus ſimplicitèr legatus filiofamilias ad eundem debet pertinere, non ad Patrem, quandoquidem ex quo legauit filio ipſum, præcisè præſumitur voluiſſe ad ipſum pertinere priuatiuè quoad Patrem, quia filio voluit benefacere.

Replicabat Antonius Pater aduerſus filium ex illo legato competere aliquod
3 Replicationes filij aduerſus exceptiones Patris.
ius filio, nam, ſi Pater præmoritur ad ipſum filium pleno iure vſusfructus tranſiret ad ipſum filium, adeoque in ordine ad eundem filium non fore fruſtraneum. Ad ſecundum aſſerebat non ſtatui vſumfructum ſupra vſumfructum, ſed vſumfructum eundem relictum filio immediate ex diſpoſitione iuris tráſire ad Patrem, & ſic non eſſe ſeruitutis ſeruitutem. Ad tertium, tandem concludebat, quod ex eo, quod vſusfructus fuerit relictus filio ſine excluſione Patris, intelligatur relictus conformitèr ad diſpoſitionem iuris, ſecundum quam vſusfructus bonorum pertinentium ad filios familias pertinet ad Patrem, nec currit paritas in exemplo allato, quando teſtator expreſsè ſua voluntate excluſit, ne vſusfructus deuolueretur ad Patrem. His ergo pro vtraque parte extantibus, quid erit concludendũ.

Reſpondeo potiora eſſe iura filij excipientis, prout docet *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 4 dub. 3. nu. 10.*, hancque arbitror communiorem eſſe DD. opinionem. Exceptiones pro ipſo adductæ ſatis efficacitèr hoc euincunt; nec obſtant replicationes patris aduerſantis, quandoquidem
4 Filius poteſt diſponere de tali vſufructu.
non eſt præſumendum, quod teſtator voluerit ſolummodo fauere filio in caſu prędeceſſus Patris, ſed abſolutè ab obitu eiuſdem teſtatoris, cum non reliquerit intuitu, & contemplatione Patris, ſed præcisè eiuſdem filij legatarij. Ad ſecundam replicationem Patris, dic gratis omnino confingi, quod vſusfructus immediatè
5 Satisfit rationibus Patris.
tranſeat ad Patrem, cum obſtare videatur voluntas teſtatoris intendentis beneficium filij. Ad tertiam non poteſt eſſe rationabilis præſumptio, quod voluntas teſtatoris cõformetur diſpoſitioni iuris volentis in bonis aduentitijs vſumfructum pertinere ad Patrem, cum ſolum in diſpoſitione teſtamentaria reſpexerit ad beneficium, & commodũm filij. Deindè iura non diſponunt, quod quando ſolummodo relinquitur vſusfructus filio, ille pertineat ad Patrem, ſed tantum, quod vſusfructus pertineat ad Patrem, quando bona abſolutè relinquuntur filio, adeoq; &c.

---

§. XIV.

An, ſi frater, ſimul cum Patre ſuccedat in bonis fratris, vel ſororis vſusfructus bonorum pertinentium ad ipſum fratrem ſuccedentem pertineat ad Patrem.

SVMMARIVM.

Elucidatur factum in terminis particularibus. 1.
Rationes ſuadentes vſumfructum illum pertinere ad Patrem. 2.
Vſusfructus illorum bonorum pertinet ad filium. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

DIſquiſitio XIV. Suppono, quod ex aliqua iuris diſpoſitione, vel ex aliqua conuentione fratri prædefuncto debeat ſimul cum Patre frater ipſius ſuccedere. Præmoritur Caius filius Antonij, & frater Franciſci ex eodem Antonio; in aditione hæreditatis eiuſdè Caij prædefuncti ſecundum æqualitatẽ diuiſionis plurima bona contingunt Antonio Patri, & Franciſco fratri æquiualentia. Hic orta eſt controuerſia, an bonorũ, quæ ex tali ſucceſſione contigerunt Franciſco fratri, vſusfructus pertineat ad Antonium Patrem.
1 Facti expoſitio.

Videtur abſolutè dicendum, talium bo-

 norum

norum vſumfructũ pertinere ad Patrem, quandoquidem illa bona videntur aduentitia, cum ad filium non deueniant intuitu, & contemplatione Patris, ſed proprio iure ex diſpoſitione iuris, vel conuentione, bona autem aduenticia, quando aliter non eſt expreſſum, pertinent quoad vſumfructum ad Patrem, & quoad proprietatem ad filium, prout omnia iura clamant *in l. non ſolum, & l. cum oportet C. de bon., quæ lib.*, ita, vt filius de illis non poſſit viuente Patre teſtari *c. licet pater de ſepult. in 6*. Nihilominus

2 Rationes ſuadentes pertinere ad Patrem

Reſpondeo abſolutè in tali hypotheſi vſumfructum illorum bonorum non pertinere ad Patrem, ſed ad filium *Silueſter verb. peculium 1. q. 3., Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 4. dub. 3. n. 11., Nauarrus in manuali c. 17. nu. 143.*, Expreſsè colligitur *ex auth. item C. de bon., quæ lib.* Ratio huiuſmodi iuris, & reſponſionis ex eo videtur deduci, quod non alia ratione vſusfructus bonorum aduentitiorum deuoluitur ad Patrem, niſi quia ita diſpoſitum eſt in iure, cum de iure naturæ filius non teneatur vſumfructum Patri concedere, vt aſſerit *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 70.*, ergo, vbi ceſſat ius poſitiuum obligans ad transferendum illum vſumfructum in Patrem, poterit filius illum detinere; ceſſet autem in præſenti hypotheſi, cum à regula generali fiat exceptio, quãdo ſimul cum Patre ſuccedit frater alteri fratri prædefuncto per textum *in d. auth. item C. de bon. quæ lib.*

3 Ille vſuſfructus pertinet ad filium.

Si autem inquiras, in quo fundetur ratio talis exceptionis, dicam in eo fundari, quia, cum ſuccedat ſimul cum Patre, non vt faciens quid vnum cum eodem Patre, ſed vt perſona diſtincta ab eodem Patre, & vt habens æquale, & diſtinctum ius ab eodem Patre, non debet per eandem actionem, per quam conſideratur, vt perſona diſtincta, & habens diſtinctum ius, & concurrens cum eodem ad faciendam partem diuerſam communicare in eiſdem bonis, in quibus habet diſtinctum ius cum eodem Patre ipſi acquirendo vſumfructum, nec æquum eſt, vt in eo, in quo diuidunt, communicent.

Non ſuccedit, vt faciens quid vnum cum Patre.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, iam patet quid reſpondendum; quamuis enim ſecundum regulam generalem Pater acquirat vſumfructum bonorum aduentitiorum filij; fallit tamen quando eſt exceptio ſpecialis in iure, vt in caſu præſenti.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

✠✠✠✠✠
✠✠✠✠
✠✠

---

§. XV.

An hæredes mariti teneantur integram dotem reſtituere vxori quantumuis maritus viuens plura circa ipſam inſumpſerit ſuperflua.

SVMMARIVM.

Status difficultatis exponitur. 1.
Per hæredes mariti dos eſt integrè reſtituenda. 2.
Rationes in fauorem dotis afferuntur. 3.
Si inſumpſerit maritus viuens in ornatus ſuperfluos vxoris, qui adhuc perſeuerant, ſunt reſtituendi hæredibus mariti. 4.

DIſquiſitio XV. Contulerat Caia vxor Ferdinando marito ſuo in dotem duo millia auri. Ipſe Ferdinandus maritus, dum viueret, plurima pretio magno æſtimabilia inſumpſit circa ipſam in pompis inanibus, & ſuperfluis cum magno diſpendio rerum ſuarum domeſticarum, & iactura. Mortuo poſtea marito Caia vxor agebat ad conſecutionem integræ ſuæ dotis aduerſus hæredes, qui contra ipſam excipiebant opponentes eius cauſa factam fuiſſe iacturam plurimam in re familiari Ferdinandi mariti, pro qua compenſationem exigebant. Quæſitum fuit quid iuris?

1 Factum in ſuis terminis.

Reſpondeo, per hæredes Ferdinandi mariti reſtituendam eſſe integrè dotem Caiæ vxori, non obſtante, quod maritus ipſe plurima ſuperfluè inſumpſerit in ornatu, & pompis eiuſdem vxoris *Nauarrus in man. c. 17. n. 155.* Ratio ex eo deducitur, quia ex genere ſuo tenetur maritus conſeruare dotem vxori, & ideo iura conſtituunt maritum dominum eiuſdem *l. dote ancillam C. de rei vendicat. & l. in rebus C. de iur. dot. & c. per veſtras de donat. inter vir. & vxor.* Confirmatur, quia vbi alitèr non eſt expreſſum, præſumendum eſt, quod maritus fecerit illos ſumptus ad decorem proprij ſtatus, & familiæ, & non cum animo repetendi, ſed donandi, ergo ratione eorundem non poterunt hæredes tantum retinere de dote, quantum in illis cauſis fuit per maritum inſumptum. Confirmatur ſecundo, quia conſtante matrimonio, & eidem conſtituta dote per vxorem, vel parentes ipſius tenetur maritus eam decenter alere, eaque præſtare, quæ ſunt congrua proprio ſtatui, & eiuſdem vxoris, ergo, ſi quid aliud præſtiterit, quod ſit ſuperfluum eidem ſtatui, ex li-

2 Per hæredes mariti dos eſt integrè reſtituenda.

3 Rationes in fauoré dotis afferuntur.

Digitized by Google

ex liberalitate præſtitiſſe cenſendus eſt, non verò cum animo repetendi in præiudicium fundi dotalis ipſius vxoris; nec hic conſideranda eſt illa iactura in rebus familiaribus mariti proueniens ex illis impenſis ſuperfluis in fauorem eiuſdem vxoris; quandòquidē illa iactura facta eſt ex arbitrio voluntatis ipſius mariti, qui ſecuti potuit, dum viueret, de rebus ſuis diſponere etiam in alios vſus ſuperfluos prodigendo, proiiciendo &c. ità potuit inſumere in vanos, & ſuperfluos ornatus propriæ vxoris &c.

4 Si inſumpſerit in res pretioſas, quæ perſeuerant, ſunt reſtituēdę hæredibus mariti.

Verumtamen eſt, quod, ſi maritus inſumpſerit in vanos ornatus mulieris, puta in veſtes pretioſas, annulos, catenulas aureas, & ſimilia, quæ adhuc perſeuerent, præſumantur ſolummodò conceſſa ad ornatum, non autem, vt pleno iure fierent eiuſdem mulieris, quæ propterea poſt obitum mariti diſſoluto matrimonio erunt reſtituenda hæredibus eiuſdem mariti iuxtà diſpoſitionem, vel iuris communis, vel iurium municipalium cuiuſcunque regionis.

---

§. XVI.

An ſoluto per mortem mariti matrimonio, filia poſſit pro libertate diſponere de dote aduentitia.

SVMMARIVM.

Diſquiſitio expoſita in terminis particularibus. 1.

Diſcrimen inter dotem aduentitiam, & profectitiam. 2.

Diſſoluto per mortem mariti matrimonio filia familias pleno iure gaudet dote aduentitia. 3.

Cur filiafamilias ſit magis priuilegiata in ſua dote, quam filius familias in dote ſibi tradita ab vxore. 4.

1 Exponitur ſtatus diſquiſitionis.

DIſquiſitio XVI. Conſtituta filiæ familię dote aduentitia, & contracto per eandem matrimonio cum Caio contigit, vt idem Caius præmoreretur, & ſic diſſolueretur matrimonium. Reſtituta per hæredes Caij dote contendebat Pater eiuſdem filiæ familias vſumfructum dotis ſibi competere, quouſque eadem filiafamilias ſecundò nuberet, aduerſus quem excipiebat eadem filia de pleno iure ſibi competente. Quæritur iam quid iuris? Pro ſolutione.

Aduerte in eo differre dotem aduentitiam à profectitia, quod illa non à patre, aut parente de eius bonis proficiſcitur, aut profecta eſt, ſed data, & conſtituta ab alijs perſonis, puta vel ab ipſa muliere, vel ab extraneo per textum *in l. profectitia §. ſi pater §. ſi quis certam ff. de iure dot. & l. vnica §. & vt plenius C. de rei vxor. act.*, *Ioannes Boſcheius de legit. nupt. lib. 3. n. 18.*, *Campeggius de dote part. 1. qu. 10.*, *Merlinus de legitim. lib. 2. tit. 2. q. 18. nu. 37.*, *Camillus Borellus in ſumma deciſ. tom. 3. tit. 4. n. 16.*, *Mantica de tac. & ambig. lib. 12. tit. 8. n. 1., & ſeqq.*; iſta vero eſt, quæ à Patre, vel parente profecta eſt de bonis, vel facto eius *l. profectitia in princip. ff. de iure dot.*, & DD. omnes præallegati; ex quibus habes, quod ad hoc, vt dos dicatur profectitia, duo capulatiuè requirantur; primum, vt à Patre, vel parente paterno proficiſcatur. Secundum, quod ſit de bonis eiuſdem Patris, vel parentis, vel datis contemplatione eiuſdem Patris, ſeu parentis. Intuitu primi dicitur etiam proficiſci à patre, vel parente, ſiue immediatè tradatur per ipſum, ſiue per alium de ipſius mandato per textum *in d. l. profectitia ff. de iur. dot.* item ſi fuerit promiſſa à Patre, & pro ea datur fideiuſſor per textum *in d. l. profectitia §. ſi filius familias dotem*. Intuitu ſecundi non dicitur dos profectitia, ſed aduentitia, ſi fuerit ſoluta à Patre, non tanquam Patre, ſed tanquam fideiuſſore alterius, qui illam promiſit per textum *in d. l. profectitia §. ſi pater non quaſi Pater*, quia, quamuis illa ſint bona patris, non proficiſcuntur tamen tanquam à Patre, ſed alio titulo, item ſi fuerit ſoluta à Patre de bonis alteri debitis, qui alter iuſſerit Patrem ex illis conferre dotem filiæ. Alia plura quoad hæc vide penes *Ioannem Angelum Boſſium tract. de dote c. 3. à n. 10. ad 28.* 2 Diſcrimē inter dotē aduentitiam, & profectitiam.

Reſpondeo, ſoluto per mortem mariti matrimonio filia familias vidua gaudet pleno iure de ſua dote aduentitia tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum priuatiuè etiam quoad Patrem *Baldus nouellus de dote part. 6. priuileg. 33., & duob. ſeqq. & part. 8. priuil. 10.*, *Conſtantinus Rogerius de dote q. 10. nu. 18.*, *Mantica de tac. & ambig. lib. 12. tit. 9. n. 15. & 16.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote cap. 3. n. 92.*, & alij communitèr. Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis de iure codicis *in l. quod ſcitis, & in l. cum opportet C. de bon. quæ lib.* generalitèr ſtatutum ſit, quòd bona aduentitia filiorum familias pertineant quoad proprietatem ad eoſdem filios, & quoad vſumfructum ad Patrem, hoc tamen non extenditur ad bona dotalia aduentitia, ſiue data ſint, ſiue promiſſa filiæ maximè poſt ſolutum matrimonium per mortem mariti. Ratio autem, cur non extendatur, ex eo deducitur, 3 Diſſoluto per mortem mariti matrimonio filia familias pleno iure gaudet dote aduētitia.

Rationes euincentes reſpõſionem.

quia iura Codicis *in d.l. quod ſcitis, & l. cum oportet C. de bonis quæ lib.* corrigunt dumtaxat ius antiquum digeſtorum *in l. placet ff. de acquirend. hæred.*, in quo dicebatur, quod bona aduentitia filiorum pleno iure acquirerentur Patri tam quoad proprietatem, quam quoad vſumfructum; vnde eadem iura Codicis voluerunt, quod proprietas ad filium, vſusfructus ad Patrem dumtaxat perueniret; ius autem antiquum digeſtorum non comprehendebat dotem aduentitiam datam, vel promiſſam filiæ, ſed illa pleno iure pertinebat ad eandem filiam familias *l. Pomponius Philadelph. ff. famil. erciſ.*, & probat *Baldus nouellus de dote part. 6. priuileg. 33.* per textum *in l. Caius ff. ſolut. matrim.*, & per conſequens non intelligitur quoad talem dotem, quæ in ipſo non con-nebatur, moderatum, ſed in alio iure non correcto ſubſiſtere in ſuo robore.

Neque dicas, quod filius familias in dote, quæ ipſi, vel patri datur ab vxore, vel parentibus ipſius, acquirat ſolummodo proprietatem, cum vſusfructus pertineat ad Patrem per textum *in l. 1. & 2. C. de bon. mater.*, ergo filia familias in dote ſibi data, vel promiſſa poſt ſolutum matrimonium per obitum mariti acquiret ſolummodò proprietatem tranſeunte vſufructu ad Patrem, cæteroqui in dote aduentitia eſſet magis priuilegiata filia familias, quam ſit filius familias in dote, quæ ipſi, vel eius patri datur ab vxore, vel ſocero, quod non eſt dicendum; contrà enim impugnaberis, quia iura nullam abſurditatem cognoſcant in eo, quod filia familias ſit magis priuilegiata in ſua dote, ac ſit priuilegiatus filius familias in dote ſibi, vel Patri data ab vxore, vel ſocero, cum etiam antiquitùs de iure digeſtorum filius familias non haberet in dote vxoris, nec dominium, nec vſumfructum, cum tamen filia familias haberet in ſua plenum ius, & licet modo de iure Codicis filius familias habeat ius proprietatis in dote ſuæ vxoris, & non vſumfructum, cum hic pertineat ad Patrem,

4 Eſt magis priuilegia ta filia familias quoad ſuã dotẽ aduentitiã, quã filius familias quoad dotem ſibi datam ab vxore.

non tamen ſequitur, quod etiam filia in ſua dote habeat tantum ius proprietatis, non vſusfructus, cum ius codicis non reſtringat ea, quæ antiquitùs diſpoſita erant de filia familias quoad ſuam dotem aduentitiam. Deindè vſusfructus dotis datæ filio familias ab vxore, vel ſocero pertinet tantum ad Patrem, ſi ſuſtineat onera matrimonij, & non aliter *Baldus nouellus tract. de dote part. 6. priuileg. 37. n. 1. Petrus Barboſa in l. ſi cum dotem §. tranſgrediantur n. 25. in fin. ff. ſolut. matrimonio.*

Confirmatur reſponſio per textum *in l. Caius ff. ſolut. matrim.*, vbi, vim ageretur de nepti, quæ erat ſub patria poteſtate, & quæreretur, cui competeret actio ad dotem ab auo materno conſtitutam reſpondit Paulus I. C. fauore nuptiarum eam actionem competere nepti, ac proinde videtur negare de patre, & hæredibus per textum *in l. cum prætor ff. de iud.*

Filia familias poteſt de illa dote diſponere.

Ex dictis inferes, quod filia familias poſt obitum viri ſui, ſi penes ſe retineat dotem, vel de ea diſponat non conferendo cum Patre, nec quoad vſumfructum, non peccet contrà iuſtitiam, nec teneatur ad aliquam reſtitutionem; vndè etiam eadẽ filia familias eſt legitima adminiſtratrix ſuæ dotis, prout probant *Baldus Nouellus de dote part. 9. priuileg. 8., Petrus Barboſa ad l. 46. n. 28. ff. ſol. matrim.*

---

§. XVII.

Cui competat dos profectitia filiæ familias poſt obitum viri, & cui actio dotis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Proprietas dotis profectitiæ pertinet ad filiam. 2.
Pater conſtituens dotem filiæ cenſetur donare. 3.
Donatio facta à Patre filiæ tenet cauſa dotis. 4.
Non eſt neceſſe, quod filia præſens acceptet. 5.
Vſusfructus talis dotis reuertitur ad Patrem vſque ad alias nuptias, ſi filia alatur à Patre. 6.
Actio de dote profectitia eſt communis Patri, & filiæ. 7.
Eſt vna, & eadem actio vtrique in ſolidum competens. 8.
Hæc actio, vt competens vtrique eſt perſonalis, vt competit filiæ per vendicationem, eſt realis. 9.
Exercitium talis actionis perſonalis competit Patri de conſenſu filiæ. 10.

DIſquiſitio XVII. Dictum fuit in præcedenti paragrapho dotem profectitiam illam eſſe, quæ proficiſcitur à Patre, vt patre, & de bonis eiuſdem per textum *in l. profectitia ff. de iure dotium.* 1 Status cõtrouerſiæ expoſitus.
Hoc ſuppoſito Pater, vt pater contulit de bonis ſuis proprijs dotem ſuæ filiæ familias, quæ contraxit matrimonium cum Theodorico; diſſoluto poſtea matrimonio per mortem eiuſdem Theodorici quæſitum fuit, cui acquireretur illa dos tam quoad dominium, quàm quod proprietatem, & cui competat actio de dote

Digitized by Google

in ordine ad illam, an Patri, an verò eidem filiæ, an verò vtrique.

2 Proprietas dotis profectitiæ pertinet ad filiam.

Reſpondeo primo, Dominium, ſeu proprietatẽ dotis huiuſmodi profectitiæ pertinere ad filiam familias *Menochius de præſumptionibus lib. 3. præſumpt. 29. nu. 80., & de arbitrarijs lib. 2. caſ. 88. n. 39., Maſcardus de probat. concl. 572. num. 6., Camillus Borellus in ſumma deciſ. part. 3. tit. 4. à n. 54. ad 58., Stephanus Gratianus tom. 2. diſcept. for. c. 301. nu. 30., Paſchalis de virib. patriæ poteſt. part. 2. c. 4. nu. 35. & à nu. 69. ad fin.* Ratio ex eo deducitur, quia Pater conſtituendo dotem filiæ familias intelligitur eandem donare, ſeu conſtituere cum animo donandi *Salicetus in l. ex morte C. de pact. conuent., Caphalius conſ. 713. n. 5. vol. 5. Alexander conſ. 99. n. 2. vol. 7.* quinimmò nedum donare, ſed etiam munus adimplere, ad quod tenetur *l. ſi cum dote §. ſi pater ff. ſol. matrim. & l. cum dotem ff. de iur. dotium*; vnde eadem conſtituta non poteſt pater amplius eam reuocare *Iaſon in l. ſi extraneus num. 16. ff. de cond. ſi ob cauſam, Decius conſ. 35., Ioannes Crottus in repet. l. ſi conſtante in ſecunda lectura nu. 19. ff. ſolut. matrim.*, quod etiam expreſsè euincitur *in l. fin. C. de dotis promiſſione*; eorum autem, quorum fit donatio, vel ex libera voluntate, vel quodamodo ex debito, dominium tranſit ad donatarium ex vulgat. iur.

3 Pater cõſtituẽs filiæ dotem intelligitur donare.

4 Donatio facta à Patre cauſa dotis filiæ tenet.

Neque obeſſe poteſt, quod donatio facta à Patre filiæ in poteſtate conſtitutę non valeat *l. 1. §. ſi pater ff. de vſucap., Paſchalis de virib. patriæ poteſtatis part. 2. c. 4. n. 21. & ſeqq.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia regula illa fallit fauore dotis, ſi ſcilicèt illa donatio facta ſit cauſa dotis *l. Pomponius Philadelph. ff. famil. ercìſ., Romanus in l. ſi extraneus n. 3., & Iaſon ibid. n. 16. ff. de condict. ob cauſ.*, & quodamodo ex debito paterno per textum *in l. ſi cum dote §. ſi pater ff. ſolut. matrim.*

Si autem hic inquiras, an ad hoc, vt talis donatio cauſa dotis teneat, & transferat dominium in eandem filiam familias, requiratur, vt ipſa acceptet talem donationem, & ſit præſens, adeò vt ex contractu dotis inter alios celebrato mulieri abſenti non acquiratur ius. Reſpondendum erit, quidquid ex aduerſo ſenſerit *Caſtrus Palaus de iuſt. tract. 32. diſp. 9. punct. 1. n. 3.* non eſſe neceſſe, quod ſit præſens, & acceptet *Bartolus in l. ſi creditores in fin. C. de pactis, Baldus in l. 3. §. fin. ff. de negot. geſt., Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil. 80. n. 2., Natta conſ. 253. n. 3. lib. 2., Auguſtinus Barboſa collect. ad l. vnicam nu. 58. C. de rei vxor. act.* Ratio ex eo deducitur, quia, quamuis regularitèr donatio non teneat, niſi ſit acceptata, fallit tamen fauore dotis, ratione cuius, nec eſt neceſſe, quod filia familias actum inter Patrem, & Notarium ratum habeat, quia ipſo iure actio ipſi acquiritur abſque ratihabitione *l. 1. §. accedit C. de rei vxor. act.*

5 Non eſt neceſſe, quod filia preſẽs acceptet.

Reſpondeo ſecundo, vſusfructus huiuſmodi dotis profectitiæ filiæ familias pertinet ad Patrem, ad quem reuerti debet, niſi aliud in conſtitutione eiuſdem dotis fuerit ſtipulatum, quouſque eadem filia ſecundo nubat, ſi tamen pro eo tempore alatur à Patre. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo quotquot ſuſtinent dotem profectitiam filiæ poſt mortem mariti reuerti ad Patrem, à quo profecta eſt, prout habetur *in l. Titia 35. ff. ſol. matrim. auth., ſed quamuis C. de rei vxor. act.*, & ſentiunt *Rota Roman. deciſ. 708. num. 4. part. 1. in recentioribus apud Pharinacium Caſtrenſis cons. 11. lib. 1., Salingerus reſol. ciu. c. 100. n. 3.* Rationem ex eo deduco, quia iura quoad huiuſmodi dotes profectitias diſponunt, quod poſt mortem mariti reuertantur ad Patrẽ, à quo profectæ ſunt, & quod Pater teneatur eas tradere ſecundis maritis integras, & non diminutas, ſi filiæ ad ſecundas nuptias tranſierint, nec tamen dicunt, quod Pater teneatur tradere cum fructibus perceptis à die ſoluti primi matrimonij per obitum mariti, ergo, quia Pater gaudet vſufructu talium bonorum dotalium profectitiorum.

6 Vſusfructus talis dotis reuertitur ad patrẽ, vſq; ad ſecũdas nuptias, ſi filia datur à patre.

Reſpondeo tertio, actio de dote quoad dotem profectitiam eſt communis Patri, & filiæ *Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil. 80. n. 1., Campeggius de dote part. 3. q. 21., & ſeqq., Conſtant. Rogerius de dote q. 10. n. 3., Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 2. q. 54. n. 3.*, & expreſsè colligitur *ex l. 2. §. quod ſi patris ff. ſolut. matrim.* Si autem inquiras rationem, ob quam iura fecerunt hanc actionem communem; Dicam cum communiori DD. conſenſu, inter quos præcipuè *Gloſa in d. l. 2. §. quod ſi Patris ff. ſolut. matrim., & ibidem Bartolus, Baldus in l. vbi adhuc in 9. col. C. de iur. dotium, Campeggius de dot. part. 3. q. 21.*, ex duplici cauſa iura feciſſe hanc actionem communem, altera ſe tenente ex parte patris, altera ſe tenente ex parte filiæ. Prima eſt, ne, ſi filia haberet actionem integram ex ſe, dotem illam exigeret, & conſumeret in præiuditium Patris, quatenus hic teneretur de nouo eam dotare. Secunda, ne Pater dotem illam reciperet, & conſumeret in præiuditium filiæ, quæ remaneret indotata. Duplicem hanc cauſam conatur infringere *Petrus Barboſa ad d. l. 2. §. quod ſi Patris ff. ſol. matrim. num. 32., & ſeqq.*, & quidem primam, ea ratione, quia, ſi prima cauſa aſſignata eſſet ſufficiens, etiam

7 Actio de dote profectitia eſt cõmunis patri, & filiæ.

Rationes, propter quas eſt cõmunis talis actio

in

Digitized by Google

in ordine ad dotem profectitiam datam à Patre filiæ emancipatæ actio deberet eſſe communis Patri, & filiæ, nam, ſi filia illam conſumeret, teneretur Pater iterum eam dotare *per auth., sed quamuis C. de rei vxoriæ act., & l. fin. C. de dot. promis.*, nemo autem dicet, quod in ordine ad dotem profectitiam filiæ emancipatæ ſit communis actio Patri, & filiæ. Secundam vero cauſam conatur infringere ex eo, quod non ſit veriſimile Patrem dotem filiæ aſſignatam conſumpturum, præcipuè, cum ipſe teneretur eam de nouo ſoluere. Verum his rationibus non obſtantibus, huiuſmodi cauſas ſubſiſtentes exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 3. n. 129. in fin.*, & ad primam Petri Barboſæ obiectionem reſpondet, quod iura non ita facilem conſiderarunt in filia emancipata conſumptionem dotis, ſicuti in non emancipata, ſed exiſtente ſub patria poteſtate, cum non ita facilè parentes conſulant filijs, ſeu filiabus emancipatis, ſicuti exiſtentibus ſub patria poteſtate, vnde illæ debent magis ſibi præcauere; Idem ferè reſpondet ad ſecundam ſeruata proportione, cum ſit difficilior ſecunda dotatio conſumpta prima dote.

Varia dubia examinanda. Circa hanc reſponſionem plures inſurgunt rationes dubitandi. Prima eſt, qua ratione actio illa de dote ſit communis Patri, & filiæ. Secunda, an ſit talis actio perſonalis, & realis reſpectu vtriuſque. Tertia, qua ratione, quoue modo pater, & filia poſſint illa actione vti.

In ordine ad primam plurima extat inter DD. controuerſia; alij etenim aſſerunt talem actionem eſſe cōmunem vtrique prò parte, non in ſolidum eo modo, quo eſt communis actio inter ſocios, iuxta textum *in l. ſocius ff. ſi cert. pet.*, alij aſſerunt eſſe communem vtrique in eo ſenſu, quo vterque poteſt agere ad eandem dotem conſequendam, non in eo ſenſu, quod ſit vna, & eadem actio, per quam vterque poſſit agere, ſed vna ſit actio, quæ competit Patri, & alia diuerſa, quæ competit filiæ, nec hoc nouum debet apparere, cum etiam ex eadem iniuria in ordine ad plures perſonas conſurgant diuerſæ actiones, per textum *in l. Pater ff. de iniur.*, alij vero ſuſtinent eſſe vnam, & eandem actionem, & vtrique in ſolidum competentem, atq; ita ſentiunt *Gloſa in d. l. 2. §. quod ſi Patris verb. omiſſam ff. ſolut. matrim.*, & alij. Arbitror hanc tertiam opinionem tutiorem eſſe, & communiorem. Rationem

8 Eſt vna, & eadem actio vtriq; inſolidum cōpetens. ex eo deduco, quia ex pluralitate perſonarum non inducitur pluralitas dotium, cum ſit vna, & eadem, ergo non eſt neceſſe, quod multiplicentur actiones; Neque currit paritas inter actionem iniuriarum, & actionem dotis; nam ex pluralitate perſonarum inducitur pluralitas iniuriarum, ex pluralitate verò perſonarum non inducitur pluralitas dotium. Neque obſtare poteſt, quod dominium non poſſit eſſe apud duos in ſolidum *ex l. ſi vt certò §. ſi duobus ff. commodati*, non, inquam, obſtare poteſt, quia licet dominium eſſe nequeat apud duos in ſolidum, actio tamen perſonalis, quæ ſolum competit Patri, & filiæ ad dotem profectitiam, poteſt eſſe apud duos, vel plures; ratio diſcriminis ea eſt, quam aſſignat ex Bartolo, & Iaſone *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 3. nu. 132.*, quod ſcilicet non ſit inconueniens, quod vna, & eadem actio perſonalitèr pluribus conueniat, per textum *in l. ſi is, qui 17. ff. de oblig., & act.*, cum huiuſmodi ius per concurſum non minuatur, ſed præferatur ille, qui præuenit *l. ſi pluribus ff. de leg. 1.*, quod vero per concurſum non minuitur, poteſt eſſe apud duos inſolidum *l. in concedendo ff. de aq. plu. arc. l. fin. ff. vti poſſidetis*. Eſt autem inconueniens, quod dominium eiuſdem rei ſit apud duos inſolidum, per textum *in l. ſi vt certo §. ſi duobus ff. commodati, Bartolus in l. ſi pluribus nu. 2. in fin. ff. de legat. 1.*, cum dominium per concurſum recipiat diminutionem.

In ordine ad ſecundam dico actionem ad dotem, quæ competit patri, & filiæ ſimul eſſe perſonalem; actionem vero realem per rei vendicationem competere ſoli filiæ. Conſentit *Petrus Barboſa ad d. l. 2. §. quod ſi Patris nu. 26. verſ., & ideo reſpondendum, & vers. ex quibus ff. ſol. matrim., Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 3. n. 130.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia lex tribuens hanc actionem patri, & filiæ, ſimul generalitèr loquitur de actione dotis, & extenditur ad actionem, tàm ad petendam dotem datam in pecunia, quàm ad eandem petendam cōſiſtentem in rebus immobilibus, & per conſequens de actione perſonali apta ad petendam quamcunque dotem. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia actio realis præſuppohit dominium, ſeu quaſi dominium in agente, per textum *in l. in rem actio 23. ff. de rei vendicat.*, dominium autem dotis profectitiæ remanet ſolummodo penes filiam, non penes patrem, ex quo in ipſam translatum eſt per donationem; atque hanc partem præter præcitatos DD. ſuſtinent *Baldus Nouellus de dote part. 8. priul. 6. nu. 8., Campeggius de dote part. 3. q. 76., Petrus Barboſa loc. cit. n. 17., & n. 29. vers. verius ergo eſt.*

9 Actio ad dotē, quæ competit patri, & filiæ ſimul eſt perſonalis, quæ competit per vendicationem eſt realis.

In ordine ad tertiam, ſi loquamur de actione perſonali dicendum eſt, quod quāuis vtrique competat, exercitium tamen

Digitized by Google

10 men eiuſdem eſſe ſolius patris de conſenſu eiuſdem filiæ, per textum *in l. filiusfamilias 8. §. ſed & filiafamilias ff. de procurat.*, *Gloſa in l. 3. ff. ſolut. matrimon.*, nec incongruã ratione hoc inductum eſt, quandoquidem per hoc prouiſum eſt indemnitati filiæfamilias, ne ex facto patris præiudicium ipſi inferatur in dote, quæ eſt illius patrimonium. Hæc procedunt, quando filia eſt præſens, & præſtat conſenſum. Sed, an ſufficiat conſenſus tacitus, quatenus filia ſit præſens, & non contradicat Patri agẽti, an vero requiratur expreſſus, arbitror ſufficere tacitum, per textum *in d. l. 2. §. voluntatem ff. ſol. matrim.*, probabilius tamen eſt, quod requiratur expreſſus, cum lis conteſtatur, prout docet *Baldus in l. fin. C. de bon. quæ lib.* Hinc, ſi filia ſit abſens, & ignorans patrem agere ad exigendam dotem, pater debet præſtare cautionem de ratihabitione habenda per filiam, per textum *in d. l. 2. in fin. ff. ſolut. matrim.*, ſi vero ſit abſens, ſciat tamen patrem agere ad conſecutionẽ dotis, poterit pater agere ſine cautione de tali ratihabitione, per textum *in d. l. 2. in fin. ff. ſolut. matrim.* Ex aduerſo filia familias non poteſt validè agere ad conſecutionem dotis ſine conſenſu patris, propter eandem rationem; an vero requiratur conſenſus expreſſus patris, an vero ſufficiat tacitus, Gloſa *in l. cum dotem §. 1. ff. ſolut. matrim.*, *Campeggius de dote q. 78.*, arbitrantur, nec incongruè, nequiri expreſſum; ſed, ſi inquiratur, cur reſpectu filiæ agentis requiratur conſenſus expreſſus patris, reſpectu vero patris agentis ſufficiat tacitus eiuſdem filiæ familias; hoc arbitror ex eo prouenire, quia cum filia familias ſit in poteſtate patris, eiuſque actio vim, & robur ſortiatur à conſenſu eiuſdem patris, nõ videtur hæc eſſe efficax, niſi ſit veſtita eodem conſenſu non quomodocunque, ſed eodem expreſſo; cum etenim aliquid à iure requiritur, tanquam forma ad tribuendũ efficaciam actioni, hoc debet eſſe formalitèr, nec ſufficit, quod ſit interpretatiuè. Rurſus, ſi pater ſit abſens, non poteſt eadem filia familias agere, niſi præſtet cautionem de ratihabitione per patrem habenda; ſed, an ad eximendam eandem filiamfamilias, quando pater eſt abſens, ab onere talis cautionis ſufficiat, quod Pater ſciat eandem agere, negandum eſt, quia ex mox dictis non ſufficit conſenſus tacitus, ſed requiritur expreſſus. Si vero agamus de actione reali competenti ſoli filiæ; tunc etiam cum diſtinctione procedendum eſt, vel etenim filiafamilias intentaret talem actionem realem ipſo patrẽ præſente, vel ipſo abſente; ſi patre præſente vtique illam non poterit filiafamilias exercere, quia quantumuis ipſa ſit capax talis actionis, exercitium tamẽ eiuſdem pertinet ad Patrem, quando ipſe eſt præſens, & filia eſt ſub ipſius poteſtate *l. filiusfamilias 8. in princip. ff. de procur.*, ſi patre abſente vtique illam poterit intentare, quia, quando pater abſens eſt, poteſtas agendi in filia eidem libera eſt, nec vllo iure impedita.

Quamuis vtriq; cõpetat, exercitium tamen eſt ſolius patris de cõſenſu filiæ

Probabilius requiritur conſenſus expreſſus filiæ, quando lis intentatur.

Nonnulla conſiderabilia.

§. XVIII.

Quomodo filiafamilias poteſt agere ad dotem profectitiam, ſi pater ſit abſens, & reliquerit procuratorem, vel factus fuerit furioſus.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Si Procurator fuerit à Patre abſente conſtitutus ad petendam dotem, ipſe debet præferri ad illam petendam cum conſenſu filiæ. 2.
Si procurator fuerit conſtitutus ad contradicendum, & habuerit iuſtam cauſam, ipſe eſt præferendus, ſi non habuerit talem cauſam, eſt præferenda filia. 3.
Curator datus Patri furioſo præferendus eſt filiæ in petitione dotis. 4.

Disquiſitio XVIII. Dictum eſt in præcedentibus in ordine ad dotem profectitiam actionem eſſe communem patri, & filiæ, adeo vt pater non poſſit agerẽ ad illius conſecutionem, ſine conſenſu filiæ, nec filia ſine conſenſu patris, niſi interuenientibus certis conditionibus, dẽ quibus ſupra, inter quas illa recenſetur, quod, ſi pater ſit abſens, vel è contra filia, neuter poſſit agere, niſi præſtita cautione de ratihabitione abſentis. His ſuppoſitis pater, vel in remotas partes receſſit, relicto procuratore, vel factus eſt furioſus, & eidem aſſignatus curator. Quæritur iam in his caſibus, quomodo procedendum ſit in actione perſonali ad conſecutionem dotis; an ſcilicet præferendi ſint procurator, & curator, an vero eadem filiafamilias?

Difficultatis propoſitæ expoſitio.

Conſiderandum hic erit, an procurator fuerit datus ad petendam dotem, an vero ad contradicendum filiæ, ne agat ad conſecutionem eiuſdem; & ſi ad contradicendum, an habeat legitimam cauſam, an vero nullam, vel minus legitimam, quæ omnia etiam conſideranda erunt in ordine ad curatorem patris furioſi.

Conſiderãda circa procuratorem.

Reſpondeo primo, ſi procurator patris abſentis fuerit conſtitutus ad petendam dotem ipſe præferendus eſt ad actionem per-

2
Si procurator fuerit à patre abſẽte cõſtitutus ad petendũ dotem ipſe eſt præferendus.

perſonalem ad dotem ipſam conſequendam, quatenus ipſe poteſt primo agere cum conſenſu filiæ. *Campeggius de dote q. 81., Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 3. n. 138.* Ratio in promptu eſt, quia, ſi pater eſſet præſens, ipſe eſſet præferendus in tali actione, ergo, ſi eodem abſente procurator fuerit conſtitutus ad petendam dotem in concurſu cum filiafamilias, ipſe erit præferendus, quia ipſe procurator rapræſentat perſonam abſentis, ac perinde, ac ſi ipſe pater abſens eſſet præſens media perſona ſui procuratoris.

3
Si fuerit conſtitutus ad cõtradicendũ. & habeat cauſam, ipſe eſt præferendus, ſin autẽ præferẽda eſt filia.

Reſpondeo ſecundò, ſi Procurator fuerit conſtitutus ad contradicendum, & habuerit legitimam cauſam ad talem contradictionem, ipſe etiam debet præferri, & præualere, ſin minus habuerit legitimam cauſam, filia erit præferenda, præſtita tamen cautione rati. Conſentiunt DD. qui ſupra. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia filiæ minus legitimè, & minus cautè agenti ad conſecutionem dotis poteſt Pater, tanquam moderator ſe opponere, eiuſq; actionem impedire, ergo etiam hoc poterit ipſius Procurator, ſi legitimam cauſam habuerit ſe opponendi, & contradicendi, cum habeat actionem ab eodem Patre, & agat nomine, & in perſona ipſius. Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quod ipſe non eſt conſtitutus ad petendam dotem, ſed ad contradicendum filiæ, ſi minus legitimè petierit, ſeu agat, ergo, ſi ipſa legitimè agat, nec ipſe legitimam cauſam habeat contradicendi, erit eadem filia præferenda.

4
Curator datus Patri furioſo in ordine ad hanc actionẽ dotis præferendus eſt filiæ.

Reſpondeo tertiò, ſi Pater factus fuerit furioſus, & eidem datus curator ad omnia, hic agere poterit de conſenſu filię ad dotem profectitiam conſequendam; in concurſu verò vtriuſque ad agendum videtur præferendus ipſe curator *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 3. nu. 139.* Prima pars colligitur *ex l. ſi cum dotem §. ſi ſoluto matrimon. ff. ſol. matrim.* Secunda pars ex eo deducitur, quia ex quo conſtitutus eſt curator ad omnia, quæ poſſet agere ipſe Pater, videtur etiam conſtitutus ad dotem petendam, ſi non ex voluntate Patris, ex diſpoſitione iuris ſupplentis defectum voluntatis ipſius Patris, eamque voluntatem transferentis in voluntatem curatoris, ergo, ſicut Procurator conſtitutus à Patre abſente ad petendam dotem profectitiam in concurſu cum filia præferendus eſt, ità curator conſtitutus à iure erit præferendus.

---

§. XIX.

An reſpectu filiæ emancipatæ actio dotis competat eidem filiæ priuatiuè quoad Patrem, an verò ipſi Patri.

SVMMARIVM.

Elucidatur factum in caſu particulari. 1.
Si filia fuerit emancipata ante conſtitutionem dotis, & poſtea dos conſtituta, actio dotis competit ſoli filiæ, & ſi illa ſit profectitia. 2.
Etiam ſi fuerit prius dotata, & poſtea emancipata. 3.
Emancipatio habet ſpeciem ſtipulationis in fauorem filiæ. 4.

Diſquiſitio XIX. Emancipauerat Caius filiam ſuam Ioannam, & ſubinde dotem eidem præſtitit, vel forte etiam præſtita prius dote ſubinde eandem emancipauit. Mortuus eſt Maritus, cui eadem Ioanna nupſerat, & contentio orta eſt, an actio dotis competeret Patri, an filiæ, an vtrique, cum illa dos eſſet profectitia. 1

Facti ſeries expoſita.

Reſpondeo primò, ſi Pater prius filiam emancipauerit, & poſtea dotem contulerit, actio dotis competit ſoli filiæ, quantumuis dos illa ſit profectitia. Ita ſentire videntur *Petrus Barboſa in d. l. 2. §. quod ſi Patris, & in l. Titia in princip. ff. ſolut. matrim., Ioannes Boſſheus de legit. nupt. lib. 3. n. 11., Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 3. q. 54. n. 3.* dum dicunt, quod, cum textus *in d. l. 2. §. quod ſi Patris ff. ſol. matrim.* loquatur ſolummodo de dote profectitia data a Patre filiæ exiſtenti ſub eiuſdem Patris poteſtate, non ſit extendendus ad filiā à Patre emancipatam. Expreſsè colligitur ex textu *in l. vnica §. videamus, & §. accedit C. de rei vxor. act.*, & quidem congruę rationi hic textus innitur, quandòquidem ex vna parte per conſtitutionem dotis dominium translatum eſt in eandem filiam, ex alia per emancipationem conſtituta eſt ſui iuris independens à Patre, cum per emancipationem ius, quod habebat pater, tranſtulerit in eādem filiam, & ſicuti filius emancipatus habet plenum ius quoad alias omnes actiones ciuiles, ita vt poſſit libere contrahere etiam cum ipſo Patre, ità non eſt, cur etiam non habeat plenum ius quoad actionem dotis, adeò vt illam poſſit exigere independentèr à Patre. 2

Si filia fuerit prius emancipata, & poſtea dotata, actio dotis cõpetit ſoli filiæ.

Re-

Digitized by Google

3 Etiã ſi fuerit prius dotata, & poſtea emancipata à Patre. Reſpondeo ſecundò, ſi Pater prius filiam dotauerit, & poſteà emancipauerit, etiam actio dotis pertinet ad eandem filiam *Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil. vlt., Petrus Barboſa ad d. l. Titia in princip. ff. ſolut. matrimonio, Fachinæus controuerſ. iur. lib. 3. c. 71., & lib. 15. c. 59., Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote cap. 3. nu. 142.* Patet *ex l. vnica §. videamus C. de rei vxoriæ act.*, vbi dicitur indubitati iuris eſſe, quod *ſi parens dote pro filia, vel nepte præſtita emancipauerit eam, vel ipſe deceſſerit, rei vxoriæ actione dotem omnino ad mulierem pertinere, etiam ſi fuerit exhæredata*; quod etiam confirmari poteſt *ex l. ſi cum dote §. fin. & l. ſi ſocer in princip. ff. ſolut. matrim.*; vbi habetur, quod actio dotis in dote profectitia, quæ eſt communis patri, & filiæ, in caſu, quod Pater prædecedat ipſi filiæ, conſolidatur adæquatè in eadem filia, ergo etiam in eadem conſolidabitur, ſi Pater filiam emancipauerit. Conſequentia probatur, quia in tantum in caſu prædeceſſus Patris actio dotis conſolidatur in filia, in quantum per mortem Patris ipſius ius ceſſat, ſed etiam ius Patris ceſſat, quando filiam emancipauerit, cum per emancipationem illud ius à ſe abdicarit, ergo &c.

4 Emancipatio habet ſpeciẽ ſtipulationis in fauorem filiæ. Confirmantur ea omnia, quæ in hac, & præcedenti reſponſione dicta fuerunt, quia, ſi Pater in conſtitutione dotis ſtipulatus fuerit, vel tacitè, vel expreſsè dotem reddi filiæ familias, & in ſua poteſtate exiſtenti, tunc actio dotis pleno iure pertinet ad ipſam filiam *Bartolus in l. ſi poſt dotem ff. ſolut. matrim. & in l. ſi extraneus ff. de cond. cauſa data, Mantica de tac. & ambig. conuent. lib. 12. tit. 8. n. 22., Petrus Barboſa ad d. l. 2. §. quod ſi Patris n. 42. verſ. ſi autem dos, Thanutius de lucro dotis gloſ. 11. n. 2.*, ergo ſi ipſam emancipauerit etiam actio dotis in ipſa conſolidabitur, quia talis emancipatio habet ſpeciem ſtipulationis in fauorem filiæ, cum per illam abdicet à ſe ipſo ius, & transferat in eandem filiam.

---

§. XX.

An, ſi vxor vltrà dotem aliquid aliud marito contulerit non expreſſa cauſa poſſit de illo diſponere ſine conſenſu mariti.

SVMMARIVM.

Caſus, & variæ rationes dubitãdi circa ipsũ. 1.
Illa bona non cenſentur collata in augmentum dotis. 2.
Adminiſtratio illorum bonorum eſt reuocabilis per vxorem à marito. 3.
Facta per vxorem reuocatione illorum bonorum poteſt eadem vxor de illis pro libertate diſponere. 4.

Diſquiſitio XX. In contractu matrimonij, quem iniuit Calidonia cum Sempronio facta fuit conuentio, quod eadem Calidonia traderet Sempronio in dotem mille nummos aureos, prout effectiuè tradidit; ſed, cum tradueta eſſet in domum mariti, eidem alias pecunias, vel bona pretio æſtimabilia contulit, vel alia poſt contractum matrimonium, vel eodem conſtante acquiſita nulla expreſſa cauſa, ob quam contulerit. Hic multiplex orta eſt ratio dubitandi, & primò, an illa bona ſic vltrà dotem conuentam collata præſumenda ſint tradita in augmentum dotis, adeò vt acquirantur marito, ſicuti dos ipſa, an verò tanquam paraphernalia ex cauſa gubernij, & adminiſtrationis. Secundo ex ſuppoſitione, quod tradita ſint ex cauſa adminiſtrationis, an ſint reuocabilia ab eodem marito ad libitum vxoris, etiam ſi maritus ipſe non vergat ad inopiam. Tertiò, an de illis poſſit pro libertate diſponere etiam inconſulto marito. 1 Expoſitio caſus, & variarum rationum dubitãdi.

Reſpondeo primò, illa bona non cenſeri, nec præſumi collata ex cauſa augmenti dotalis, ſed tanquam paraphernalia ex cauſa gubernij, & adminiſtrationis. *Baldus in l. fin. nu. 5. C. de ſent. quæ ſine cert. quant., Ioannes Boſcheius de legit. nupt. c. 6. nu. 22., Baldus Nouellus de dote part. 6. priuileg. 14, & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quia ex quo dotem congruam conſtituit ſine alio onere, & ſucceſſiuè alia contulerit ab eadem dote, quæ alio titulo non ſunt debita, non eſt præſumendum, quod contulerit animo ſe ſpoliandi aliquo iure, quod habeat in huiuſmodi bonis; ſe autem pleno iure ſpoliaret, ſi conferret in augmentum dotis, ſiquidem hoc adinſtar eiuſdem dotis conſtante matrimonio pertinet ad maritum, ergo &c. Confirmatur primò, quia non poteſt præſumi, quod collatum fuerit cauſa dotis, cum antecedentèr ad illud iam dos fuerit conſtituta; non cauſa matrimonij ineundi, cum iam fuerit initum, non cauſa gratuitæ donationis, quia donationes inter virum, & vxorem conſtante matrimonio non tenent, & in dubio, an collatio fuerit titulo donationis, vel cuſtodiæ, ſeu gubernij, potius præſumendum eſt pro hoc ſecundo titulo, cum nemo præſumatur, ſe velle priuare iuribus ſuis, vbi voluntas eius poteſt ad aliud referri, 2 Illa bona non cenſentur collata titulo augmẽti dotalis, ſed tanquã paraphernalia titulo adminiſtrationis. Rationes euincẽtes non eſſe dotalia.

per quod talibus iuribus non priuetur. Confirmatur ſecundò, quia quando vxor iam eſt dotata ad euincendum, quod id, quod eſt ſucceſſiuè traditum vltra dotem, ſit traditum in augmentum dotis, neceſſariæ ſunt claræ, & euidentiores probationes *Menochius de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 8. n. 23.*, ergo ex eo præcisè, quod illa bona fuerint collata marito poſt conſtitutam, & traditam dotem, non erit præſumendum, quod tradita fuerint in augmentum dotis.

3 **Adminiſtratio illorum bonorum eſt reuocabilis per vxorem.**

Reſpondeo ſecundò, adminiſtratio illorum bonorum per vxorem poſt conſtitutam, & traditam dotem marito collatorum eſt per eandem vxorem reuocabilis à marito ſine aliqua ipſius iniuria. *Petrus Barboſa ad l. 1. p. 1. n. 27. verſ. ſed ſi Paraphernalia ff. ſolut. matrim., Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 3. nu. 109. prope medium*, hocque probat Petrus Barboſa per textum *in l. hac lege C. de pact. conuent.* Probatur, quia bona paraphernalia, cuiuſmodi ſunt illa, de quibus hic loquimur, pleno iure pertinent ad eandem vxorem, ſicuti bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia pertinent ad filium, ſed ex eo, quod bona caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia fuerint Patri collata quoad gubernium, ea adminiſtrationem, nõ tollitur, quin filius ea poſſit reuocare ab eodem Patre, ſeu eorum adminiſtrationem, ergo nec &c.

4 **Poteſt vxor de illis pro libertate diſponere**

Reſpondeo tertiò, facta reuocatione adminiſtrationis poteſt vxor de illis bonis diſponere pro libertate, ſi aliud non obſtet. Ratio ex eo deducitur, quia in illis bonis plenum ius habet, & non alligatum, cum ad ipſam pertineat dominium, vſusfructus, & ipſa ſit capax adminiſtrationis, niſi aliud obſtiterit, ergo &c.

---

§. XXI.

An ingreſſus in Religionem liberetur à reſtitutione.

SVMMARIVM.

Exponitur factum particulare. 1.

Opinio Medinæ aſſerentis non poſſe ingredi, & ſi ingrediatur, teneri ſpecialibus operibus ſatisfacere. 2.

Si intendens ingredi probabilitèr conſuetis laboribus poſſit breui tempore lucrari, quantum debet, non poteſt licitè ingredi Religionem. 3.

Si non poſſit breui tempore, & conſuetis laboribus lucrari quantum debet, poteſt ingredi Religionem, & in ipſa profiteri. 4.

Si ingreſſus fuerit in Religionem, & profeſſus non tenetur egredi, vt ſatisfaciat. 5.

Nec etiam, ſi nondum fuerit profeſſus. 6.

Disquiſitio XXI. Plurima contraxerat debita quoad ſe gignentia obligationem perſonalem Franciſcus, quibus adhuc non perſolutis ingreſſus eſt in Religionem. Quæſitum hic fuit, an per talem ingreſſum intelligatur deobligatus à reſtitutione quoad illa debita. 1 **Factum exponitur.**

Medina *de reſtitutione q. 3. cauſa* 8. docuit, non poſſe ingredi, ſi manendo in ſæculo ſua arte, & induſtria laborando poteſt lucrari, & ſoluere; quod ſi hoc non obſtante ingrediatur, & profiteatur, non remanet deobligatus, ſed tenetur ſuo labore, vel arte, ſi quam norit, lucrum acquirere, & ſoluere. Sed hoc non obſtante. 2 **Exponitur ſententia Medinæ.**

Reſpondeo primo, ſi intendens ingredi Religionem non ſit ſoluendo, & ſit ſpes, quod breui tempore conſuetis laboribus poſſit ſatisfacere creditoribus, non poteſt licitè ingredi Religionem, quouſq; nõ ſatisfecerit *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 4. n. 94., Lopez prima parte c. 129.*, & à fortiori, idem ſentit *Medina C. de rebus reſtituendis q. 3. caus. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 16. nu. 72.* Ratio ex eo deſumitur, quia illa oblatio ſui ipſius facta Deo eſt grauitèr iniurioſa creditoribus, & non acceptabilis à Deo, qui dona non accipit cum præiuditio aliorum; nec in hoc debet conſiderari maior perfectio in illo actu oblationis, quam ſit in effectu ſolutionis, ſeu reſtitutionis, quandoquidem cum vtrumq; poſſit poni cum aliqua ſolum temporis dilatione, non eſt vnum, quantumuis perfectius, alteri præferendũ, ſed vtrumque debet perfici; nam illa regula, qua dicitur, quod in concurſu duorum perfectius ſit præferendum, tunc tantum valet, quando vtrumq; non poteſt exequi, vel non niſi cum graui præiuditio. Deindè, quando vnum eſt neceſſarium, alterum voluntarium, quantumuis voluntarium ex obiecto ſit perfectius, excludit ad ſummum neceſſarium, quando vtrumque abſolutè non poteſt coniungi, ſecus autem quando poteſt coniungi cum non conſiderabili incommodo, & præiuditio eius, qui debet ſoluere, & ingredi, & cum notabili præiuditio eius, cui debet fieri ſolutio. 3 **Si poſſit breui tempore laborando in ſæculo ſatisfacere non poteſt licitè ingredi Religionem.**

Reſpondeo ſecundo, ſi debitor non ſit ſoluendo, nec adſit ſpes, quod breui tempore, & cum conſuetis laboribus poſſit acquirere, quantũ debet, ſed ad ſummum poſt longum tempus, & per inſuetos labores poteſt abſolutè ingredi Religionem, in eaque profiteri. *Petrus à Nauarra lib.* 4 **Secus, ſi non poſſit, niſi poſt multum tempus, & inſuetis laboribus.**

Digitized by Google

lib. 4. de reſtitut. c. 4. n. 95.; *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 8. n. 73.*, qui teſtatur hanc eſſe opinionem D. Thomæ, & communem. Probant aliqui, hoc eſſe ſpeciale priuilegium in fauorem Religionis, & perfectioris ſtatus, ratione cuius hæc poteſtas concedatur; ſed quantumuis ſtatui Religioſo aliquis fauor ſit concedendus, adeo vt creditores non poſſint plus exigere, quam poſſit actu, & ſine longa mora præſtare, præcipuè quando ex mora immineret periculum animæ, & ſpirituale, in fortiorem rationem reducendam reſponſionem exiſtimo, nempe in impotentiam eiuſdem debitoris, quod ſic probo, quia, qui actu dat, quod habet pro ſolutione debiti, nec eſt in proxima ſpe quid aliud habendi, cenſetur eſſe impotens ad ſoluendum, quid vltra ſupra illud, quod habet, nec poteſt proximè habere, ergo ratione talis impotentiæ excuſabitur à reſtitutione, & propterea poterit ingredi Religionem; nec obligandus erit ad inſolitos labores, & inſueta munera proprio ſtatui, quādo dedit, quod habuit per ceſſionem bonorum, quandoquidem, nec ad hoc iura compellunt, nec Iudices, vt conſtat ex conſueta praxi omnium ferè tribunalium, ſecundum quam non obligant, niſi ſecundum quod poſſunt, & ſecundum quod actu habent, vel breui tempore poſſunt habere per conſueta munera. Ex quibus poteris deducere, quod, ſi ingredi intendens Religionem ſit vir honoratus, cui dedeceant opera ſeruilia, non teneatur ad huiuſmodi opera deſcendere, vt lucri faciat, & ſatisfaciat creditoribus, ſed poſſit immediatè ingredi per ceſſionem ſuorum bonorum.

Ratio refunditur potius in impotentiam, quā in fauorē Religionis.

5 Reſpondeo tertio, ſi debitor, qui non eſt ſoluendo, ſiue fuerit in ſpe proxima, ſiue non ad lucrandum, quantum ſufficit pro ſolutione debitorum, ingreſſus fuerit Religionem, & in ea profeſſus, vtique tenet profeſſio, nec tenetur ad ſtatum ſæcularem reuerti, vt ſuis laboribus ſatisfaciat *D. Thomas 2. 2. q. vlt. art. 6.*, *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 8. n. 70.*, *Silueſter verb. Religio 1. q. 4.* Rationem D. Thomæ ad hanc reſponſionem probandam efficacem arbitror, quæ conſiſtit in eo, quia quantumuis hic ſit debitor pecuniæ, perſona tamen eius eſt libera, ergo, ſi ſe tradiderit Religioni, vtique talis traditio debet ſubſiſtere, cum perſona libera hominis non obligetur propter pecuniam, ſed ſolum res, quibus propterea, ſi ceſſerit, non erit, cur vlterius obligetur in perſona propria. Confirmatur *ex Leſsio loc. cit.* quia, ſi quis debitor reſpectu alterius pecuniam, quam ipſi debet, alteri donaret, vtique de iure naturæ teneret donatio, ergo à fortiori, ſi quis alteri debeat pecuniam, & ſe ipſum tradat Religioni per profeſſionem, vtique tenebit illa traditio.

Si ingreſſus fuerit in Religionem, & in ea profeſſus nō tenetur egredi, vt ſatisfaciat.

Hic ſolū remanet dubitandū, an, ſi potens per opera, & labores conſuetos breui tēpore conſequi lucrum, quo poſſit creditoribus ſatisfacere, nulla habita ratione ad illam proximam potentiam ingreſſus fuerit Religionem poſt ceſſionem bonorum, nec tamen adhuc in ipſa fuerit profeſſus, teneatur maximè inſtantibus creditoribus egredi, & ad ſtatum ſæcularem redire, quouſque ſatisfecerit? Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quia talis traditio ſui ipſius facta Religioni non eſt adhuc conſummata per profeſſionem, ſed adhuc ingreſſus eſt liber; quando autem eſt liber, & in potentia ad acquirendum breui tempore, tenetur differre ingreſſum, & per cōſequens, ſi ingreſſus fuerit, ad recedendum.
Nihilominus ex expoſita ratione D. Thomæ videtur non obligari ad exeundum à Religione, vt ſatisfaciat creditoribus, maximè, ſi fuerit ingreſſus feruore charitatis; cum etenim ſit perſona libera, quæ non obligatur propter pecuniam, & per ingreſſum iam quoquo modo incæperit obligari Religioni, non videtur poſſe exire, nec videtur facere iniuriam creditori, quia excuſatur auctoritate Spiritus Sancti, per textum *in c. licet de regul., & c. duæ 19. q. 2.*, nec in hoc currit paritas, quando iam eſt ingreſſus, ac quando nondum eſt ingreſſus, quia in primo caſu iam incohatum eſt aliquod ius ipſius erga Religionem, & Religionis erga ipſum, cuius priuatio maximum infert incommodum; in ſecundo, verò adhuc nullum ius eſt acquiſitum, nec graue infert incommodum illa modica dilatio ad ingrediendum, nec dilatio ad ingrediendum, ſeu ingreſſus dilatus notam dedecoris infert, ſicuti inferret egreſſus. 6

Nec etiā, ſi nondū fuerit profeſſus.

---

§. XXII.

An ingreſſus Religionem, in eaque profeſſus non ſatisfactis debitis ob impotentiam, ſi aliquid, vel ſucceſſione, vel donatione eidem obuenerit, vel Monaſterio intuitu ipſius teneatur ex illo ſatisfacere creditoribus, vel Monaſteriū pro ipſo.

S V M M A R I V M.

Exponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Sententia aſſerens teneri Monaſterium ex illis bonis ſatisfacere creditoribus. 2.

Nec ingreſſus, nec Monaſterium tenetur ex illis bonis ſatisfacere creditoribus. 3.

1 Expoſitio tituli in ſuis terminis.

DIſquiſit. XXII. Titius grauatus oneribus debitorum, cum non haberet, quo plenè ſatisfaceret, ceſſit omnibus ſuis bonis in fauorem creditorum, qui tamen ex ijs plenam conſequi ſatisfactionem nõ potuerũt, & poſtea ingreſſus eſt Religionem, in eaque profeſſus. Poſt aliquid temporis à profeſſione emiſſa eidem Titio deuenit, vel titulo ſucceſſionis, vel hæreditatis delatæ, vel donationis conſiderabilis bonorum copia, quæ certè licet fuerit intuitu ipſius, nõ ipſi cedit, ſed Monaſterio, ex generali regula *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*, propter incapacitatem ipſius ad acquirendum dominium. Quæſitum hic fuit, an ipſe, an Monaſterium pro ipſo teneatur de illis bonis ſic acquiſitis ſatisfacere creditoribus.

2 Sententia aſſerens teneri Monaſterium ex illis bonis ſatisfacere creditoribus.

Raymundus apud *Silueſtrum verb. Religio II. q. 4.*, qui etiam citat *Hoſtienſem, & Innocentium in c. ſi qua mulier 19. q. 3., & D. Thomam 2. 2. q. vlt. art. 6.*, ſuſtinet teneri Monaſterium ex illis bonis ſic acquiſitis intuitu Titij profeſſi ſatisfacere creditoribus eiuſdem Titij, quantum ſe extendũt talia bona, & non plus, quod probat *arg. d. c. ſi qua mulier 19. q. 3.* Sed in primis moneo D. Thomam loco citato, hoc non docere, nec ex ipſius dictis, hoc poſſe deduci. His tamen non obſtantibus.

3 Nec ipſe, nec Monaſteriũ tenetur ex illis ſatisfacere creditoribus.

Reſpondeo abſolutè, nec Titium, nec Monaſterium pro ipſo teneri ex illis bonis ſic acquiſitis ſatisfacere creditoribus. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Petrum de Palud. Viderit., & Archid.*, apud *Silueſtrum verb. Religio II. q. 4.*, qui licet loquantur in diuerſis terminis, ſcilicet quoad bona acquiſita per Religioſũ profeſſum per proprios labores, & honeſta miniſteria, trahi tamen poſſunt ex paritate rationis ad acquiſita titulo hæreditatis, ſucceſſionis, & donationis, præcipuè cum *in c. Abbates 18. q. 2.*, habeatur, quod Religioſus omnia, quæ acquirit, acquirat ſuo Monaſterio, ſiue id ei ex induſtria proueniat, ſiue ex eleemoſinis, ſiue hæreditaria ſucceſſione, ſiue alio modo, quod alijs concordantibus iuribus manifeſtè apparet. Ratio ex eo deducitur, primo, quia ex quo ceſſit bonis ſuis non ſolum expreſsè, ſed etiam tacitè per profeſſionem, per quam impotens factus eſt ad ſoluendum, liberatus eſt ab onere reſtitutionis, nec tale onus poteſt reuiuiſcere per ſucceſſionem in hæreditate, vel donationem, quia hæreditas, vel donum non ipſi cedit, ſed Monaſterio. Secundò, quia, quantumuis Monachus acquirat Monaſterio, non tamen Monaſterium tenetur ex delicto Monachi, per textum *in c. delictum de reg. iur. in 6.*, quinimmo, nec ex contractu ipſius, vt expreſsè *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 41. dub. 11. n. 90.*, & licet dicatur ea, quæ hic dicuntur, procedere dumtaxat, quando contractus eſt initus per Religioſum poſt profeſſionem, quia cum tunc contractus ſit inualidus, nõ poteſt ex illo obligari Monaſterium, non autem, quando contractus eſt initus ante profeſſionem, quia, cum tunc eſſet Titius ſui iuris, validè contraxit, ſeque obligauit, nedum naturalitèr, ſed etiam ciuilitèr, quam obligationem videtur quoquo modo tranſtuliſſe in Monaſterium ex ſuppoſitione, quod ex perſona eiuſdem Titij aliquid deuenerit in idem Monaſterium, ſiue ante, ſiue poſt profeſſionem; nam ſicuti Monaſterium rapreſentat perſonam profeſſi quoad iura, & lucrum, ita rapreſentare debet quoad onera, & debita; licet, inquam, hoc dicatur, nihil tamen penitus euincitur, nam onera omnia, quæ contraxit Titius ante profeſſionem, facta poſtea ceſſione bonorum per eandem profeſſionem penitus extinguuntur, quæ propterea, nec poteſt inducere, nec rapreſentare monaſterium in perſona eiuſdem profeſſi; nec valet argumentum à contrario ſenſu deductum, quod ſicuti rapreſentat perſonam profeſſi quoad lucra, quæ acquirit, ità debeat rapreſentare quoad onera, quæ ille ſubijt; Non, inquam, valet, quia ad ſummum, ſi quid euinceret hoc argumentum, euinceret quoad onera, quæ poteſt contrahere monachus poſt profeſſionem, non autem ad antecedentèr contracta, & per profeſſionem extincta. Fateor tamen, quod, ſi Titius ante profeſſionem aliqua bona contulerit monaſterio ex motiuo gratuito, & liberali illa quodammodo ſubiaceant oneri debitorum, quia non facta eſſet per debitorem ceſſio adæquata omnium iurium, prout requiritur ad liberandum ipſum ab onere reſtitutionis, & quodamodo illa bona eſſent æs alienum, quod propterea non potuit liberalitèr in monaſterium transferri; & iuxtà hunc ſenſum intelligendus eſt ſolummodo textus *in d. c. ſi qua mulier 19. q. 3.*

Onus illud nõ reuiuiſcit per ſucceſſionem, ſeu donationem.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Exceptio ad ſuperius dicta.

Digitized by Google

§. XXIII.

An, qui profeſſus eſt poſt ceſſionem iurium ſuorum, non tamen adæquate perſolutis debitis, teneatur munera honeſta exercere, vt debitis ſatisfaciat.

SVMMARIVM.

Difficultas exponitur in caſu particulari. 1.
Sententia aſſerens teneri talia munera exercere. 2.
Non tenetur talia opera impendere, & ſi impendat lucrum non cedit creditoribus, ſed monaſterio. 3.
Etiam ſi iurauerit manibus laborare ad ſatisfaciendum eiſdem creditoribus. 4.

1 Series facti expoſita. DIſquiſitio XXIII. Iuxtà terminos præcedentis diſquiſitionis Titius grauatus oneribus debitorum ceſſit omnibus bonis, & iuribus ſuis in fauorem creditorum, quæ tamen bona, & iura non erant ſufficientia ad ſatisfaciendum plenè omnibus, & poſtea ingreſſus eſt Religionem, in eaque profeſſus. Pollebat idem Titius artem bene ſcribendi, alijſque artibus gaudebat, quibus ſine præiudicio obſequiorum regulæ poterat honeſtè, nec contrà decentiam ſtatus Religioſi lucra plurima acquirere. Quæſitum hic fuit, an ad ſatisfaciendum plenè creditoribus ſuis teneretur in illis artibus laborare, & lucra inde acquiſita eiſdem creditoribus perſoluere.

2 Sententia aſſerẽs teneri illa opera impẽdere ad ſatisfaciẽdum. Affirmatiuè reſpondent aliqui apud *Silueſtrum verb. Religio II. q. 4.* modò non negligat, ſeu impotens reddatur ad diuina officia per textum *in c. Clericus 12. q. 1.*, nec impediatur in aliquo ab obſequijs regulæ, cui ſemper eſt adſtrictus. Nihilominus

3 Non tenetur impendere, & ſi impẽdat lucrum non cederet creditoribus, ſed Monaſterio. Reſpondeo, non teneri ſimilia opera impendere ad effectum ſoluendi debita, & ſi impenderit, & lucratus fuerit ex illis, lucrum non cedet creditoribus, ſed monaſterio. Ità *Petrus de Palud.*, *Vldericus*, & *Archidiaconus*, quos citat, & ſequitur *Silueſter eod. verb. Religio II. q. 4.* Ratio ea eſſe poteſt, quia quidquid acquirit Monachus ex quocunque titulo acquirit monaſterio, quod intellige etiam quoad opera inſueta, & extraordinaria, ergò illud non poteſt cedere creditoribus, ſed monaſterio; Neque obeſſe poteſt proportio, quam ſeruat matrimonium corporale cùm matrimonio ſpirituali, quod habetur per profeſſionem Religionem, adeò vt, ſicuti vxor ea, quæ acquirit per opera extraordinaria vltra conſueta obſequia, ſibi acquirit abſolutè, & poteſt de illis diſponere pro libertate, ità ea, quæ acquirit monachus per opera inſueta ſupra obſequia regulæ, ſeu Regularis diſciplinæ ſibi acquirat, & poſſit de illis diſponere ad ſatisfaciendum ſuis creditoribus; Non obſtat, inquam, quia diſpar omninò eſt ratio, nam vxor ſecundum ſe eſt omninò capax dominij, adeòque ſibi acquirit bona paraphernalia, aliaque per opera, quę non ſint addicta obſequijs matrimonialibus; monachus autem eſt omninò incapax dominij, vnde ex quocunque titulo acquirat, ſemper monaſterio acquirit.

Hic ſolum oritur difficultas, an ſaltem teneatur ex illo acquiſito ex illis operibus ſatisfacere creditoribus, ſi iurauerit operari manibus ad ſatisfaciendum? Reſpondeo negatiuè; nam vel iurauit poſt debitum contractum, & ante ingreſſum, vel in ipſo ingreſſu in Religionem; ſi poſt debitum contractum, & ante ingreſſum; obligatur quidem ad laborandum, quouſque in ſæculo perſeuerauerit, & lucrum tenetur impendere in ſolutione debitorum; cùm tunc ſit ſui iuris, & non poſt ingreſſum, & profeſſionem, quia tunc omnia opera eius, & lucra cedunt monaſterio, nec arbitrandum eſt illud iuramentum impedire ab ingreſſu, ſeu efficere, ne poſſit ingredi, donec perſoluerit; Non, inquam, arbitrandum, quia, cum illud iuramentum ſit impeditiuum ſtatus perfectioris, non tenet, neque obligat cõcurrente Spiritus Sancti impulſu ad Religionem; ſi in ipſo ingreſſu in Religionem, non potuit ità ſe obligare, cùm hoc ſit in præiudicium ipſius monaſterij, quod ex vi profeſſionis acquirit ius ad quæcunque lucra ab eodem poſt profeſſionem acquirenda, quo iure non potuit priuari per iuramentum eius, qui erat debitor. 4 Intellige etiam, ſi iurauerit operari manibus ad ſatisfaciendum.

§. XXIV.

Cui acquiratur hæreditas delata ſeruo, ſi hic ſit inuitus, quod ſiat Domini.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis expoſitum. 1.
Sententia aſſerens hæreditatem acquiri Domino. 2.
Sententia negans eidem Domino acquiri. 3.
Illa hæreditas defertur hæredibus ab inteſtato teſtatoris. 4.

Diſpar

Digitized by Google

Diſpar ratio de hæreditate quoad hoc relicta filio, & ſeruo. 5.

1 Factum in ſuis terminis expoſitum. DIſquiſitio XXIV. Caius in ſuo vltimo teſtamento hæredem ſibi inſtituit Muſtaphat ſeruum Antonij. In iure cautum eſt, quod, quidquid ſeruus acquirit quauis cauſa, vel occaſione, domino acquirat *§. item nobis Inſtit. per quas perſon. nob. acq.*, & *l. id veſtimentum ff. de pecul.; c. cum olim 2. de priuileg.*, vbi Innocentius IV. dicit *ſeruum, & Monachum in eo eſſe pares, quod neuter alicuius rei dominium habeat*. Hoc ſuppoſito idem Muſtaphat viriliter obſtat, ne talis hæreditas acquiratur Antonio Domino ſuo. Quæretur jam, cuinam cedere debeat illa hæreditas.

2 Sententia aſſerẽs hæreditatem acquiri Domino. Videtur abſolutè dicendum, hæreditatem cedere Domino ratione deſumpta à paritate Religioſi, qui, ſi fuerit hæres inſtitutus, non ſibi, ſed Monaſterio acquirit, & Monaſterium poteſt adire hæreditatem etiam inuito ipſo Religioſo *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 41. dubit. 11. n. 87. verſ. Reſpondeo non habet ius; & cum eo omnes communiter*, ergo etiam, ſi fuerit hæreditas delata ſeruo, hęc acquiretur Domino etiam inuito eodem ſeruo, cum in hoc adinuicem æquiparentur per textum *in d. c. cum olim 2. de priuil.* Nihilominus

3 Sententia abſolutè negans. Contrarium ſentit *Leſſius d. lib. 2. c. 41. dub. 11. n. 87. verſ. hinc Religioſus*, qui pro ſe citat *Nauarrum comment. 2. n. 4., & 30. Molinam de iuſt. diſp. 140.* motus ea ratione, quia hoc expreſsè habetur *in l. 3. C. de hæred. inſtit.* licet hæreditas delata filio familias acquiratur Patri quoad vſumfructum, & adminiſtrationem etiam inuito, & ignorante eodem filio, & hæreditas delata Religioſo profeſſo acquiratur plenè Monaſterio etiam inuito eodẽ Religioſo. Si autem inquiras rationem cum hæreditas delata filio, ſeu profeſſo acquiratur Patri, ſeu Monaſterio, etiam inuito eodem filio, & profeſſo, non ſic hæreditas delata ſeruo? Eam eſſe dicerem, quia Pater, & Monaſterium habent poteſtatem in actiones liberas, & voluntarias filij, ſeu Monachi in ordine ad ea, quæ ſunt proficua eidem filio, ſeu ſibi, & Monaſterio; Dominus autem non habet talem poteſtatem in ordine ad actus voluntarios ſerui.

4 Defertur hæredibus teſtatoris ab inteſtato. Reſpondeo potiora eſſe iura Leſſij aſſerentis hæreditatem illam non acquiri Domino inuito ſeruo; ſed deferri hæredibus ab inteſtato eiuſdem teſtatoris. Expreſsè hanc reſponſionem euincit ius allegatum *in d. l. 3. C. de hæred. inſtit.*, cui vlterius addo hanc rationem, quia ſcilicet Religioſus omnino incapax eſt hæreditatis, & dominij; vndè præſumi neceſſariò debet, quod teſtator eidem relinquens reſpexerit ad vtilitatem Monaſterij, licet contemplatione ipſius Religioſi; ſeruus autem non eſt incapax hæreditatis, & dominij; vndè teſtator eidem relinquens hæreditatẽ præſumi poteſt, quod reſpexerit ipſius vtilitatem, qui propterea, ſi nolit annuere, quod eadem hæreditas acquiratur domino, ipſam transferet in ſucceſſores ab inteſtato eiuſdem teſtatoris.

Quod, ſi dixeris, quod hac ratione, nec Pater poſſet acquirere, & adire hæreditatem relictam filiofamilias ipſo inuito, ſiquidem, & ipſe capax eſt hæreditatis, & præſumi poſſit, quod teſtator reſpexerit ad eiuſdem filij vtilitatem; tunc reſpondebo, etiam in hoc diſparem eſſe rationẽ, quandoquidem relictum filiofamilias ex diſpoſitione iuris, vbi aliud non fuerit expreſſum, neceſſario deuoluitur ad patrẽ quoad vſumfructum, & adminiſtrationẽ, & ad filium quoad proprietatem, vndè filius per negationem propriæ voluntatis non poteſt præiuditium inferre Patri; relictum vero ſeruo ex diſpoſitione iuris nullo modo acquiritur Domino, ſi ſeruus ipſe reluctetur, prout habetur *in d. l. 3. C. de hæred. inſtit.* 5 Diſpar ratio de hæreditate filio, ac ſeruo quo ad hoc.

---

§. XXV.

An, ſi Monachus, ante profeſſionem de ſuis bonis diſpoſuerit per vltimam voluntatem, bona illa ſint inſtituto deferenda ſtatim poſt profeſſionem.

SVMMARIVM.

Dilucidè exponitur factum. 1.

Procedit de profeſſo in Religione capaci dominij. 2.

Et ſpectato iure communi, non municipali Mediolani. 3.

Attento iure communi hæreditas quoad vſumfructum pertinet ad Monaſterium, quouſq; ſic profeſſus naturaliter vixerit. 4.

Religioſus viuens, nec Monaſterium poteſt de illis bonis quoad proprietatem diſponere. 5.

Attento iure municipali Mediolani duplex ſententia exponitur. 6.

Si perſona inſtituta decedat viuente profeſſo hæreditas deuoluitur Monaſterio. 7.

1 Status diſquiſitionis. DIſquiſitio XXV. Titius Spiritus Sancti afflatu ſtatuit Religionem ingredi, in eaque profiteri. Cum eſſet ſui iuris teſtamentum condidit, in quo diſpoſuit de rebus ſuis in fauorem cuiuſdam extra-

extranei, & poſteà profeſſionem emiſit. Quæſitum hic fuit, an immediatè poſt profeſſionem bona illa deberentur hæredi ſic per eum inſtituto, an verò quoad vſum, & fructus pertinerent ad Monaſterium, quouſque ipſe ſic profeſſus naturalitèr vixerit.

Procedit hæc difficultas in ſuppoſitione, quod Titius fuerit profeſſus in Religione capaci dominij, & hæreditatis, ſi etenim profeſſus eſſet in Religione incapaci dominij, & ſucceſſionis, quales ſunt Ordines Fratrum Minorum de obſeruantia, & cæterorum, qui ſtrictius adhuc regulam D. Franciſci obſeruant, quos omnes Concilium Tridentinum ſub nomine Capucinorum comprehendit, tunc certum eſt, huiuſmodi bona immediatè ad ipſum hæredem ſic inſtitutum deferri; cum ipſe Religioſus ſic profeſſus computetur, ac, ſi eſſet mortuus naturalitèr, prout rectè notauit *Molina tom. 1. de iuſt. & iure tract. 2. diſp. 140 in princip.*

2 **Procedit de Monacho profeſſo in Religione capaci dominij.**

Procedit item attento iure communi, ſecundum quod Religioſi in ordinibus dominij, & ſucceſſionis capacibus acquirunt Monaſterio, adeò vt, ſi non diſponant de bonis ſuis ante profeſſionem, illa transferant in idem Monaſterium; nam attento iure municipali huius Mediolanenſis Ducatus *in cap. 284. incip. illa perſona* ſecundum aliquorum ſententiam huiuſmodi Religioſi poſt profeſſionem reputantur pro mortuis, ac, ſi naturalitèr, ac verè eſſet mortui, ac proindè non transferunt illa bona in Monaſterium. Dixi ſecundum aliquorum ſententiam; nam plerique etiam attento tali iure municipali ſuſtinent; quod, ſi fuerint profeſſi in Religione capaci dominij non habeantur pro mortuis naturalitèr, ac proinde in ipſorum perſona ſuccedat Monaſterium. His ſic ſuppoſitis.

3 **Et ſpectato iure cōmuni, nō municipali Mediolani.**

Reſpondeo primò, attento iure communi, niſi aliud Religioſus in teſtamento condito ante profeſſionem diſpoſuerit, hęreditas illa quoad vſum, & fructus pertinet ad Monaſterium vſque ad mortem naturalem talis Religioſi *Panormitanus c. in præſentia de probat. n. 58., Nauarrus c. non dicatis nu. 86., Emanuel à Coſta cap. ſi pater part. 2. verb. teſtatore mortuo n. 6. & ſeqq., Coaruuias c. 2. de teſtament. n. 6., Molina de iuſt. & iur. tom. 1. tract. 2. diſp. 140. verſ. quin, & bona*. Ratio ex eo deducitur, quia teſtamentum vim non habet, niſi intercedente morte naturali teſtatoris, ſed per profeſſionem in Religione capaci dominij, & ſucceſſionis, nec interuenit mors naturalis vera, nec præſumpta attento iure communi, ſecundum quod ex perſona Religioſi ſuccedit Monaſterium, in quod transferuntur omnia iura, & onera eiuſdem Religioſi, ergo &c.

4 **Vſusfructus pertinet ad Monaſterium ad vitā profeſſi.**

Hic oritur immediatè difficultas, an Religioſus ex conſenſu Monaſterij, vel Monaſteriū ipſum ex perſona Religioſi, ante mortem naturalem eiuſdem poſſit de bonis, de quibus ipſe Religioſus diſpoſuit ante profeſſionem in fauorem illius extranei, aliqua alienare validè, adeo vt ipſe inſtitutus in ordine ad illa ſic alienata nullum ius habeat? Ratio dubitandi ex eo deducitur, quia licet per profeſſionem non intelligatur mortuus naturalitèr, intelligitur tamen mortuus ciuilitèr, & talitèr, vt non poſſit amplius diſponere de rebus ſuis, annullando prius teſtamētum, & nouum conficiendo, ſicque quoad proprietatem bona illa intelliguntur alligata hæredi inſtituto; ex alia parte, cum teſtamentum vim non habeat, niſi intercedente morte teſtatoris, & vtique naturali, ſemper videtur liberum eidem profeſſo intercedente conſenſu Monaſterij, vel Monaſterium ipſum ex perſona illius profeſſi reuocare priorem diſpoſitionem, & nouam inducere, ſeu fortè melius permanente prima diſpoſitione de rebus, quæ ſub illa caderent, diſponere, nam hæredi non debentur, niſi bona, quæ remanent poſt mortem naturalem teſtatoris. Tutius arbitror in præſenti dubitatione, nec Religioſum, nec Monaſterium poſſe de bonis illis quoad proprietatem diſponere. Ratio eſt, quia per profeſſionem factus eſt incapax dominij, & teſtandi, non tamen vſus, & vſusfructus ex conſenſu Prælati, ſeu Monaſterij, & licet Monaſterium ipſum ſit capax dominij, non tamen ex illa Religioſi profeſſione ius acquiſiuit diſponendi quoad proprietatem de illis bonis, de quibus ipſe profeſſus ante profeſſionem in aliorum fauorem diſpoſuit; vndè dici poteſt in præſenti hypotheſi, quod vſus, & fructus ſequantur ipſum Religioſum, quouſq; naturalitèr vixerit, non ſic proprietas, cum eam à ſe abdicarit.

5 **Viuente Religioſo, nec ipſe, nec Monaſterium poteſt de illis bonis quoad proprietatē diſponere.**

Reſpondeo ſecundo, attento iure municipali Ducatus Mediolanenſis in illo c. 284. incipiente *illa perſona* iuxtà illorū ſententiam, qui ſuſtinent, Religionem quantumuis ſecundum ſe capacem dominij, in qua ille profeſſus eſt, in nullo iure ſuccedere, ſtante tali ſtatuto ſentiendum eſt, bona illa, de quibus diſpoſuit ante profeſſionem, tranſire immediatè poſt eādem profeſſionem in hęredem inſtitutum; Iuxtà vero ſententiam illorum, qui ſuſtinent, illam diſpoſitionem ſtatutariam, nō officere iuri Religionis, ſentiendum eſt, bona illa non eſſe transferenda in hæredem inſtitutum, niſi poſt mortem naturalem ipſius Religioſi profeſſi, dummodo

6 **Attento iure municipali Mediolani, ſecundum duplicem ſentētiam dirimēda res eſt.**

aliter

Digitized by Google

aliter per ipſum ante profeſſionem non fuerit diſpoſitum. Conſonat cum iis,quæ docuimus *tom. 7. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. V. prænot. 16. nu. 5. verſ. dixi ſiſtendo in iure communi*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, cum talis Religioſus habeatur, ac ſi eſſet mortuus naturalitèr in tali ſententia, nec Monaſterium ex illius perſona ius aliquod acquirat,non eſt,cur bona illa non debeant ad hæredem tranſire. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, cum in hac ſententia Monaſterium iura acquirat profeſſi, & illius perſonam repræſentet, quouſque vixerit, non eſt, cur bona illa quoad vſum, & fructus non debeant in ipſum Monaſterium tranſire perſeuerante vita naturali eiuſdem profeſſi.

Ex quibus omnibus deducere poteris, quod ſtante iure communi,ſi perſeuerante vita naturali profeſſi in Religione capaci dominij, & ſucceſſionis ex perſona ſuorum ſubditorum hæres inſtitutus prædeceſſerit, euaneſcat diſpoſitio illa vltima teſtamentaria, & bona illa tranſeant ad Monaſterium, prout ex communi pluribus DD. allegatis docet *Molina tract. 2. de iuſt., & iure diſp. 140. d. vers. quin, & bona*. Ratio ea videtur eſſe, quia, ſi Monachus ante profeſſionem non diſpoſuerit de rebus ſuis, illæ tranſeunt ad Monaſterium non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad poſſeſſionem, *Nauarrus c. cum dicatis n. 78., Molina loc. cit. vers. eo ipſo, quod quis*, per textus *in auth. nunc autem C. de Epis., & Cler. in auth. ingreſſ., & in auth., ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccl., & c. ſi qua mulier 19. q. 3.*, ergo etiam, quantumuis ante profeſſionem diſpoſuerit, ſi tamen diſpoſitio fuerit irrita ex obitu hæredis ante mortem naturalem eiuſdem profeſſi, bona illa tranſire debent in Monaſterium ex perſona eiuſdem profeſſi; Neq; obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum ipſe profeſſus iam diſpoſuerit ante profeſſionem, nec poſt profeſſionem poſſit amplius teſtari, & bona illa quoad proprietatem ſint quodamodo alligata hæredi, videantur potius pertinere ad hæredes, ſiue ex teſtamento; ſiue ab inteſtato eiuſdem hæredis, quam ad Monaſterium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum teſtamentum vim non habeat, niſi intercedente morte naturali teſtatoris, hæres inſtitutus non poteſt bona illa in alium transferre, niſi eadem morte ſecuta; vndè, ſi ipſe hæres præmoriatur teſtatori, diſpoſitio teſtamentaria euaneſcit, & iura reuertuntur ad ipſum teſtatorem, ſi capax ſit, vel ad alterum habentem ius ex ipſius perſona. Aduertendum tamen hic eſt, quod ex illis bonis, quæ mortuo hærede dicuntur pertinere ad Monaſterium, detrahendæ ſint legitimæ portiones filiorū, aliorumq; deſcendentium, ſi qui ſunt per textum *in auth., ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccl., & in auth. nunc autem C. de Episc., & Cler.*

7 Si inſtitutus decedat ante profeſsſi, hæreditas deuoluitur Monaſterio.

---

§. XXVI.

An legitimæ portiones, quæ debentur iure naturæ à patribus filijs, debeantur immediatè filijs poſt profeſſionem patris, ſi ille legitimè profiteatur.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu accipiendus ſit titulus. 1.
Ex æquitate portiones legitimæ debentur filijs ſtatim poſt profeſſionem patris. 2.
Soluuntur argumenta contraria. 3.

DIſquiſitio XXVI. Caius, qui ex Sempronia vxore ſua genuerat duos, vel tres filios eadem Sempronia præmortua ingreſſus eſt Religionem, & facta diſpoſitione bonorum ſuorum in fauorem Monaſterij relicta legitima, ſeu reſeruata filijs profeſſus eſt. Quæſitum hic fuit, an legitima deberetur filijs ſtatim poſt profeſſionem eiuſdem Patris, an vero ſolummodo poſt mortem naturalem ipſius?

1 Exponitur ſenſus tituli.

Stante Statuto Mediolani *in illo c. 284. incip. illa perſona*, & ſententia aſſerente Monaſterium non ſuccedere ex perſona profeſſi certum videtur, quod legitima debeatur filijs, ſtatim poſt profeſſionem Patris; ſed, an hoc etiam ſentiendum ſit attento præciſè iure naturæ, eſt in magna controuerſia apud DD., & quidem prima fronte videtur aſſerendum, non deberi, niſi poſt mortem naturalem patris, quandoquidem filius non habet ius ad eandem legitimam, niſi poſt mortem patris, nec profeſſio eſt ex genere ſuo talis, vt conferat ius immediatè ad ipſam, ſicuti non confert ius, vt hæres inſtitutus per eundem profeſſum ante profeſſionem immediatè ſuccedat in bonis ipſius profeſſi inſtituentis. Nihilominus

Quid ſentiendum ſtante Statuto Mediolani, & quid de iure communi.

Reſpondeo, ſaltem ex quadam æquitate portiones legitimas tribuendas eſſe filijs immediatè poſt profeſſionem patris, *Coarruuias c. 2. de teſtamentis nu. 7., Nauarrus c. non dicatis num. 80., Molina tract. 2. de iuſt., & iur. diſp. 140. verſ. an vero ſtatim, Corſettus in ſingul. verb. legitima, Ananias in c. 2. col. penult. de delict. puer., Baldus Nouellus de dote part. 1. col. 3.*, qui etiam aſſerit

2 Ex æquitate ſaltē debetur legitima filijs ſtatim poſt profeſsionē patris.

rit hanc opinionem eſſe communem, & *Coaruuias loc. cit.* æquiorem eſſe, & in vtroque foro amplecti oportere. Probatur primo *ex auth., ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccleſijs*, vbi Patri profeſſo permittitur portiones legitimas filijs aſſignare; quod vtique verum non eſſet, ſi Monaſterio competeret ius ad legitimas huiuſmodi, quouſque pater viueret; neque dicas, ex hac poteſtate facultatiuè conceſſa Patribus etiam poſt profeſſionem non rectè argui, eſſe onus tradendi eiſdem filijs immediatè eaſdem legitimas, ſed dumtaxat conditionatè, ſi pater voluerit aſſignare, & propterea nō eſſe ius in filijs immediatè poſt profeſſionem patris dictas legitimas exigendi; contra enim impugnaberis, quia ex quo nullum ius acquiſitum eſt Monaſterio quoad illas legitimas, (quod arguitur ex eo, quod non poſſit obſtare diuiſioni per patrem faciendæ in fauorem filiorum) optimè videtur deduci, quod ius ad illas pertineat ad eoſdem filios, & licet *in ead. auth. ſi qua mulier*, non videatur inferri onus Patri diuidendi, ſed dumtaxat facultatiuum arbitrium, cum dicatur, *liceat ei poſtea inter eos diuidere legitima non diminuta*; non tamen ſequitur, quod refragetur noſtro ſenſui, quandoquidem illa facultas eſt quoad exceſſum ſupra legitimam, ſi voluerit filijs aſſignare, non quoad ipſam legitimam, vt legēti ſit manifeſtum, cum ipſa debeat eſſe non diminuta; Cæterum cum ius ad legitimam non ſit translatum in Monaſterium, nec eiuſdem ſit capax pater profeſſus, optimè ſequitur, quod ſit deferendum ipſis filijs. Deindè dicitur *in ead. auth. ſi qua mulier*, quod liceat patri, etiam ſi filij non petierint, poſt profeſſionem eiſdē aſſignare legitimam, quatenus Monaſterium non poteſt obſtare illi diuiſioni, & aſſignationi; non autem, quod non teneatur diuidere, & tradere, ſi illi exegerint, ſeu agant ad conſecutionem eiuſdem legitimæ ipſis debitæ.

Soluuntur nonnullæ exceptiones aduerſus iura allegata.

Neque vlterius repetas, quod *in eadem auth. ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccleſ.* dicatur, *ſed ſi poſt ingreſſum Monaſterij moriatur, antequam inter eos diuidat, filij legitimam percipient reliqua ſubſtantia Monaſterio competente*, ex quibus verbis infert *Gloſa ibid. in verb. moriatur*, quod portio legitima demùm poſt mortem naturalem patris debeatur præſtari; Contra enim adhuc impugnaberis, quia vt benè notat *Coaruuius loc. cit.* textus in illis verbis intelligendus ſit, loqui enuntiatiuè, quatenus, ſi non facta fuerit diuiſio viuente Patre, eo quod ipſi filij non petierint, ſit à Monaſterio danda eiſdem filijs portio legitima; ex quo tamen non ſequitur, quod, ſi illi petierint, non ſit antea danda.

Soluitur aliud obiectum ex iure deductum.

Probatur ſecundo *ex cap. cum ſimus de Regularib.*, vbi dicitur, quod, ſi quis cum filio ſuo annos diſcretionis nullatenus attingente ſe ad aliquod Monaſterium contulerit cum bonis ſuis, & filius noluerit ſtatui Monachali acquieſcere, liberum ſit eidem filio talem ſtatum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proueniunt, poſtulare, nempè legitimam; quod ſi hoc poteſt, ſi poſtquam ingreſſus eſt, egreditur, poterit etiam petere, ſi non fuerit ingreſſus, nam hoc ipſi debetur ex iure ſuitatis, & ſanguinis, quod æquè viget, ſiue fuerit ingreſſus, ſiue non.

Aliæ rationes pro reſponſione.

Probatur tertiò, quia filijs ex bonis Patris debentur iure naturæ alimenta etiam ante mortem Patris, vt eſt in confeſſo apud omnes, & per profeſſionem Patris in Monaſterio extinguitur patria poteſtas *Iaſon in auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſ. & ibi, Salicetus q. 7., Cinus, & Alber. in auth. idem eſt C. de bon. quæ lib., Hypolitus ſing. 668.*, ergo eiſdem filijs poſt profeſſionem Patris debetur legitima, quæ ſuccedit loco alimentorum; durum etenim nimis eſſet eiſdem filijs, ſi tenerentur à Monaſterio, quouſque Pater viueret naturalitèr, alimenta exigere.

3 **Soluuntur argumenta cōtraria.**

Difficultas ſolum remanet in ſoluendis argumentis, quæ ex aduerſo afferuntur; & quidem ad primum, quo dicitur, quod filijs non debeatur legitima, niſi poſt mortem naturalem Patris, dicendum eſt, hoc verum eſſe, quotieſcunque Pater ipſe retinet ius ad ſua bona, & patriam poteſtatem in filios, eiſque confert congrua alimenta, quod non militat in præſenti hypotheſi, ſecundum quam per profeſſionem ius amiſit ad propria bona, & patriam poteſtatem, nec conferre poteſt congrua alimenta, vndè iura optimè ſtatuerunt, quod, ne filij teneantur à Monaſterio toto tempore vitæ Patris alimenta exigere, immediatè ſuccedant in iure legitimæ. Ad ſecundum, quo dicitur, quod ius retineat ea detinendi, de quibus per teſtamentum diſpoſuit, quouſque naturalitèr vixerit, dicendum eſt hæc rectè procedere, quia quoad hæc liberam habebat poteſtatem, & poterat in fauorem inſtituti diſponere, & non diſponere; in ordine verò ad legitimam non rectè procedunt, cum filij ex quadam æquitate, quam iura conſiderarunt, incipiant immediatè ad illam ius habere, ac Pater definit eſſe ſui iuris, & incapax ſit bonorum, cum nequeat congrua alimenta præſtare.

Digitized by Google

§. XXVII.

An Pater immediatè per profeſſionem amittat ius ad vſumfructum bonorum aduentitiorum filij.

SVMMARIVM.

Elucidatur ſeries facti. 1.
Sententia aſſerens dimidium vſusfructus pertinere ad Monaſterium, dimidium tranſire ad filium. 2.
Sententia aſſerens totum vſumfructum pertinere ad Monaſterium. 3.
Sententia aſſerens totum tranſire ad filios. 4.
Probabilius totus vſusfructus tranſit ad filios poſt profeſſionem Patris. 5.

1 Exponitur ſeries facti.

Diſquiſitio XXVII. Delata fuerant plura bona, vel titulo donationis, vel inſtitutionis Franciſco filio familias, quæ propterea, cum eſſet bona aduentitia, pertinebant quoad proprietatem eidem Franciſco; quoad vſumfructum verò, & adminiſtrationem Caio ipſius Patri. Caius præmortua ſua vxore, & Matre eiuſdem Franciſci ſe contulit ad Monaſterium, in eoque profeſſus eſt. Contendebat poſteà idem Franciſcus per profeſſionem Patris, vſumfructum talium bonorum conſolidatum eſſe cum proprietàte in ſui fauorem; aduerſus quem excipiebat Caius, quod vſusfructus talium bonorum ad ſe ipſum pertineret, quouſq; vixerit naturalitèr. Quæſitum hic fuit quid iuris

2 Sententia aſſerens dimidium vſusfructus pertinere ad Monaſterium, dimidiũ ad filium.

Bartolus *in auth. idem eſt C. de bon. quæ lib.* aſſerit dimidiam vſusfructus partem illorum bonorum aduentitiorum ad Monaſterium pertinere, alteram verò ad filium tranſire *arg. l. cum oportet §. cum autem C. de bon. quæ lib.*, quod idem voluit *Abbas in c. cum ſcimus de Regular.*

3 Sententia aſſerẽs totum pertinere ad Monaſterium.

Molina *tom. primo de iuſt. & iure tract. 2. diſp. 9. in calce* ſuſtinet totum vſumfructum pertinere ad Monaſterium, quouſque Pater vixerit, hancque ſententiam amplectendam eſſe aſſerit, vtpotè principijs iuris, *& auth. ingreſſi* magis conformem.

4 Sententia aſſerẽs totũ tranſire ad filios.

Coaruuias *de teſtament. c. 2. nu. 8.*, *Martinus Silimanus in auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſ.*, *Cinus in auth. idem eſt C. de bon. quæ lib.* ſentiunt immediatè tranſire, ad filios, quorum ſunt bona aduentitia ducti ea ratione, quod ſicuti legitima portio immediatè debetur filijs poſt profeſſionem parentis, ità etiam vſusfructus bonorum aduentitiorum. Quid iam in hac opinionum varietate ſentiendum?

Reſpondeo, probabilius eſſe per profeſſionem Patris in Religione approbata vſumfructum conſolidari cum proprietate in fauorem filij. Eſt *Coaruuiæ c. 2. de teſtamentis num. 8.*, *Martini Silimani in auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſ.*, *Cini in auth. idem eſt C. de bon. quæ lib.* contrà *Nauarrum in c. non dicatis n. 70.*, *Decium in c. in præſentia n. 66. de probat.*, *Bartolum in d. auth. ingreſſi in repet. nu. 49.*, *Pinellum ad l. 1. C. de bon. matern. part. 1. n. 47.* Ratio eſt, quia filius maius ius videtur habere in ordine ad bona aduentitia propria, quam ad legitimam, ſi quidem bona aduentitia integrè debentur eidem filio ſecundum quantitatem, in qua erant, quando filio obuenerunt, legitima autem debetur ſolummodo filio ſecundum eam quantitatem, ſecundum quam correſpondet bonis paternis relictis poſt mortem eiuſdem Patris, ſed filius immediatè acquirit ius ad legitimam per profeſſionem Patris in Religione emiſſam, ergo etiam acquirere cenſendus eſt ius plenum ad bona aduentitia propria immediatè poſt profeſſionem eiuſdem Patris. Confirmatur, quia per profeſſionem Patris filius intelligitur emancipatus, & extincta patria poteſtas per ea, quæ ſupra diximus, ergo immediatè acquirit ius ad vſumfructum propriorum bonorum aduentitiorum, quandòquidem ea, quæ pertinent ad patrem ratione patriæ poteſtatis ea perempta deſinunt ad eum pertinere. 5

5 Probabilius tranſit ad filios.

Rationes pro ſententia.

Dices primò, ſi Pater filium emancipauerit, bona aduentitia filij quoad medietatem vſusfructus remanẽt apud eundem Patrem, & ſolum quoad medietatem tranſeunt ad filium per textum *in §. hoc quoque Inſtit. per quas perſonas nob. acq.*, ergo etiam, ſi quodamodo eundem filiũ emancipat per profeſſionem à ſe in Religione emiſſam, medietas bonorum aduentitiorum filij pertinebit quoad vſumfructum ad ipſum Patrem, ſeu ex ipſius perſona ad Monaſterium, & altera ſolũ medietas deuoluetur ad eundem filium. Sed contrà, quia in primo caſu emancipatio eſt ab ipſo Patre, & beneficiũ ab eodem præſtitũ eidem filio, in ſecundo autẽ caſu emancipatio eſt à iure; & ſic mirum non eſt, quod in primo caſu illa medietas deuoluatur ad patrem, tanquam pretium emãcipationis; in ſecundo autem non deuoluatur, cum ipſe reddatur incapax per profeſſionem, & ipſe non præſtet beneficium emancipationis, ſed ius ipſum ſuppoſita tali conditione profeſſionis emiſſæ in Religione per Patrem.

Inſtantia prima ſoluta.

Dices ſecundò, eſto, quod per profeſſionem emiſſam in Religione à Patre bona,

Inſtantia ſecunda ſoluta.

Digitized by Google

bona, quæ ſubſequenter ad eandem profeſſionem acquiruntur à filio pleno iure tranſeunt ad eundem filium tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructũ, bona tamen, quæ fuerunt acquiſita antecedentèr ad eandem profeſſionem, & iam quoad vſumfructum tranſierunt ad ipſum Patrem, non deuoluantur ad filium quoad vſumfructum viuente eodem Patre. Sed contrà, cum deſinat patria poteſtas ratione profeſſionis emiſſę à Patre, non video, cur non debeat deſinere vſusfructus bonorum aduentitiorum filij in eodem Patre, & conſolidari cum proprietate in fauorem eiuſdem filij, præcipuè cum ius illud Patris ad vſumfructum bonorum aduentitiorũ filij videatur perſonale, & non transferibile in alios.

Inſtantia tertia ſoluta. Dices tertio, ex ſuperius dictis bona, de quibus Religioſus ante profeſſionem per teſtamentum diſpoſuit in fauorem tertij, pertinent ad Monaſterium quoad vtilitatem, quouſque ipſe Religioſus vixerit, non obſtante profeſſione per ipſum emiſſa, ergo etiam bona aduentitia filij, quibus pater gaudebat, debent non obſtãte profeſſione ad ipſum Monaſterium pertinere quoad eandem vtilitatem, durante vita naturali eiuſdem Religioſi profeſſi. Sed contra diſpar omnino eſt ratio, nam in primo caſu bona illa ante mortem teſtatoris pleno iure pertinent ad teſtatorem, nec ſunt hæredi debita, niſi ex voluntate teſtatoris, & ſuccedente morte eiuſdem; in ſecundo autem bona illa ſunt alligata filio, & tantum pertinent ad eundem patrem, quouſque in ipſo perſeuerat patria poteſtas, vndè mirum non eſt, quod hac ceſſante per profeſsionem ceſſare debeat, & vſusfructus &c.

---

§. XXVIII.

An non extãtibus deſcendentibus debeatur legitima portio aſcendentibus, ſi quis emittat profeſsionem in Religione.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Sententia negans in hac hypotheſi deberi legitimum aſcendentibus. 2.
Probabilius talis legitima debetur aſcendentibus. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

1 Expoſitio caſus in ſuis terminis. DIſquiſitio XXVIII. Titius carens deſcendentibus, habens tamen aſcẽdentes, nulla facta diſpoſitione ſuorum bonorum ingreſſus eſt Monaſterium, in eoque profeſſus eſt. Iuxtà diſpoſitionem iuris communis, certum eſt Monaſterium acquirere iura, quibus gaudebat ipſe Titius, antequam profiteretur per textũ *in auth. nunc autem C. de Epiſcopis, & Cler. in auth. ingreſsi, & auth. ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccles., & c. ſi qua mulier 19. q. 3.* Item iuxtà diſpoſitionem iuris communis deficientibus deſcendentibus legitimã bonorum eius, qui decedit, deberi eius aſcendentibus definitum remanet in pluribus iuribus. Hic iam oritur difficultas, an in præſenti hypotheſi bonorum Titij profeſsi in Religione debeatur legitima aſcendentibus ipſius, an vero nullo habito reſpectu ad aſcendentes tota ipſius hæreditas deuoluatur ad Monaſterium, in quo profeſſus eſt.

Non defuerunt aliqui, inter quos *Gloſa in d. auth. ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccles.*, qui aſſeruerunt in hac hypotheſi non deberi legitimam aſcendentibus, ſed totam hæreditatem immediatè tranſire in Monaſterium, quod multis rationibus comprobare intendunt, & primo, quia extantibus deſcendentibus legitima non debetur aſcendentibus *ex auth. de Sanctiſsimis Epiſcopis §. ſed, & hoc, & in c. in præſentia de probat.*, ſed in hac hypotheſi Monaſterium habetur pro deſcendenti reſpectu Titij, cum habeatur loco filij, ergo &c. ſecundo, quia, ſi quid relictum fuerit alicui perſonæ cum onere, vt, ſi ſine liberis deceſſerit, illud reſtituat alteri, & inſtitutus profeſſus fuerit in Religione capaci dominij, quæ ſuccedat in bonis profeſsi, certè expirat ſubſtitutio, & illud relictum tranſit in Monaſterium, & non in ſubſtitutum, quod non alia ratione poteſt ſtatui, niſi, quia Monaſterium habetur tanquam filius, & tanquam filius ſuccedit, ergo &c. Nihilominus his non obſtantibus 2 Sententia negans in hac hypotheſi deberi legitimam aſcẽdentibus.

Reſpondeo probabilius eſſe legitimam portionem ex bonis Titij profeſsi in Religione deberi eius aſcendentibus. *Molina de iuſt., & iure tom. 2. tract. 2. diſp. 140., Iaſon. in auth. ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccl. Panormitanus c. in præſentia d. probat. n. 53., Nauarrus in c. non dicatis nu. 78.*, Ratio ex eo deducitur primo, quia fundamentum, cui innititur contraria ſententia, nõ ſubſiſtit, quandoquidem verum nõ eſt, quod Monaſterium reſpectu profeſsi habeatur loco filij; nec hoc dicitur *in auth. de Sanctiſsimis Epiſcopis §. ſed, & hoc*, ſed ibi tantum dicitur, quod illæ conditiones, ſi deceſſerit ſine liberis in ingrediente Monaſterium reſpuantur; Deindè, ſi Monaſterium haberetur loco filij, Monachus haberet Monaſterium in poteſtate, & ſic 3 Probabilius talis legitima debetur aſcendentibus.

Digitized by Google

Monaſteriū acquireret Monacho, quod eſt abſurdum, prout rectè notauit *Bartolus in d. auth. ſi qua mulier C. de Sacros. Eccleſ. n. 4.*, ergo, ſi propriè non venit nomine filij, non excludit ius, quod habent aſcendentes iure naturæ ad legitimam portionem non extantibus deſcendentibus. Secundo, quia extantibus deſcendentibus Monaſterium non ſuccedit in ipſorum legitima, quæ certè debetur eiſdem deſcendentibus *d. auth. ſi qua mulier C. de Sacros. Eccleſ. in auth. nunc autem C. de Epiſc., & Cler.*, ergo nõ extantibus deſcendentibus, benè tamen aſcendentibus Monaſterium non ſuccedet in eorum legitima, ſed hæc illis debebitur. Conſequentia probatur, quia in iure æquè cautum eſt, quod non extantibus deſcendentibus legitima debeatur aſcendentibus, ac cautum ſit, quod extātibus deſcendentibus legitima nõ debeatur aſcendentibus, ſed extantibus deſcendentibus Monaſterium non ſuccedit in eorum legitima, ergo non extantibus deſcendentibus, benè tamen aſcendentibus idem Monaſterium non ſuccedet in iſtorum legitima, cum hæc de iure naturæ ipſis debeatur non extantibus ipſis deſcendentibus. Tertio, quia parentes poſſunt agere querela inofficioſæ donationis, per textum *in l. ſi filius C. de inoſ. donat.*, ergo, ſi filius omnia contulerit Monaſterio hanc donationem poterit pater reuocare, cum hæc ſit quædam liberalis conceſsio ſaltem quoad ea, quæ pertinent ad ipſius legitimam.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ex quibus omnibus habes, quid reſpondeas ad argumenta contrariæ ſentẽtiæ; ad primum etenim dic, vt ſupra Monaſterium non haberi pro filio, ſaltem quoad hunc effectum excludendi aſcendentes ab ipſorum legitima portione. Ad ſecundum dicendum eſt, hoc eſſe ſpecialitèr in iure expreſſum in ordine ad ea, quę obueniunt ex libera alicuius diſpoſitione, non autem in ordine ad ea, quæ alteri debentur iure ſanguinis, & naturæ, qualis eſt legitima portio debita aſcendentibus, non extantibus deſcendentibus; vndè merito notat *Molina de iuſt., & iur. tract. 2. diſp. 140.*, quod Monaſterium habeatur loco filij ad effectus tantum iure expreſſos, de quorum numero non eſt ille, de quo hic agitur.

---

§. XXIX.

An Emphyteuſis, & feudū, quo quis gaudebat ante profeſsionem, tranſeat in Monaſterium, poſt illius profeſsionem, ſi de illis, antea non diſpoſuerit.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.
Varia genera feudorum. 2.
Emphyteuſis etiam multiplex. 3.
Feudum, ſi fuerit francum, vel cum onere, quod præſtari poſsit, vel à Monaſterio, vel per alium tranſit cum profeſſo ad Monaſterium. 4.
Procedit tantum de feudo, quo Religioſus gaudebat ante profeſsionem. 5.
Si tale feudum fuerit hæreditarium, non permanet in Monaſterio, niſi ad vitam Religioſi. 6.
Si feudum habeat annexam dignitatem, probabiliùs non tranſit in Monaſterium. 7.
Feudum conceſſum pro ſe, & filijs tranſit cum filio in Monaſterium, ſi onera ipſius poſsint præſtari per ſubſtitutum. 8.
Emphyteuſis conceſſa pro deſcendentibus non tranſit cum deſcendente in Monaſterium. 9.
Si fuerit conceſsa pro hæredibus quibuſcunque tranſit in Monaſterium, ſi fuerit hæres. 10.

DIſquiſitio XXIX. Conceſſum fuerat à Principe feudum, ſeu à Domino directo Emphytheuſis Antonio pro ſe, & ſuis deſcendentibus, vel hæredibus, & forte etiam alijs, quibus dederit ſub certis conditionibus, prout in eadem conceſſione. Mortuo Antonio feudum, vel emphytheuſis deuenit in Andræam eius filium legitimum, & naturalem, qui poſteà Spiritus Sancti impellente gratia excitatus Monaſterium ingreſſus eſt nulla facta diſpoſitione rerum, ſeu iurium ſuorum. Quæſitum hic fuit, an tale feudum, ſeu emphytheuſis ſimul cum eodem Andræa profeſſo tranſierit in Monaſterium, an verò tranſire debeat ad alios immediatè vocatos. 1 In quo ſẽſu procedat titulus.

Pro clariori reſolutione pręſentis quęſiti plurima ſunt examinanda, & primò, ſi agatur de feudo, an illud ſit francum, hoc eſt liberum à quocunque ſeruitio, vel conceſſum fæminæ etiam, vel cum onere talis ſeruitij, quod præſtari poſſit à Monaſterio, vel cum facultate præſtandi tale ſeruitium per alium. Rurſus inſpiciendum eſt, an tale feudum ſit ex inferioribus, quæ non habent annexam 2 Varia genera feudorum.

digni-

Digitized by Google

dignitatem, an verò de habentibus annexam dignitatem, cuiuſmodi ſunt Regna, Ducatus, Marchionatus, aut Comitatus. Rurſus videndum eſt, an fuerit conceſſum ſolummodò pro ſe, filijs, & deſcendentibus, an verò pro ſucceſſoribus quibuſcunque, & quibus dederit.

3 Variæ acceptiones emphytheuſis. Si verò agatur de Emphytheuſi, conſiderandum erit, vtrum Emphytheuſis ſit Eccleſiaſtica, vel ſæcularis, an ſit conceſſa in perpetuum, an verò ad tempus determinatum, an ſit conceſſa cum ampliſſima facultate reſpectu emphytheutę transferendi ad quoſcunque voluerit, an verò cum reſtrictione ad ſe, & ſuos filios, & deſcendentes, & alia huiuſmodi. Hinc

4 Feudum, ſi fuerit francũ, & obſequia poſſint per aliam præſtari tranſit cũ profeſſo in Monaſterium. Reſpondeo primò. Si feudum francum fuerit, vel conceſſum etiam pro fæminis, vel cum onere ſeruitij, quod præſtari poſſit, vel à Monaſterio, vel per alium, modo aliæ non obſint conditiones vtique cum profeſſo tranſit in Monaſterium. *Nauarrus c. non dicatis n. 87., Molina lib. 1. de primog. c. 13. n. 76., Caldas de nomin. Emphyt. q. 6. nu. 2.*, hancque opinionem communiorem appellat *Iulius Clarius lib. 4. ſentent. §. feudum q. 78.*, quamuis ab ipſa diſſentiat.

Ratio ex eo deducitur, quia Monaſterium ſuccedit in omnia iura Monaci, ex quo hic ante profeſſionem eiſdem non renuntiauit, quinimmò dicitur poſſidere iura ingreſſi ſine apprehẽſione *Bartolus in l. hæreditatis C. de pactis conuen., & in auth. ſi qua mulier C. de Sacroſ. Eccl., Baldus in auth. niſi rogati ad fin. C. ad Trebel., Bartolus in l. ſi adaptauero ff. de precario*, ergo non eſt, cur excludatur à feudo, quo Religioſus ante profeſſionem gaudebat, cuique non renuntiauit. Conſequentia probatur, quia nullum eſt ius, nullumque motiuum excludens Monaſterium a tali iure feudali quouſq; Monachus profeſſus vixerit; non natura eiuſdem feudi; cum hoc

Nullũ ius nullaque ratio prohibet talẽ tranſitum feudi. ſecundum ſe poſſit in quemcunque capacem tranſire, & Monaſterium certè eſt capax, ſicuti cuiuſcunque alterius iuris realis, niſi inuoluat conditiones repugnantes tali ſtatui; non voluntas Domini ſupremi; qui ex quo conceſſit abſolutè feudum pro ſe, & quibus dederit, non cenſetur excluſiſſe Monaſterium, non ſeruitia præſtanda, quia ſupponimus, quod hoc feudum ſit, vel francum, ideſt immune ab onere cuiuſcunque ſeruitij perſonalis, quod certe fieri poteſt, prout notant *Alexander conſ. 30. quoniam omne datum nu. 19. vſque in finem verbo feudum aliquale lib. 1.*, vel ſaltem, ſi exigit ſeruitium, vel reale, vel perſonale, ſupponimus, quod per ſubſtitutum poſſit præſtari, in quo caſu Monaſterium eſt capax ſuccedendi per textum *in c. 1. de ſtatu Reg. in 6., Caldas conſ. 305. in princip. verſ. item hoc probatur alias 2. de feudis*, vel quod ſit tale, quod admittat ſeruitium, quod poſſit etiam præſtari honeſtè per Monaſterium, in quo caſu etiam Monaſterium ſuccedit *Egidius Bellam. conſ. 84. n. 31. verſ. ſed contra, Alexander conſ. 10. viſo inſtrumento nu. 6. & ſeqq. verſ. ſed præmiſſis non obſtantibus per totum lib. 5.*, vbi quod durante vita profeſſi remaneat feudum penes Monaſterium, & iſta eſt communis opinio, quæ non habet contradictorem *Clarus in §. feudum qu. 78. in principio*, vbi citat plurimos, & in ſpecie *Capicium decıſ. 10. n. 10.*

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an ea, quæ dicta ſunt, ſint præciſè intelligenda, quandò profeſſus ante profeſſionem gaudebat feudo, ſeu quod idem eſt de feudo, quo pleno iure gaudebat ante profeſſionem, an verò etiam de feudo, quo non gaudebat ante profeſſionem, ſed tantum poſt profeſſionem vacauit, & eſſet deuoluendum ad ipſum profeſſum, ſi non eſſet profeſſus. Secunda, an, ſi tale feudum fuerit hæreditarium pertineat ad Monaſterium ſolummodo pro tempore vitæ naturalis eiuſdem profeſſi, an verò in perpetuum, tanquam allodiale bonum. Nonnullæ rationes dubitãdi.

Ad primum arbitror probabilius eſſe intelligi dumtaxat de feudo, quo gaudebat Religioſus ante emiſſam profeſſionem, non de feudo vacante poſt emiſſam profeſſionem eiuſdem. Ita expreſsè docet *Tuſchus pract. concl. iuris verb. feudum concl. 166. n. 8.*, qui pro ſe citat *Alexandrum d. conſ. 10. n. 8. & ſeqq. lib. 5.*, qui etiam citat *Oldradum, & Ioannem Andræam*, hoc idem ſentit *Speculator apud Iulium Clarum de ſtatu Monach. §. 1. n. 15.* Rationem adducit idem Tuſcus, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, & quia facilius datur retentio, quam noua acquiſitio, & facilius exceptio, quam actio, & turpius eicitur, quam non admittitur hoſpes. 5 Procedit tantum de feudo, quo Religioſus gaudebat ante profeſſionem.

Quod, ſi quæras, cur Monaſterium poſt profeſſionem Religioſi excludatur ab acquiſitione feudi vacantis poſt talem profeſſionem, cum non excludatur à cæteris iuribus puta ab hæreditate paterna, ſi Pater moriatur poſt profeſſionem filij, reſpondebo, ex hoc prouenire, quia per ſtatum Religioſum videtur inhabilis ad actionem in ordine ad feudum acquirendum, nec in hac hypotheſi Monaſterium ipſum dicitur ſuccedere obſtante textu *in c. adoptiuus in titulo ſi de feud. ſuer. controu. inter Dominum, & agnat.*, vbi dicitur, quod filius ciuilis non ſuccedit in feudo; Monaſterium autem dicitur filius ciuilis

reſpe-

Digitized by Google

reſpectu profeſſi in textu *in c. præſentia cum ibi notatis de probat. in auth. niſi rogati C. ad Trebel. & in auth., ſi qua mulier C. de ſacroſ. Eccl. cum ibi notatis.* Addam *cum Alexandro d. conſ. 10. n. 17. lib. 5.*, quod etiam Monaſterium, quando feudum iam erat deuolutum ad Religioſum ante profeſſionem non dicatur propriè ſuccedere in feudo, ſed quod ipſa commoditas vtilis dominij ipſius vaſalli ſit Monaſterij, ſicuti ſunt alia bona ingreſſi; vndè cum ante profeſſionem non ſit acquiſitum feudum, nec poſt illam poſſit acquiri, nec poteſt acquiri ius ad illam commoditatem, cum hoc ſupponat ius feudi acquiſitum.

6 Ad ſecundum dicendum eſt ius ad illam commoditatem non perſeuerare in Monaſterio, niſi quatenus vita naturalis profeſſi perſeuerauerit. Ità expreſsè *Alexander loc. cit. ferè per totum, Baldus in c. 1. n. 2. de mil. vaſ. qui arma bellica &c. Iulius Clarus lib. 4. ſent. §. feudum qu. 78. verſ. quæ tamen opinio, Capicius deciſ. 10. n. 10.*, qui aſſerit hanc opinionem non habere contradictorem; nec difficilis eſt huiuſmodi reſolutionis probatio, quandòquidem nimis durum eſſet Domino ſupremo, cum nunquam feudum reuerteretur ad ipſum, cum Monaſterium ſemper duret, & nunquam moriatur per textum *in c. 1. §. 1. de alien. feud.*, cæteroqui non haberet rationem feudi, ſed proprietatis, ſeu boni allodialis.

Si tale feudũ fuerit hæreditariũ nõ permanet in Monaſterio, niſi ad vitam Religioſi.

Aduerſus hanc reſponſionem multa congerit argumenta *Alexander loc. cit. in principio*, quæ & ſubſequentèr reſoluit. Primum eſt iam attactum *ex c. 1. §. 1. de alien. feudi*, vbi vaſallus prohibetur alienare feudum in Eccleſiam, quia fieret deterior conditio Domini ſupremi, cum nunquam ad ipſum feudum reuerteretur; Monaſterium enim ſemper viuit, & non moritur. Secundum fundatur *in cap. qui Clericus in tit. ſi de feudo fuerit controu. inter dom.*, vbi dicitur, quod ſi vaſallus efficitur Clericus, vel votum Religionis aſſumat eo ipſo ſit priuatus feudo. Tertium innititur textui *in c. 2. de vaſ. mil. qui arma bel. depoſ.*, vbi dicitur, quod miles à Monaſterijs habitum Religionis amittat feudum. Quartum *in c. 1. §. 1. in tit. de benef. fæmina*, vbi ille, qui efficitur Clericus, vel conuerſus, aut aliquo modo habitum Religionis aſſumit in feudum paternum non ſuccedit, & ſi illud habebat perdit ipſum. Quintum, quia militans Deo non debet ſe implicare negotijs ſæcularibus *c. 1. ferè per totum ne Clerici, vel Monac. & c. placuit 21. q. 3.*, nec quis poteſt duobus Dominis ſeruire *l. fin. C. de offic. aſſeſ. c. quia in tantum, & c. de multa de præbend.* Sextum, quia non debet Dominus inuitus compelli habere alium in vaſallum, quam illum, quem elegit. Septimum, quia filius ciuilis non ſuccedit in feudo *c. adoptiuus ſi de feud. fuerit controuer. inter dom. & agn.* Monaſterium autem reputatur pro filio ciuili per allegata ſuperius iura.

Proponũtur obiecta contraria.

Sed his omnibus de facili poteſt ſatiſfieri, ſi dicatur ad primum, quod ille textus *in c. 1. §. 1. de alien. feud.*, loquatur de voluntaria alienatione feudi, quam vellet in perpetuum facere Vaſallus, quod certè fieri non poteſt ſine deterioratione conditionis domini ſupremi, cum Eccleſia nunquam moriatur, non de translatione, quæ fit per ingreſſum in Monaſterium, prout colligitur *ex l. ſi ita quis §. ea lege ff. de verb. oblig.*, vbi habetur, quod rem, quam non poſſum titulo venditionis transferre in Eccleſiam, tamen potero transferre, ſi ingrediar in Monaſteriũ transferendo rem illam, per talem ingreſſum, prout etiam docet *Baldus in c. quæ in Eccleſiarum de conſtit., & in d. auth. niſi rogati C. ad Trebel.*, ſi autem roges, cur non poſſit feudum alienare in Eccleſiam per voluntariam alienationem, poſſit tamen per ingreſſum in Monaſterium, dicam hoc prouenire, quia in voluntaria alienatione intelligit Vaſallus in perpetuum transferre, in ingreſſu autem in Religionem non transfertur in perpetuum, ſed tantum quouſque Vaſallus naturalitèr vixerit, per quod non deterioratur conditio domini ſupremi, vt per ſe patet, quinimmo propriè non transfertur feudum in Monaſterium, ſed dumtaxat cõmoditas vtilis dominij ipſius Vaſalli. Ad ſecundum dicendum, ea, quæ dicuntur ex allegato textu *in c. qui Clericus, ſi de feud. fuer. controu. inter Dominum*, procedere dumtaxat, quando feudum exigit ſeruitia perſonalia, quæ nequeant honeſtè præſtari per Monaſterium, vel per ſubſtitutum *arg. l. 1. §. ne autem C. de cad. col. Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Iacobus de Butrio in c. in præſentia de probat.*, quod idem dic ad tertium in quo miles, qui fuerat inueſtitus in feudo ſupponitur ſpecialitèr electus ad ſeruitium militare. Idem dic ad quartum. Ad quintum dicendum eſt, quod quando honeſtè ſeruitium applicari poteſt per Monaſterium, vel per ſubſtitutam perſonam non habeat locum ille textus, cum non impediatur à præſtando exercitio militiæ ſpiritualis, & ſic quando dicitur, quod nemo poteſt duobus dominis ſeruire intelligendum eſt, quando per ſeruitium vni præſtitum impeditur alteri debitum obſequium. Ad ſextum dicendum eſt, quod Monaſterium in ea hypo-

Obiecta oppoſita diſſoluũtur.

Ratio, cur poſſit Vaſallus feudum transferre in Monaſterium, non alienare.

Digitized by Google

hypotheſi non ſit vaſſallus, ſed quod per ſubſtitutum vaſſalli præſtetur ſeruitium Domino feudi, & viuente vaſſallo durabit commoditas; Deindè ex quo dominus ſupremus conceſſit feudum latè, & nõ cum reſtrictione non poteſt dici, quod ſit inuitus, quod transferatur in Monaſterium. Ad vltimum patet ex dictis, quid reſpondendum.

7 Si feudũ habeat annexam dignitatẽ probabilius non tranſit in Monaſterium.

Reſpondeo ſecundò, ſi feudum ſit de Superioribus, quod habeat annexam dignitatem, vel Regni, vel Ducatus, vel Marchionatus, probabilius eſt, quod per profeſſionem illud poſſidentis non tranſeat ad Monaſterium *Molina lib. 1. de primog. c. 13. nu. 81., Alter Molina Theologus de iuſt., & iur. tract. 2. diſp. 140., Iulius Clarus lib. 4. ſent. §. feudum q. 78. verſ. ſed hæc concluſio*, & ità etiam de facto ſeruari teſtatur *Speculator de ſtat. Monach. §. 1. n. 15.* Rationem huius reſponſionis non ſolum agnoſcerem in præſumpta concedentis voluntate, ſed etiam in ſtatu Religionis, cui videtur repugnare illa dignitas.

8 Feudũ cõceſſũ pro ſe, & filijs ſi non habeat annexa onera, quæ non poſſit præſtari per Monaſteriũ, trãſit in ipſũ.

Reſpondeo tertiò, ſi feudum in prima inueſtitura ſic conceſſum alicui pro ſe, & filijs ſuis, & non ſit tale, vt exigat ſeruitium perſonale, quod non poſſit præſtari honeſtè, vel per Monaſterium, vel per ſubſtitutum, adhuc per profeſſionem filij in Religione non deſinit quoad commoditatem remanere pænes Monaſterium, quouſq; ipſe filius profeſſus naturalitèr vixerit. *Calderinus conſ. 305. alias 2. de feudis in principio*. Ratio eſt, quia ex vna parte Monaſterium non eſt incapax commoditatis illius feudi, quouſque profeſſus naturalitèr vixerit; ex alia feudum perſeuerat in filio, ad quem extenditur inueſtitura, cum filius ipſe adhuc viuat, & Monaſterium gaudeat ex perſona filij, cum omnia ipſius iura induat, ergo &c.

Reſpondeo quartò, emphyteuſis, ſi conceſſa fuerit pro ſe, & deſcendentibus, & deſcendens, qui ſucceſſit in eadem tranſierit in Monaſterium, in quo profeſſus fuerit, probabilius non tranſit ad idem Monaſterium, quidquid in contrarium ſentiant *Bartolus, & DD. communitèr in auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſijs, Iaſon. in l. 2. q. 16. C. de iure emphyt.*, quod tamen intelligunt de Monaſterio capaci bonorum, prout *DD. in auth. rogati C. ad Trebel.* Rationem ex eo deducunt, quia nihil eſt, quod obſit tali acquiſitioni; nõ defectus perſonæ vocatæ, cum re vera talis effectus Monachus reſpectu primi inueſtiti ſint deſcendens, nec ex eo, quod profeſſus fuerit in tali Monaſterio amittit ius deſcendentis, & licet ipſe ſit incapax, Monaſterium tamen ex perſona eiuſdem eſt capax, & Monaſterium ipſum induit omnes conditiones ipſius quouſque naturalitèr vixerit; non defectus voluntatis concedentis, qui ex quo vocauit deſcendentes à primo inueſtito non poteſt eſſe inuoluntarius reſpectu talis, qui propriè deſcendens eſt, nec ex eo, quod tranſierit ad Monaſterium, deſinit eſſe deſcendens, nec conſtituit deteriorem cõditionem eiuſdem Domini inueſtientis, cum emphyteuſis tantum debeat perſeuerare in Monaſterio, quouſq; ille naturalitèr vixerit. Hæc illi; Noſtra tamen reſponſio ſuffulta remanet auctoritate *Antonij de Butrio in c. in præſentia de probat. Barbatij conſ. 13. circa hanc hæſitationem, col. 3. lib. 1., Iulij Clari lib. 4. ſentent. §. emphyteuſis q. 33.*, & conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de emphyth., & cenſib. prænot. 8. num. 21. verſ. probatur quoad ſecundam partem.* Ratio ex eo deducitur, quia verba contrahentium ſtrictè ſunt intelligenda *l. quidquid adſtringendæ ff. de verb. oblig.*, & ſic in contractibus verbum, *deſcendens*, non intelligitur de Monaſterio, quod per ingreſſum dicitur filius factus, & non deſcendens, vt latè probat *Barbatius loc. cit.* Confirmatur, quia Monaſterium, quantum ad præſens inſtitutum pertinet, habetur, vt perſona extranea, cum nomine extranei veniat quicunq; nõ procedit naturalitèr ab eo, cui ſuccedit, & hoc non ſolum ex vi naturalis ſucceſſionis, ſed etiam ex intentione concedentis, qui intelligitur voluiſſe ſucceſſionem naturalem, non poſitiuam, & merè ciuilem.

9 Emphyteuſis conceſſa pro ſe, & deſcendẽtibus, ſi deſcẽdens trãſeat ad Monaſterium, ad illud non tranſit.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque obeſſe poſſunt ſupra in contrarium allegata, quandoquidem obſtat, & defectus perſonæ vocatæ, cum hæc per profeſſionem facta fuerit incapax, & defectus voluntatis concedentis, cum hic eandem voluntatem reſtrinxerit ad filios, & nepotes primi inueſtiti; neque dici poteſt, quod Monaſterium in perſona filij primi inueſtiti habeat eadem iura, quæ haberet ipſe filius, ſi non eſſet profeſſus, adeoq; &c. Non, inquam, dici poteſt, quia habet quidem omnia iura eiuſdem filij quoad ea, quæ ſunt propria eiuſdem filij, non vero quoad ea, quæ dependent à voluntate concedentis, & inueſtientis, qui certè, ſi fuiſſet interrogatus, an voluerit, quod etiam in Monaſterium emphyteuſis tranſiret, ſi aliquis ex vocatis in illud migraret, veriſimilius eſt, quod negaſſet.

Reſpondeo quintò, ſi emphyteuſis cõceſſa fuerit pro primo inueſtito, & pro ipſius hæredibus quibuſcunque, vel quibus dederit, probabilius eſſet, ſi Monaſterium fuerit hæres, & vocatus ante profeſſionem de illa non diſpoſuerit, quod tranſi-

Digitized by Google

10 Emphyteuſis, ſi fuerit cõceſſa pro ſe, & hæredibus quibuſcũque, probabilius tranſit in Monaſterium, ſi fuerit hæres.

tranſiret in Monaſteriũ, in quo ille profitetur, vel profeſſus eſt, cum hoc tamen, quod teneatur Monaſterium illud in aliã perſonam laicalem transferre intra annũ. Ità ſentire videntur *Panormitanus, Speculator, Decius in c. in præſentia de probat.*, & ita nos etiam docuimus loco citato in præcedenti reſponſione. Ratio eſt, quia Monaſterium ſupponitur capax illius iuris emphyteutici, nec intelligitur reſtrictum ad determinatas perſonas, ſed ad hæredes quoſcunque, & ad quos dederit, ergo non erit, cur non debeat ad Monaſterium tranſire, ſi hoc fuerit hæres, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato. Verum tamen eſt, quod teneatur Monaſterium illud ius intra annum in aliam perſonam laicalem transferre; nam ſecus efficeretur valdè deterior conditio Domini directi, cum nõ ſubeſſet vlla ſpes caducitatis, cum Monaſterium ſupponatur perpetuum; ad quod incommodum euitandum iura, & conſuetudo obtinuerunt, vt Monaſterium poſt acquiſitionem teneretur in aliam perſonam, reſpectu cuius poſſit eſſe ſpes caducitatis, transferre *arg. l. ſi filius familias C. de legat. 1. c. longinquitate 12. q. 2.*, atque ita ſeruari de conſuetudine atteſtatur *Speculator de emphyth. §. nunc aliqua q. 117.*

§. XXX.

An profeſſus ex contractu inito ſine facultate Superioris, ſiue tacita, ſiue expreſſa obligetur naturalitèr, & an fideiuſſor ipſi accedens, ciuilitèr.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis explicatur. 1.
Sententia aſſerens obligari naturalitèr. 2.
Sententia negans cum ſuis rationibus. 3.
Probabilius Religioſus contrahens ſine facultate Superioris non obligatur naturalitèr. 4.
Quamuis non obligetur naturalitèr ex contractu, obligatur tamen ex delicto. 5.
Fideiuſſor adiectus contractui Religioſi, nullo modo obligatur. 6.

1 Diſquiſitio explanata.

Diſquiſitio XXX. Titius poſtquam profeſſionem emiſit in Monaſterio, vel ex bonis eiuſdem Monaſterij, vel ex bonis ſibi per legatum relictis plurimos contractus iniuit, nulla habita facultate, nec implicita ſui Superioris, eiſdemque adiecit fideiuſſores. Hos contractus nullam inducere ciuilem obligationem certò certiùs eſt, cum iura eiſdem non aſſiſtant, quin potiùs obſiſtant. Quæſitum hic tamen fuit, an ſaltem inducant reſpectu Religioſi contrahentis obligationem naturalem, & reſpectu fideiuſſorum adiectorum ciuilem?

Panormitanus *conſ. 104. part. 1. nu. 3.* ſuſtinet ſic profeſſum obligari naturalitèr ſumpta paritate a ſeruo, qui contrahit obligationem naturalem *l. naturalitèr & l. ſi id, quod, & ibi Bartolus ff. de condit. indeb.*, cui ſeruo Monachus æquiparatur *Innocentius in c. cum olim de priuil., Bartolus in l. 1. & in l. ſi ſeruus, & l. liber homo, & l. quod ſeruus ff. de ſtipulat. ſeruor.*, qui per conſequens docet, quod ſi eidem adijciatur fideiuſſor, hic obligatur ciuilitèr. 2 Sententia aſſerens obligari naturalitèr.

Hoſtienſis *in ſumma de fideiuſ. §. pro qua poſſit verſ. & quis, Felinus c. ex reſcript. de iur. iur. & alij* ſuſtinent non obligari, nec naturalitèr agnoſcentes in hoc diſcrimen inter Religioſum profeſſum, & ſeruum, quod Religioſus ex ſe, nec habeat velle, nec nolle, totamque ſuam voluntatem tranſtulerit in Prælatum, ſine quo propterea nihil poteſt valide poſſe, ſeruus autem habet in pluribus, & velle, & nolle; addunt, quod Religioſo iura non ſolum non aſſiſtunt, ſed poſitiuè reſiſtunt; non ſic ſeruo. 3 Sententia negans.

Nauarrus *c. non dicatis nu. 74.* procedit cum diſtinctione; aſſerit enim, quod, antequam Prælatus irritet contractum factum ſine facultate, obligetur ex eodem contractu non ciuilitèr, ſed naturalitèr; poſtquam autem Prælatus contractum irritarit, nec naturalitèr, nec ciuilitèr obligetur. Sententia media procedẽs cũ diſtinctione.

Molina *tom. 1. tract. 2. de iuſt. & iur. diſp. 140. verſ. potius diſtinguerem dupliciter*, alia via procedit; aſſerit enim, quod ſi ex parte Religioſi, qui contraxit, interuenerit in contractu aliqua culpa Theologica iniuſtitiæ, obligetur ad damnum illatum compenſandum, & non ad aliud; ſi verò nulla culpa iniuſtitiæ interuenerit nullam omninò contrahat obligationem. Alia procedẽs ſub alia diſtinctione.

In ordine verò ad fideiuſſorem adiectum huiuſmodi contractibus iuxtà diuerſas ſententias, quas ſuſtinent, diuerſimodè procedunt DD.; Qui enim ſentiunt, quod Religioſus nullam, nec naturalem obligationem contrahat, aſſerunt, nec fideiuſſorem adiectum obligari, quia vbi non ſubſiſtit obligatio principalis, nec ſubſiſtere poteſt acceſſoria, quæ fundatur in ipſa; qui verè ſuſtinent obligari Religioſum naturalitèr, aſſerunt fideiuſſorem obligari ciuilitèr, cum hæc obligatio ciuilis habeat fundamentum, in quo firmatur. Molina verò loco citato diſtinguit; vel etenim fideiuſſor adiectus ad ſecuritatem contractus ex ſuppoſitione, Rationes dubitandi circa fideiuſſorem adiectum.

ne,

Digitized by Google

ne, quod Prælatus conſenſerit, vel contractus pendebat à voluntate Prælati, & tunc aſſerit non eſſe dubium conſurgere obligationem ciuilem ex parte fideiuſſoris ex ſuppoſitione, quod Prælatus ſtare nolit contractui, vel adiectus eſt in ſecuritatem debiti, quod ex tali contractu reſultauit, & tunc aſſerit ex parte eiuſdem fideiuſſoris nullam conſurgere obligationem, cum nullum conſurgat onus ex parte Religioſi contrahentis, nec etiam naturale.

4 Reſpondeo primò, probabilius eſſe, nec contrahere obligationem naturalem ex illo contractu inito ſine facultate Superioris. Ità præter DD. ſuprà allegatos docent plurimi apud *Sanchez in ſumma c. 31. n. 36.* Ratio ex eo deducitur, quia deficiente forma ſubſtantiali, & intrinſeca contractus, nec contractus poteſt ſubſiſtere, nec vllo modo obligare, ſed in contractu inito à Religioſo profeſſo ſine facultate, vel explicita, vel implicita Superioris nullo mòdo interuenit forma ſubſtantialis, & intrinſeca contractus, nempè conſenſus, quippè qui validè non poteſt elici à Religioſo profeſſo ſine ſui Superioris conſenſu, cum ex vi profeſſionis non habeat, nec velle, nec nolle, niſi dependentèr à tali voluntate, ergo &c. & hinc patet diſcrimen ſupra allegatum inter Religioſum, & ſeruum.

Probabilis, nec obligatur naturaliter.

Dices primò, ſi Prælatus poſteà contractum initum a Religioſo ſine ſui facultate ratum hàbuerit, ille contractus tenet, & obligat ciuilitèr, ergo antecedentèr ad talem ratificationem obligabat naturalitèr, quandòquidem contractus, qui in ſua radice erat abſolutè inualidus, non poteſt tractu temporis conualeſcere, & obligatio ciuilis ſupponit naturalem. Propter hanc inſtantiam nonnulli aſſerunt, contractum Religioſi initum ſine facultate Superioris obligare naturalitèr Religioſum, quouſque Superior contractum illum irritet. Sed contra fateor, quod, ſi alter, cum quo contraxit Religioſus, perſeuerauerit in conſenſu præſtito ad illum contractum accedente Superioris conſenſu approbàtis illum contractum ratus, & validus habeatur, non quia vim habeat ex illo conſenſu præſtito à Religioſo ſine voluntate Superioris, ſed quia tunc incipit vim habere, quandò voluntas Superioris accedit, per quam conſenſus fit validus, cum antecedentèr eſſet abſolutè irritus, vtpotè procedens à principio, quod ex ſe non habebat, nec velle, nec nolle; nec poſſunt ea, quæ ſubduntur, ſubſiſtere; non enim nos dicimus, quod contractus in radice inualidus tractu temporis conualeſcat, ſed tantum dicimus, quod de nouo validè fiat per appoſitionem eorum, quæ deficiebant ad validitatem eiuſdem, & erant neceſſariò requiſita ad ſubſtantiam ipſius. Ad illud, quod ſubditur, quod obligatio ciuilis ſupponat naturalem, dicimus non eſſe neceſſe, quod præſuponatur tempore, ſed quod ſimul ponantur, vt videre eſt in eo, qui primo validè contrahit, ex quo conſurgit ſimul obligatio ciuilis, & naturalis, quamuis dici poſſit, quod hæc præcedat prioritate naturæ.

Tunc incipit ſolummodò habere vim, quã do accepit Superioris approbatio.

Obligatio naturalis poteſt ſimul poni cum ciuili.

Ex quibus poteris deducere, quod antè approbationem Superioris non ſolum liberum ſit Religioſo à tali contractu recedere, ſed etiam alteri contrahenti, cum ex illo contractu ob deficientiam legitimi conſenſus nulla oriatur obligatio; niſi fortaſſis velis dicere, quod quantumuis Religioſus, qui contraxit, nec naturalitèr remaneat obligatus, alter tamen, qui cum eodem contraxit, obligatus remaneat, quouſque Prælatus, vel approbarit, vel reprobarit contractum, nec mirum eſt, poſſe quandòque contractum claudicare, vt videre eſt in minori, qui in proficuis ſibi quandòque alterum obligat, non ſe illi.

Ante approbationem non ſolum poteſt recedere Religioſus, ſed etiam alter.

Dices ſecundo, vota emiſſa à Religioſo abſque voluntate Prælati adhuc obligant in conſcientia, donec à Prælato irritentur, ergo etiam promiſſio facta homini à Religioſo ipſum obligabit in conſcientia, donec ab eodem Prælato irrita declaretur. Hoc argumento vtitur *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 3. de oblig. Monaſt. ex Relig. deb. ſect. 10. n. 222. verſ. ſecunda ſententia.* Sed contra primò, quia hoc argumentum nimis probat, nec currit paritas quoad votum, ac quoad contractum, quandoquidem, ſi valeret, valeret etiam, quod ſicuti poteſt Prælatus irritare votum ſubditi, ad quod præſtitit conſenſum, poſſet etiam irritare contractum, ad quem etiam conſentit, quod non videtur dicendum, nam, ſi poſſet irritari per Prælatum contractus, cui præſtitit conſenſum, nemo contraheret cum Religioſis, cum non poſſent firmitèr obligari, quod non euenit in irritatione voti, nam non ſequeretur illud inconueniens, vt per ſe patet. Secundò, quia non ità certum eſt, vt ſupponitur, quod vota emiſſa ſine voluntate Prælati obligent in conſcientia, donec à Prælato infirmentur. Tertiò, quia obligatio per votum, cum ſit in ordine ad Deum, & ſemper de meliori bono, poteſt eſſe in Religioſo, cum quoad ea, quæ perfectiora ſunt, poſſit ſe dirigere ad Deum; obligatio verò per contractum, cum ſit in ordine ad homines, & non ſemper de me-

Non currit paritas de voto, ac de contractu Religioſi.

Digitized by Google

meliori bono, non poteſt eſſe in Religioſo ſine voluntate Prælati, cum voluntas Religioſi in ordine ad homines ſemper ſit reſtricta ad voluntatem Prælati, non tamen ſemper in ordine ad Deum.

5 *Quamuis non obligetur naturalitèr ex cõtractu obligatur tamèn ex delicto.*

Ex eo autem, quod non obligetur naturalitèr ex contractu inito ſine voluntate Prælati, non tollitur tamen, quin obligetur naturalitèr ex delicto, vt ſi in contractu iniuſtitiam apertè commiſerit, ex quo damnum alteri contrahenti obuenerit v.g. acceperit mutuum abſque licentia, & ideò mutuans incurrat damnum mutuum perdendi, & alia huiuſmodi præſtiterit. *Molina d. tom. 1. tract. 2. de iuſt. & iure diſp. 140. verſ. potius diſtinguerem dupliciter, Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. & iure diſp. 3. de oblig. Monaſ. & Relig. debito sect. 10. n. 223.* Rationem autem aſſignat ibi Cardinal. de Lugo, cur obligetur naturalitèr ex iniuſtitia, ſeu ex delicto, ſiue in contractu, ſiue extra contractum, non autem obligetur ex contractu, quia ſcilicèt obligatio ex contractu prouenit ex voluntate ſubditi, quæ eſſe non poteſt ſine voluntate Prælati; obligatio autem ex delicto non procedit ex voluntate, nam etiam nolens obligatur, quia furatur, ſed oritur ex ipſa culpabili actione noxia proximo, quæ actio non impeditur à Prælato; vndè bene ſubdit Molina, quod conſurgit obligatio reſtituendi, quam non impedit ſtatus Religioſi; verum tamen eſt, quod impotentia reſtituendi in eo ſtatu ſæpè excuſet à culpa exequendi talem obligationem. Quare curare tenetur talis Religioſus pro ſua virili parte, quantum ipſius ſtatus patitur, id reſtituere. Hæc ille.

6 *Fideiuſſor adiectus cõtractui Religioſi nullo modo obligatur*

Reſpondeo ſecundò. Fideiuſſor adiectus contractui Religioſi inito ſine facultate Superioris, ſiue implicita, ſiue explicita nullo modo obligatur, ſi fuerit adiectus pro ſecuritate debiti ex contractu reſultantis, ſi verò fuerit adiectus pro ſecuritate ipſius contractus, quatenus fideiuſſor ſe obligarit ad ſuſtinendum contractum, licet Prelatus nolit conſentire, tunc obligatur ciuilitèr, & naturalitèr *Molina d. tract. 2. de iuſt. & iur. diſp. 140. verſ. diſtinguerem ex parte fideiuſſoris, Cardin. de Lugo loc. cit. nu. 224., Sanchez in ſumma cap. 31. n. 46., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 28. dub. 1. nu. 7.* Ratio primæ partis deſumitur ex ſuperius dictis, quia ſcilicèt non ſubſiſtente obligatione principali nec etiam naturalitèr, non poteſt ſubſiſtere fideiuſſoria, quæ eidem adijcitur, ſed obligatio Religioſi ex illo contractu, nec naturalitèr ſubſiſtit, ergo nec fideiuſſoria, tanquam eidem acceſſoria. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia in ea hypotheſi ex propriæ voluntatis arbitrio aſſumit in ſe obligationem, etiam ſi nulla ſit obligatio ex parte Religioſi contrahentis, vndè potius accedit, vt aſſecurator, quam, vt fideiuſſor, & perinde ſe habet, ac ſi in ſe aſſumeret onus in quocunque euentu, ſiue approbetur à Prælato contractus ille, ſiue non approbetur.

Intellige, niſi fideiuſſor ſe obligauerit ad ſuſtinẽdum contractũ

---

§. XXXI.

An Religioſus ludens ſine licentia poſſit retinere lucrum.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus. 1.

Religioſus profeſſus non poteſt illud lucrum retinere, ſed tenetur reſtituere. 2.

Quid ſentiendum ſit, ſi Religioſus expoſuerit in ludo ſupra id, quod Superior conceſſit, & inde lucratus fuerit. 3.

Secundum varias diſtinctiones quæſtio dirimitur. 4.

DIſquiſitio XXXI. Caius Religioſus profeſſus, vel nulla habita à Superiore facultate expoſuit ſe ludo, vel etiã, ſi facultatem habuerit, hæc erat reſtricta ad tot, & non ad plura; Ex illo ludo plurima lucratus eſt. Quæſitum hic fuit, an id, quod lucratus eſt, teneatur reſtituere, an verò illud poſſit iuſte retinere. 1 *Status cõtrouerſiæ.*

Nonnulli arbitrantur, non teneri reſtituere, ſed poſſe iuſte lucrum illud detinere. Ratio ipſorum ea eſt, quia contractus oneroſus a Religioſo initus ſine licentia Superioris poteſt ſuſtineri accedente poſtea approbatione Superioris maximè, ſi in vtilitatem cedit, ergo hoc idem ſentiendum erit in ludo, qui contractus oneroſus eſt. *Sententia aſſerens non teneri reſtituere.*

Alij arbitrantur, teneri reſtituere, ea moti ratione, quod in contractibus prohibitis, vel quaſi prohibitis locum non habeat regula, quod contractus poſſit aliquando claudicare; ludus autem quantumuis prohibitus non ſit, eſt tamen quaſi prohibitus, cum ſit ſolummodò per quandam indulgentiam permiſſus. Nihilominus *Sententia contraria probãs reſtituendũ.*

Reſpondeo, Religioſum profeſſum non poſſe illud lucrum detinere, ſed teneri reſtituere. *Sanchez in ſumma c. 19. num. 86., Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. & iure diſp. 3. de licentia Prælat. circa votum paupertatis sect. 8. n. 146. verſ. Ego hanc communem ſententiam, Attiatus in l. ſeruus n. 5. C. de pactis.* Ratio ex eo deducitur, quia in 2 *Tenetur illud lucrum reſtituere.*

Digitized by Google

in contractibus oneroſis debet eſſe æqualis vtriuſque contrahentis conditio, ſed æqualis non eſt conditio in contractu ludi inter Religioſum profeſſum ſine legitima ſui Superioris licentia, & inter alium nemini obligatum, ſiquidem Religioſus non obligatur, nec naturalitèr, ergo &c. Neque dicas, quod quantumuis in radice Religioſus non obligetur naturalitèr, poſſit tamen ſucceſſiuè obligari, quando lucratus eſt, quatenus Prælatus poſtea contractum approbet; contrà enim impugnaberis, quia iuxtà ſuperius dicta Prælatus approbando contractum initum per ſubditum ſine ſua facultate non reddit illum in ſua radice validum, ſed tantum de nouo ipſe valide quodamodo contrahit, & de nouo ſe obligat; in ludo autem poſt lucrum iam factum à Religioſo ad nihil prorſus ſe Prælatus obligat, quod eſt contrà naturam contractus oneroſi, cum iam effectus lucri ſit ſecutus, & nulli periculo ſe exponat. Ex quibus habes quid reſpondeas ad argumentum primæ ſententiæ.

Nec poſſum acquieſcere rationi, quæ adducitur in confirmationem noſtrę opinionis ex prohibitione, ſeu quaſi prohibitione ludi, quandòquidem ſuppono, quod ſit ludus honeſtus, licitus, & à Prælato permiſſus.

3 Quid ſentiendũ ſit ſi Religioſus expoſuerit in ludo ſupra id, quod Superior cõceſſit, & lucratus fuerit.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi Superior facultatem fecerit Religioſo profeſſo ſibi ſubdito reſtrictam ludendi ſcilicèt tot, & non plura, & ipſe ſubditus exceſſerit quantitatem ſupra id, quod poterat, teneatur hic omne lucrum reſtituere. Sub duplici potiſſimum conſideratione poteſt hæc difficultas examinari; vel etenim Religioſus profeſſus primo, & immediatè expoſuit ludo ſupra id, quod iuſtè poterat exponere; vel primo expoſuit ſolum id, quod poterat exponere, & cum totum illud abſolutè amiſerit, poſteà quid aliud expoſuit, ex quo lucrum reportauit. Iuxtà primam conſiderationem adhuc diſtinguendum videtur, vel etenim in eodem ludo continuato ſemper ſucceſſiuè lucratus eſt, vel primo amiſit ideſt tantam quantitatem, quantam ex facultate ſibi facta poterat exponere, deindè ex reliquo, quod ſuprà illam expoſuit, lucratus eſt; ſi primum, arbitror dicendum non eſſe reſtituendum totum lucrum, quinimmo nihil lucri, ſi illud acquiſiuiſſet etiam independentèr ab illo

4 Secũdum diſtinctiones difficultas dirimitur.

exceſſu expoſito; ſi verò aliquid acquiſiuiſſet lucri independentèr ab illo exceſſu, & aliquid dependentèr ab illo, reſtituendum eſſe quoad partem correſpondentem illi exceſſui, non verò alteri parti à Prælato conceſſæ. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia totum illud lucrum correſpondet prçcisè illi parti, quæ venit ſub conceſſione Prælati, & exceſſus ad nihil contulit, cum independentèr ab illo totum lucrum fuerit acquiſitum; Nec obeſſe poteſt, quod fuerit expoſitum ſupra id, quod erat permiſſum, adeòque, quod totus ludus ex parte Religioſi inficiatur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille contractus ratione exceſſus non inficitur quoad totum, ſed tantum quoad partem excedentem, vt in ſimilibus euincitur *ex l. ſancimus 34. in init. C. de donat.*, & docent *Ioannes Lupus l. 50., Tauri n. 11., Suarez l. 1. n. 10., verſ. nota vlterius tit. 2. lib. 3. fori, Padilla auth. res quæ n. 19. C. communia de leg., Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 431. verſ. illud eſt obſeruandum*; item *ex regula vtile 37. de reg. iuris in 6.* Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia in ea parte, qua quid excedens exponitur ſupra conceſſum, contractus eſt irritus, ergo, ſi ex illo aliquid fuerit acquiſitum, non erit ſubſiſtens, adeoq; erit reſtituendum; Si ſecundum dicatur, abſolutè totum lucrũ erit reſtituendum, quandoquidem totum correſpondet illi exceſſui, quem Religioſus non poterat exponere, & ſicuti ludens ſine licentia, & lucrans non poteſt lucrũ retinere, ità ludens cum exceſſu, & ratione illius exceſſus lucrans non poterit lucrum retinere, quandoquidem reſpectu illius exceſſus, perindè eſt, ac ſi luderet ſine licentia. Iuxtà ſecundam conſiderationem abſolutè ſentiendum eſt, teneri totum illud lucrum reſtituere, nec poſſe illud retinere, quia perindè eſt, ac ſi luſiſſet ſine licentia, & lucrum reportaſſet.

---

§. XXXII.

An cooperans ad damnum ſine intentione nocendi peccet, & teneatur ad damni reparationem.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ in caſu particulari. 1.

Si acceſſerint cum præuiſione illorum damnorum innocentium rectè non eximuntur ab onere reparationis. 2.

Secus, ſi acceſſerint ſine illa præuiſione. 3.

Diſquiſitio XXXII. Nonnulli equites nullatenus conducti mercede Principis, nec aliquo onere obſtricti comitati ſunt exercitum Principis ad iniuſtum bellum progredientem, eo tamen 1 Refertur ſtatus cõtrouerſiæ in caſu particulari.

animo, vt non addiuuarent eundem exercitũ in caſu certaminis, ſed potius aliam partem iniuſto bello appetitam. Hunc animum ignorans pars aduerſans videns hoſtilem exercitum adeo adauctum, & diffidens ſe illi poſſe obſiſtere, ſe in fugam vertit, & in fuga grauia damna perpeſsa eſt. Quæſitum hic fuit, an huiuſmodi equites, qui ſic comitati ſunt exercitum progredientem, teneãtur damna illa, quæ innocentes paſſi ſunt, reparare?

Cum diſtinctione reſpondet *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt., & iur. diſp. 19., an cooperantes reſtituere debeant ſect. 1. nu. 11.*, vel etenim illi equites ſic comitantes illo animo potius iuuandi partem aduerſam innocentem, ſibique amicam, & non nocendi aduerterunt ad illud damnum, quod illi poterat contingere, adeout illud non poſſent præcauere, vel ad illud non aduerterunt. Iuxtà primum ſenſum arbitratur illos teneri ad compenſationem damnorum, quæ indè parti innocenti obuenerunt; Iuxta ſecundum nequaquam teneri arbitratur. Rationem primæ partis ex eo arbitror Lugum deſumere, quia verè fuerunt cauſa illius nocumenti, quod verè ſecutum non fuiſſet, ſi ipſi exercitui hoſtili non ſe adiunxiſſent; nec poſſunt dici cauſa inuoluntaria, cum præuiderint illud damnum, à quo debebant abſcinere non ſe adiungendo. Rationem vero ſecundæ partis ex eo deſumere, quia licet fuerint cauſa, non fuerunt tamen cauſa voluntaria, cum præuidere non potuerint illud damnum extiturum. Sana quidem opinio, in qua tamen vberius examinanda immorandum non cenſeo, cum nouerim alibi ex profeſſo me examinaſſe. Solum aliquid negotij videtur faceſcere, quod, quantumuis aduerterint, vel aduertere potuerint ex illa aſſociatione, ſeu comitatu exercitus potuiſſe damnum illud ſequi, cum tamen hoc non intenderint, quin potius contrarium, non videntur debere ſubiacere illi oneri reparationis damnorum, ſeu reſtitutionis, ne ex bono opere, quod intenderunt, nocumentum reportent. Sed hoc etiam obiectum poteſt facilè diſſolui, ſi aſſeratur, quod quantumuis habuerint animum potius ſuffragandi, quam nocendi, ex quo tamen præuiderunt potuiſſe damnum innocentibus prouenire, debuerunt ab illa aſſociatione, ſeu comitatu abſtinere, & non abſtinendo ex opere præuiſo influxerunt quodamodo poſitiuè in illud damnum innocentium, quod fuit voluntariũ ſaltem in cauſa.

2 Si acceſſerint præuidentes illa damna tenẽtur

3 Secus, ſi non præuiderint.

Soluitur quoddam obiectum.

§. XXXIII.

An duobus concurrentibus ad furtum, altero iuſtè, altero iniuſtè vterq; teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

In claris terminis exponitur factum. 1.

Qui concurrit minus damnum conſulendo, cũ alter eſſet diſpoſitus ad maius, & cum illo concurrit ad minus, non tenetur ad reſtitutionem. 2.

Si conſulens minus malum, & opem ferens ad illud ad euitandum maius tenetur reparare illud, ſi ſine ipſo, nec poterat maius, nec minus inferri. 3.

Secus, ſi ſine ipſo non poterat inferri minus, poterat tamen maius. 4.

Si vnus arbitrans rem apud alium aſsiſtentem eſſe ſuam, concurrente alio, qui ſcit rem illam non eſſe eius, qui arbitratur eſſe ſuam, rem illam accipiet, tenetur illam reſtituere, ſi extet. 5.

Si res illa non amplius extet, non tenetur illam reſtituere, qui bona fide accepit, ſed qui iniuſtè concurrit ad illam auferendam. 6.

Iniuſtè concurrens adhuc teneretur ad reſtitutionem, quamuis, ſi ipſe non concurriſſet, res illa fuiſſet ablata. 7.

DIſquiſitio XXXIII. Paratus erat Titius ad inferendum graue damnum in rebus Antonij, & Caius prænoſcens prauam intentionem eiuſdem Titij, nec valens ipſum ab eadem remouere conſuluit, vt minus damnum inferret, ad quod minus damnum etiam ipſe ſuam operam contulit. Rurſus Franciſcus arbitrans, nec ſine modica probabilitate rem apud Sempronium exiſtentem ad ſe pertinere, & eſſe ſui iuris, intendebat illã ab eodem Sempronio accipere, tanquam ſuam, cui comitem ſe adiunxit Fabius certo ſciens rem illam non pertinere ad Frãciſcum, ſed eſſe pleni iuris eiuſdem Sempronij, apud quem manet, & ſic ſublata eſt. In vtroque hoc caſu quæſitum fuit, an vterque, tam iuſtè, & bona fide, quàm iniuſtè, & mala fide concurrens teneatur ad reſtitutionem, an vero ſolummodo ille, qui concurrit iniuſtè, & mala fide?

1 Titulus redditur clarus in caſu particulari.

Proponit hanc difficultatem *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt., & iur. diſp. 19., an cooperantes reſtituere debeant ſect. 1. nu. 14.* & concludit in vtroque caſu ſolum iniuſtè, & mala fide concurrentem teneri ad reſtitutionem, ſeu reparationem damni.

Reſpondeo primo. Ille, qui concurrit minus

2
Conſulẽs minus malum, vt auerteret paratum à maiori, & opem præſtans ad illud minus non tenetur ad reſtitutionem.

minus damnum conſulendo, & remouendo per conſilium poſitiuè à maiori, ad quod diſpoſitus erat Titius, non tenetur ad reſtitutionem, quantumuis ipſe operam præſtet ad minus illud damnum, ſi aliter non poterat maius damnum impedire. Ità idem *Cardinalis de Lugo loco cit.* Ratio ex eo deducitur, quia ſic conſulendo, & adiuuando benè gerit negotium eius, cui damnum infertur, ſiquidem ſine illo conſilio, & iuuamine maius damnum eidem fuiſſet collatum, ergo reſpectu eiuſdem non poteſt conſurgere onus reſtitutionis, ne ex beneficio, quod contulit, maleficium reportet; Neque dicas, quod in ordine ad hoc furtum determinatum leuius ipſe poſitiuè concurrerit per ſuam veram, & realem operationem, adeoque, quod hæc actio furtiua ex qua inductum eſt illud damnum, quantumuis leuius ſit eidem ſaltem partialitèr imputanda; contra enim impugnaberis, quia non ex quacunque actione poſitiua conſurgit onus reſtitutionis, ſed dumtaxat ex actione poſitiua iniuſta, & efficaciter damnificatiua, qualis non eſt illa, per quam quis contulit minus damnum, & ad illud concurrit, vt remoueat à maiori, quod certò, & infallibilitèr eſſet ponendum, ſi illud conſilium, & iuuamen non accederet. Quod, vt clarius appareat, aduerte noxam potiſſimum in ordine ad peccata iniuſtitiæ deſumi in ordine ad alterum, aduerſus quem committitur iniuſtitia propter inuoluntarietatem, quam habet. Quomodo autem poteſt præſumi rationabilitèr inuoluntarius ad illam actionem reſpectu conſulentis, & adiuuantis læſus, ex qua commodum potius, quam damnum ſenſit, cum per illam impediatur maius damnum, quod certo aliter ipſi obueniret? Certè eſſet inuitus de beneficio ipſi collato, & conſulens ex negotio benè, & vtilitèr geſto in fauorem ipſius damnum reportaret.

Dubiũ excitatum.

Hic ſolum oritur difficultas, an ſi paratus maius damnum inferre per conſilium alterius remoueretur ab illo, & traheretur ad minus, quod exequi abſolutè non poſſet, niſi accedente opera conſulentis, & hic cum eodem per operam ſuam concurreret ad illud minus damnũ, an, inquam in hac ſuppoſitione hic teneretur ſaltem partialitèr concurrere ad reparationem illius minoris damni, quod media ipſius opera patratum eſt, & ſine qua patratum non fuiſſet. Videtur abſolutè dicendum in hac ſuppoſitione teneri conſulentem, & adiuuantem ad illud damnum reparandum, cum ſine ipſius opera non fuiſſet exercitum. Nihilominus habita duplici conſideratione difficultatem hanc dirimo; vel etenim paratus maius damnum inferre, non poterat minus damnum inferre ſine iuuamine conſulentis, ita tamen, vt nec poſſet inferre maius ſine eiuſdem iuuamine, & opera, vel non poterat minus damnũ inferre ſine ipſo, cum tamen ex ſe poſſet maius damnum inferre. Iuxta primam conſiderationem arbitror conſulentem, & adiuuantem ad minus damnum non eximi ab onere reſtitutionis, & reparationis illius minoris damni, ſiquidem verè eſt cauſa iniuſta ipſius, cum ſine ipſo damnum illud non fuiſſet illatum, nec motiuum, quod auerterit à maiori, illum excuſat, cum ſine ipſo maius damnum non fuiſſet ſecutum, vndè quoquo modo verè concurrit iniuſtè ad damnum illud patratum; vndè ſicuti, ſi ipſe paratus ad maius damnum, quod ex ſe potuiſſet patrare, ſe remouiſſet ab illa intentione, & decreuiſſet minus inferre, prout ex ſe illud intulit, non eximeretur ab onere illud reparandi, ita, ſi quis paratum inferre maius damnum, quod tamen inferre non poſſet ſine conſulente ipſo per ſuum conſilium remouerit ab illo maiori, & induxerit ad minus, quod etiam patrare non poterat ſine ipſo non poteſt eximi ab illo reparando, cum verè ſit cauſa iniuſta ipſius, cum abſtinendo ab vtroque nullum ex illis fuiſſet patratum. Quod, ſi ſupponas, quod non concurrente per ſuam operam conſulente ad patrandam maius damnum commodè, & facilè adhibita alia perſona potuiſſet paratus illud patrare, tunc idem dicendum erit, quod mox dicetur in ſecunda conſideratione; Iuxta ſecundam conſiderationem abſolutè ſentio eximi ab illo onere reſtitutionis. Rationem ex eo deſumo, quia etiam ſic adiuuando optimè geſſit negotium, & vtilitèr ipſius damnificati, ſiquidem remouit non ſolum per illud conſilium, ſed etiam per ſuam operam ab illo maiori damno, quod vtique fuiſſet patratum, vel immediatè per ipſum paratum illud inferre, vel adhibita alia perſona.

3
Si opem tulerit volẽti maius damnũ inferre ad minus, quod non poterat patrare, niſi per talem opem tenetur reparare, ſi aliter, nec poterat maius patrare.

4
Secus, ſi ſine ipſo poterat inferri maius, non tamẽ minus.

5
Concurrentibus duobus ad rem rapiẽdã altero arbitrãte rem illam eſſe ſuam, altero ſciẽte nõ eſſe ipſius, ſi res accepta extet reſtituẽda eſt ab eo, qui illam accepit, quamuis bona fide.

Reſpondeo ſecundò, ſi Franciſcus arbitrans probabilitèr rem eſſe ſuam exiſtentem apud Sempronium illam accipiat concurrente altero, qui certo ſciat rem illam non eſſe Franciſci, ſed eiuſdem Sempronij, non eximitur idem Franciſcus ab onere reſtitutionis, ſi cognita alienitate rei adhuc eandem apud ſe detineat. Conſentiunt omnes, qui ſuſtinent primo loco ex pluribus concurrentibus ad furtum, ſeu ad rem alienam accipiendam teneri eum, qui rem detinet. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, nempè rem alienam ſemper

cla-

Digitized by Google

clamare pro Domino, & iure quodam innato in ipſum ferri, & reſpectu detinentis ſemper verificatur, quod plus habeat, quam habere debeat, qui propterea ad conſtituendam æqualitatem ad iuſtitiam commutatiuam requiſitam debet alterum per reſtitutionem conſtituere in priori ſuo ſtatu, ne minus habeat, quam habere debeat.

6 Si res illa non amplius extet, ſed fuerit cõſumpta bona fide tenetur illam reſtituere, qui mala fide concurrit.

Reſpondeo tertiò, ſi res illa amplius non extet apud eundem Franciſcum, qui eam accepit, vt ſuam, ſed fuerit bona fide conſumpta, nec idem Franciſcus ex illa factus fuerit locupletior, non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſeu reparationem faciendam, ſed totalitèr tenetur reſtituere qui mala fide, & iniuſtè concurrit ad illam iniurioſam actionem. Conſentit *Cardinalis de Lugo d. tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 19., an cooperantes reſtituere debeant ſect. 1. nu.* 14. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ipſe Franciſcus non tenetur, nec ratione iniuſtæ acceptionis, nec ratione rei acceptæ, nec ex eo, quod in aliquo factus fuerit locupletior; non ratione rei acceptæ, cum res illa non amplius extet, ſed fuerit bona fide conſumpta; non ratione iniuſtæ acceptionis, cum Franciſcus rem illam acceperit probabilitèr, & cum dictamine rectæ rationis arbitrans rem illam eſſe ſuam; non ex eo, quod factus fuerit locupletior, cum ex illa conſumptione nullum ſupponatur commodum, & vtile reportaſſe. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ille, qui iniuſtè, & mala fide concurrit ad illud damnum certo ſciens rem illam eſſe Sempronij, à quo accipitur, verè fuit cauſa iniuſta illius damni, ad quod per operam ſuam vtique iniuſtam concurrit, ergo non eſt, cur ratione iniuſtæ acceptionis non teneatur illud reparare.

Quod, ſi ſupponas, quod, ſi ipſe iniuſtè concurrens non concurriſſet, adhuc illud damnum eſſet illatum per eum, qui bona fide rem illam accepit, tunc videretur dicendum non teneri, illum, qui mala fide concurrit, damnum illud reparare, quandòquidem independentèr ab ipſo fuiſſet ſecutum, ea proportionali ratione, qua conſulens aliquod damnum alteri inferendum perſonæ efficaciter diſpoſitæ ad illud patrandum non tenetur ad aliquam reſtitutionem, cum etiam ſine ipſius conſilio damnum illud fuiſſet illatum. Ex aduerſo alij dicunt, adhuc teneri reſtituere, quia licet res illa adhuc ſine ipſo fuiſſet ablata, non fuiſſet tamen iniuſtè ablata, vndè ipſe totalitèr concurrit ad iniuſtitiam illius actus. Quid ergo in hoc concludendum? Arbitror non eximi ab onere reſtitutionis, tum quia ipſe influit in iniuſtitiam actus, quam ſolus ponit, cum alter iuſtè concurrerit; tum quia tenebatur alterum bona fide concurrentem admonere de alienitate rei, & per conſequens de iniuſtitia actus, à quo probabilitèr abſtinuiſſet, ſi ſciuiſſet, vndè ſaltem negatiuè cauſauit damnum non manifeſtando; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non teneretur ex officio, vel ex contractu manifeſtare, adeòque non conſurgat obligatio reſtitutionis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cum ſe comitem, & adiutorem ad illam actionem conſtituerit factus eſt reus cuiuſcunque iniuſtitiæ, vndè quamuis non teneatur manifeſtare ex officio, vel ex contractu, tenetur tamen non præſtare opus, ex quo potius occultatio, quam manifeſtatio concurrat, & ſic velat potius cum fraude, quam ſimplicitèr non manifeſtet.

7 Hic adhuc tenetur reſtituere, quamuis, ſi ipſe non concurriſſet, res illa fuiſſet ablata.

§. XXXIV.

An, qui ſcribit falſas literas, & finit eas ſibi cadere ad alterum decipiendum, teneatur reſtituere damna, quæ conſequuntur.

SVMMARIVM.

Facti ſeries exponitur. 1.
Duplex ſententia extreme oppoſita. 2.
Probabilius non tenetur ad aliquam compenſationem damni. 3.

I Facti ſeries exponitur.

DIſquiſitio XXXIV. Quidam mercator finxit quaſdam Epiſtolas ex Oriente ad ſe Mediolanum tranſmiſſas, quibus monebatur, quod aromata anno ſequenti ex Oriente nõ poſſent tranſmitti, & propterea, quod illorum futurus ſit Mediolani non modicus defectus; ac proindè opportune ſibi emeret, quantum poſſet. Has literas à ſe confictas mercator ille dilacerauit, & proiecit in loco, quo poſſent ab alio mercatore ſibi male viſo recolligi, & legi. Res iuxtà votum accidit, nam ille alius mercator recollegit, legit, & aromata omnia, quantum potuit, emit arbitrans maximum lucrum ſe inde conſecuturum, ſed res aliter contigit, quandòquidem aromata ex Oriente in maxima quantitate Mediolanum fuerunt tranſmiſſa, & quidem certè perfectioris conditionis; ex quo ortum fuit, vt mercator ille deceptus, qui aromata emerat, plurima damna fuerit perpeſſus. Hic excitata fuit controuerſia, an mercator

catator

Digitized by Google

cator ille, qui finxit illas epiſtolas ad decipiendum alterum, & dilaceraüit teneretur damna illa compenſare?

2 Duplex ſententia extremè oppoſita.

Duplicem hac in re inuenio ſententiam; alteram *Silueſtri verbo emptio q. 17., D. Antonini part. 2. tit. 1. c. 22. §. 8. pag. 95. col. 3. in fin., Roſella verb. emptio, & venditio n. 21. & ſeqq., Tabienſis eod. verb. §. 13.* atque his adherere videtur *Baldellus tom. 1. Theolog. mor. lib. 3. diſp. 11. n. 10.* Alteram *Rebelli de oblig. iuſt. part. 2. lib. 9. q. 7. nu. 8. verſ. ad illum alium ſimilem*. Prima aſſerit non teneri ad reſtitutionem; Secunda affirmat teneri. Prima procedit primo ea ratione, quia huiuſmodi mercator confingens huiuſmodi epiſtolas nō peccauit contrà iuſtitiam, ſed ad ſummum contrà charitatem per textum *in c. numquid cum c. ſeq. de pænit. diſt. 1.* præcipuè, cum peccatum contrà iuſtitiam deſumatur in ordine ad alterum, qui ſit rationabilitèr inuitus, ſed in hac hypotheſi non poteſt eſſe læſus rationabilitèr inuitus, quia decipiens non dedit occaſionem efficacem damni; non enim deceptus ità leuiter debuit credere, qui per conſequens debet ſibi imputare propriam leuitatem. Secundò, quia deceptus iniuſtè quæſiuit occaſionem, qua ſibi nocumentum proueniret inquirendo ſecretum, quod ſibi licitum non erat inquirere. Secunda ſententia eo fundamento innititur, quod habetur *in c. ſi culpa de iniuria, & dam. dat.*, vbi dicitur, quod, qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videatur, & teneatur ad reparationem illius damni. Secundò, quia non poteſt excuſari ex eo, quod literas laceratas proiecerit, cum ad eum finem proiecerit, vt legerentur ab inimico, & vt eidem noceret. Quid iam in hac hypotheſi concludendum?

3 Probabilius nō tenetur ad aliquā cōpenſationem, ſeu reparationem damni.

Reſpondeo probabilius, non teneri ad aliquam compenſationem, ſeu reparationem damni. Ità DD. præallegati pro prima ſententia. Omiſſis eorum rationibus reſponſionem ſic probo. Praua intentio nocendi, quando non coniungitur cum actione externa, quæ ſecundum ſe iniuſtè influat in nocumentum, non gignit obligationem reſtitutionis, quia propoſitum in mente retentum nihil operatur *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 18. n. 128. verſ. non obſtat*, ſed actio illa confictionis literarum, dilacerationis, & proiectionis ipſarum propriè non influit in illud nocumentum, niſi ex leuitate læſi, ſeu decepti, ergo &c. Minor probatur primò, quia quantumuis daremus, quod illa fictio literarum quoquo modo poſſet influere in illud nocumentum, ex quo tamen illæ litteræ fuerunt dilaniatæ, & proiectæ non integrè gignunt fidem, vndè deceptus debet ſibi imputare, quod ità facilè, & leuitèr crediderit, & executus fuerit ea, quæ in illis continebantur; Neque dicas primò, quod non leuiter credidit, cum epiſtola fingeretur eſſe miſſa ab homine perito, & fide digno, prout erat neceſſe ad effectum deceptionis. Secundo dato etiam, quod leuitèr motus fuerit ad credendum, non propterea mouens per illam fictionem eximeretur ab onere reſtitutionis, ſeu compenſationis, ſicut non eximitur à reſtitutione ille, qui leui ratione alium mouit ad furandum, vel occidendum, ſi ex motiuo illius leuis rationis ille alius huiuſmodi delicta perpatrarit; Contrà enim impugnaberis, quia quantumuis ille, qui fingitur ſcripſiſſe ſit peritus in ea arte, & fide dignus, non propterea tollitur, quin ſua leuitate ſit motus, cum poſſet ſuſpicari ex eo, quod literæ illæ fuerint dilaniatæ, nulla in conſideratione eſſe habendas, nec præſumere debuit, quod ille alter, cui cōfinguntur huiuſmodi literæ conſcriptę, proieciſſet, ſi ex illarum notitia lucrum maximum acquiſiturus fuiſſet, ſeu cognouiſſet ſe poſſe acquirere; nec obeſſe poſſunt ea, quæ ſubduntur, quod ſcilicèt, quantumuis deceptus fuerit motus ex leuitate, non propterea decipiens eximatur ab onere compenſationis argumento deducto ex eo, quod leuitèr etiam conſulens delictum homicidij, ſeu furti teneatur ad reſtitutionem, ſi verè tale delictum fuerit ex leui illo conſilio perpatratum, Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia in primis non ita abſolutè verum eſt, vt præfertur, quod leuitèr conſulens, ſeu ex leui motiuo ad delictum graue teneatur ex iuſtitia ad compenſationem, quandòquidem non fuit cauſa efficax illius damni, cum hoc prouenerit ex leuitate eius, qui motus eſt tali conſilio. Deindè non currit paritas de leuitèr conſulente, ac de vtente notitia habita ex literis illis dilaniatis, & proiectis, ſiquidem ille mouet poſitiuè conſulendo, hic ex ſe inquirendo, & actione curioſa inueniendo, vndè debet ſibi imputare.

Damnificatus eſt ex ſua leuitate.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Probant ſecundò eandem reſponſionem aliqui, quia ille deceptus damnum ſortitus eſt ex propria actione iniuſta, ſiquidem non minus iniurioſum eſt ex minutiſſimis fruſtis literam recolligere, & reconcinnare ad eam legendam, & ſecretum in ipſa conteatum, quam eandem aperire ſecretum eliciēdo, ergo debet ſibi imputare, quod ex illo ſecreto cognito motus fuerit ad illam emptionem, & per cōſequens, quod ſortitus fuerit illud damnum, ſed hęc probatio non eſt ità concludens, vt iſti arbitrantur, vt infra dicemus.

Alia ratio reſpōſionis, ſed non efficax.

§. XXXV.

Digitized by Google

§. XXXV.

An, qui ex alieno ſecreto clam cognito lucrum reportauit cum præiudicio eius, cui tale ſecretum fuerat expoſitum, teneatur lucrum eidem conferre.

SVMMARIVM.

Exponitur factum dilucide. 1.
Rationes ſuadentes teneri lucrum illud conferre. 2.
Rationes oppoſitum ſuadentes. 3.
Probabilius eſt, non teneri conferre illud lucrum. 4.

1 **Facti ſpecialis expoſitio.** Diſquiſitio XXXV. Mercator quidam Mediolani per literas ad ſe tranſmiſſas certior factus eſt aromata futura cariora propter quendam euentum in eiſdem literis expreſſum. Hic cum decreuiſſet omnia aromata ea de cauſa emere literas concidit, & proiecit. Alius mercator ex fragmentis literarum collectis, & arte compoſitis rem intelligens prius emit, & lucrum non modicum reportauit. Quæſitum hic fuit, an ad aliquam ſatisfactionem verſus primum, cui per literas expoſitum fuit illud ſecretum, teneretur.

Ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione ſecunda reſponſionis in præcedenti diſquiſitione videtur abſolutè aſſerendum teneri ad ſatisfactionem verſus primum, cui per literas expoſitum fuit illud ſecretum, quandòquidem, ſi iniurioſum eſt, &
2 **Rationes ſuadentes teneri lucrũ illud conferre.** contra iuſtitiam alienas literas in minutiſſima fruſta diſceptas recolligere, concinnare, legere, & cognoſcere ſecretum, ad quod alter ius habet, ne aperiatur, etiam iniurioſum erit eidem, & contrà iuſtitiam, quod ex illo ſecreto cognito moueatur ad ipſi præiudicium inferendum emendo præpropere illas merces, ſeu aromata, quæ ipſe anticipate emiſſet, atque iuxta hunc ſenſum loquitur *Rebellus de oblig. iuſt. par. 2. lib. 9. q. 7 n. 8.* Quod autem ſit iniurioſum, & contra iuſtitiam alienas literas diſciſſas legere, & ſecretum in illis contentum dignoſcere ex eo deducitur, quia vnuſquiſque habet ius ſecreti tam in literis, quas miſit, quam in eis, quas recipit ſigillo obſignatas, quibus correſpondent literæ in minutiſſimas partes diſcerptas, cum fractor eas intelligatur fregiſſe, ne legantur *Nauarrus in man. c. 18. n. 53. & in c. inter verba 11. q. 3. concl. 6. corrol. 15. nu. 19., Molina tom. 1. de iuſt diſp. 36. nu. 2. Reginaldus in praxi lib. 24. c. 6. n. 119.*

Ex aduerſo alij docent nullatenus teneri ad aliquam compenſationem argumento directè oppoſito, quia ſcilicèt non
3 **Rationes oppoſitũ ſuadentes** eſt iniurioſum, nec contra iuſtitiam illas literas diſcerptas recolligere, & concinnè diſponere, vt legantur, cum fas ſit cuicunque accipere, quod pro derelicto objicitur, & qui eas proijcit quantumuis dilaceratas ſibi tantum videtur debere imputare, ſi ipſa proiectione amittat ius ſecreti, debuiſſet enim, vel comburere, vel ita dilacerare, & conſcindere, vt non poſſent amplius reperiri, & legi, atque ita videtur ſentire *Baldellus tom. 1. Theologiæ moralis lib. 3. de vitijs, & peccatis capitalibus diſp. 11. n. 11.*, & hunc non teneri ad aliquam ſatisfactionem tradunt etiam *D. Antoninus part. 2. tit. 1. c. 22. §. 8., Roſella verb. emptio, & venditio n. 21., & ſeq., Tabienſis eod. verb §. 13., Silueſter verb. emptio q. 17., & alij.*

Reſpondeo probabilius eſſe non teneri ad aliquam ſatisfactionem verſus eum, cui literæ fuerunt directæ, & ſecretum illud primò expoſitum. Conſentiunt DD.
4 **Probabilius non tenetur conferre.** omnes pro ſecunda opinione allegati. Ratio ex eo deducitur primo, quia, ſi ex illa notitia habita ex illis litteris recollectis, & reconcinnatis damnum aliquod habuerit in emptione illarum mercium, nullum ius acquirit ad compenſationem aduerſus eum, qui literas illas proiecit quantumuis data opera proiecerit ad ipſum decipiendum per ea, quæ ſupra probauimus in præcedenti diſquiſitione, ergo, ſi ex illa notitia habita ex literis illis recollectis, & lectis lucrum aliquod quãtumuis conſiderabile acquiſierit non tenebitur illud conferre cum eodem, cui primo apertum eſt illud ſecretum, quandoquidem, ſi damna non communicat, nec videtur debere communicare lucra; Neque dicas, quod damna non communicet, quia illa ſibi ipſi intulit ex propria leuitate, lucra vero debeat communicare, quia illa acquiſiuit cum damno alterius, ſicq; illa debet ſibi imputare, non autem hæc, cum acquiſierit cum damno alterius; contra enim impugnaberis, quia, ſi ideo alteri damna non communicat, quia fidit leui motiuo illarum literarum, qui propterea debet propriæ leuitati illud imputare, ita etiam non videtur debere communicare lucrum, quod prouenit ex eo, quod etiam leui motiuo credidit, cum poſſet, ſeu potuiſſet contrarium euenire; neque damnum primi debet ipſi obeſſe, cum vſus fuerit iure ſuo.

Ratio ſecundo, ex eo deducitur, quia non

Digitized by Google

Illæ literæ ex quo fuerunt diſcerptæ, & proiectæ habētur pro derelictis.

non peccauit contra iuſtitiam, nec iniurioſum quid egit colligendo illa literarū fragmenta, & reconcinnando, ità vt poſſet legare, quandoquidem vnicuiq; licitū eſt colligere ea, quæ habentur pro derelictus, ſed ex eo, quod alter, ad quem erant directæ illæ literæ, eas conſciderit, & proiecerit eas, intelligitur habere pro derelictis, ergo &c. vndè meritò ſubdit *D. Antoninus tom. 2. ſumma tit. 1. c. 22. §. 8. p. 95.*, quod, ſi quis literas alicui directas, & ab eo poſt lectionem earum dilaceratas, & proiectas recolligat, iunctas partes in ſimul legat, ſi hoc faciat, vt ſciat ſecreta eius, curioſitas ſit, ſi vt ſibi prouideat, prouidentia humana; nec peccatum; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod abſciſſio illa literarum in minutiſſimas partes ex mente abſcindentis inducat ſecretū, perinde, ac ſi illæ literæ eſſent ſigillo obſignatæ, ac proindè, qui illas partes recolligit, ac vnit, ita vt ipſas verè poſſit legere, æquiparetur aperienti literas alienas, quod iniurioſum eſt, & contra iuſtitiam. Secundo, quod, quantumuis non peccarit contra iuſtitiam recolligēdo, & legendo, cum habeantur pro derelictis, peccauerit tamen vtendo notitia illius ſecreti in damnum alterius, ea proportionali ratione, quia quis non peccat legendo cartam, quam caſū inuenit, in qua continentur ipſius ſecreta, peccat tamen manifeſtando, ſeu vtendo talium ſecretorum notitia in ipſius ſcribentis damnum; Non, inquam obeſſe poteſt; non primum, quia gratis omnino dicitur, quod illa abſciſſio literarum in minutiſſimas partes perinde ſe habeat, ac ſi literæ illæ eſſet ſigillo obſignatæ, quandoquidem habentur pro derelictis, & ipſe, qui habuit huiuſmodi literas ad ſe directas, ſi noluiſſet ab alijs legi, debuiſſet melius ſibi præcauere, eas comburendo, & non exponere publico; non ſecundum, quia tenetur quidem ſeruare ſecretum, quando illud præciſè eſt in damnum ſcribentis, ſecus autem, quando poteſt vergere in vtilitatem propriam, quia tunc vtitur iure proprio, vtendo tali notitia, tanquàm ſibi valde proficua, nec ad euitandum damnum alienum debet abſtinere à iure ſibi competente, vt per ſe patet.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

---

§. XXXVI.

An mandato tempeſtiuè reuocato, ſi mādatarius fingat ſe ignorare reuocationem, poſſit iuſte exigere mercedem promiſſam.

S V M M A R I V M.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
In foro conſcientiæ mandans, ſi verè reuocatio fuerit intimata mandatario, ad nihil tenetur erga eundem mandatarium. 2.
In foro externo mandatario negante reuocationem ſibi fuiſſe intimatam, mandante vero affirmante onus probandi ſpectat ad mandantem. 3.

Diſquiſitio XXXVI. Sempronius mandauerat Caio ſub promiſſione certæ mercedis, & præmij, vt graue damnum, vel in bonis fortunæ, vel fortè etiā in bonis vitæ inferret Theodorico. Poſtea, antequam delictum perpetraretur, reuocauit mandatum facta denuntiatione talis reuocationis, vel per literas, vel alio modo eidem Caio, qui tamen ſimulans ſe literas non recepiſſe, vel penitus ignoraſſe reuocationem, delictum executus eſt ad effectum, vt reportaret præmium, ſeu mercedem promiſſam. Quæſitum hic fuit; an mandans teneatur mercedem, ſeu præmium promiſſum eidem conferre? 1

I Facti ſeries expoſita.

Ratio dubitandi ex eo potiſſimum deducitur, quia, dum mandatarius negat ſe recepiſſe literas reuocatorias, adhuc perſeuerat motiuum mercedis, ſeu premij promiſſi, quod adhuc mouere poteſt, & quo de facto mouetur ad delictum illud perpatrandum. Nihilominus, vt clarius procedamus circa hanc difficultatem, conſiderandum eſt, an res ſit dirimēda ſecundum forum conſcientiæ, in quo purè veritas conſideratur, an vero ſecundum forum externum in ordine ad actionem, quæ poſſit intentari, an ſcilicet in controuerſia, quod reuocatio fuerit tempeſtiuè denuntiata, ſeu notificata mandatario, vel non, incumbat onus probandi mandanti, quod fuerit notificata, an vero ſtandum ſit negationi mandatarij, quod ipſi tempeſtiuè reuocatio non fuerit notificata.

Rationes dubitandi.

Reſpondeo primò, in foro conſcientiæ mandans in ea hypotheſi, ſi verè reuocatio fuerit notificata tempeſtiuè mandatario ad nihil tenetur erga eundem mandatarium *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſtit.*, 2

2 Mandans in foro conſcientiæ ad nihil tenetur.

& iure diſp. 19., an cooperantes reſtituere debeant ſect. 2. n. 24. Ratio ex eo deducitur, quia tunc mandatarius non operatur in virtute mandati, ſed ex propriæ voluntatis arbitrio, cum re verà mandatum fuerit ſufficientèr reuocatum, & in hac hypotheſi motiuum actionis nō eſt res promiſſa, ſed ſuamet fictio media, qua ſperat præmium promiſſum ſe conſecuturum, ergo mandans ad nihil tenetur, & mandatarius debet ſibi imputare, quod opus illud fuerit executus contra voluntatem ſibi manifeſtatam eiuſdem mandantis.

3 Mandatario negante reuocationem fuiſſe intimatam, & mandante affirmante onus probandi pertinet ad mandantem.

Reſpondeo ſecundo, quoad forum externum in controuerſia, an reuocatio fuit notificata mandatario tempeſtiuè, hoc negante, mandante vero affirmante ex generali regula onus probandi reuocationem fuiſſe notificatam incumbit mandanti. Ratio ex duplici capite deſumitur; primò ex generali regula, qua dicitur affirmanti incumbere onus probādi rem affirmatam, non neganti. Secundò ex eo, quod conſtante de mandato mandatarius habet præſumptionem pro ſe, ergo, vbi aliter nō conſtet de notificatione reuocationis, transferet onus probandi in mandantem circa talem notificationem.

---

§. XXXVII.

An, ſi mandatarius putet mandatum non ſeriò reuocari, & illud exequatur, deobliget mandantem ab onere reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo ſenſu procedat difficultas. 1

Rationes ſuadentes mandantem deobligari. 2.

Opinio Cardinalis de Lugo aſſerentis non deobligari. 3.

In foro conſcientiæ, ſi reuocauerit cum animo reuocandi, & verba fuerint apta ad reuocandum mandans deobligatur. 4.

Si non fuerit animus reuocandi, nec verba ſint apta mandans non deobligatur. 5.

In foro externo deobligatur, ſi verba fuerint expreſsè reuocatoria. 6.

1 Senſus difficultatis expoſitus.

Diſquiſitio. XXXVII. Mandatum dederat Franciſcus Caio, vt graue damnum, vel in bonis fortunæ, vel in bonis corporis inferret Antonio. Mandato adhuc non executo, plurimi inſtabant opportunè, & importunè apud eundem Franciſcum, vt mandatum reuocaret. Diu reſtitit ipſe Franciſcus, tandem iiſdem inſtantibus præſentibus, & preces efficaciter iterantibus quodammodo dixit mandatario, vt abſtineret ab executione mandati. Mandatarius recepit reuocationem arbitrans non ſeriò eſſe poſitam, ſed ad tollendam ſolummodo importunitatem inſtantium, quare executus eſt mandatum. Hic quæſitum fuit, an mandans in hac hypotheſi eximatur ab onere reparationis illius damni, quod cauſatum fuit à mandatario ratione reuocationis mandati.

2 Rationes ſuadentes Mandantem deobligari.

Videtur abſolutè dicendum ex vi illius reuocationis mandantem deobligari ab onere reparationis illius damni cauſati à mandatario. Ratio multiplex huius dicti poteſt adduci. Primò, quia illud damnum non prouenit ex mandato eiuſdem Franciſci mandantis, ſiquidem hoc reuocatum eſt pluribus audientibus, & præcipuè ipſo mandatario, ſed ex ignorantia mandatarij putantis verba reuocatoria in alio ſenſu, vel alio animo fuiſſe prolata, ergo non erit, cur illud damnum ſit imputandum eidem mandanti. Secundo, quia, ſi mandans a principio mandaſſet occidi equum Antonij, & mandatarius ex mala intelligentia, ſeu errore occiderit eundem Antonium, mandans non eſſet irregularis, ergo, cum in hac hypotheſi mandans expreſſe reuocarit mandatum, licet mandatarius ex mala intelligentia putarit non ſeriò fuiſſe reuocatum, ſed perſeuerare in ſuo robore, damnum inde cauſatum non erit imputandum ipſi mandanti, ſed mandatario. Tertio ex ijs, quæ docent *Diana tom. 3. tract. 2. de irregul. reſol. 14. in fin., & alij apud eundem*, quia, ſi quis conſuluiſſet homicidium, & poſtea arbitrans ſolam reuocationem conſilij ſufficere, illud reuocaſſet, non eſſet irregularis, etiam ſi ſequeretur ex vi conſilij prioris, ergo à fortiori, ſi mandans bona fide putauit mandatum eſſe ſufficienter reuocatum, non contrahet obligationem reparandi damnum, ſi illud à mandatario fuerit cauſatum. Hec colligo ex *Cardinali de Lugo tom. 1. de iuſt. diſp. 19., an cooperantes debeant reſtituere ſect. 2. nu. 25.*, quæ tamen exponit ex aliorum mente. Nihilominus

3 Opinio Cardinalis de Lugo aſſerētis non deobligari.

Ipſe *Cardinalis de Lugo, ibi, nu. 26.* arbitratur non deobligari ab onere compenſationis, quod multis conatur argumentis euincere. Primo, quia hoc damnum prouenit ex illo primo mādato; quidquid enim ex illa culpa oritur, licet ſine noua culpa ſequatur, imputari debet mandanti in ordine ad reſtitutionem, nec poteſt impediri ille influxus, niſi impediatur mandatarius, ne ex illo mandato moueatur ad operis mandati executionem; quod

certè

certè non intelligitur euenire in præſenti hypotheſi, quandoquidem ex vi prioris mandati mouetur ad illud damnum, cum non ſufficientèr exiſtimet eſſe reuocatum. Secundo, quia quantumuis reuocetur mandatum, & reuocatio intimetur mandatario, ſi tamen hic propter ſurditatem, vel propter diſtractionem non perciperet illam reuocationem, non tamen mandans deobligaretur à reparatione illius damni, ſi fortè fuerit cauſatum, & hoc ea ratione, quia adhuc mandatarius à priori mandato intelligeretur moueri ad illud maleficium cauſandum, ergo etiam, quātumuis reuocaretur mandatum, & intimaretur mandatario, ſi tamen hic non perciperet veram verborum ſignificationem, qua fit reuocatio, vel fortè intelligeret alienum eſſe animum reuocantis ab illa reuocatione, non deobligabitur mandans à reparatione illius damni cauſati, quandoquidem videtur ſibi eſſe æquiualens, hoc non intellexiſſe ſenſum verum verborum, quibus poſita eſt reuocatio, ac illa verba non percepiſse, & qui non percipit ſenſum verborum perindè eſt, ac ſi verba illa formalitèr non audiat. Tertio, quia, ſi quis alteri promittat ſeriò centum, promiſſarius vero putet per iocum illa ſibi promitti, ille non remanet obligatus ad contribuendum illa centum, ergo etiam, ſi quis reuocet mandatum ſeriò, mandatarius verò accipiat illam reuocationem iocosè, ſeu quaſi per iocū poſitam, ille reuocans non deobligabitur. Quid iam in hac controuerſia concludendum?

Rationes Cardinalis de Lugo.

Reſpondeo primo. In foro conſcientiæ, ſi mandans reuerà cum animo reuocandi mandatum illud reuocarit, & verba ipſa, quibus fuit poſita reuocatio, fuerint apta ad ipſum inducendum; remanet deobligatus ab onere reparationis illius damni, ſi fuerit hoc perpatratum. Ratio ex eo deducitur, quia in tali reuocatione intelliguntur omnia requiſita ex parte reuocantis ad auferendum penitus illud mandatum, ſeu vim ipſius, quæ tota pendet ex voluntate ipſius mandantis, ergo non erit, cur ipſe mandans non deobligetur ab onere compenſationis damni, ſi illud fuerit poſitum. Antecedens patet, quia ad reuocationem mandati aliud non requiritur, niſi voluntas mandantis per verba ſufficientia ad indicandam talem voluntatem manifeſtata; in hac autem hypotheſi, & verba ſufficientia intelliguntur interuenire, & voluntas per eadem expreſſa; Neque dicas, quod quantumuis vtrumque reuera interuenerit, non fuerit tamen vtrumque perceptum à mandatario, ſicque vim habeant ea omnia, quæ pro ſua ſententia allegauit Cardinalis de Lugo; Contra enim impugnaberis, quia ex quo mandatum ad differentiam conſilij totam vim habet à voluntate mandantis, & mandans ipſe ſufficiētèr per verba appoſita ſuam voluntatem reuocatoriam expoſuit audiente, & intelligente mandatario, hic debet ſibi imputare, quod verba in alium ſenſum deflexerit, & quod in dubio clarius eiuſdem voluntatem non indagarit ante executionem criminis, & potius debuiſſet præſumere pro vera reuocatione, cum verba ſint manifeſtatiua conceptuum mentis, maximè, ſi ſint apta ad illos inducendos, quam pro negatione eiuſdem, nec preces importunæ inſtantium pro reuocatione mandati poſſunt inducere negationem voluntatis ad reuocandum, cum preces non minuant voluntarium, quin potius adaugeant.

4 Si reuocauerit cum animo reuocandi, & verba fuerint apta mādans deobligatur.

Non ſufficit, quod mandatarius non perceperit.

Reſpondeo ſecundo, ſi mandans verè ſine animo reuocandi mandatum, illud reuocarit, nec adhibuerit verba dilucidè reuocatoria eiuſdem, probabilius eſt non eximi ab onere reparationis illius damni per mandatarium illati. Ratio ex eo deducitur, quia nec adeſt voluntas reuocandi, & per conſequens perſeuerat mandatum, nec verba illa ſunt apta reuocare, nec exprimere animum reuocantis, ergo non eſt, cur ex vi prioris mandati non remaneat obligatus. Antecedens probatur, quia expreſſum non ſufficientèr reuocatur per dubium impropriè ſignificans, & qui non vult recedere à propoſito ad preces inſtantium vtitur tragiuerſationibus, & verbis æquiuocis; & in hoc vim habent rationes adductæ à Lugo.

5 Si nec fuerit animus reuocādi, nec verba ſint apta non deobligatur.

Si verò ſine animo reuocandi adhibeat verba expreſsè, & determinatè reuocatoria prioris voluntatis nocendi per mandatarium, & verba illa percipiantur à mandatario, quamuis grauiſſimè peccet ratione illius animi nocendi, probabilius tamen eſt, quod eximatur ab onere compenſationis, ſeu reparationis damni illati. Rationem ex ijs deduco à contrario ſenſu, quæ dixi in præcedentibus, nempè ſolam intentionem nocendi, quando non coniungitur cum actione exteriori ſecundum ſe damnificatiua, ſeu apta ad damnificandum, non inducere obligationem reſtitutionis, ſeu reparationis damni, ergo ſola intentio nocendi, quando coniungitur cum actu exteriori, qui expreſsè reſiſtit tali damno, non poteſt obligare ad reparandum aliquod damnum, ſi quod inde inductum eſt; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum ille animus nocendi per animum non reuocandi mandatum coniungatur cum præcedenti ex-

Argumētum à cōtrario ſēſu deductum.

Digitized by Google

expreſſo mandato omnimodam vim habeat ad nocendum, quæ vis ſaltem quantum pertinet ad forum internum animæ non videtur diminui per illam reuocationem externam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum obligatio reſtitutionis ex iuſtitia non proueniat etiam quoad forum internum, niſi ex actu exteriori ſecundum ſe damnificatiuo, non verò ex actu merè interno, & poſita fuerit ſufficientèr reuocatio præcedentis mandati exteriùs poſiti, non poteſt ex illo actu merè interno perſeuerante oriri obligatio reparationis ex iuſtitia, nec quid aliud congruentiùs, & aptiùs poteſt poni pro illa reuocatione, quam verba apta, & determinata expreſſiua illius reuocationis.

6 Reſpondeo tertiò, in foro externo fori, ſi reuocatio poſita fuerit per verba expreſsè reuocatoria, nec aliud fuerit ſignū indicans iocoſam eſſe reuocationem præter illud, quod mandans reuocet ad iteratas preces inſtantium præſente mandatario, probabilius ipſe mandans eximitur ab onere compenſationis, ſeu reparationis damni, ſi quod inde fuerit ſecutum. Si verò poſita fuerit per verba non determinatè ſignificantia eandem reuocationem, vel aliud ſignum addiderit indicans mandatario illam reuocationem eſſe iocoſam, & ſine animo reuocandi, probabilius tenetur ad reparationem illius damni. Prima pars conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt ſupra, & conuenit cum prima ſententia, cuius propterea rationes recole; Secunda pars conuenit cum opinione Cardinalis de Lugo, cuius rationes ſatis concludentèr hanc euincunt.

In foro externo deobligetur, ſi verba ſint expreſsè reuocatoria

---

§ XXXVIII.

An mandans alterius damnum, ſi non poſſit tempeſtiuè reuocare mandatum, teneatur monere eum, contra quem datum eſt mandatum, vt ſibi proſpiciat, vel rebus ſuis.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis. 1.

Si mandans non poteſt tempeſtiuè reuocare mandatum, tenetur monere eum, aduerſus quem latum eſt mandatum, ſi poteſt ſine ſui maiori periculo. 2.

Si non præmoneat ad euitandum maius ſui damnum, tenetur ad damnum ex ſuo mandato illatum. 3.

Reuocato ſufficienter mandato coram mandatario, non tenetur mandans præmonere eum, aduerſus quem latum eſt mandatum. 4.

Si non reuocato tempeſtiuè mandato præmonitus fuerit ille, in quem mandatum latum eſt, & iſte ſibi cauerit, nec potuerit damnum auertere, mandans non liberatur. 5.

Disquiſitio XXXVIII. Mandatum dederat Caius Sempronio, vt Franciſcum occideret, vel graue damnum in rebus eiuſdem inferret. Pænitentia poſtea ductus de illo iniurioſo mandato, nec valens tempeſtiuè illud coram mandatario reuocare inquirebat, quid poſſet agere, an teneretur monere Franciſcum, aduerſus quem mandatum dederat, vt ſibi, rebuſque ſuis conſuleret, vel non. 1

Factum in ſuis terminis.

Hanc controuerſiam ego examinandam exiſtimo ſub multiplici conſideratione; vel etenim quæritur, vtrum Caius mandans, cum non poſſit tempeſtiuè reuocare mandatum, & reuocationem intimare mandatario, teneatur monere Franciſcum, aduerſus quem latum eſt mandatum vt ſibi, rebuſque ſuis caueat; vel quæritur vtrum reuocato mandato coram mandatario teneatur adhuc monere eum, aduerſus quem mandauit, adeò vt, ſi reuocauerit, & non monuerit læſum, adhuc teneatur ad compenſationem.

Variæ conſiderationes circa factum.

Reſpondeo primò, ſi mandans non poteſt tempeſtiuè reuocare mandatum, illudque mandatario intimare, tenetur monere eum, aduerſus quem latum eſt mandatum, ſi poteſt abſque periculo maioris damni proprij, ſecus, ſi non poteſt abſque tali periculo. *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. diſp. 19. sect. 1. nu. 30. & ſeqq.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia qui iam damnum alteri iniuſtè intulit, debet illud compenſare, ſi poteſt ſine maiori ſuo damno, ergo a fortiori debet illud, quantum poteſt impedire, quando ipſi ex tali impedimento non conſurgit, nec conſurgere poteſt grauius damnum. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod alibi dicemus, quod nemo cum maiori ſua iactura tenetur reſtituere, ergo nec cum eadem tenebitur impedire damnum, quod ex ſua iniuſta actione eſt alteri inferendum. 2

Si nō poteſt mandās reuocare tempeſtiuè mandatū, tenetur monere eum, contra quem latum eſt mandatū, & quomodo.

Hæc videntur rectè procedere; Solum hic remanet dubitandum, an non præmonendo ad euitandam maiorem ſui iacturam teneatur ſaltem compenſare læſo damnum, quod eidem ex ſuo mandato non tempeſtiuè reuocato illatum eſt, nec præmonito eodem læſo? Si ſiſtamus in vim argumenti adducti pro probatione ſecundæ partis reſponſionis, videtur dicendum, non manere obligatum ad compen-

Digitized by Google

penſationem illius damni, quandòquidem, cum poſitum fuerit tanquam aſſumptum, quod non teneatur compenſare damnum illatum, quando hoc præſtare nequit ſine maiori ipſius damno, videtur per conſequens ex illo rectè deduci, quod quando non poteſt impedire damnum ex ſua iniuſta actione alteri inferendum ſine maiori ſuo damno, non teneatur poſtea damnũ illud, cum fuerit illatum, reſarcire; cæteroqui argumentum claudicaret. Nihilominus probabilius ſentio teneri etiam in illa hypotheſi damnum ex ſuo mandato tempeſtiuè non reuocato compenſare. *Cardinalis de Lugo tom.1. de iuſt. diſp.19. an mandans reſtituere debeat ſect.1.n.31.* Ratio ex eo deſumitur, quia denegari non poteſt, quin illud damnum ex ſua iniuſta actione nempè mandato illatum fuerit, ergo vtpotè cauſa ipſius, & vtique efficax, tenetur illud reparare; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod videatur mandans excuſandus ob impotentiam, quam habet, illud impediendi, cum non poſſit tempeſtiuè reuocare mandatum, & excuſetur ab admonitione partis lædendæ ratione grauioris damni ſibi imminentis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quod non poſſit impedire, ipſius culpę imputandum eſt, cum non debuerit iniuſtam actionem ponere illius iniurioſi mandati, nec tolli poteſt, quin ex illo mandato efficacitèr illud damnum euenerit; nec in reparatione maius damnum ipſi euenit ab illo, quod ipſe ex ſuo mandato intulit. Ad illud, quod in ratione dubitandi ex aduerſa parte aſſerebatur, dicendum eſt, argumentum quidem procedere ſeruato ordine, ad quod fuit aſſumptum, non autem in omnibus cum non ſit in omnibus par ratio; valet enim in hoc, quod, ſicuti grauius damnum imminens reſtituenti eximit ipſum à reſtitutione quoad damnum illatum; ità etiam grauius damnum imminens in ordine ad impediendum damnum alteri inferendum ipſum eximat ab onere illius impedimenti; non autem valet, quod, ſi eximitur ab onere reſtitutionis damni illati ob maius damnum ſibi imminens, eximatur etiam ab onere reſtitutionis damni illati ob non impedimentum eiuſdem, quando in non impediendo imminebat grauius damnum, in reſtituendo verò non maius damnum imminet, ſed ſolum onus reparandi damnum per æquale; in primo etenim caſu grauius damnum in reſtituendo impendit reſtituenti; in ſecundo verò nequaquam, vt per ſe patet.

3 Tenetur ad damnũ ex ſuo mãdato illatum,

Non excuſat impotentia ad reuocandum mandatũ.

Reſpondeo ſecundò. Reuocato ſufficientèr mandato coram mandatario, non tenetur mandans premonere eum, aduerſus quem latum eſt mandatum, & quamuis poſtea executioni fuerit datum mandatum, non tenetur ad reparationem damni illati. *Diana tom.4. tract.2. de irregul. reſol.14., Stephanus de Auila de cenſur. part.7. diſp.6. ſect.2. dub.4. concl.3., Henriquez lib.14.c.16.n.2., Villalobos in ſumma part.1. tract.21. difficul.20. n.7.* Ratio ex eo deducitur, quia reuocato ſufficientèr mandato, & intimata reuocatione mandatario non eſt amplius ratio agendi nomine, & ex perſona mandantis, cum totum id retractauerit, quod poſuit, ergo ad quid aliud non tenetur, vt eximatur ab onere reſtitutionis, cum per eas cauſas vinculum diſſoluatur, per quas eſt poſitum, & hinc patet diſcrimen, quod intercedit inter mandantẽ reuocato mandato, & inter conſulentem reuocato conſilio; nam, cum in mandato tota ratio agendi ſit ex perſona mandantis, eo ipſo, quo ipſe mandans reuocat mandatum, intelligitur totam vim agendi auferre; cum verò in conſulente tota ratio agendi non ſit penes ipſum, ſed penes conſultum, qui conſilio expoſito mouetur ad agendum in ſui fauorem, reuocato propterea conſilio non aufertur tota vis agendi, quæ in motiuo allato perſeuerat in perſona, quæ recepit conſilium, quæque ex illo operatur in ſui fauorem.

4 Reuocato ſufficiẽtèr mandato corã mandatario non tenetur mandans eum pręmonere, contrà quem latũ eſt mandatum.

Reſpondeo tertiò. Non reuocato tempeſtiuè mandato ob impotẽtiam, ſi mandans tempeſtiuè præmonuerit eum, aduerſus quem latum eſt mandatum, vt ſibi, rebuſque ſuis caueat, & non obſtante tali præmonitione damnum fuerit ſecutum, probabilius non eximitur ab onere compenſationis damni ſecuti, ſi ille, aduerſus quem latum eſt mandatum, ſibi cauerit, quantum potuit, ſi verò ille ſibi non cauerit, cum poſſet cauere, vtique eximitur. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia mandans non ſufficientèr abſtulit cauſam nocendi, quam poſuit, ergo eadem cauſa perſeuerante in mandatario, apud quem ius viget nocendi ex perſona mandatis non erit, cur, ſi ex illa ſecutum fuerit nocumentum, non teneatur illud reparare; nec illa præmonitio facta perſonæ læſæ ipſum eximit ab obligatione, quandòquidem cum ipſe egerit, quantum potuit ad illud damnum ſibi imminens præcauendum, expreſsè colligitur non fuiſſe poſitum ſufficiens munimen aduerſus mandatum adhuc vigens penes mandatarium agentem nomine, & ex perſona mandantis; vndè ſemper ex perſona eiuſdem damnum illud ſequitur. Secunda pars, quę intelligenda eſt, quando ille, aduerſus quem latum eſt mandatum

5 Si non reuocato tempeſtiuè mãdato fuerit præmonitus ille, in quẽ latũ eſt, & ſibi cauerit, nec potuerit dãnnũ auertere, mandans non liberatur.

tum

Secus, ſi monitus ex negligentia ſibi non cauerit.

tum ſibi præcauendo, ſeu, ſi ſibi præcauiſſet, damnum illud euertiſſet, ſic euincitur, quia in ea hypotheſi illud damnum potius videtur imputandum iniuriæ perſonæ læſæ, quam mandato eius, cuius nomine læditur, quandòquidem, quantumuis ipſe mandans cauſam dederit illi damno, eidem tamen occurrit præmonendo eum, cui damnum ex tali cauſa impendebat, & cum vnuſquiſque debeat damno proprio præniſo præcauere, debet ſibi imputare, quod non præcauerit, cum poſſet. Verum tamen eſt, quod, ſi in congrua præcautione, quam habere debuiſſet, defecerit, eo quia media non habuerit, quibus poſſet præcauere, non eximatur mandans ab onere compenſationis, eo quia ex ipſius culpa damnum prouenit, cui obuiare non poſſit ipſe læſus.

Illatio ex dictis.

Ex dictis colligere fas erit, quod, ſi ille præmonitus ſibi præcauerit adhibendo media neceſſaria, in quibus inſumpſerit, vel pecunia, vel operibus ſecundum ſe pretio æſtimabilibus teneatur ipſe mandans, vel eandem pecuniam, vel æquiualens operibus pretio æſtimabilibus reſtituere, quandòquidem ipſe fuit cauſa efficax damni, quod in illis læſus paſſus eſt.

---

§. XXXIX.

An conſulens alteri duellum teneatur ad compenſationem damnorum, ſi ipſe, qui conſilium recepit, occiſus eſt.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.
Sententia aſſerens conſulentem incurrere irregularitatem, ſi conſultus fuerit occiſus. 2.
Sententia contraria negans, & eius rationes. 3.
Probabilius conſulens duellum, non tenetur ad damna, quæ peruenerunt ei, cui latum eſt conſilium. 4.
Intellige etiam, ſi conſuluerit cum animo, vt ille occideretur. 5.

1 Expoſitio caſus in ſuis terminis.

DIſquiſitio XXXIX. Vigente inter quoſdam graui rixa Petrus alterum eorum conſuluit, vt inimicum ſuum prouocaret ad duellum, quod præſtitit ex condicto. In ipſo actuali certamine ille, qui conſilium recepit, à ſuo inimico occiſus eſt. Quæſitum hic fuit, an ipſe conſulens teneretur ad compenſationem omnium damnorum, quæ ex tali occiſione prouenerunt ipſi occiſo, & hæredibus eius.

2 Sententia aſſerẽs cõſulentem duellũ incurrere irregularitatem, ſi conſultus in illo fuerit occiſus.

Loquendo in terminis aliarum pænarum puta irregularitatis, quæ ex conſilio ad necem oriuntur, eaſdem incurrere, qui conſilium præſtat ad duellum, quando ex illo conſultus occiſus eſt, docent *Suarez de cenſuris diſp. 44. ſect. 3. nu. 18., Hurtadus diſp. 2. de irregul. difficul. 6. n. 22., Aula de cenſuris part. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 5. concl. 4., Sairus lib. 7. c. 3. n. 3., Petrus Cornejo in tertiam part. tract. 5. de irregularitate diſp. 1. dub. 2. q. 2. n. 3., Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 21. difficult. 20. n. 16.*, quorum rationem eam arbitror eſſe, quia ſic conſulens verè per ſuam iniuſtam actionem cooperatus eſt illi homicidio.

3 Sententia contraria negans, & eius rationes,

Ex aduerſo alij negant, inter quos potiſſimum *Turrianus de cenſuris lib. 9. diſp. 63. dub. 4., Ioannes Præpoſitus in tertiam partem q. 5. de irregular. dub. 10. n. 72., Henriquez lib. 14. c. 17. n. 1.* hancque opinionem tenere videtur *Vaſquez in prima ſecundæ, D. Thomæ diſp. 100. n. 45.* hancque probabilem exiſtimat *Cardin. de Lugo tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 19. an conſulens debeat reſtituere ſect. 2. §. 2. n. 40. verſ. alij tamen dicunt.* Rationem ipſorum eam eſſe arbitror, quia irregularitas ex conſilio homicidij non eſt in iure inflicta, niſi quando ipſum conſilium directè tendit in ipſam occiſionem, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam illud conſilium non niſi indirectè, & præter intentionem tendit in occiſionem eius, qui recepit conſilium. Limitat tamen Cardinalis de Lugo ibidem hanc opinionem in caſu, quo conſulens eo animo conſuleret, vt ipſe conſultus ex illo duello occideretur, quod probat exemplo Dauidis, qui dicitur gladio filiorum Amon occidiſſe Vriam, eo quia in bello alioqui iuſto eo animo eum conſtitui iuſſit in loco, in quo certam ipſius mortem excogitauerat. Quidquid ſit de terminis irregularitatis.

4 Non tenetur conſulens ad damna occiſi.

Reſpondeo, ſic conſulentem duellum probabiliùs non teneri ad compenſationem damnorum, quæ conſulto, ſeu ei, qui recepit tale conſilium, obuenerunt. *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt., & iur. diſp. 19. an conſulens debeat reſtituere ſect. 2. §. 2. nu. 40. verſ. alij tamen dicunt, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 22., & lib. 2. c. 2., Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 1., Corduba in ſumma q. 17.*, atque hanc opinionem in ſimilibus terminis docuimus nos etiam ſupra *sub hoc eodem tit. de Reſtitutione 1. prænot. 12. ſect. 2. aſſert. 3. ad primum dubium*, vbi alios allegauimus. Ratio ex eo deducitur, quia ſic conſulens

per

Digitized by Google

per tale conſilium nullam intulit iniuriã ipſi, qui tale conſilium recepit ex vulgata, & generali regula, quod *ſcienti, & conſentienti non fit iniuria*, ergo, nec aduerſus ipſum vllam commiſit iniuſtitiam, adeoq; non eſt, cur obligari debeat ad compenſationem damnorum, quæ fortè ex tali conſilio prouenerunt eidem recipienti conſilium; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ille, qui recepit conſilium, potuerit eſſe ignarus prauitatis conſilij, adeoq; quod tota prauitas refundenda ſit in conſiliarium, qui propterea tenebitur ad compenſationem omnium damnorũ, quæ ex vi illius praui conſilij habuit ipſe conſultus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis ille, qui recepit conſilium, illo motus fuerit ad perpatrandum maleficium, ex quo damna conſecutus eſt vel in vita, vel in bonis fortunæ, nõ propterea conſulens tenetur ad illorum reparationem, cùm conſultus voluntariè, & ſpontè acceptarit conſilium, nec ignorantia prauitatis eiuſdem poteſt ipſi ſuffragari, quandoquidem vix perceptibile eſt, quod non potuerit reflectere, & cognoſcere talem prauitatem, vndè ſibi debet imputare, quod conſenſerit ſine tali aduertentia, & reflexione, & ſic talis ignorantia reſpectu ipſius eſt craſſa, & ſupina.

Rationes ſuadẽtes reſponſionem.

Difficultas ſolummodo eſt, an, ſi conſulens, eo animo conſilium dederit, vt conſultus occideretur, vel aliud graue damnum in bonis fortunæ incurreret, teneretur reparationem illorum damnorũ ponere, quæ ſic conſultus paſſus eſt. Cardinalis *de Lugo loco cit.* expreſsè ſentit in ea hypotheſi conſulentem teneri ad reparationem illorum damnorum, prout ſupra notauimus, quia verè tunc fuit cauſa illius damni, quod cõprobat exemplo Dauid, qui dicitur occidiſſe Vriam gladio filiorum Amon, niſi quia in bello cæteroqui iuſto eum conſtitui iuſſit in prima acie, eo animo, vt ab inimicis occideretur; Nihilominus huic opinioni obſiſtere videntur ea, quæ ſupra diximus, nempe ſolum animum, ſeu intentionem nocendi non inducere obligationem reſtitutionis, quando non coniungitur cum actione exteriori ſecundum ſe damnificatiua, ſeu cauſatiua damni; cùm igitur in præſenti hypotheſi illud externum conſilium ex præactis non ſit iniurioſum ei, qui conſilium recepit, animus ille prauus accedens non videtur poſſe inducere obligationem ad reparationem. Quid igitur concludendum? Suppoſito, quod conſulens ex malo conſilio non teneatur ad damna, quæ ex illo paſſus eſt ille, qui recepit malum conſilium, ſuſtendum eſt in hac ſecunda opinione, quod etiam non teneatur, quantumuis prauus ille animus acceſſerit propter rationem pro eadem adductam; nec obeſſe poteſt exemplum Dauidis Regis adductum pro contraria opinione, quandoquidem ipſe Dauid non conſuluit Vriæ, vt in tali loco periculoſo ſe conſtitueret, ſed iuſſit duci exercitus, vt in tali loco ipſum conſtitueret, quæ actio eſt ex genere ſuo damnificatiua, cum cõſtituat in proximo periculo, & præuiſo mortis, & vtique contra præſumptam voluntatem ſic conſtituti in tali periculo, & licet eſſet in poteſtate ipſius Dauidis Regis, vel ducis exercitus ipſius ipſum conſtituere in tali loco ſine labe iniuſtitiæ, cum poſſet de vnoquoque ſui exercitus in ijs, quæ pertinent ad exercitium militare, diſponere, cùm tamen extra ordinem in tali loco magis periculis mortis obnoxio conſtituerit; qui certè locus ex ſe plurimum confert ad mortem, videtur cum praua illa intentione ipſum interficiendi coniunxiſſe actionem extrinſecam per ſe, & ex ſe conferentem ad mortem, & vtique contra voluntatem ipſius, qui ſic expoſitus eſt, adeoque rectè dicitur interfeciſſe gladio filiorum Amon.

5 Intelligẽ etiam, ſi conſuluerit cum animo, vt ille occideretur.

---

§. XL.

An conſulens, quando ipſius conſilium primo non fuit acceptatum, poſtea tamen mouit, teneatur reſtituere.

S V M M A R I V M.

Exponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Si conſilium non ſolum promoueat ad vltionem, ſed etiam exhibeat certam vtilitatem probabilius conſulens non eximitur ab onere compenſationis. 2.
Si conſilium fuerit tale, vt moueat, tamen non indicet illam vtilitatem, & conſultus receſſerit à conſilio, & poſtea reaſſumpſerit conſulens deobligatur. 3.

DIſquiſitio XL. Conſilium dederat Caius Franciſco, vt vlciſceretur contra Antonium de iniuria ipſi illata conferendo eidem grauia damna, vel in vita, vel in rebus ipſius adducendo etiam rationes, & motiua impellentia ad talem vltionem. Noluit Franciſcus aſſentiri tali conſilio, quin potius illud ſtrenuè reiecit. Poſtea aduertens ad motiua propoſita in eodem conſilio, voluntate mutata, ipſum executus eſt cum graui damno

1 Expoſitio caſus particularis.

Digitized by Google

no eiuſdem Antonij. Quæſitum hic fuit, an Caius, qui tale conſilium dederat, teneatur compenſare omnia damna, quæ obuenerunt eidem Antonio ex vi proprij conſilij.

Quomodo conſilium poſſit concipi.

Hic pro ſolutione recolenda ſunt ea, quæ alibi diximus, nempe conſilium poſſe dupliciter conſiderari; primò, quatenus præciſè ſiſtit in quadam promotione ad aliquid operandum ſine ratione aliqua exhibente commoditatem, & vtilitatem, quæ reſultare poſſit in fauorem eius, qui recipit tale conſilium. Secundo, quatenus non ſolum ponit promotionem, ſed etiam exhibet motiuum talis promotionis, ex quo reſultat vtilitas, & commoditas eiuſdem recipientis conſilium. Iuxta primam conſiderationem, ſi conſultus non acceptarit, ſed reiecerit illud conſiliũ videtur eſſe maior difficultas, ſi poſtea mutata voluntate illud fuerit executus. Iuxta ſecundam conſiderationem, tunc potiſſimum euenire contingit, quando conſulens promouet exhibendo ex executione illius conſilij euitari infamiam, quæ ſine illa vltione proueniret.

2

Si cõſiliũ moueat ad factũ, & indicet vtilitatem indè prouenturam non eximitur.

Reſpondeo primo, ſi conſilium fuerit tale, vt non ſolum promoueat ad vltionem, ſed vlterius manifeſtet vtilitatem, & commoditatem, quæ indè proueniet conſulto, puta ob euitandam infamiam, probabilius eſt; quod conſulens non eximatur ab onere illius compenſationis, ſeu reparationis damnorum, quantumuis conſilium primo non fuerit acceptatum. *Molina tom. 2. de iuſt., & iur. diſp. 730. in fine, Cardinalis de Lugo lib. 1. de iuſt. diſp. 19., an conſulens debeat reſtituere ſeƈt. 2. §. 2. n. 41.* quibus adhærere videntur *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 13. dub. 5., Vaſquez c. 9. de reſtitutione §. 1. num. 10.*, Rationem ex eo deduco, quia illud damnum illatum Antonio verè prouenit ex illo conſilio Caij, quod quamuis in ſua origine fuerit inefficax ex parte accipientis, quatenus illud primo non acceptarit, vires tamen ſumpſit in proſecutione, ſeu proceſſu temporis ex motiuo, quod fuit adductum ad mouendum ad illius executionem, quod intelligitur perſeueraſſe, & verè mouiſſe, & ſicuti, ſi ipſe conſulens poſt datum tale conſilium, illud reuocaſſet, non propterea eximeretur ab onere compenſationis, quia licet non perſeueret in voluntate ipſius conſulentis, perſeuerat tamen in motiuo vtilitatis, & commoditatis; quam in opere iniquo manifeſtauit, ità, ſi ipſe conſulens conſilium dederit cum illo motiuo vtilitatis, & commoditatis, & non fuerit primo acceptatum, quantumuis pro illo tempore, pro quo non fuit acceptatum, non perſeueret in voluntate reijcientis formaliter, perſeuerat tamen virtualiter in motiuo, quod adhuc excitat, adeoque obligat ipſum conſulentem ad ea, quæ ex illo prouenerunt. Confirmatur, quia, ſi quis conſulens homicidium, vnà cum eodem conſilio ſubminiſtraret arma ei, cui dat tale conſilium, & ipſe conſilium reiiceret, & retineret arma, quibus poſtea excitaretur ad perpatrandum homicidium, non eximeretur ab onere compenſationis damnorum, quæ ex illo conſilio prouenerunt, ergo etiam, ſi quis cõſuleret aliquod maleficium, & ſimul manifeſtaret motiuum vtilitatis, & commoditatis, quæ inde prouenirent, quantumuis conſultus primo reiiceret tale conſilium, ſi deindè ex motiuo adducto eiuſdẽ vtilitatis moueretur ad illud maleficium perpatrandum, non eximetur ipſe conſulens ab onere compenſationis damnorum, quæ indè prouenerunt, cum illud motiuum ſit quaſi arma excitantia ad illud.

Semper perſeuerat ratio mouens nempe vtilitas.

Reſpondeo ſecundo, ſi conſilium fuerit tale, vt præciſè promoueat ad illam vltionem nullo exhibito motiuo vtilitatis, & comoditatis, probabilius eſt, quod, ſi conſultus illud reiecerit; & poſtea, mutata voluntate, illud fuerit executus, non teneatur conſulens reparare damna, quæ indè obuenerunt. Ratio ex eo deducitur, quia illa damna potius prouenerunt ex malitia operantis, quam ex conſilio conſulentis, ergo ipſe conſulens non tenetur illa damna reparare. Antecedens probatur, quia illud conſilium, nec perſeuerat in ſeipſo, nec in motiuo, non in ſe ipſo, cum fuerit abſolutè reiectum, non in motiuo, cum nullum fuerit adductum. Confirmatur, quia, ſi conſulens conſiliũ dederit nullum adducendo motiuum vtilitatis, ſed ſolum indicando, quod ſibi in tali caſu videtur, & poſtea ante executionem efficacitèr, ſeu ſeriò reuocet conſiliũ eximitur à quocunque onere reſtitutionis, ſi conſultus non obſtante tali reuocatione illud conſilium exequatur, prout ex communi Theologorum conſenſu docet *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt., & iur. diſp. 19., an conſulens debeat reſtituere ſeƈt. 2. §. 2. n. 37.*, ergo etiam, ſi conſulens dederit conſilium nullo innixum fundamento vtilitatis, & commoditatis reſpectu conſulti, & hic abſolute reiecerit illud conſilium non tenebitur ipſe conſulens damna, indè obuenientia reparare, ſi cõſultus poſtea illud conſilium mutata voluntate fuerit executus, quandoquidem illud conſilium non perſeuerat in ſe, cum fuerit abſolutè reiectum, nec in motiuo vtilitatis, cum nullum fuerit adductum; Neque dicas, diſparem eſſe rationem in

3

Si non reſultet illa vtilitas, & conſultus receſſerit, & poſtea reaſſumpſerit conſulens deobligatur.

conſulente, qui ſeriò reuocauit conſiliū ante executionem, ac de conſulente, cuius conſilium non fuit à conſulto acceptatū, quandoquidem in primo caſu conſilium non perſeuerat, nec in motiuo, nec in voluntate conſulentis, cum conſulens illud reuocauerit; in ſecundo autem caſu licet non perſeueret in motiuo, perſeuerat tamen in voluntate conſulentis, cum illud non reuocauerit, & licet conſultus, primo non fuerit motus tali cōſilio, quod propterea fuit inefficax, motus tamen fuit eodem ſubſequentèr, quod propterea in mutatione voluntatis eiuſdem conſulti recepit efficaciam; Contra enim impugnaberis, quia conſilium non habet vim, prout remanet in voluntate conſulentis, ſed prout recipitur in voluntate conſulti, quam habet mouere; ſi igitur in eadem non recipitur, cum reijciatur, perindè eſt, ac ſi nō fuerit poſitum; quod, ſi poſtea ex illo poſt reiectionem moueatur conſultus, hoc prouenit ex ipſius prauitate, qui voluit vti conſilio, quod ineſſicax reputauit, quodq; in reiectione euanuiſſe cenſendus eſt; quinimmo non acceptatio, & reuocatio quoad effectum ſibi correſpondent, nam ſicuti, ſi poſt reuocationem conſulentis conſultus conſilio vteretur, hoc ipſi, non conſulenti imputaretur, ita, ſi poſt reiectionem à ſe factam illud exequeretur ipſi imputandum erit, non conſulenti.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

---

§. XLI.

An, ſi conſulens poſt datum furandi conſilium, illud reuocauerit, & mouerit efficacitèr ad deſiſtendum, ſi poſtea conſultus redijt ad idem opus, teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Probabilius conſulens in ea hypotheſi adhuc remanet obligatus. 2.
Si quis conſuluerit alteri furtum, quo ſecuto conſulens perſuaſerit reſtitutionem, & conſultus promiſerit, ſed poſtea mutato conſilio, nō adimpleuerit, non eximitur ab obligatione. 3.

1 Series facti expoſita.

DIſquiſitio XLI. Dedit conſilium Caius Antonio, vt ab amico quodam mille nummos aureos furaretur; poſtea pænitens peruerſi conſilij nedum illud reuocauit, ſed efficacitèr mouit Antonium ad deſiſtendum, & re verà Antonius fido data promiſit non exequi conſilium. Elapſo aliquo temporis recedens Antonius à promiſſione, & fide data opus conſultum executus eſt cum maximo detrimento eiuſdem amici, aduerſus quem datum fuerat idem conſilium. Quæſitum hic fuit, an non obſtante tali reuocatione, & promiſſione deſiſtendi facta ab Antonio, Caius teneretur ad reparationem illorum damnorum, quæ contulit idem Antonius.

Procedit difficultas in ſuppoſitione, quod conſilium fuerit tale, vt non ſolum promoueat ex ſuaſione, & perſona conſulentis, ſed etiam ex motiuo vtilitatis, & commoditatis inde reſultantis eidem Antonio, cui fuerat præſtitum illud conſilium, quandòquidem ex ſuppoſitione, quod conſilium fuerit dumtaxat mouens ex qualitate perſonæ conſulentis, iam ex dictis patet poſita reuocatione facta ſeriò per conſulentem non amplius ipſum obligare, cum amplius operans non moueatur à conſilio, vel auctoritate conſulentis ad illud faciendum, cum ipſe conſulens ex ipſa reuocatione fateatur ſe eſſe deceptum. **Procedit in ſuppoſitione, qua ex cōſilio reſultet vtilitas.**

Reſpondeo probabilius eſſe, adhuc remanere conſulentem obligatum. *Cardinalis de Lugo lib. 1. de iuſt. & iur. diſp. 19. ſect. 2. §. 2. nu. 42., Molina tom. 2. de iuſt. & iur. diſp. 736. n. 7. & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quod ſupra in precedenti diſquiſitione dicebamus, nempè, quod quando conſilium eſt cum motiuo commoditatis, & vtilitatis in ordine ad eum, cui datur, non ſufficiat, quod ipſe, cui datum eſt, illud reiecerit, ſi poſtea exequatur, ergo neque ſufficiet, quod ex ſuaſione conſulentis reuocantis illud reiecerit, ſeu decreuerit nō exequi, ſi poſtea mutata voluntate illud fuerit executus. Conſequentia probatur, quia perſeuerante motiuo vtilitatis, & commoditatis parum referre videtur, quod illud ex ſe reiecerit, vel ex ſuaſione conſulentis. Confirmatur ratione fundamentali, quia in tantum, quando ille, cui datum fuit conſilium, non excuſatur ab obligatione reparandi damnum illatum conſulens, in quantum per reiectionem conſilij factam ab eodem, cui ipſum datum eſt, licet non perſeueret ipſum conſilium formalitèr in ſe ipſo, perſeuerat tamen formalitèr in illo motiuo vtilitatis, & commoditatis, & ratione ipſius poſtmodum mouet, ſed hoc ipſum ſequitur, quando ad ſuaſionem conſulentis conſultus reicit ipſum conſilium, ſeu decernit illud non exequi, quandòquidem ſemper perſeuerat motiuum, quod aptum eſt mouere, & de facto mouit, ergo &c. **2 Probabilius cōſulēs adhuc remanet obligatus.**

Digitized by Google

3 *Illatio deducta ex præcedenti reſponſione.* Ex dictis inferre licet cum *Molina loc. cit.*, quod, ſi quis ex prauo alterius conſilio furatus fuerit, & conſulens ipſe perſuaſerit reſtitutionem, quam ille promiſerit, & poſtea mutata voluntate non præſtiterit, non eximatur ipſe conſulens à reſtitutione, quia furtum illud prouenit ex prauo ipſius conſilio, & ideo eidem imputatur, qui debuerat præuidere totum illud damnum poſſe oriri ex ſuo conſilio, nec poſtea fore in ipſius poteſtate illud impedire. Hoc etiam eueniret in caſu, quo fur, qui ob reuocationem conſilij, & ſuaſiones reſtituendi factas à conſulente non ex malitia non reſtitueret, ſed ex cauſa inculpabili, puta ob impotentiam, vel ob aliam cauſam excuſantem à reſtitutione.

---

§. XLII.

An ſicuti minus malum poteſt conſuli, ità etiam æquale.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens non licere. 2.
Sententia aſſerens ſic conſulentem non peccare. 3.
Probabilius non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem. 4.
Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. 5.

1 *Exponitur facti ſeries.* DIſquiſitio XLII. Titius Caio parato furari a Franciſco modium tritici, vel vtrem vini conſuluit, vt potius ab eodem furaretur pecuniam eiuſdem valoris, & hoc in ſui fauorem, quia idem Titius in votis habet illud triticum, vel vinum ab eodem Franciſco emere. Hoc præſtitit Caius, & de facto omiſſo tritico, vel vino, furatus eſt pecuniam æqualis valoris. Quæſitum hic fuit, an Titius ſic conſulendo æquale damnum ab eo, quod decreuerat, peccauerit, & teneatur ad aliquam reſtitutionem?

Ex dictis in præcedentibus certum eſt, quod ille, qui conſuluit minus damnum ad euitandum maius, ad quod fur erat diſpoſitus, nec peccauerit contrà iuſtitiam, nec contrà charitatem, nec ad aliquam reſtitutionem teneatur, cum potius bene geſſerit negotium eius, aduerſus quem paratum erat illud maius damnum, quam eidem nocuerit, & potius debet expectare grates pro beneficio, quam pœnam pro maleficio, quod non præſtitit. Difficultas ſolummodo eſt in ordine ad conſilium de damno æquali?

Thomas *Sanchez lib. 7. de matrimonio diſp. 11. n. 26.* expreſsè docet, non licitum eſſe conſulere æquale damnum, non tamen ſic conſulentem obligari ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem. Rationem primæ partis ex eo deducit, quia obiectum talis conſilij eſt ex genere ſuo malum, cum electio æqualis mali nullam rationem boni inducat, quo illud furtum æquale cohoneſtetur. Rationem verò ſecundæ ex eo deſumit, quia per illud conſilium æqualis damni, comparatiuè ad illud, ad quod Caius erat diſpoſitus, non eſt noxium Franciſco, cum nihil operetur, niſi mutationem materialem damni in aliud damnum æquale. 2 *Sententia Sanchez aſſerentis non licere æquale dãnum conſulere, nõ tamen cõſulentem teneri ad reſtitutionem.*

Ex aduerſo *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 19. ſect. 2. §. 2. an conſulens debeat reſtituere nu. 54.* ſuſtinet, ſic conſulentem nec peccare, nec obligari ad reſtitutionem, & pro hac ſua opinione allegat *Carbonum de reſtitutione qu. 69. in fol. ad quartum*, ad quam multis rationibus mouetur, & ſoluit omnia argumenta, quæ à Sanchez afferuntur. 3 *Sententia Lugi afferens non peccare ſic conſulentem.*

Reſpondeo cum eodem Lugo, ſic conſulentem non peccare, nec teneri ad aliquam compenſationem, ſeu reſtitutionem. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia, ſi aliquod peccatum in illo conſilio intercederet, vel hoc eſſet contrà iuſtitiam, vel contrà charitatem; non contrà iuſtitiam, quia non eſt contrà ius Domini, nec eodem Domino rationabilitèr inuito, cum eidem non afferat maius præiudicium, quod etiam agnouit Sanchez contrariæ ſententiæ propugnator, dum nullam agnouit obligationem reſtitutionis, quod ex alia ratione non poteſt prouenire, niſi quia Dominus non eſt læſus, adeòque nec rationabilitèr inuitus, nec hic curare debet de eo conſilio, quod ipſi damnum non affert. Quod, ſi dicas, quod Dominus poſſit eſſe rationabilitèr inuitus, quod potius vna res ab eodem afferatur, quam altera, puta potius pecunia, quam triticum, vel vinum non ſolum propter maiorem propenſionem, quam habet ad vnam potius, quam ad alteram, ſed etiam propter maiora onera, nam ablata pecunia non poteſt forte vti tritico, niſi illud vendendo, & ex venditione acquirendo pecuniam, qua eget; contrà impugnaberis, quia illa maior propenſio, & illa onera non ſunt talia, vt ipſum conſtituant rationabilitèr inuitum, cum per aliam rem, quæ non fuit ablata, & fuiſſet ſine tali conſilio ablata, poſſit aliud ſimile ablato acquirere, nec venditio tritici, ſeu vini, ſupponitur difficilis; Non contrà charitatem, quia, ſi eſſet contra eandem, vel eſſet, 4 *Præfertur hæc ſecũda ſententia.* *Referuntur rationes ipſam probantes*

quia

quia eſſet contrà eum, cui damnum infertur, vel contrà eum, cui conſilium datur, vel contrà Deum, qui offenditur, non contrà eum, cui tale damnum infertur, nam per tale conſilium nullum præiudicium ipſi infertur, vt patet ex dictis; non contrà eum, cui conſilium datur, quia per ipſum conſilium non infertur ei occaſio peccandi abſolutè, ſed ſolummodo conditionatè, ſi peccaturus ſit, committendi potius illud in ablatione vnius rei, quam alterius, quæ commutatio nullum prorſus damnum ſpirituale furi affert; non contrà Deum propter eandem rationem, quia ipſe non conſulit abſolutè offenſam Dei, ſed, ſi futura eſt aliqua offenſa, ſit potius hæc, quam altera illi æqualis, per quam Deus non magis offenditur.

5 *Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ.* Ad rationes Sanchez, quæ ex aduerſo afferebantur, dicẽdum eſt primo id, quod aſſumit ad probationem ſui intenti falſo inniti fundamento; ſupponit enim ad operationem licitam requiri, quod obiectum talis operationis ſit affectum aliqua ratione poſitiua boni, quod non eſt abſolutè verum, cum in multorum ſententia, & certè nõ improbabili dantur actus ſimplicitèr indiferentes. Secundo non eſt abſolutè verum, quod obiectum conſilij, de quo loquimur, ſit in ſe malum, præcipuè cum tale conſilium non ſit abſolutum, ſed implicitè conditionatum, nec conſulens ſimplicitèr ſuadet furtum, ſed, ſi furandum eſt, quod potius fiat furtum in hac re, quam in alia, quod tamen furtum non eſt magis noxium, nec pernitioſius; ad quod conſilium non poteſt eſſe Dominus grauitèr rationabilitèr inuitus.

Ex his elucet ſic conſulentem non teneri ad aliquam reſtitutionem, ſeu reparationem, tum quia non peccauit contrà iuſtitiam, ex cuius ſolummodo læſione oritur onus reſtitutionis, tum quia nullum damnum contulit læſo, quod non eſſet aliundè eidem obuenturum.

---

§. XLIII.

An conſentiens, qui inutilitèr ſuffragium contulit, teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries. 1.

Si ſuffragator habuerit ius ſuffragandi non ſolum in ſui gratiam, ſed etiam in ordine ad bonum publicum inutilitèr ſuffragando peccat contrà iuſtitiam, & tenetur ad compenſationem. 2.

Si ius habet in fauorem ſolum proprium poteſt quidem renuntiare iuri ſuffragij, non tamen illud ferre in præiudicium digni, & fauorem indigni. 3.

Diſquiſitio XLIII. Ad plures pertinebat conferre ſuffragium ad certum officium, ſeu beneficium conferendum. Concurrebant ad idem officium, ſeu beneficium plures. Alter ex electoribus, ſeu ſuffragatoribus ſuffragium contulit vni, cui ex iuſtitia non debebatur, cum non haberet conditiones requiſitas ad illud munus omiſſo eo, qui legitimas conditiones habebat, ſeu cui debebatur. Ex illo ſuffragio contigit, quod nec ille, cui fuit collatum, nec ille, cui ex iuſtitia debebatur, ſed tertius quidam, qui nec habebat conditiones illas, quas habebat ille, cui ex iuſtitia debebat fuerit beneficium aſſecutus. Quæſitum hic fuit, an talis ſuffragator peccauerit contrà iuſtitiam, & teneretur ad reſtitutionem. 1 *Exponitur factũ in ſuis terminis.*

Videtur quoad vtrumque abſolutè affirmandum, quandòquidem ille, qui erat dignus, ius habebat, vt ſuffragium illud ſibi conferretur, & per negationem ipſius beneficium non obtinuit, quod propria merita exigebant, & iura ipſa, quæ in ſimilibus electionibus poſtulant dignum, vel digniorem. Nihilominus *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſtitia, & iure diſp. 19. ſect. 2. §. 3. de conſentiente n. 69.*, abſolutè ſuſtinet, quod, quamuis peccauerit contrà iuſtitiam propter periculũ promouendi eum, cui ſuffragium contulit in præiudicium illius, cui debebatur, non teneatur tamen ad aliquam reſtitutionem, cum perinde ſe habeat, ac ſi ſuffragium non contuliſſet. *Rationes dubitandi pro vtraque parte.*

Pro ſolutione hic aduertendum eſt, ius ſuffragij alicui poſſe competere ex duplici capite; primò, quatenus eidem collatum ſit in præciſam ipſius gratiam, & fauorem; ſecundò, quatenus illi competit ratione officij non ſolum in ipſius fauorem, ſed etiam in ordine ad bonum commune; iuxtà primum ſenſum adhuc duplicitèr poteſt contingere, vel quatenus tale ius collatum ſit ob eius merita, quomodo in aliquibus Religionibus conceditur ijs, qui Theologiam tot annis docuerunt in præmium, & ad excitamentum aliorum, vt ſimilia munera obeant, conceditur, inquam, vt ius habeant ſuffragij in capitulis prouincialibus, ſeu generalibus, vel quatenus collatum ſit ad eligendum aliquem ad aliquod officium in ordine ad proprium commodum, qua ratione in aliquibus regionibus conceſſum eſt ſcholaſticis, vt poſſint *Nonnullæ conſiderationes circa factum*

Digitized by Google

ſibi idoneos magiſtros eligere. His pro notitia ſuppoſitis

2

Si ius habebat in fauorē publicū inutilitèr ſuffragando peccat cōtrà iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem.

Reſpondeo primò, ſi ille, qui inutilitèr ſuffragium contulit ius habebat ſuffragij ratione officij non ſolum in ſui gratiam, & fauorem, ſed etiam in ordine ad bonum publicum, ſic inutilitèr conferendo non ſolum peccauit contrà iuſtitiam, ſed etiā tenetur ad reſtitutionem, ſi ex illo ſuffragio excluſus fuit idoneus, & dignus, & electus indignus. In hanc reſponſionem propendere coguntur, quotquot ſuſtinent, illum teneri, qui ſuffragium non contulit, cum ſuffragari poſſet. *Innocentius cap. 1. de his, quæ à maior. part. capit., Molina de iuſt. & iur. diſp. 732. in fin., Silueſter verb. conſenſus q. 3., Cardinalis Palæotus de Sacro Conciſt. part. 2. qu. 6. & 7., Garzias de beneficijs tom. 1. part. 3. c. 2. n. 525. in fin., Ioannes de Madaringa de Senatu c. 28. §. 1., Petrus de Ala tract. de decurionibus qu. 47., Diana 2. tomo tract. 2. de dubijs Regul. reſol. 6.* Intellige potiſſimum in caſu, quo ex illo ſuffragio fuerit ſuffragator cauſa iniuſtæ electionis, ſeu excluſionis eius, cui ex iuſtitia debebatur illud officium. Ratio huius reſponſionis ex eo deducitur, quia per illud ſuffragium alteri collatum ab eo, cui ex iuſtitia debebatur, fuit cauſa, vt dignus priuaretur iure, quo gaudebat, ad illud officium, quemque eligere ex officio tenebatur, ergo non eſt, cur non peccarit contrà iuſtitiam, & non teneatur ad reſtitutionem. Antecedens patet, quia ſupponitur, quod ſi tale ſuffragium non contuliſſet alteri inutilitèr, dignus, cui ex iuſtitia debebatur, fuiſſet promotus. Confirmatur, quia promotores, quibus ex officio incumbit ferre ſuffragia, non poſſunt ſine cauſa abeſſe à commitijs, in quibus facienda eſt promotio, & ſi abſint, & ex abſentia iniuſta proueniat promotio alioqui non prouentura, grauitèr peccant contrà iuſtitiam, & tenentur ad reparationem damnorum indè prouenientium, prout docent DD. omnes ſupra allegati, nec certè incongrua ratione, quandòquidem, ex qua fuerunt electi ad illud munus ſuffragandi, & tenentur ex officio, iniuſtè ſe ſubtrahunt ab illo munere, ad quod tenentur; nec excuſari poſſunt ex eo, quod alij plures conuenerint, qui faciant legitimum numerum, quandòquidem, quod iura contenta ſint tali numero, efficit quidem, quod electio illa teneat, ſi aliunde non inficiatur, non efficit tamen, quod prò ſuo arbitratu poſſit quiſque abeſſe, cum ſine ipſos res communes non intelligantur perfectè conſultatæ, ſicque textus *in l. quod maior. ff. ad municip.* aſſerit quidem ſufficere, quod maior pars conuenerit, ſed non aſſerit, quod non omnes conuenire debeant, immo iuſtam cauſam requirit, ergo multo minus interuenientes poſſunt inutilitèr ferre ſuffragium, ratione cuius excludatur ille, cui ex iuſtitia debetur officium conferendum, ſiquidem in ordine ad electionem illud ſuffragium inutilitèr collatum perinde eſt, ac, ſi non fuerit collatum, quin potius eſt noxium iuſtæ electioni.

Fuit cauſa, vt dignus excluderetur.

Nō poteſt renuntiare iuri ſuffragij, quādo hoc eſt in bonū publicum.

Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod vnicuique liberum ſit renuntiare iuri ſuo in ordine ad ferendum ſuffragium *Armilla verb. electio num. 10., Gutierez q. canon. lib. 2 c. 11. num. 28., & alij magis communitèr*; non peccat autem contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem tenetur, qui vtitur iure ſuo; Non, inquam, obeſſe poteſt, primo, quia renunciare quidem poteſt iuri, quod eſt præcisè in ſui gratiā, & vtilitatem, non autem iuri, quod reſpicit bonum commune, cuiuſmodi eſt illud, de quo nos loquimur. Secundo, dato etiam, ſed non conceſſo, quod eſſet vnicuique liberum renuntiare iuri ſuffragij, ad quod concurrere habet ex officio, non propterea ſequitur, quod ex ſuppoſitione, quod velit concurrere, liberum eidem ſit illud inutilitèr conferre, cum in tali ſuppoſitione teneatur illud conferre iuxta leges iuſtitiæ.

3

Si ſit in fauorem proprium poteſt abſtinere à ſuffragio, nō tamen ferre indigno.

Reſpondeo ſecundo, in ſuppoſitione, quod ius ſuffragij alicui collatum ſit in ipſius præcisè gratiam, & fauorem, poteſt hic quidem iuri ſuo renuntiare ſe ſubtrahendo à collatione ſuffragij, non tamen poteſt iuſtè, ſi velit concurrere illud inutilitèr ferrè in præiuditium eius, cui ex iuſtitia debetur collatio. Conſonat cum ijs, quæ mox dicta ſunt. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quando ius ſuffragij alicui collatum eſt in ipſius præcisè gratiam, & fauorem, poteſt eidem liberè renuntiare per textum *in c. ex conſcientia de tort. legijs*, & notant DD. quos affert *Barboſa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 20. c. 9. nu. 4.*, à quibus quoad hoc non diſcrepant *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 29., Nouarius in q. for. part. 1. q. 6. nu. 2., & ſeq.*, dum aſſerunt, quod poſſit quidem renuntiare tali iuri, quando eſt præcisè introductum in fauorem, & gratiam illius, qui illo gaudet, ſecus verò, quando etiam eſt introductum in ordinē, & fauorem aliorum, per textum *in l. ſi quis in contribuendo C. de pactis*, quandoquidem ſupponitur, quod hic fauor fuerit introductus ſolummodo in gratiam illius, cui collatus eſt. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ex ſuppoſitione, quod velit gaudere iure ſuffragij debet illud ferre ſecundum regulas iuſtitiæ, ſecundum

Digitized by Google

dum quas tenetur illi ferre, cui ex iuſtitia debetur, potiſſimum cum alitèr ferendo poſſit cedere nedum in præiudicium eius, cui debetur, ſed etiam communitatis.

§. XLIV.

An recipiens domi ſuæ ad ludendum, & comedendum eos, qui aliena expendunt, peccent contra iuſtitiam, & teneantur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſeries facti. 1.
Opinio Molinæ aſſerentis peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, ſi illud recepit in ſtipendium locationis. 2.
Opinio eiuſdem aſſerentis peccare cooperando poſitiuè ludis, etiam ſi nihil recipiat. 3.
Opinio Cardinalis de Lugo in pluribus aduerſans prædictis. 4.
Sic exponendo domum; peccat non tamen contra iuſtitiam, nec tenetur reſtituere, quod recepit, & ſi receperit alienum, poteſt non tradere Domino, ſed ei, à quo recepit, ſi ſit ſpes recipiendi æquiualens. 5.
Exponens, & nihil recipiens tenetur ſaltem in ſubſidium ad reſtitutionem. 6.

1 **Exponitur ſeries diſquiſitionis.**

DIſquiſitio XLIV. Titius domum ſuam aperuit ludis, & comeſtionibus, in eaque ſine vlla perſonarum reſtrictione admittebat filiosfamilias, alioſq; de quibus poterat eſſe rationabilis ſuſpitio, quod ludis, & comeſtionibus exponerent res alienas. Quæſitum hic fuit, an ipſe Titius per talem domus aperitionem ad ea munera ſternendo etiam menſas, aliaque requiſita adaptando peccauerit contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem.

Duplex ſenſus difficultatis.

Hæc diſquiſitio in duplici ſenſu poteſt examinari, primo, quatenus Titius, qui ad huiuſmodi munera domum illam aperuit, & requiſita ſtrauit aliquid ab eiſdem filijsfamilias, vel ab alijs, de quibus erat illa rationabilis ſuſpitio, quod res alienas exponerent, acceperit tanquam pretium locationis, vel in ſtipendium; ſecundo, quatenus nihil acceperit, ſed præcisè domum illam expoſuerit, illoſq; in eadem receperit ad ludendum, & comedendum.

2 **Opinio aſſerens teneri reſtituere, ſi receperit, vt pretiū locationis.**

Iuxta primum ſenſum *Molina de iuſt., & iur. diſp. 733. n. 3.*, arbitratur peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem eius, quod recepit, ſaltem regularitèr loquendo, & quidem ratione rei acceptæ, ſi adhuc extet, cum res illa ſemper clamet pro domino, & ipſe cum rationabili ſcientia illam acquiſierit rationabilitèr arbitrans rem illam eſſe alienam, vel ratione iniuſtæ acceptionis, ſi adhuc non extet, cum mala fide acquiſierit ſciens, vel rationabilitèr ſuſpicans eſſe alienam. Dixi *ſaltem regularitèr loquendo*, quia idem Molina excipit in caſu, quo præſumeretur de voluntate Domini, cui licet diſpliceat illa alienatio, non curat tamen de reſtitutione, poſtquam res alienatæ cōſumptæ ſunt. Exciperem ego in alio caſu, in eo ſcilicet, quo filiusfamilias exponeret ludo congrua proprio ſtatui, & cōditioni, & in ordine ad commoditatem congrui ludi aliquid modicum concederet locatori; ſicuti enim Pater ad illos congruos ludos conuenientes conditioni filij nō poteſt eſſe rationabilitèr grauitèr inuitus, ita, nec videtur poſſe eſſe rationabilitèr inuitus, quod aliquod modicum inſumat ad commoditatem illius congrui ludi acquirendam.

3 **Si vero nihil receperit, ſed poſitiuè cooperatus fuerit ludis rerū alienarū, etiā peccare, eſt ſententia eiuſdem.**

Iuxta ſecundum ſenſum idem *Molina loco cit.* diſtinguit, vel etenim Titius cooperatur illis ludis, ſeu comeſtionibus poſitiuè cartas, aut aleas ad ludendum tribuens, menſam ſternens, aliaque neceſſaria tàm ad ludum, quàm ad comeſtiones adaptans, & tunc abſolutè ſentit, quod tanquam cooperator peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem ſaltem in ſubſidium; vel non cooperatur poſitiuè, ſed ad ſummum permiſſiuè ſciens illos ad hoc eſſe ingreſſos, eoſque non eijciens, & ſic arbitratur non peccare contra iuſtitiam, ſed ad ſummum contra charitatem, ac proindè ad nullam reſtitutionem teneri.

4 **Opinio Cardinalis de Lugo in pluribus aduerſans prædictis.**

Ex aduerſo iuxta primum ſenſum *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt., & iure diſp. 19. ſect. 2. §. 4. de adulatore, & receptatore n. 76.* limitatiuè procedit aſſerens, quod opinio Molinæ locum habeat dumtaxat in ijs caſibus, in quibus nulla poſſit ſubeſſe ſpes, quod reſtituendo illud, quod recepit ei, à quo accepit, poſſit aliud acquirere, quod non ſit alienum; cæterum, ſi ſubſit ſpes, quod reſtituendo ei, à quo recepit, poſſit quid aliud proprium ipſius acquirere, aſſerit, quod non teneatur Domino reſtituere, ſed poſſit licitè reſtituere ei, à quo recepit, ad ſe conſtituendum indemnem.

Iuxta ſecundum vero ſenſum idem Cardinalis de Lugo loco citato, ex mente *Sanchez lib. 1. in decalogum c. 7. nu. 20.*, videtur ſentire per illam cooperationem commodando domum, aptando menſam, & ſimilia non ſemper peccare contra iuſtitiam, ſed ſæpè excuſari, cum illa omnia ſint valdè remota, & indiferentia, ſecundum ſe ad illud damnum, quod Domino

Digitized by Google

mino conſequitur. Quid iam in hac, ſeu his controuerſijs concludendum?

5 **Peccat nõ tamen cõtra iuſtitiam, & ſi receperit alienũ poteſt reſtituere ei, à quo recepit, vt habeat æquiualens**

Reſpondeo primo, Titium ſic aperientem, & exponentem domum ludis peccare quidem grauitèr, maximè ſi adaptet omnia ad ludos huiuſmodi requiſita, non tamen peccare cõtra iuſtitiam, ſi aliquid recipiat pro huiuſmodi expoſitione, & adaptatione, ſi huiuſmodi ſint talia, vt independentèr à quocunque iure poſitiuo prohibente mererentur aliquid pretio æſtimabile; ſi verò illud, quod recepit pro huiuſmodi expoſitione, & adaptatione fuerit alienum reſpectu eius, qui contulit, probabilius poteſt illud non reſtituere domino, ſed ei, a quo accepit, ſi fuerit ſpes, quod æquiualens proprium poſſit ab eodem accipere. Prima pars eſt *Dianæ part. 2. tract. 15. reſol. 65. §. his ita, & part. 7. tract. 9. reſol. 39., Molina tom. 2. de iuſt., & iur. diſp. 521. verſ. quod attinet ad habentes*. Secunda pars eſt rationi congrua. Tertia pars eſt *Cardinalis de Lugo d. tom. 1. de iuſt., & iur. diſp. 19. ſect. 2. de adulatore, & receptatore §. 4. nu. 76.*

Eſſet ſcãdalũ cooperationis

Probatur prima pars, quia domum ſic exponere, & omnia ad ludum requiſita præbere eſt moralitèr præbere occaſionem ad peccandum, & moralitèr loquendo eſt ſcandalum cooperationis, ergo ſic exponens grauitèr peccat. Antecedens non videtur pati difficultatem, nam ex tali ludo, & tali tempore, & loco diſſidia, vt plurimum conſurgunt, blaſphemiæ, dilapidantur bona, inducuntur minores non habentes proprium, quod exponant, & alia plurima mala proueniunt, quæ enumerant *D. Antoninus p. 2. tit. 1. c. 23. §. 6., & Hoſtienſis in ſumma tit. de except. priu., & D. Bernardus tom. 4. ſermone 33.*, vnde meritò hanc noſtram opinionem ſuſtinent innumeri DD. quos allegat *Diana part. 2. tract. 15. reſol. 65. verſ. Hos ita conſtitutis*, nec immeritò in Regno Luſitaniæ, vt refert *Molina tom. 2. de iuſt. & iur. diſp. 521.* imponuntur grauiſſimæ pœnæ contra huiuſmodi ſic exponentes domus, & alia neceſſaria ad ludum, puta fuſtigationis, & triremium ad quinquenium, quæ pœnæ indicant grauem culpam.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod vendere ornamenta meretrici, aut eidem domum locare non ſit illicitum, ergo neque domum aperire ludis, aliaque requiſita miniſtrare. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quidquid ſit de illo aſſumpto antecedentis, manifeſtè apparet diſparitas, nam qui locat domum meretrici, vel eidem vendit ornamenta non ità directè illam adiuuat ad peccandum, quandòquidem locatio domus, & venditio ornamentorum non ſunt ità proximè ordinata ad prauum, & turpem vſum, cum poſſint in bonum, ſeu indiferentem vſum, & commodum deflecti, non ſic autem in illis circunſtantijs ſe habet illa apertio domus ſimul cum adminiſtratione menſæ, & aliorum, quæ per ſe directè confluunt ad ludum; vndè merito *Lorca in 2. 2., D. Thomæ q. 10. art. 9.* dicit miniſtrare indifferentia cum cognitione praui vſus non eſſe peccaminoſum, quando non miniſtrantur in exercitio eiuſdem praui vſus, ſecus quando in eodem exercitio miniſtrantur.

Illa expoſitio eſt pretio æſtimabilis.

Probatur ſecunda pars, quia quantumuis illa expoſitio ſecundum ſe præferat grauem enormitatem, denegari tamen non poteſt, quin ſit ſecundum ſe pretio æſtimabilis, & pretium mereatur, quandòquidem domus ipſa ſic expoſita, ſi ad alium finem eſſet expoſita, mereretur pretium locationis, & luminis traditio aliorumque requiſitorum eſt digna pretio, & ſicuti quantumuis actus fornicationis ſit ſecundum ſe malus, & iure naturæ prohibitus, non tamen tollit, quin mulier ſe exponens fornicationi poſſit licitè exigere lucrum ſui corporis locati ad illum actum prauum, cum turpiter quidem faciat vxor, quod ſit meretrix, non autem turpiter accipiat, quod ſit meretrix, ità quantumuis illa expoſitio domus, & aliorum requiſitorum ad ludum ſit ſecundum ſe mala, non tamen tollit, quin ex eadem exponens poſſit ſtipendium exigere, cum ſecundum ſe ſit pretio æſtimabilis.

Exponens reſolueret cõtractũ,

Probatur tandem tertia pars, quia ſecundum ſe illa expoſitio domus, aliorumque ad ludum requiſitorum pro illa mercede recepta eſt contractus ex vtraque parte oneroſus, ergo conſtante de alienitate mercedis receptæ poterit exponens contractum reſoluere per traditionem eiuſdem mercedis ei, à quo accepit ad effectum, vt tantundem æquiualens proprium ab eodem recipiat, ſi ſit ſpes, quod idem æquiualens poſſet recipere; non etenim, vt Domino gratum faciat, tenetur ſe ipſum priuare iure, quod habet ad æquiualens.

6 **Exponens & nihil recipiẽs tenetur ſaltẽ in ſubſidium ad reſtitutionem,**

Reſpondeo ſecundò. Titium exponentem modo ſupradicto domum, aliaque requiſita non ſolum grauitèr peccare, ſed etiam ſaltem in ſubſidium teneri ad reſtitutionem eorum, quæ ludens expoſuit, & erant aliena, quantumuis ipſe ex illa expoſitione nihil acceperit *Ioannes della Crux in direct. conſcient. part. 1. pracept. 7. art. 5. dub. 13. concl. 4. in fine, Naldus in ſumma verb. ludus n. 6., Ortiz in ſumma c. 18. num. 7., Pitigianus in 4. ſent. tom. 2. diſt. 15. q. 2. art. 5. verſ. dico decimo, Lopez in inſtruct.*

part. 2.

Digitized by Google

part. 2. c. 32. §. iam ſcitu, Iacobus de Graſſis part. 1. lib. 2. c. 122. n. 19., Diana part. 2. tract. 15. reſol. 65. verſ. ex quibus omnibus. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi denegari non poteſt, quin ſic exponens cooperatus fuerit illi iniquæ amiſſioni rei alienæ; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi ipſe domum, aliaque requiſita non expoſuiſſet alibi ludens res illas ludo expoſuiſſet; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia de facto per illam expoſitionem ipſe cooperatus eſt, nec ipſum excuſat, quod, ſi ipſe non feciſſet, alius feciſſet, cum de facto ipſe fecerit.

§. XLV.

An, ſi paratus ad furtum det alteri aliquid, ne ipſum à furto impediat, teneatur hic alter illud reſtituere.

SVMMARIVM.

Propoſitio difficultatis in ſuis terminis. 1.
Conſiderabilia circa factum. 2.
Si illud, quod non impediens recepit à fure, fuerit ex bonis furti tenetur reſtituere Domino, à quo ablatum eſt. 3.
Si illud, quod recepit, fuerit ex bonis furis, non tenetur reſtituere. 4.
Probabilius etiam non tenetur illud reſtituere furi, à quo recepit. 5.

1 **Proponitur ſeries difficultatis.** DIſquiſitio XLV. Paratus erat Caius ad inferendum graue furtum in rebus Antonij, ſed timens, ne ab illo furto impediretur per Franciſcum, eidem Franciſco contulit, vel pecuniam, vel quid aliud pretio æſtimabile. Hoc poſito, quodamodo in ſecuritatem actionis furtiuæ meditatæ de facto ipſe Caius executus eſt furtum. Quæſitum hic fuit, an Franciſcus, qui ad hunc effectum non impediendi recepit illam pecuniam, ſeu illud pretio æſtimabile, teneatur illud, ſeu illam reſtituere?

2 **Nonnulla conſiderabilia circa factum.** Hic plura veniunt conſideranda; primũ, an illud, quod Franciſcus recepit pro onere non impediendi, fuerit ex bonis furto ſublatis, quod fuerit promiſſum, & poſteà executo furto eidem traditum, an verò fuerit ex bonis proprijs eiuſdem Caij antecedentèr eidem Franciſco collatum. Secundũ ex ſuppoſitione, quod fuerit ex bonis proprijs eiuſdem Caij, & verè ſit reſtituendum, an ſit reſtituendum ipſi Caio, qui illud contulit, an vero Antonio, in cuius bonis furtum illud commiſſum fuit?

Reſpondeo primò, ſi illud, quod contulit Caius Franciſco, ne impediretur ab illo furto, fuerit ex bonis eiuſdem furti, tenetur Franciſcus illud reſtituere ei, à quo ablatum eſt. Conſentiunt cum *Cardinali de Lugo tom. 1. de iuſtitia, & iure diſp. 19. ſect. 3. de concurrentibus negatiuè ad damnum* omnes ferè DD. Ratio ex eo deducitur, quia vel illud, quod Franciſcus accepit pro onere non impediendi Caium à furto, adhuc extat, vel conſumptum eſt; ſi adhuc extat, ſemper clamat pro Domino, & iure quodam innato in ipſum fertur, ergo illi iure proprietatis clamante eſt reſtituendum; ſi adhuc non extet, peto, vel conſumptum fuit cum ſcientia alienitatis rei, & tunc fuit iniqua conſumptio, quæ propterea obligat ad reſtitutionem, vel conſumptum fuit cum ignorantia alienitatis rei, & tunc adhuc diſtinguendum eſt, vel etenim ex illa conſumptione factus fuit ditior, & ſic tenetur reſtituere in eo, in quo factus fuit ditior, vel non factus fuit talis, & tunc videtur prima fronte, quod adhuc teneatur reſtituere, cum illud acceperit ex cauſa iniuſta, nempè ob non impediendum furtum, ad quod tenebatur; nihilominus in hac hypotheſi arbitror probabilius, non teneri reſtituere, cum acceperit bona fide, & ex cauſa, qua poterat iuſtè accipere, quod colligo ex duplici ratione; primò, quia ſicuti aliquis poteſt aliquid accipere, ne delinquentem accuſet, ita poterit aliquis aliquod accipere, ne alterum deliquentem per furtum impediat ab actione furtiua; Secundò, quia licet peccet contrà charitatem non impediendo, cum non teneatur ex iuſtitia, vel ex officio impedire, ex quo tamen ſe priuauit iure impediendi, quo gaudebat, quoque forte aliquid acquiſiuiſſet ab eo, in quem furtum intentabatur, ſi impediuiſſet, ſequitur, quod iuſtè illud acquiſierit, & potuerit iuſto titulo retinere, & per conſequens, cum conſumpſerit perſeuerante bona fide, non teneatur ad aliquam reſtitutionem.

3 **Si id, quod recepit, fuerit ex bonis furti, tenetur reſtituere Domino**

Rationes ſuadentes reſponſũ.

Reſpondeo ſecundo, ſi illud, quod cõtulit Caius Franciſco, ne furtum intentatum impediret, fuerit ex bonis proprijs eiuſdem Caij, probabilius eſt Franciſcum non teneri illud reſtituere *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 3., Nauarrus in manuali c. 17. n. 21.*, hocque verum exiſtimat *Cardinalis de Lugo lib. 1. de iuſt., & iur. diſp. 19. ſect. 3. num. 102.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. nu. 132., Leſſius lib. 2. de iuſt., et iur. c. 13. dub. 10. n. 68., Diana tom. 2. tract. 6. Miſcell. reſol. 58. in fine*, volentes teneri reſtituere pro damno dato, eo quia non ſolum non impediuit

4 **Si illud, quod recepit fuerit ex bonis furis, non tenetur reſtituere.**

nit, ſed etiam poſitiuè concurrit animando furem actu quodam externo poſitiuo, nempe acceptione pretij, ratione cuius videtur eidem Caio quodamodo ſpondere ſecuritatem. Nihilominus probatur reſponſio, quia Franciſcus recipiendo illud pretium, ne actionem furtiuam impediret, quamuis quodamodo male egerit ſic recipiendo, nullam tamen iniuriam contulit ei, in quem furtum commiſsum eſt, quandoquidem nec tenebatur ex iuſtitia impedire, nec poſitiuè concurrit ad ipsũ furtum; nec obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur, nempè, quod ex illa receptione pretij fur factus fuerit animoſior ad furandum; Non, inquam, obſtant, quia, vt benè notat *Cardinalis de Lugo loco cit.*, nõ omnis animatio furis ad furtum eſt iniuſta ex parte eius, qui non tenetur ex iuſtitia impedire, ſed illa dumtaxat, quæ influit poſitiuè, nec conſiſtit in ſola ablatione terroris, cæteroqui etiam ille, qui motus precibus furis, ne impediret, annueret quodamodo eiſdem precibus, teneretur reſtituere, quod non videtur dicendum, etiam ſi ex eo, quod annuerit, fur factus fuerit animoſior; & ſicuti abſque nota iniuſtitiæ poteſt quis dicere: Ego non te impediam, ego nolo me ingerere in rebus alienis, ita etiam hoc videtur poſſe præſtare abſque labe iniuſtitiæ accepto pretio.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Difficultas maior videtur eſſe in ordine ad ipſum furem, an ſcilicet Franciſcus teneatur illud, quod ab ipſo accepit eidem reſtituere. Molina *tom. 3. de iuſt. diſp. 735. n. 3.*, diſtinguit, vel etenim Caius, qui illud pretium contulit Franciſco, ne impediret, dedit tanquam donum, abſque pacto, ad ſcilicet præciſè alliciendum animum Franciſci, ne impediret; & ſic arbitratur non teneri Franciſcum illud reſtituere, eo, quia abſolutè pertranſijt in dominium accipientis, vel illud contulit tamquam pretium, & mercedem illius non impedimenti, & taciturnitatis, & tunc ſentit, teneri furi reſtituere, ſi ex illa taciturnitate non impediens non ſe exponit alicui periculo, hocque duplici ratione probat primo, quia pactum illud, vi cuius Franciſcus recepit pretium, eſt nullum, nec obligat eundem Franciſcum, eo quia illud adimplere non poteſt abſq; peccato ſaltem contra charitatem, quod propterea tenetur ſoluere, & ſicuti fæmina recipiens pretium, vt copiam ſui corporis tradenti faciat, tenetur pactum non adimplere, ſed pretium reſtituere deſiſtẽdo ab opere promiſſo, eo quia illud implere non poteſt abſque peccato, ita &c. ſecundo, quia quando nullum periculum imminet tacenti, vel in perſona propria, vel in rebus familiaribus ipſius ipſe tacens recipit illud pretium ſine cauſa, & ſine iuſto titulo cohoneſtante illam acceptionem, ergo illud tenetur reſtituere.

His tamen minimè obſtantibus probabilius ſentio, non teneri illud furi ſemper reſtituere, quia quantumuis promiſſio de re iniqua, & peccaminoſa non obliget ante executionem; poſt executum tamen opus promiſſum non officit, quin promittens poſſit retinere pretium pro illo opere ſolutum, ſi opus ipſum ſit dignum, & meritorium illius pretij, & in hoc valet paritas de muliere, quæ recepit pretium pro promiſſione vſus ſui corporis, quæ, quamuis teneatur ab opere promiſſo deſiſtere, & promiſſionem ſoluere reſtituto illo pretio, ſi tamen actu promiſſionem fuerit executa poteſt iuſtè, & legitimè retinere illud pretium. Quod autem illud onus non impediendi actionem furtiuam, ſi fuerit executioni mandatum, ſit meritorium pretij illius, ex eo facilè deducitur primo quia ſe priuat iure, quod habet impediendi, & onere quodamodo ex lege caritatis, & ſicuti conſcius alterius delicti, quod tamen ex lege iuſtitiæ non tenetur propallare, poteſt pretium recipere, ne illud propallet, cum priuet ſe iure accuſandi, quo gaudet, ita conſcius alterius intentionis iniquæ ad furandum, quam non tenetur ex iuſtitia impedire, poterit pretium recipere, ne illud impediat, cum priuet ſe iure, quo gaudet impediendi, maximè propellente officio charitatis. Secundo, quia, vt benè notat *Cardinalis de Lugo loco cit. n. 104. vers. tertio diſtinctio illa*, per illud onus non impediendi aſſumptum ex receptione pretij illius magnum aliquid promittit, & damnum magnum ſubit pro pretio, ſi quidem ſe obligat ad tacendum contra propriam conſcientiam, & obligationem ſaltem ex lege charitatis, quod damnis omnibus præponderat, & omne acceptum pretiũ valore ſuperat. Tertio, quia ſe priuat effectu, & propenſione, qua quiſque fertur ad impediendum damnum amici, vel Reipublicæ, quæ certè priuatio ſuo eſt pretio digna.

5 Probabilius etiam illud, quod recepit, non tenetur reſtituere furi.

Onus non impediendi actionem furtiuam eſt pretio æſtimabile.

Dices, quod, quamuis poſt non impeditum furtum ex illa receptione pretij poſſet illud pretium iuſtè retinere, quia tamen lex charitatis obligat non ſolum ad impediendum damnum proximi, quãdo ſine proprio detrimento poteſt, ſed etiam ad propallandum idem furtum Domino poſt executionem illius ad effectum, vt res furtiuas poſſit vendicare, non poſſit retinere, quia adhuc promiſſio non eſt completa quoad omnia, cum ſemper vrgeat onus ex lege chari-

Digitized by Google

charitatis reuelationis, & ſic viget adhuc argumentum ſupra poſitum, quod quouſq; promiſſio non fuerit completa, & ſit de opere malo non obliget, ſed teneatur promittens illam diſſoluere. Sed contra, primo, quia potuit dari pretium ſolummodo, ne potens impedire hic, & nunc impediret direptionem rei alienæ; potuit enim fur contentus eſſe tali non impedimento in ipſa actione furtiua, cum poſtea ſe in tuto poſſit conſtituere, & ſic adimpletum eſſet perfectè promiſſum, ratione cuius propterea poteſt promittens pretium receptum retinere. Secundo, quia effectuato furto poteſt promittens excuſari à reuelatione, cum magnum ſibi damnum poſſet ex illa reuelatione imminere, propter quod excuſatur. Tertio, quia licet lex caritatis obligans ad impediendum exigat tractum ſucceſſiuum, & vrgeat, tam antefactum ad impediẽdum, quam poſt factum ad manifeſtandum, ex quo tamen promiſſum in ſubſtantia executum eſt, receptum legitimè, & iuſtè videtur acquiſitum, nec attendenda videntur ſubſequentia ad factum.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

---

§. XLVI.

An conſulens, ne quis obſtet furto, teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Refertur, in quo ſenſu procedat titulus. 1.
Opinio Medinæ obligantis ſic conſulentem ad reparationem. 2.
Opinio deobligans à tali reparatione. 3.
Præfertur hæc ſecunda opinio. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

1 Exponitur factũ in ſuis terminis.

DIſquiſitio XLVI. Paratus erat Titius ad inferendum furtum in rebus familiaribus Caij, ſed timebat, ne Theodoricus obſtaret, & impediret actionem illam furtiuam. Andreas conſuluit eundem Theodoricum, ne obſtaret, ſicque furtum fuit executum. Quæſitum hic fuit, an Andreas conſulens teneretur ad reparationem illius furti.

2 Opinio Medinæ aſſerentis ſic conſulentem teneri ad reparationẽ

Medina *C. de reb. reſtituendis q. 9. Corduba in ſumma q. 66.*, exiſtimant ſic conſulentem teneri ad reparationem damni illati, & ad hoc meo videri duplici ratione mouentur; primo, quia ſic conſulens per actionem poſitiuam concurrit ad illud damnum, nec obſtat, quod illud conſiliũ verſetur circa actionem negatiuam, circa ſcilicet non impedimentum, cuius oppoſitum non tenetur ipſe non obſtans ex iuſtitia, ſed ad ſummum ex charitate; non obſtat, inquam, quia quantumuis non obſtans non teneatur ex iuſtitia impedire, ille tamen, in quem intentatur illa actio furtiua, ius habet, ne alter per conſilium prauum moueatur ad ſe lædendum. Secundo, quia ſic conſulens alterum, ne obſtet furto parato, ſeu intentato comparatur ei, qui aufert poſitiuè auxilium, quo alter eſſet liberandus, ſed qui aufert auxilium poſitiuè ab eo, qui eſſet illo liberandus, tenetur ad reparationem damnorum, quæ ex illa ablatione auxilij prouenerunt, ergo &c.

Ex aduerſo *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. nu. 136., & ſeqq.*, qui etiam citat pro ſe *Nauarrum* exiſtimat ſic conſulentem non teneri ad aliquam compenſationem damnorum. Rationem ex eo deducit, quia incongrũ omnino videtur, quod principalis cauſa eximatur à labe iniuſtitiæ, & ab onere reſtitutionis, & nõ eximatur cauſa reſpectu eiuſdem acceſſoria, & minus principalis, ſed ſic eſt, quod cõſulens, reſpectu executoris etiam negatiuè ſe habentis eſt cauſa minus principalis, & acceſſoria, ergo, ſi ipſe nõ obſtans, ſeu executor negatiuè non afficitur labe iniuſtitiæ, nec tenetur ad reſtitutionem, cum non teneatur obſtare ex iuſtitia, ſed ad ſummum ex charitate, nec ipſe conſulens afficietur &c. nec tenebitur &c. Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod quandoque remota cauſa teneatur, non autem proxima, vt videre eſt in eo, qui conſulit contractum iniuſtum laboranti ignorantia probabili; tunc etenim ſic exequens non peccat formalitèr contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem, niſi ratione rei extantis, conſulens autem, & peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem ratione iniuſtæ acceptionis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ratio probationis Petri à Nauarra procedit ſolum, quando tam conſulens, quàm executor eſt cauſa propria damni illati; tunc etenim, ſi magis principalis eximitur ab onere reſtitutionis, eximitur etiam acceſſoria, & minus principalis, quod non militat in exemplo allato de ignorante ignorantia probabili reſpectu conſulentis, cum talis ignorans non ſit iniuſtus cooperator, licet cognito errore teneatur ad reſtitutionem, ſi res illa adhuc extiterit. Quid iam in hac difficultate concludendum?

3 Opinio deobligãs à tali reparatione.

Reſpondeo, probabilius eſſe, nec ſic conſulentem in ea hypotheſi teneri ad reſtitutionem. Ita DD. præallegati pro ſecunda opinione. Ratio ex eo deducitur, quia conſilium de obiecto, quod non eſt contrà iuſtitiam, non obligat lege iu-

4 Præfertur hæc ſecũda opinio.

ſtitiæ conſulentem ad onus reſtitutionis, ſed obiectum conſilij, quo quis alteri conſulit, ne obſtet actioni furtiuæ, non eſt contrà iuſtitiam, cum ipſe non obſtans non teneatur ex officio, vel ex contractu obſtare, ergo nec conſilium, quod verſatur circa ipſum. Maior probatur, quia conſilium ſpecificationem ſumit ab obiecto, circa quod verſatur, ergo, ſi obiectum non eſt contrà iuſtitiam, nec ipſum conſilium erit tale. Confirmatur, quia, ſi quis conſuleret alteri, ne eleemoſinam faceret grauitèr indigenti non peccaret contrà iuſtitiam, ſed dumtaxat contrà charitatem, nec teneretur ad aliquam reſtitutionem, ergo etiam, ſi quis conſuleret, ne alter obſtaret alterius damno, cui ex iuſtitia obſtare non tenetur, nec peccaret contra iuſtitiam, nec ad aliquam reſtitutionem teneretur. Confirmatur ſecundò, quia ille, aduerſus quem intentatur actio furtiua, non habet ius de rigore iuſtitiæ aduerſus alios, vt teneantur obſtare ipſius damno, niſi aliundè onus illud habeant, puta vel ex officio, vel ex contractu, ergo, nec aduerſus eos, qui quoquo modo moralitèr efficiunt, ne alij obſtent illi damno, quandòquidem non impediunt opus, quod ſit debitum ex iuſtitia; Neque dicas, quod quamuis ille, in quem damnum intentatur, non habeat ius iuſtitiæ, vt alter teneatur obſtare proprio damno, habeat tamen ius, ne alter per actionem aliquam poſitiuam impediat ipſum, ne obſtet; contrà enim impugnaberis, quia, cum per illud conſilium non vim aliquam inferat, nec fraudem, nec coactionem inducat, & actio, ſeu non obſtaculum, quod conſulit, non ſit contrà iuſtitiam, non videtur etiam ipſum conſilium eſſe contrà iuſtitiam, cum non ſit circa opus debitum ex eadem iuſtitia, & quidem, ſi conſideretur in ordine ad eum, qui recipit tale conſilium, non eſt dubium, quod non ſit contrà iuſtitiam, cum non inducat in voluntarium; ſi verò conſideretur in ordine ad eum, in quem intentatur actio furtiua, ſicuti hic non habet ius, vt alter obſtet, ità nec videtur habere ius ex iuſtitia, ne alius conſulat deſiſtentiam ab oſtaculo exhibitis motiuis ad deſiſtendum per conſilium; non enim conſulit aliquid, quod ſit contrà ius iuſtitiæ alterius, ſeu illius, contrà quem intentatur furtum; verum tamen eſt, quod peccet contrà charitatem, quia præmouet alterum ad deſiſtendum ab opere, ad quod ex charitate tenetur.

Illud cōſiliū nō eſt de obiecto contrà iuſtitiā.

Læſus nō habet ius aduerſus alios, vt teneantur obſtare.

5 Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam, quod licet ſic conſulens per actionem poſitiuam, nempè per conſilium concurrat ad efficiendam, ne alter obſtet, quia tamen illa actio poſitiua terminat ad negationem, ſeu ceſſationem ab actu non debito ex iuſtitia non eſt actio iniuſta, ſeu contrà iuſtitiam, & propterea non obligat ad reſtitutionem.

Soluūtur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Inſtabis diſparem eſſe rationem de non obſtante, cum hic merè negatiuè ſe habeat, ac de conſulente ad non obſtandùm, cum hic poſitiuè concurrat ponendo actionem poſitiuam ad retrahendum. Sed contra, quia actio poſitiua intantum eſt damnificatiua, & obnoxia reſtitutioni, in quantum poſitiuè influit in actionem damnificantem contrà iuſtitiam, ſed non obſtaculum non eſt actio damnificatiua contra iuſtitiam, adeòque &c.

Ad ſecundam dicendū eſt, diſparem eſſe rationem de auferente arma apta ad ſe defendendum contrà furem, ac de conſulente alteri, ne ferat auxilium, ſeu non obſtet aduerſus furem; nam auferens arma tollit damnificato media, quibus poſſit ſe tueri, reſq; ſuas familiares aduerſus furem, quod eſt contra ius, & poſitiuè cooperari damno alterius, ſeu eiuſdem damnificati, conſulens verò non aufert media, ad quæ ipſe damnificatus ius habeat ex iuſtitia, adeòque. Deindè, vt bene notat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 138.* auferens arma, quibus damnificatus poſſit ſeipſum, reſque ſuas familiares tueri, vim quodamodo ipſi facit, non ſic, qui conſulit alteri, ne obſiſtat, cum ad hoc nullum ius habeat ex iuſtitia.

---

§. XLVII.

An non denuntians eum, quem ſcit rem alienam accepiſſe non inuito Domino quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum peccet contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Probabilius non denuntians in ea hypotheſi non peccat contrà iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem. 2.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 3.
Limita in hypotheſi, qua Pater aperte excluſiſſet filium à tali acceptione. 4.

1 Diſquiſitio XLVII. Conſtitutus fuerat cuſtos rerum familiarium Antonij Caius conſtituta eidem Caio certa mercede pro tali munere. Ipſe Caius

Exponitur factū in terminis particularibus.

Caius nouit Titium filium Antonij clam accepiſſe res nonnullas Patris ſui, quas, ſi poſtulaſſet ab eodem Antonio Patre ſuo, certò ſcit ipſum eidem fuiſſe conceſſurum, ſed ſolummodò ægrè laturum, quod occultè acceperit, & facultatem pro illis non petierit. Quæſitum hic fuit, an idem Caius ex vi proprij muneris teneatur factum illud denuntiare, & ſi non denuntiet, peccet contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem?

Exponitur aliquorum opinio. Nonnulli apud *Petrum à Nauarra de reſtitutione lib. 3. c. 4. n. 140. verſ. dices, quod aliud eſt*, hac in re cum diſtinctione procedunt dicentes, quod teneatur Caius denuntiare, & ſi non denuntiet, peccet contra iuſtitiam, & obligetur ad reſtitutionem, ſi ſit præſumptio, quod ſi clam accipiens facultatem peteret, Dominus daret, & ſic eſſet contentus de facultate, non autem de facto; ſecus verò, ſi eſſet præſumptio, quod ſi peteret, daretur venia, qua non petita factum non placeret. Nihilominus

2 **Non peccat contrà iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionẽ.** Reſpondeo probabilius eſſe in ea hypotheſi Caium non denuntiantem non peccare læthalitèr contrà iuſtitiam, nec teneri ad reſtitutionem. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. nu. 140., Adrianus in 4. de reſtitutione, & Caietanus in ſumma verb. furtum*, quiquid ex aduerſo ſenſerint *Nauarrus in ſummâ c. 17. nu. 123. & alij*. Ratio ex eo deducitur, quia peccata iniuſtitiæ, prout latè alibi vidimus, deſumuntur penes inuoluntarietatem, quæ eſt in perſona læſa, ſeu damnificata, ſed in præſenti hypotheſi perſona læſa non ſupponitur quoad ſubſtantiam inuita, & inuoluntaria, ſed ad ſummum quoad modum accipiendi clandeſtinum, quod non inducit grauem noxam obligantem ad reſtitutionem, quod certè ingenuè confeſſus eſt idem *Nauarrus d. c. 17. n. 139.* licet contrariam ſententiam acritèr defendat, dum dixit: *Qui occultè aliquid accipit ab eo, cui non diſpliceret acceptio ſibi nota, ſed occulta; ſic is licet peccet venialitèr, non tamen læthalitèr; quia eius acceptio, aut retentio non eſt contrà voluntatem Domini, ſed modus ſolum accipiendi, quod ad peccandum mortalitèr non ſufficit*, ergo per hanc ablationem non committitur peccatum graue contrà iuſtitiam, nec conſurgit obligatio ad reſtitutionem; quod, ſi hæc verificantur quoad perſonam clam accipientem, non video, cur verificari non debeant quoad cuſtodem non denuntiantem, cuius malitia deſumenda eſt etiam penes damnum perſonæ læſæ. Confirmatur, quia iniuria, quam inurit clam accipiens illa bona non eſt circa obiectum, quod cadat ſub iuſtitia, & ſit compenſabile, cum circa bona ipſa Dominus non ſit inuitus, ſed circa voluntatem eiuſdem Domini, contrà quam fecit veniam non accipiens, ergo non eſt contrà iuſtitiam, adeòque, nec eſt contrà iuſtitiam peccatum non denuntiantis, quod metitur ad normam clam ſurripientis.

Nec aliquid negotij faceſcit illa diſtinctio, quæ ſupra aſſerebatur per DD. apud Petrum à Nauarra, quandòquidem, prout omnes fatentur, ſi cognito facto Dominus non eſſet inuitus quoad ſubſtantiam, ſed ad ſummum quoad modum clandeſtinum, & per conſequens clam accipiens non peccaret læthalitèr contrà iuſtitiam, nec teneretur ad reſtitutionem, ita præſumendum eſt, quod, ſi ante factum facultas peteretur, & concederetur à Domino, & factum ipſum eidem Domino placeret, quomodo enim concederet, quod ipſi non placeret? ex quibus eruitur, quod ſit ſolummodo inuitus de illo modo clandeſtino, quatenus res ipſa fuerit accepta ſine ipſius ſcientia, & facultate. 3 **Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.**

Limitat hanc reſponſionem *Petrus à Nauarra d. lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 141.* in hypotheſi, qua Dominus ſuam voluntatem declaraſſet, quod nollet ſe inconſulto, & inſcio, quemquam etiam filium res ſuas accipere, quia tunc non ſolum ſupponeretur inuitus quoad modum clandeſtinum, ſed etiam quoad ſubſtantiam ablationis. 4 **Limitatio ad ſupra dicta.**

---

§ XLVIII.

An cuſtos, qui accepto munere portantem res prohibitas non manifeſtauit, teneatur ad reſtitutionem, & quamnam.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries difficultatis. 1.

Cuſtos, qui accepto munere tacuit, nec denuntiauit, non tenetur reſtituere, quod recepit pro munere. 2.

Tenetur ſoluere vectigal, quod erat pro illis rebus perſoluendum. 3.

Agente gabellario tenetur cuſtos ad pœnam commiſſi. 4.

Si cuſtos ante cognitam fraudem à Domino ſoluerit vectigal ex æquitate ſoluitur à pœna commiſſi. 5.

DIſquiſitio XLVIII. Conſtitutus quis fuerat cuſtos, vt indagaret ſuper portitores rerum prohibitarum, ne importarentur in Ciuitatem, niſi ſoluta 1 **Exponitur ſeries difficultatis.**

certa mercede præſcripta. Portitor quidam, vt inueheret res prohibitas, & mercedem pro illis non ſolueret, conuenit cum eodem cuſtode de certa pecunia ad effectum, vt taceret, & ſineret res illas importari. Quæſitum hic fuit, an ipſe cuſtos ad aliquam reſtitutionem teneretur, & quamnam?

Articuli examinandi.

Procedit hæc difficultas in inquirendo primò, an teneatur reſtituere illud, quod recepit pro illa taciturnitate, & non manifeſtatione. Secundò, an teneatur reſtituere illud, quod portitor ſoluere debebat pro illis rebus inuehendis. Tertiò, an teneatur etiam ſoluere pænam, in quam portitor fuiſſet condemnatus, ſi illum cuſtos denuntiaſſet.

2 Non tenetur reſtituere, quod recepit pro munere ad cauendum, & non denũtiandum.

Reſpondeo primò cuſtos, qui accepto munere tacuit, & non denuntiauit, non tenetur illud reſtituere, quod recepit pro munere *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 142. & lib. 4. c. 2.* hæcque reſponſio plerumque congruit cum ijs, quæ ſupra dicebamus. Ratio ex eo deducitur, quia illud, quod cuſtos recepit ad effectum, vt taceret, & non denuntiaret, recepit titulo oneroſo, & licet turpi, ſecundum ſe tamen meritorio pretij, ergo adimpleto opere promiſſo, ſeu poſita taciturnitate, & non denuntiato portitore poterit illud iuſtè retinere, nec tenebitur illud reſtituere. Antecedens probatur, quia ſe exponit periculo plures pænas ſubeundi, & plura ſoluendi, ſi delictum taciturnitatis palam fiet, & ex alio capite, & illud onus tacendi contra proprium munus eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, ſicuti eſt pretio æſtimabilis ſententia iniuſta, ſeu onus illam ferendi, quod aſſumit Iudex.

3 Tenetur ex iuſtitia ſoluere vectigal, quod erat pro illis rebus perſoluendũ.

Reſpondeo ſecundò, cuſtos, qui accepto munere tacuit, nec denuntiauit delinquentem, tenetur ex iuſtitia ſoluere pretium, ſeu vectigal, quod erat pro importatione illarum rerum prohibitarum perſoluendum *Petrus à Nauarra loc. cit. n. 142.* Ratio ex eo deducitur, quia ipſe fuit cauſa iniuſta, cur Dominus illud pretium, ſeu vectigal ſibi debitum non conſequeretur, ergo tenetur illud Domino retribuere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ipſe portitor, qui inuexit res illas prohibitas, non teneatur vectigal illud perſoluere, niſi petatur per ea, quæ alibi fusè commendauimus, ergo nec tenebitur cuſtos, qui tacuit, & non denuntiauit; abſoluto enim principali ab onere ſoluendi; non eſt, cur abſolui non debeat minus principalis, & acceſſorius. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato pro nunc aſſumpto falſum eſt, quod ex eodem deducitur; nam portitor non tenetur ſoluere, niſi petatur; cuſtos autem ex vi proprij muneris tenetur petere, & inquirere; quod ſi hoc non præſtet grauitèr peccat contrà proprium munus, & in præiudicium Domini, à quo fuerat conductus ad illud munus diligenter obeundum, & ſi peccat contrà proprium munus diligentèr non perquirendo, à fortiori peccare cenſendus eſt, ſi deſiſtat ab illa diligentia inquirendi facta cum delinquente conuentione de illa non adhibenda. Ex his deducitur noua confirmatio reſponſionis, quia qui ex proprio officio tenetur impedire damnum alterius, & non impedit, tenetur ex iuſtitia ad reparationem illius damni per ea, quæ ſupra latè diximus, ergo à fortiori tenebitur, qui obligatus ex officio impedire non ſolum non impedit, ſed accepto pretio onus aſſumpſit non impediendi, & ex vi illius de facto non impediuit.

Reſpondeo tertio, cognita iniqua adſportatione à Domino vectigalium, eodemque agente ad pænam commiſſi ipſe cuſtos tenetur ad eandem pænam commiſſi, non tamen tenetur ſimul ad ſolutionem vectigalis pro illis rebus prohibitis, quæ in commiſſum ceciderunt. Ratio ex eo deducitur, quia in fraudantes vectigalia non eſt ſimul iniunctum onus ſoluendi vectigalia pro inuectione rerum prohibitarum debita, & incidendi in pænam commiſſi, ſed præciſè appoſita eſt pæna commiſſi, ergo agente Domino ad pænam commiſſi non erit onus ſimul ſoluendi vectigal; & ſi hæc verificantur in ordine ad ipſum portitorem fraudantem vectigal, non video, cur etiam verificari non debeant in ordine ad cuſtodem, qui cauſa fuit iniuſta illius fraudis ex cõuẽto non adimplemento proprij muneris; ipſe enim dumtaxat ſupplere debet id, in quod eſſet condemnandus principalis fraudator, nec Dominus ius habet ad quid aliud vltra pænam commiſſi.

4 Domino vectigaliũ agente tenetur cuſtos ad pænam commiſſi.

Nõ tamen ad ſoluendum vectigal.

Si autem hic inquiras, an, ſi ipſe cuſtos antecedentèr ad fraudem cognitam à Domino vectigal perſoluerit, ſi poſtea Dominus fraudem cognouerit, & agat ad pænam commiſſi, teneatur ipſe cuſtos ad talem pænam? Videtur abſolutè teneri, quia poſito, & conſummato delicto, cui à iure impoſita eſt pæna commiſſi, Dominus ius habet ad eandem pænam, & poteſt nolle eſſe contentus de præciſa ſolutione vectigalis debiti pro illis, ergo delinquens poterit ad illam pænam compelli, & per conſequens etiam cuſtos, qui factus fuit particeps eiuſdem delicti, & pro eodem portitore ex vi delicti reus cõſtituitur. Ex aduerſo ex quo ipſe cuſtos vectigal iam perſoluerit, & Dominus illud

lud receperit, videtur iam vulnus illud delicti ſanatum, ex quo propterea non videtur poſſe conſurgere actio. Quid iam concludendum? Siſtendo in rigore iuris crederem cuſtodem non abſolui ab onere pœnæ commiſſi, quia denegari non poteſt quin delictum, ob quod talis pœna impoſita eſt; ſit completè conſummatũ; nec poteſt dici, quod dominus per exceptionem vectigalis ceſſerit iuri ſuo, quia tunc quando recepit, ignorans erat delicti commiſſi, & iuris ſibi ex illo competentis, cui propterea non intelligitur renuntiaſſe, cum nemo ignorans renunciet. Nihilominus ex quadam æquitate, & conſuetudine inducta poteſt eximi à tali onere, quandoquidem ex quo Dominus habuit vectigalia, quæ ſibi erant debita ex rebus illis iniunctis videtur ea habere, quæ conſequi potuiſſet, ſi cuſtos fuiſſet ſollicitus, & ſi hic non ita conueniſſet, cum portitore, Dominus non potuiſſet, quid amplius conſequi;. Accedit, quod conſuetudo videtur iam obtinuiſſe, quod poſtquam res iam inuectæ ſunt, nec inuentatæ in ipſa inuectione, non intelligãtur amplius ſubiectæ pœnæ commiſſi, adeoq; quod Dominus non poſſit amplius ad illam agere. Quod, ſi dixeris, quod hac ratione, nec ius haberet ad ſolutionem vectigalis antecedentèr non ſoluti, cum conſuetudo obtinuerit, quòd vectigalia rerum iam inuectarum non ſoluantur; ſtatim impugnaberis, quia licet hoc verificaretur in ordine ad portitorem fraudantem, non tamen verificari poteſt in ordine ad cuſtodem malitioſè tacentem, & non denuntiantem, quia hic deficit à munere ſuo in præiuditium Domini, à quo per mercedem conductus fuit ad tale munus.

Si cuſtos antequam Dominus cognouerit fraudẽ, perſoluerit vectigal ex quadam æquitate eximitur à pœna commiſſi.

---

§. XLIX.

Ad quid teneatur cuſtos ad impediendum venationem, ſeu piſcationem, ſi accepto pretio non impediuit, nec denuntiauit.

SVMMARIVM.

Exponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Opinio vtriuſq; Medinæ volentis teneri ad pœnam, & ad valorem rei piſcatæ, & per venationem acquiſita. 2.
Opinio Nauarri eximens cuſtodem à pœna. 3.
Præfertur prima opinio. 4.

DIſquiſitio XLIX. Certa mercede fuerat conductus Caius per Antonium, ad effectum, vt cuſtodiret nemora quædam, & ſtagna aquarum, ne quis in iis venationem, ſeu piſcationem haberet. Accepto munere à tertia quadam perſona ſe obligauit verſus eandem ad non impediendam venationem, & piſcationem ante factum, nec poſt factum ad ipſum denuntiandum, & de facto, nec impediuit, nec denuntiauit. Quæſitum hic fuit, an ipſe Caius teneretur ad aliquid verſus Dominum, à quo fuerat cõductus ad illud onus cuſtodiæ, & ad quid nam? Suppono, quod aduerſus venatores, & piſcatores in huiuſmodi nemoribus, & ſtagnis impoſita fuerit aliqua pœna pecuniaria, & quod ipſi venatores, & piſcatores aliquid ex illa venatione, & piſcatione acquiſiuerint. 1

1 Expoſitio controuerſiæ in caſu particulari.

Bartholomæus *Medina lib. 1. ſummæ c. 14. §. 30. fol. 158., Ioannes Medina C. de reſtitut. q. 15. ad finem, Silueſter verb. pœna q. vlt.* videntur ſentire cuſtodem ſic delinquentem non ſolum teneri ad pœnam, ſed etiam ad valorem rei per piſcationẽ, & venationem acquiſitæ, cum ipſe iniuſtè fuerit cauſa acceptionis illorum, hancque opinionem magis approbat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 142. in fine*. Ex aduerſo *Nauarrus in ſumma c. 25. nu. 34.*, docet ad illam pœnam non teneri, atque pro hac opinione Nauarri citat *D. Bernardinum Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 5. verſ. 7.*, qui ea ratione, ni fallor mouentur, quod ex quo ante ſententiam latam non tenentur ad pœnam ipſi, qui controuenerunt, ex conſequenti, nec ipſi cuſtodes ad eandem teneãtur, etiam ſi eorum incuria, certa ſcientia, & voluntate ius Domini, & lex pœnalis fuerint violata. 2 3

2 Opinio volentis teneri ad pœnam, & valorẽ rei

3 Opinio eximens cuſtodem à pœna.

Reſpondeo, probabilius eſſe huiuſmodi cuſtodes non ſolum teneri ad valorem rei per venationem, & piſcationem acquiſitæ, ſed vlterius ad pœnam. Quoad primam partem cum præcitatis DD. pro prima opinione cõſentit *Nauarrus d. c. 15. n. 34. in fine*. Quoad ſecundam eſt eorundem aduerſus eundem Nauarrum, & D. Bernardinum. Prima pars facilè ex eo liquet, quod ipſe cuſtos cauſa fuit iniuſta, cur illud damnum fuerit illatum, & non ſolum negatiuè, quatenus non impedierit, nec obſtiterit, ſed etiam poſitiuè, quatenus contra proprium munus ſe obligauerit ad non obſtandum, nec impediendum; Nec obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod ille, qui cuſtodem inſtituit ad prohibendam venationem, & piſcationem, non ſit propriè dominus illarum ferarum, & piſcium, quæ per venationem, & piſcationem fuerunt captæ, adeoque, nec ius habeat ad exigendum valorem ipſorum, ſi ab 4

4 Præfertur prima opinio.

Digitized by Google

ab alijs fuerint capta, vndè capientes ad ſummum peccarunt contra iuſtitiam legalem prohibentem, non contra iuſtitiam commutatiuam, quæ ſola obligat ad reſtitutionem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quidquid ſit de illo dominio, denegari non poteſt, quin prohibens, & conſtituens cuſtodem ad prohibendum ius habeat, ne illæ feræ, & piſces ab alijs capiantur, & ad hoc munus inſtitutus eſt cuſtos eidem conſtituta mercede, qui propterea, ſi deliquerit ex culpa in tali munere, & officio cum præiuditio conſtituentis, non eſt, cur tale præiuditium non teneatur reparare per reſtaurationẽ eius, in quo ipſe conſtituens læſus eſt; Res eodem modo componitur, quo in gabellarijs, qui dominium non habent in rebus inuehendis, & extrahendis, & tamen, quia ius habent ad vectigalia pro eiſdem rebus poſſunt illa exigere a cuſtodibus, ſi ex ſua culpa hi non exegerint à conductoribus.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Secunda pars ex eo deducitur, quia, quantumuis regularitèr pænæ non debeantur a tranſgreſſoribus ante ſententiam, de qua infra in ſubſequenti paragrapho latè, cuſtodes tamen certa mercede conducti ad impediendos tranſgreſſores, & exigendas pænas ſpeciali quodam iure tenentur etiam ante ſententiam ad tales pænas delinquentium, ſeu pro delinquentibus, ſi ex ſua lata culpa, & dolo in præiuditium conductorum illas non exegerint, ſeu cauſa iniuſta fuerint, cur illæ non fuerint ſolutæ, quandoquidem, qui deficiunt in proprio munere, ad quod tenentur ex mercede, ipſo iure tenentur erga conductores, & pretium, pro quo fuerunt conducti, ad hoc datum eſt, vt impediant interueniente contractu, vel innominato *Do, vt facias*, vel locationis, quo conductus, ſeu cuſtos locat ſuas operas pro illa mercede, ad effectum impediendi; ex quo ſequitur, quod ad illas pænas perſoluendas non ſolum obligetur ex delicto, vt ipſe fraudans, ſed etiam ex contractu, vi cuius conſurgunt actiones, & obligationes.

Tenetur ex ſpeciali iure etiã ante ſententiam.

---

§. L.

An, qui tranſtulit merces, vel piſcauit, vel venatus eſt contra prohibitionem, teneatur reſtituere, & quid.

S V M M A R I V M.

Exponitur ſtatus difficultatis. 1.

Sententia aſſerens, quod, ſi portitor, vt inueheret, obtulit cuſtodi pecuniam, teneatur ad reſtitutionem. 2.

Qui inuexit merces facta illa conuentione cum cuſtodibus, tenetur ad reſtitutionem, ſiue ipſe obtulerit, ſiue cuſtos ſe exhibuerit. 3.

Portitor, qui inuexit non tenetur ad pænas ante ſententiam, bene tamen cuſtos. 4.

Idem docendum eſt de venantibus, & piſcantibus in locis prohibitis. 5.

DIſquiſitio L. Titius induxit merces prohibitas in ciuitatem non ſolutis pro eiſdem vectigalibus, vel piſcauit in ſtagno prohibito, vel venatus eſt in agris, ſeu nemoribus reſeruatis ſub certa pæna, hæcque effecit tradita certa pecuniæ quantitate cuſtodibus, ne impedirent. Cuſtodes ipſos teneri, tum ad vectigalia, tum ad intereſſe, tum ad pænas dictum fuit in præcedentibus. Modo quæritur, an ipſi transferentes, venantes, & piſcantes teneantur, tam ad vectigalia, quam ad intereſſe, & pænas. 1

Series facti expoſita.

In ordine ad vectigalia non ſoluta per portitores plurima dicta ſunt, tum *tom. I. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. in diſquiſit.*, tum in præcedentibus ſub hoc eodem titulo de reſtitutione, quod ſcilicèt hæc non ſint debita, niſi petita in traductione rerum. Difficultas ſolummodo nunc conſurgit ex eo, quod ipſe portitor fuerit in cauſa, cur non fuerint petita, ſeu non petatur per illam ſcilicèt conuentionem, & retributionem factam cuſtodi, ne peteret, neue impediret.

Plurima ad hanc rem pertinentia remiſſiuè.

Qua in difficultate nonnulli apud *Petrum à Nauarra de reſtitut. lib. 3. c. 4. num. 143.* diſtinguunt; vel etenim ille, qui tranſtulit merces, cuſtodem induxit, vt taceret oblata eidem certa pecuniæ quantitate, & ſic arbitrantur, tam cuſtodem, quam portitorem teneri, quia vnus efficacitèr mouet ad actionem iniuſtam, alter vero exequitur; in hac tamen hypotheſi arbitrantur, primo loco teneri cuſtodem, quia ipſe eſt executor, & ſic principalis; vel ille, qui tranſtulit, non induxit cuſtodem, ſed ipſe cuſtos ſe obtulit ad tacendum, & non impediendum, ſi portitor certam pecuniæ quantitatem ipſi erogarit, & iuxta hunc ſenſum ſuſtinent, quod ipſe portitor non teneatur etiam ſi illam pecuniæ quantitatem conferat ad hunc finem, atq; ſic in ſpecie ſentit *Bartholomæus Medina lib. 1. ſumma c. 14. §. 30 fol. 158.* Sed admiſſa prima parte huius diſtinctionis, eandem impugnat quoad ſecundam *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 144.* eo quia, quantumuis cuſtos ſe obtulerit ad tacendum, & non impediendum, ſi eidem eadem pecuniæ quantitas erogaretur, denegari tamen 2

Sententia aſſerens, quod, ſi portitor oblata cuſtodi pecunia, vt taceret, tranſtulerit res, teneatur ad cõpenſationem.

Secus, ſi ipſe cuſtos ſe obtulerit.

Digitized by Google

tuen non poteſt, quin ipſe erogans talem pecuniam ſit cauſa iniuſta illius damni collati Domino, ſeu Gabellario; ſi etenim ipſe illam pecuniam non dediſſet, cuſtos non damnificaſſet contrà iuſtitiam tacendo, & ſicuti non excuſaretur ab onere reſtitutionis, nec defineret eſſe cauſa iniuſta ille, qui ſic roganti *Da mihi pecuniã, & ego occidam Petrum*, pecuniam petitam conferret, ex quo ſequeretur homicidiũ, ſeu occiſio Petri, ità, nec excuſari ab iniuſtitia, & à reſtitutione cenſendus eſt ille, qui cuſtodi roganti *Da mihi pecuniam, & ego non te impediam, ne transferas merces prohibitas*, pecuniam poſtulatam conferret.

Quid quo ad cuſtodes venationis, & piſcationis.; In ordine ad acquiſita per venationem, & piſcationem ex ſuppoſitione, quod facta fuerit per venatorem, & piſcatorem illa conuentio cum cuſtodibus pro munere tradito, & ab eiſdem cuſtodibus accepto idem ferè inquirendum eſt, tam quoad pænas impoſitas, quàm quoad valorem rerum per piſcationem, & venationem acquiſitarum, an ſcilicèt ipſe venator, & piſcator teneatur tam ad illas pænas, quàm ad illum valorem.

3 Portitor tenetur reſtituere, ſiue ipſe pecuniam obtulerit, ſiue cuſtos pro pecunia ſe exhibuerit. Reſpondeo primò. Qui tranſtulit merces prohibitas facta illa conuentione cum cuſtodibus, vt tacerent, & non impedirent, eiſdemque pro hoc onere collata illa mercede non eximitur ab onere reſtitutionis vectigalium, ſeu ſolutionis eorundem, ſiue ipſe per illam pecuniam induxerit cuſtodes ad tacendum, & non impediendum, ſiue ſi ipſe rogatus a cuſtodibus pecuniam illam ipſis conceſſerit. Eſt contra *Bartholomæum Medinam loc. cit.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ipſe conſuluit actionem iniquam eidem, ſeu eiſdem cuſtodibus aduerſus id, ad quod tenebantur ex iuſtitia in præiudicium Gabellariorum, quinimmo poſitiuè, & efficacitèr induxit per pecuniam ad deſiſtendum à ſuo munere, ad quod obligabantur ex rigoroſa iuſtitia; ex quo damnum illud Gabellarijs prouenit, ergo cum poſitiuè concurrerit ad actionem iniuſtam, & damnificatiuam, obligabitur ex iuſtitia ad reparationem damni inde cauſati. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quod ſupra ex Nauarra afferebatur; nec obſtare poteſt, quod importator rerũ prohibitarum non tenetur ſoluere vectigalia, niſi petantur, vt ex alibi dictis ſæpè

Rationes pro opinione, & ſolutiones obiectorũ commendauimus, ergo exactore, ſeu cuſtode non petente, ſeu ſpontè ſe exhibente ad non petendum poterit ipſe importator ſine iniuſtitia inuehere, nec officit, quod illa exhibitio non petendi fuerit conditionata, ſi ſcilicèt inuector tradiderit illam pecuniam, pro qua cuſtos ſe exhibet ad tacendum, & non impediendum; non officit, inquam, quia per illius pecuniæ ſolutionem ſolummodo acquiſiuit iniuſtam actionem, ad quam non incitauit, ſed exhibitam ſub illis conditionibus, qua exhibita eſt, acceptauit ad vtendum iure ſuo de non ſoluendis vectigalibus, ſi non petantur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quamuis non teneatur ſoluere vectigalia, niſi petantur, non habet tamen ius ad inducendum per iniquam actionem, ne petantur, quia non tenetur quidem inquirere exactorem, non poteſt tamen per media iniqua inducere exactorem, ne petat, quia hoc cedit in manifeſtam iniuriam gabellariorum; nec obſtat, quod ipſe exactor, ſeu cuſtos ſe offerat ad non petendum, quia illa oblatio non eſt abſoluta, & ſpontanea, ſed conditionata, & oneroſa, ſi ſcilicèt ipſe portior tantam pecuniæ quantitatem contulerit, & ſic interuenit contractus, quo cuſtos ſe obligat ad non petendum, & portitor ad conferendam illam pecuniæ quantitatem pro illo onere non petendi, vndè denegari non poteſt, quin ipſe portitor cooperetur poſitiuè iniquæ actioni, & iniuſtę aduerſus principales Gabellarios, conductores, illius cuſtodes, qui propterea non eſt, cur cum ipſo cuſtode non obligetur, licet minus principalitèr; vndè merito in caſu ſimili *D. Hieronymus ſuper lib. parabolarum, ſeu prouerbiorum c. 29.*, & refertur *in c. qui cum fure de furtis*, & præcipuè ſuper illa verba. *Qui cum fure partitur, occidit animam ſuam*, ſubdit, *non fur ſolum, ſed ille reus tenetur, qui furti conſcius quærenti poſſeſſori non indicat*.

Reſpondeo ſecundò. Qui merces illas prohibitas erogato illo munere cuſtodibus inuexit, probabilius non tenetur ad pænas ante ſententiam, quantumuis ad illas teneatur cuſtos, qui munus illud accepit. *Ioannes Medina C. de reb. reſtituen. qu. 15. in fin.*, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. n. 142. in fin.* Ratio diuerſitatis ex eo deducitur, quia ipſe cuſtos ex ſpeciali quodam iure orto ex contractu, vel innominato, vel conductionis tenetur impedire, & adhibere omnem diligentiam, ne res prohibitæ inuehantur; portitor verò ipſe non tenetur ex aliquo contractu verſus ipſos Gabellarios principales, ſed ſolummodo ex iure obligante ad vectigalia, & ad pænam commiſſi, ſi fraudauerit, & captus in ipſa fraudatione; vndè iuxtà vulgarem regulam, non tenetur ad eandem pænam ante ſententiam, ſicuti tenetur cuſtos ex vi contractus, quo ſe obligauit ad omnem cuſtodiam, & diligentiam, non ex vi ſimplicis iuris 4

4 Portitor, non tenetur ad pœnas ante ſententiã, bene tamen cuſtos.

Digitized by Google

Rationes pro reſpõſione.

iuris prohibentis ſub pæna, ſed ex vi, & natura eiuſdem contractus; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod, quamuis portitor non teneatur ex vi iuris prohibentis ſub pæna ante ſententiam ad eandem pænam, teneatur tamen ratione iniuſtæ actionis ipſius cuſtodis, cui cooperatus eſt per illam pecuniæ ſolutionem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ratione illius iniquæ actionis, cui cooperatus eſt per illam pecunię ſolutionem obligatur quidem ad intereſſe, quod competit habenti ius in gabellis, non autem ad pænas antecedentèr ad ſententiam, nec in hoc currit paritas de ipſo cuſtode, qui dictus fuit obligari etiam ad pænam; non currit, inquam, quia ipſe ex hoc ſpeciali motiuo obligatur ad pænam, quia eſt ſtipendiatus, & conductus ad hoc munus impediendi, quod non verificatur reſpectu portitoris, vndè merito docet *Cardinalis de Lugo tom. 2. de iuſtitia dum de Iudice, & apparitoribus*, quod ſit ſpecialiſſimus caſus in cuſtodibus ſtipendiatis, quod teneantur ad pænas munere proprio neglecto, non obligatis fraudantibus ad eaſdem pænas.

5 Idem dicēdum eſt de venantibus, & piſcātibus in locis prohibitis

Reſpondeo tertiò iuxtà ſuperius dicta, quod piſcantes, vel venantes in agris, & ſtagnis prohibitis facta illa conuentione cum cuſtodibus, teneantur quidem ad intereſſe verſus Dominos, non autem ad pænas ante ſententiam. Colligitur ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt de inuehentibus merces prohibitas ſeruata proportione.

DISQVISITIONES III.

Ad reliquas omnes de Reſtitutione I. prænotiones.

§. I.

An peccet contrà iuſtitiam, qui de altero dicit, quod ſit ſuperbus, auarus, & ſimilia.

SVMMARIVM.

Series expoſita in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens non peccare læthalitèr, nec teneri ad reſtitutionem. 2.
Contraria ſententia exponitur. 3.
Regularitèr per illa verba non peccat læthalitèr, nec tenetur ad reſtitutionem. 4.
Excipe, niſi dicantur de perſona graui, & in dignitate conſtituta. 5.

I Exponitur ſeries facti.

DIſquiſitio I. Manens in aliquorum familiarium conſortio Petrus, inter quos inciderat ſermo de Franciſco abſente, expreſsè dixit eundem Franciſcum eſſe ſuperbum, auarum, & mendacem. Excitata fuit controuerſia, an fuerit reus culpæ læthalis contra iuſtitiam, & an teneretur ex iuſtitia famam ablatam reſtituere.

2 Sententia aſſerēs nō peccare læthalitèr, nec teneri reſtituere.

Siluester *verbo detractio §. 2., D. Antoninus 2. part. tit. 8. c. 4. in princip., Corduba in annot. ſuper Sotum de ſecret. memb. 2. qu. 2. concl.* 7. exiſtimant non eſſe peccatum læthale contrà iuſtitiam, nec teneri ad reſtitutionem. Rationem ex eo deſumunt, quia verba illa generalia ſumi poſſunt non pro peccatis formalibus ſuperbiæ, auaritiæ, & ſimilium, ſed pro inclinatione naturali ad ſimiles animi paſſiones, quæ inclinatio ſecundum ſe non eſt læthalitèr peccaminoſa; ad inducendum autem peccatum læthale contrà iuſtitiam, & obligationem reſtitutionis requiritur, vt detractio ſit de peccatis mortalibus *Fillіutius tom. 2 tract. 32. c. 9. n. 229.*, qui tamen videtur loqui ex mente Siluestri, & Nauarri, quos ibi allegat. Addunt vlterius, quod illa locutio generalis poteſt intelligi, vel de peccatis leuibus in illo genere, vel de grauibus; qua in hypotheſi debent audientes in meliorem partem interpretari, & non ſcandalizari.

3 Contraria ſententia exponitur

Contrarium videtur opinari *Nauarrus in manuali c. 18. n. 24.* dum aſſerit non eſſe vſquequaque veram opinionem *D. Antonini, & Siluestri*, quia, cum ea detractio fiat coram perſonis, de quibus credi poteſt, eos tam maculas morales, quàm veniales concepturos eſſe, præſumi debet eſſe de mortalibus, & grauibus, niſi expreſsè, aut tacitè nonniſi de ſolis venialibus verba fieri admoneantur.

4 Nec peccat læthalitèr, nec tenetur ad reſtitutionem.

Reſpondeo. Regularitèr loquendo per illas locutiones generales Petrum non peccaſſe læthalitèr contrà iuſtitiam, nec obligari ad reſtitutionem. Ità præter præcitatos DD. *Diana tom. 3. tract. 5. reſol. 30. verſ. notandum eſt quarto, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 11. dub. 3. n. 18.* Rationes pro hac opinione adductæ hoc ſatis concludentèr euincunt; nec ratio Nauarri aliquid in contrarium efficacitèr probat; quandòquidem, cum illa verba poſſint deflecti, vel in grauia, vel in leuia peccata in eo genere, in quo impinguntur, vel intelligi de naturali inclinatione, vel de actualibus peccatis in eo genere benigne ſunt accipienda in meliorem partem, ſecundum quam minus lædat illum, de quo proferuntur, & in dubio, an procedant de grauioribus, vel leuioribus ſemper

per

Digitized by Google

per ex benigna interpretatione ſunt pro leuioribus accipienda.

5 *Excipe, niſi dicerentur de perſona in dignitate conſtituta.* Limitanda tamen eſt reſponſio primo in hypotheſi, qua ſimilia de perſona in dignitate conſtituta dicerentur, vt ſi de Epiſcopo, aut de Religioſo ex grauioribus talia enuntiarentur, ſicque limitant *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. nu. 320., Leſſius d. lib. 2. c. 11. dub. 3. num. 18., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 30. d. verſ. notandum eſt quarto.* Ratio huius limitationis eſt, quia huiuſmodi dictiteria in ordine ad huiuſmodi perſonas in dignitate conſtitutas inurunt grauem notam, & in ijs ſolent eſſe rationabilitèr inuiti, quæ alios non ſolent ita grauitèr afficere.

Vel niſi ex modo inferatur grauitas. Limitanda eſt ſecundò, niſi ex modo, quo dicerentur, inducerentur audientes ad rationabilem credulitatem, quod intelligenda eſſent de grauioribus, & magis noxijs, & in hoc ſenſu intelligendus eſt *Nauarrus in manual. d. c. 18. nu. 24., Leſſius loc. cit.* Ratio eſt, quia loquens per illum modum ſatis indicat ſaltem implicitè ſe loqui de grauioribus, & excludit mitiorem interpretationem de leuioribus.

§. II.

An detrahens quoad venialia poſſit obligari ad reſtitutionem ſub læthali.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ. 1.
Probabilius peccauit grauitèr contrà iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. 2.
Onus reſtitutionis conſurgit potius ex grauitate damni illati, quam ex prauitate voluntatis lædentis. 3.

1 *Status diſquiſitionis expoſitus.* DIſquiſitio II. Plura impixit crimina Caius Andreæ, quæ tamen ſecundum ſe conſiderata non excedebant culpam venialem v. g. dixit eundem Andręam laborare nota vanitatis, ambitionis, facilis iracundiæ, & ſimilibus; ex quibus conſecutus eſt grauia damna, puta non conſecutus eſt beneficium, quod cæteroqui de facili fuiſſet conſecutus, vel repulſus eſt ab amicitia valdè vtili, & honorabili. Hic quæſitum fuit, an Caius ob talem detractionem in venialibus contraxerit labem læthalem contrà iuſtitiā, & an teneatur ad reparationem damnorum, quæ inde pręuenerunt eidem Andreæ, & famæ ablatæ reſtitutionem.

Videtur abſolutè dicendum, nec peccaſſe læthalitèr contra iuſtitiam, nec teneri ex iuſtitia ad reparationem damnorum, quandoquidem grauitas delicti deſumitur ex grauitate materię, circa quam verſatur; cum igitur materia, circa quam verſatur huiuſmodi detractio, non ſit, niſi leuis, nec niſi leuis poteſt eſſe eadem detractio; ex detractione poſteà leui non poteſt eſſe obligatio reſtitutionis ſub graui. Nihilominus *Rationes pro ſentētia negāte peccatum graue.*

2 *Probabilius peccauit grauitèr contra iuſtitiā, & tenetur ad reſtitutionem.* Reſpondeo in hac hypotheſi, Caium peccaſſe grauitèr contra iuſtitiam, & teneri ad compenſationem damnorum, quę indè prouenerunt. *Nauarrus in ſumma c. 18. n. 25., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. n. 320.*, Ratio ex eo deducitur, quia grauitas, & leuitas peccatorum contra iuſtitiam deſumitur penes fundamentum grauis, & leuis indignationis in perſona læſa, quod etiam fundamentum deſumitur penes graue, vel leue damnū, quod indè patitur; vndè diximus etiam in præcedentibus loquendo de bonis fortunæ, quod qui furatur acum à ſutore, ex quo furto hic patiatur graue damnum, eo quod impediatur à proprio exercitio, cum alium acum non habeat, & grauitèr peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad compenſationem omnium damnorum, quamuis furtum illud ſit de materia leui ſecundum ſe; ſed in hac hypotheſi Andræas læſus per illa dictiteria, quantumuis ſecundum ſe de materia leui, habet fūdamentum grauis indignationis, ſiquidē ex illis graue patitur damnum in non cōſecutione illius beneficij, & in amiſſione illius vtilis conſortij, ergo lędens, & grauitèr peccat, & tenetur ad compenſationem damnorum, quæ indè prouenerunt. *Læſus habet fundamentum grauis indignationis.*

Dices, quod onus reſtitutionis ſub graui attendendum ſit penes læſionem, quam efficit lædens in illa materia, circa quam lædit, non autem ſecundum id, ſecundum quod poteſt contingere præter intentionem ipſius lædentis ex ſolo opere auditorum, qui irrationabilitèr mouētur ad priuandam perſonam læſam beneficio conſiderabili, & conſortio valdè vtili ob ſolam culpam, vel culpas leues; cæteroqui, ſi aliter res ſe haberet, detractor ex quacunque manifeſtatione noxæ leuis grauitèr peccaret contra iuſtitiam, cum ex auditorum inordinata acceptione poſſent inde grauia damna conſurgere, vndè meritò *Filliutius tom. 2. tract. 32. c. 9. num. 229.* notat *Silueſtrum, & Nauarrum*, vniuerſalitèr aſſerere, detractionem, vt obliget ad reſtitutionem, debere eſſe de peccatis mortalibus. Sed contra, quia grauitas peccatorum contra iuſtitiam attenditur penes damna, quæ ex opere conſurgunt, non præcisè iuxta voluntatem *Inſtantia aduerſus reſponſionem.*

Digitized by Google

peccantis in eo genere, vt alibi ex D. Thoma notauimus; vndè obiectum illius peccati non ſolum conſtituitur penes materiam, quam detrahens manifeſtat, ſed etiam penes effectus, quos cauſat eadem manifeſtatio, qui effectus ſimul cum illa materia manifeſtata conſtituunt vnum conflatum, quod eſt obiectum iniuſtitiæ conſurgentis ex eadem manifeſtatione, nec tollit vim huius reſponſionis conſideratio, quod illa damna potius proueniant ex voluntate inordinata audientium, qui ex leui culpa rationabilitèr moueri non debuerant ad priuationẽ illius beneficij, ſeu conſortij, quam ex intentione detrahentis in materia leui; non tollit, inquam, quia audientes fuerunt moti ex illa detractione ad illam priuationem, nec inordinatè [illegible] cenſendi ſunt ex eo, quod ob materiam leuem ipſum, vel non promouerint, vel non admiſerint ad illud conſortium, quandoquidem ipſorum curæ incumbit non deficientes promouere, & proprio conſortio admittere; vndè detrahens debet ſibi imputare, quod non præcauerit, & cogitauerit, quid poſſet obuenire potiſſimũ, ſi circumſtantiæ interuenerint, ex quibus poſſet eſſe rationabilis ſuſpicandi ratio de illis damnis; nec etiam vim aliquam facit contrà reſponſionem noſtram id, quod additur in inſtantia nempè, quod ſemper detrahens leuitèr, grauitèr peccaret contra iuſtitiam, cum ſemper ex leuitate audientium poſſent illa damna obuenire; non, inquam, vim facit, quia non ſemper ſunt circumſtantiæ tales, ex quibus poſſint euenire, ſeu timeri illa mala, nec ſemper eadem obueniunt; vndè erit aduertendum, an illa dicta ſint in circumſtantijs, quibus perſona poſſit affici grauibus damnis, an non, & ſic iudicandum, & in ordine ad onus reſtitutionis videndum erit, an ſecutum fuerit damnum, nec ne.

Ipſius germana ſolutio.

Illud tandem, quod vltimo loco afferebatur ex Filliutio referente Siluestrũ, & Nauarrum onus ſcilicet reſtitutionis non conſurgere, niſi ex detractione per peccata læthalia non videtur quid euincere, quia tale onus conſurgit ex cauſatione iniuſta damni notabilis, quæ eſſe poteſt, etiam ſi illud, in quo eſt detractio, ſit leue ſecundum ſe; hic autem illud dictum per detractorem eſt cauſa, & quidẽ iniuſta illius amiſſionis beneficij, vel conſortij, quæ propterea inducit obligationem. Quamobrem in hac ſuppoſitione tria ſunt conſideranda; primo peccatum falſo Andreæ impoſitum; Secundo actio, qua Caius illud crimen falſo imponit. Tertio, damnum inde conſurgens Andreæ; peccatum ipſum, prout rapræſentatiuè afficit Andręam non eſt niſi leue, cum non importet, niſi vanitatem, vel mendacium, prout euulgatur à Caio in talibus, vel talibus circumſtantijs, in quibus valet grauitèr damnificare, eſt reſpectu eiuſdem Caij graue, cum ſit cauſatiuum grauis damni, & onus reſtitutionis conſurgit ex ipſo damno cauſato, & ſic, cum onus reſtitutionis proueniat ab actione iniqua detrahentis, quæ ſecundũ ſe grauis eſt in illis circunſtantijs, vtique prouenit ex cauſa iniuſta graui, quantũuis delictum, quod ex illa euulgatur ex parte perſonæ, contrà quam euulgatur, ſit leue.

3 *Onus reſtitutionis conſurgit, potius ex damno illato, quã ex voluntate læſ[illegible].*

---

§. III.

An ſemper ex manifeſtatione peccat læthalis alterius conſurgat peccatum læthale detractionis, & onus reſtitutionis famæ ſub læthali.

SVMMARIVM.

Series facti expoſita. 1.
Sententia aſſerens grauitèr peccare contrà iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. 2.
Regularitèr non contrahit noxam læthalem, nec tenetur ad reſtitutionem. 3.
Soluuntur obiecta oppoſita. 4.

DIſquiſitio III. Titius in quodam conſeſſu cum pluribus promulgauit nonnulla crimina à milite quodam ſtrenuo commiſſa; puta dixit illum commiſiſſe duellum, habere concubinam, decepiſſe puellam; vel de adoleſcente quodam in croceis enutrito prodigum eſſe, vel deditum amoribus. Quæſitum hic fuit, an hic in ſimilibus dictiterijs commiſerit peccatum læthale detractionis, & an teneatur ſub læthali ad reparationem famæ ablatæ.

1 *Series facti exponitur.*

Videtur abſolutè affirmandum, & grauitèr peccare, & teneri ſub graui ad reparationem famæ. Ratio ex eo deducitur, quia noxa grauis conſurgit in quocunque genere ex grauitate materiæ, circa quam verſatur, ſed materia, circa quam verſantur illa dictiteria, eſt grauis, cum ſint ex genere ſuo peccata læthalia ſaltem, vt plurimum loquendo, nec deprauãtur à grauitate læthali ratione conditionis perſonæ, de qua dicuntur, non enim duellum ceſſat eſſe læthale, nec fornicatio, ex eo quod fuerint commiſſa à milite, ergo &c. Nihilominus

2 *Sententia aſſerens, grauitèr peccare contrà iuſtitiam.*

Reſ-

Digitized by Google

3 **Regulariter non cōmittit peccatum læthale, nec tenetur ad reſtitutionē**

Reſpondeo, regulariter loquendo non committere peccatum læthale detractionis, nec obligari ad famæ reſtitutionem ſub læthali. Dixi, *regulariter loquendo*, nam ſi miles eſſet perſona timoratæ conſcientiæ, quæ curam haberet de bono nomine, & quamuis miles in re potius chriſtianas virtutes profiteretur, quam militares licentias, certè de eodem manifeſtans ſimilia crimina non eximeretur à culpa læthali, & ab onere reſtitutionis; quandoquidem ratione boni nominis, cuius curam gerit, & ratione virtutum, quas profitetur, intelligitur eſſe rationabiliter grauiter inuitus de illa criminum manifeſtatione, non ſecus, ac ſi eſſet alia perſona, non miles exactæ chriſtianarum virtutum profeſſioni addicta. Reſponſionem hanc ſuſtinent *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 11. dub. 3. nu. 17.*, & alij plures. Ratio ex eo deducitur, quod docuit *D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 9. in corpore*, nempe peccata iniuſtitiæ, cuiuſmodi eſt detractio, cum ſint ad alterum, deſumi penes inuoluntarium, quod eſt in perſona læſa, ſed miles non intelligitur grauiter inuoluntarius ex eo, quod de ipſo dicatur, quod duellum commiſerit, quod cōcubinam teneat, & ſimilia, ſiquidem de his potius gloriatur, & congaudet, quam reputet ad iniuriam, ergo &c. Accedit, quod audientes ſimilia de milite non prauam exiſtimationem de ipſo concipiunt, cū hæc videantur eius ſtatui, & conditioni congruere. Accedit ſecundo, quod peccata venialia manifeſtata quandoque ratione circumſtantiarum, & conditionis perſonæ inducunt noxam læthalem in manifeſtante, ergo etiam peccata læthalia ſecundum ſe manifeſtata ratione conditionis perſonæ non ægrè ferentis poſſunt inducere dumtaxat culpam venialem, nec obligare ad reſtitutionem.

Non grauiter lædit talis manifeſtatio.

4 **Soluūtur rationes oppoſitæ.**

Ex quibus poteris deducere, quid reſpondeas ad rationem ex oppoſito adductam; dic etenim peccata, quæ ſunt oppoſita, iuſtitię, deſumere potius grauitatē ab inuoluntarietate rationabili, quæ eſt in perſona læſa, quam ex materia, circa quam verſatur, quod poteſt ex eo euinci, quod ſi quis ab altero auferat res magnę, & notabilis quantitatis, cui ablationi Dominus non ſit inuitus, non eſt peccatum graue iniuſtitiæ, quamuis res accepta ſit notabilis, & grauis. Cum igitur in præſenti hypotheſi miles non intelligatur grauiter inuoluntarius de illis dicteriis, ſeu de manifeſtatione illorum criminum, non intelligitur eſſe grauis noxa in manifeſtante.

§. IV.

An temerè, & voluntariè quid graue de proximo ſuſpicari ex leuibus inditijs ſit peccatum mortale.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ exponitur. 1.
Sententia aſſerens eſſe peccatum læthale. 2.
Enumerantur, & explicantur tres ſuſpitionis gradus. 3.
Enumerantur, & explicantur tres cauſæ ex parte ſuſpicantis. 4.
Si ſuſpicio illa conſiſtat in dubietate ſine adhæſione ad alteram partem non inducit peccatum læthale. 5.
Inducit tamen peccatum veniale. 6.
Si ſuſpitio illa fuerit cum opinione ex parte malitiæ cum formidine tamen ad oppoſitum non eſt peccatum læthale. 6.
Quando huiuſmodi ſuſpiciones procedunt ex prauo affectu opinantis regulariter includunt culpam læthalem. 7.
Suſpicio, ſi conſiſtat in firmo aſſenſu ſine hæſitatione ad partem oppoſitam, regulariter eſt peccaminoſa læthaliter. 8.
Si ſit in Iudice, & ex illa condemnet aliquem, peccat læthaliter. 9.

1 **Expoſitio facti in ſuis terminis.**

Diſquiſitio IV. Ex eo, quod quandoque Titius circuierit per propugnacula Ciuitatis, vel ex eo, quod ipſe allocutus fuerit ſemel cum quodam hæretico, vel ſermonem habuerit familiarē cum propria matre, Andreas ſuſpicatus eſt de eodem enormia crimina, nempè, quod voluerit prodere ciuitatem, vel quod in hæreſim inciderit, vel inceſtum habuerit cum matre. Quæſitum hic fuit, an Andræas ſic temere, & voluntariè ſuſpicans commiſerit peccatum læthale.

2 **Sententia aſſerēs eſſe peccatū læthale.**

Affirmatiuè ſenſerunt *Siluius in 2. 2. D. Thomæ q. 60. art. 3.*, qui pro ſe ibidem plurimos refert. *Sotus de iuſt. lib. 3. q. 4. art. 3.*, *Medina de inſtruct. confeſ. lib. 1. c. 14. §. 37.*, *Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 14. diffic. 19. n. 3.*, *Turrianus in 2. 2. D. Thomæ tom. 2. diſp. 4. dub. 3. n. 7.* Ratio ipſorum ea potiſſimum videtur eſſe, quia per talem ſuſpicionem potiſſimum ex leuibus fundamentis, & inditijs quid ingeritur, quod valde minuit de bona æſtimatione, maximè debita ſecundum ſe perſonæ honeſtæ, eademque perſona ſubditur periculo contemptus, quod eidem valdè iniurioſum eſt præcipuè, ſi id, de quo eſt ſuſpicio, ſit quid graue, & enorme.

Digitized by Google

3 Enumerātur, & explicantur tres ſuſpicionis gradus.

Vt clarius procedamus, aduertendum eſt *cum D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 3. in corpore* tres eſſe ſuſpicionis gradus, quamuis *Sotus lib. 3. de iuſt. & iur. q. 4. art. 3.* quatuor enumerat. Primus eſt dubietas, quandò ſcilicèt homo ex leuibus inditijs de bonitate, vel malitia alicuius incipit dubitare, per hanc dubietatem animus ſuſpicans pendulus eſt neutri parti contradictionis aſſenſum peribens. Secundus eſt aſſenſus firmus vnius partis contradictionis. Tertius eſt, cum aliquis Iudex ex ſuſpitione procedit ad aliquem condemnandum. Clarius tamen videtur procedere *Sotus loc. cit.* dum ſecundum gradum in duplicem gradum diſtinguit, & conſtituit quatuor gradus. Primus igitur gradus ſecundi ex eodem Soto eſt aſſenſus ad vnam partem ex contradictorijs cum formidine tamen partis oppoſitę, quem Ariſtoteles 6. Ethicorum opinionem appellat. Secundus gradus ſecundi eſt aſſenſus firmus præſtitus vni parti ex contradictorijs, quem quamuis D. Thomas cōprehendat ſub communi nomine ſuſpicionis, quid tamen amplius importat, quam ipſa ſuſpicio. Primum gradum vniuerſalis diuiſionis aſſerit *D. Thomas loc. cit.* non inducere, niſi peccatum veniale, cum aſſerat pertinere ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur. Secundum gradum, ſeu primum gradum ſecundi gradus aſſerit *Sotus loc. cit.* etiam eſſe dumtaxat venialem, eo fortaſſè, quia non eſt cum firmo aſſenſu, ſed cum formidine ad oppoſitum; ſecundum gradum ſecundi, quem D. Thomas ſimplicitèr ſecundum appellat ex eodem D. Thoma, ſi ſit de re graui importare noxam læthalem; facilè ex ipſius dictis ibidem colligitur, quia non eſt ſine contemptu proximi, vndè *Gloſa ſuper illud 1. ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare* ſubdit *Si ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen ideſt definitiuas, firmaſque ſententias continere debemus.* Tertium gradum idem *D. Thomas loc. cit.* pleno ore, nec ſine ratione appellat peccaminoſum læthalitèr, cum hoc directè ad iniuſtitiam pertineat.

4 Enumerātur, & explicantur tres cauſę ex parte temere ſuſpicātis

Hec quantum ad gradus eiuſdem ſuſpicionis quoad ſe, & formalitèr ſumptæ, nunc aliqua quoad cauſas ex parte efficientis; quarum tres enumerat *idem D. Thomas loc. cit.*; prima eſt peruerſitas eiuſdem ſuſpicantis, qui cum ex ſe ipſo malus ſit, facilè, & ex leuibus inditijs male de alijs opinatur, ſeu ſuſpicatur; iuxtà illud Eccleſiaſt. 10. *In vijs ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat*; Secunda eſt prauus ſuſpicantis affectus erga alterum, de quo male ſuſpicatur; vnuſquiſque enim facilè agit, quod appetit; Tertia eſt diutina experientia, vndè merito *Ariſtoteles in 2. Rethor.* aſſerit, quod ſenes ſint maximè ſuſpicioſi, quia multoties experti ſunt aliorum defectus.

Rurſus aliquid etiam aduertendum eſt circa qualitatem, & proprietatem nominis eiuſdem ſuſpicionis; quamuis enim ex D. Thoma ſub ſuſpicionis nomine comprehendatur etiam dubietas, quæ pendula eſt, nec potius in vnam, quam in alteram partem ex contradictorijs inclinat; ſecundum tamen nominis acceptionem importat potius adhæſionem ad partem malam, prout notat *Sotus d. lib. 3. de iuſt. & iur. q. 4. art. 3.*; cum enim quis dicitur de altero ſuſpicari, concipitur de illo ſiniſtram quodamodo habere opinionem; nec quis dicitur de aliquo ſuſpicari de opere, quod ex ſe bonum, honeſtum, & rationi conſentaneum eſt, quia tunc potius dicitur de illo concipere, & habere bonum æſtimationem. His ſic pro pleniori notitia ſuppoſitis. Quid veniat nomine ſuſpicionis

Reſpondeo primò. Si illa ſuſpicio, quam ex leuibus indicijs concepit Andræas de Titio conſiſtat præciſè in dubietate, ſecundum quam pendulus ſit, nec potius aſſenſum præbeat, quam diſſenſum, non inducit peccatum mortiferum. *D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. in corpore, Sotus lib. 3. de iuſt. & iure q. 4. art. 3., Ioannes della Crux in direct. part. 8. qu. 1. dub. 2. concl. 1., Faber de reſtitut. in 4. ſententiarum diſt. 15. q. 3. diſp. 54. c. 1. n. 10., Laiman lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 2. nu. 6., Petrus à Nauarra de reſtit. lib. 2. c. 4. nu. 454., Caietanus in 2. 2. qu. 60. art. 3., & in ſumma verb. iudicium.* Ratio ex eo deducitur, quia non videtur poſſe eſſe peccatum læthale ſine firma adhæſione, ſeu ſaltem ſine adhæſione ad obiectum, ex qua conſurgat ſiniſtra exiſtimatio de aliquo ſine ſufficienti inditio, ſeu fundamento, ſed quando ſuſpicio continetur intra puris terminos dubietatis, non adeſt nedum firma, ſed nec ſimplicitèr adhæſio ad vnam partem ex contradictorijs, ex qua reſultat illa praua exiſtimatio aduerſus proximum, de quo dubitatur, ſeu oritur illa ſuſpicio, ergo &c. Maior plenè admittitur a D. Thoma, dum aſſerit nullum inditium citra certitudinem eſſe peccatum læthale; nec incongrua ratione hoc aſſeritur, quandoquidem peccatum læthale non eſt ſine plena deliberatione, quæ eſſe non poteſt, vbi intellectus in neutram partem inclinat. 5 Si ſuſpicio illa conſiſtat in dubietate ſine adhæſione ad alteram partē non eſt peccatum læthale.

Quæres hic, an ſaltem per illam ſuſpicionem hoc modo conceptam ſuſpicans committat peccatum veniale? Videtur abſo-

Digitized by Google

abſolutè negandum, quandòquidem ex vna parte, vt prænotauit D. Thomas, hæc ſuſpicio pertinet ad tentationem humanam, ſine qua vita iſta non ducitur; vnde D. Auguſtinus ex hoc infert, quod vix huiuſmodi ſuſpiciones in hac vita vitare poſſimus; ex alia parte peccatum non videtur poſſe exiſtere ſine aliquo actu poſitiuo, qui non reperitur in illa dubietate. Nihilominus peccatum veniale in illa ſuſpitione agnoſcunt *D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3., Sotus d. lib. 3. de iuſt. q. 4. art. 3., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. n. 453. & ſeqq.*, & alij, quibus libentèr aſſentior. Ratio ex eo deducitur, quia inficiari non poteſt, quin per illam dubietatem quoquo modo diminuatur bona exiſtimatio, ad quam vnuſquiſque ius habet, quouſque per legitima teſtimonia ipſius prodantur delicta, ergo ne ſuſpicans ex leuibus indicijs contrahit noxam ſaltem venialem. Antecedens probatur, quia vel ille, qui ſuſpicatur, antecedentèr habebat bonam exiſtimationem de perſona, de qua ex illis leuibus indicijs ſuſpicatur, vel nec in bonum, nec in malum de illo ſentiebat; ſi primum aſſeratur; iam patet, per illam ſuſpicionem bonam illam exiſtimationem diminui, ſi quidem de determinata bona exiſtimatione tranſit ad dubiam, & quidam ſine ſufficienti fundamento, & quòdamodo ex leuitate ipſius ſuſpicantis; ſi ſecundum aſſeratur; cum charitas indicet ſemper de omnibus bene ſentire, videtur ſuſpicans quoquo modo legem eiuſdem charitatis in proximum violare ex leuibus inditijs de ipſius bonitate, & honeſtate dubitando.

Inducit tamē peccatum veniale.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ad ea, quę ex aduerſo dicebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primum deſumptum ex D. Thoma, & D. Auguſtino dicendum eſt, ſuſpicari pertinere ad humanam tentationem, ſine qua vita iſta non ducitur, quatenus naturalitèr quodamodo homines inclinantur ad ſuſpicandum deſumptis etiam crebro ex leuibus inditijs occaſionibus, quibus tentantur, vndè bene dicitur, quod ſuſpicari pertineat ad tentationem, quatenus conſequitur ad eandem; & ſic aduerte, quod nos non dicimus, quod in illa naturali quodamodo propenſione poſitis illis leuibus inditijs conſiſtat peccatum veniale, ſed in actuali illa ſuſpenſione iudicij de bona æſtimatione alterius, quæ certè dependet a libertate, & libera eſt reſpectu ſuſpicantis; nec ex eo, quid vix eas vitare poſſimus, vt aſſerit D. Auguſtinus, ſequitur, quod eximantur a culpa veniali, quandòquidem ex communi Theologorum conſenſu vix ad longum tempus vitare poſſumus peccata venialia, nec tamē ſit, quin in illis venialitèr delinquamus, & nobis ad culpam imputentur.

Ad ſecundum dicendum eſt non ſolum in actibus poſitiuis conſiſtere peccata, ſed etiam in omiſſionibus eorum, ad quæ tenemur, vel ex iure iuſtitiæ, vel ex lege charitatis, vel ex aliquo alio præcepto. In præſenti autem ſaltem ex lege charitatis tenemur non ſuſpendere bonam exiſtimationem de proximo ſine congruo fundamento, adeòque &c.

Peccata conſiſtunt etiam in omiſſione.

6 Reſpondeo ſecundò. Si illa ſuſpicio, quam ex leuibus inditijs Andræas concepit de Titio, conſiſtat in opinione, ſecundum quam adhæreat alteri parti ex contradictorijs ſcilicèt parti potius malitiæ, quam honeſtatis cum formidine tamen ad oppoſitum probabilius etiam non inducit peccatum læthale. *Caietanus 2. 2. q. 60. art. 3., Sotus lib. 3. de iuſt. & iur. q. 4. art. 3. concl. 1., Laiman in Theol. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 2. c. 2. n. 6., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 31.*, & alij magis communitèr. Ratio ſuperius adducta ex D. Thoma hoc videtur euincere, quandòquidem peccatum læthale non videtur poſſe ſubſiſtere ſine firmo, & certò aſſenſu, qui certè non eſt, vbi in ſuſpicante, ſeu aſſentiente eſt formido ad oppoſitum; formido etenim illa efficit, ne firmitèr adhæreat, & ſic qui hoc modo ſuſpicatur, ſimul putat actu tacito, vel expreſsò ſe poſſe facilè falli, qua in re multo minus iniuriæ infertur proximo, quam per iudicium certum, & firmum; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex tali ſuſpicione hoc modo concepta, quamuis non inferatur tanta iniuria, quanta infertur per iudicium certum, non tollitur tamen, quin inferatur talis iniuria, vt, ſi ſit de re graui, non inducat culpam læthalem, prout notat *Sotus noſtræ ſententiæ aſſertor d. lib. 3. q. 4. art. 3. ante ſolut. arg.* exemplo adducto de ijs, qui videntes honeſtatem, vitamque integerimam Deiparæ Virginis ex illorum conſortio ſiniſtrè de eorum honeſtate ſuſpicarentur, & de bonitate dubitarent; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia maior grauitas in obiecto conſtituit quidem maius peccatum obiectiuè, non autē formalitèr, & adhæſiuè, in quo conſiſtit malitia ſecundum ſe; nec exemplum allatum à Soto aliquid euincit; quandòquidem ex ſpeciali iure teſtimonij diuini, cui fides innititur, excluditur quæcunque ratio ſuſpicandi, & opinandi.

Si fuerit cum opinione malitiæ cum formidine tamē partis oppoſitæ non eſt læthale.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

7 Reſpondeo tertiò. Quantumuis ea, quæ dicta ſunt in præcedentibus duabus reſponſionibus quoad excluſionem malitiæ læthalis, verum habeant, quando illæ ſuſpiciones ex leuibus inditijs procedunt ex errore quodam intellectus, quo apre-

Inuoluũt culpã læthalē, quã do procedunt ex prauo affectu opinantis.

hen-

hendantur illa inditia, tanquam ſufficientia ad ſuſpicandum, verum tamen non habent, quando procedunt ex prauo affectu, vel odio opinantis, ſeu ſuſpicantis aduerſus eum, contrà quem ſuſpicatur. *D.Thomas 2.2.q.60.art.3., Sotus d.lib.3.de iuſt.qu.4. art. 3., Leſſius lib. 2. de iuſt.c. 29. dub.3.n.21.* Ratio ex eo deducitur, quia motiuum, ex quo procedunt huiuſmodi ſuſpiciones, eſt ſecundum ſe peccaminoſum læthalitèr, cum ſit ira, & prauus affectus ſuſpicantis aduerſus alterum, & voluntariè ſuſpicatur, vt eum contemnat, & pro vili habeat, ergo & ipſæ ſuſpiciones erunt læthalitèr peccaminoſæ; Neque obeſſe poteſt, quod huiuſmodi ſuſpiciones non ſint cum omnimoda firmitate, hoc eſt cum aſſenſu non omninò firmo, ſed vel cum dubitatione, quæ in neutram partem inclinat, vel cum opinione, quæ quantumuis in alteram partem inclinet, ſtat tamen cum formidine ad oppoſitam partem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt bene notat *Leſſius d. lib.2. c.29. dub.3.n. 22.* non minus iniurioſum eſt velle de altero pertinacitèr iudicare, ac velle pertinacitèr ſuſpicari ex prauo voluntatis affectu. Deindè licet ſuſpicando ex ira, & odio non firmitèr iudicet ex parte obiecti, dum putat poſſe fieri, vt aliter res ſe habeat, tamen ex parte ſubiecti videtur firmiter iudicare, (Procedit ex motiuo læthalitèr peccaminoſo.) quia in illa ſuſpicione ex ira, & prauo affectu vult perſiſtere, quantumuis nouerit indicia non eſſe ſufficientia, & in hoc non eſt minor iniuria; ac ſi abſque tali pertinatia male iudicaret. Hæc fermè ad verbum colligo ex *eodem Leſſio loc. cit.*

8 (Si ſit cum firmo aſſenſu eſt peccaminoſa læthalitèr.) Reſpondeo quartò. Si ſuſpicio, quam ex leuibus inditijs Andræas concipit de Titio, conſiſtat in firmo aſſenſu ſine hæſitatione ad partem oppoſitam inducit regularitèr peccatum læthale *D. Thomas 2. 2. q. 60. art.3. in corpore, Sotus d.lib.3. de iuſt. q.4. art. 3.* hocque etiam ſentire videtur *D. Auguſtinus tract. 90. in Ioannem*. Ratio in promptu eſt, quia illud iudicium, ſeu firmus aſſenſus, cum non ſit cum ſufficientibus indicijs, temerarius eſt, & cum ſit in re graui, & ſine hæſitatione determinata parit in ſuſpicante, ſeu iudicante prauam æſtimationem de proximo, de quo efformatur illa ſuſpicio, ſeu iudicium; vndè bene ſubdit *D.Thomas loc. cit.* hoc iudicium non eſt ſine contemptu proximi. Confirmatur *ex D. Auguſtino loc. cit.*, vbi ſic habet. *Et ſi ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus, iudicia tamen, ideſt definitiua, firmaſque ſententias continere debemus*; ex quibus importatur onus abſtinendi ab huiuſmodi iudicijs, tanquam elicienti liberis, & proximo noxijs, quæ propterea, cum præſupponantur eſſe de re graui, non poſſunt, niſi inuoluere noxam grauem.

Reſpondeo quintò. Si illa ſuſpicio ſit in Iudice, & per leuia inditia, & ex illa moueatur ad quemquam condemnandum, inducit ex genere ſuo grauius peccatum *D. Thomas, Sotus, Caetanus loc. cit.* 9 (Si ſit in iudice, & ex illa cōdemnet aliquem peccat lęthalitèr.) Non difficilis ratio huius reſponſionis, cum tum ex qualitate perſonæ ſuſpicantis, tum ex damnis, quę inde proueniunt, colligatur maior iniquitas, & quidem ex qualitate perſonæ ſuſpicantis colligitur ex eo, quod, cum ipſe ſit cuſtos iuſtitiæ, debet cautiùs in ſuis iuditijs procedere, nec niſi legitimis indicijs moueri; ex damnis verò ex eo elucet, quod ex Iudicis ſententia non procedente iuxtà formam iuris, inique procedunt condemnationes, & punitiones &c.

---

§. V.

An huiuſmodi ſuſpiciones, prout ſunt peccata, ſint contrà iuſtitiam, an verò præcisè contrà charitatem.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Sententia negans eſſe contrà iuſtitiam. 2.
Sententia aſſerens eſſe contrà iuſtitiam. 3.
Satisfit rationibus oppoſitæ ſententiæ. 4.
Præfertur ſententia aſſerens eſſe contrà iuſtitiam. 5.

DIſquiſitio V. Iuxtà dicta in præcedenti diſquiſitione in pluribus contingit ſuſpicantem peccare læthalitèr; 1 (Exponitur titulus in terminis particularibus.) primò, ſi in re graui mala ſuſpicetur non ex errore intellectus, quo arbitretur indicia eſſe ſufficientèr inducentia ad rationabilem credulitatem, cum tamen in ſe talia non ſint, ſed ex peruerſo voluntatis affectu eiuſdem ſuſpicantis in proximum puta ex odio, inuidia &c. Secundò, quatenus ex leuibus inditijs firmiter aſſentitur in re etiam graui aduerſus alterum. Quæritur iam, an huiuſmodi peccata ſint contrà iuſtitiam, an verò dumtaxat contrà charitatem.

2 (Sententia negans eſſe contra iuſtitiam.) Videtur abſolutè dicendum, non eſſe contra iuſtitiam, ſed dumtaxat contra charitatem; primò, quia *D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 3. in fine corporis*, dicit ſpecialiter pertinere directè ad iniuſtitiam, quando Iudex ex ſuſpitione procedit ad aliquē condemnandum, ergo quando alius à Iudice

dice ex leuibus inditijs procedit ad malū quid de proximo ſuſpicandum non peccabit contrà iuſtitiam, cæteroqui non eſſet, cur D. Thomas ſpecialitèr dixiſſet eſſe peccatum iniuſtitiæ iudicium Iudicis cum ſolis leuibus inditijs, & hoc tanto magis, quanto requiritur in Iudice ratione proprij muneris in iudicando non procedere, niſi cum legitimis, & iuridicis fundamentis, cum ex eius iuditio mala pleraque etiam externa proueniant.

Rationes pro eadē ſententia negante. Secundo, quia iuſtitia non verſatur, niſi circa actus externos, prout docet *D. Thomas 2. 2. q. 58. art. 8. in corpore*, quod *iuſtitia, cum ordinetur ad alterum, ſit ſolum circa exteriores rationes, & res ſecundum quandam rationem obiecti ſpecialem*, ſed illæ ſuſpitiones quomodocunque ſumantur, niſi exeant in ſententiam, detractionem, & contumeliam verſantur circa actus internos ſuſpicantis, ergo non verſantur circa materiam iniuſtitiæ, adeoq; non ſunt vitia contrà iuſtitiam.

Tertio, quia, ſi huiuſmodi ſuſpiciones eſſent cōtrà iuſtitiam, obligarent ad reſtitutionem, ſed hoc verum non eſt, cum nō innoteſcat, cui, vel quomodo facienda ſit reſtitutio ex illis iniuſtis ſuſpicionibus, ergo &c. His tamen non obſtantibus.

3 Sententia Leſſij aſſerentis eſſe cōtrà iuſtitiam. Reſpondet *Leſſius lib. 2. de iuſtitia, & iur. d. c. 29. c. 3. num. 26., & ſeqq.*, huiuſmodi ſuſpitiones eſſe peccata contrà iuſtitiam, & reſpondet ad omnia expoſita argumēta, & quidem ad primum dicit ſpecialitèr D. Thomam iuditium Iudicis ex leuibus inditijs eſſe contra iuſtitiam, quia ille actus non ſiſtit in mera voluntate Iudicis, ſed etiam extrinſecus extrahitur ad damna eius, contrà quem ex illa leui ſuſpicione, ſeu leuibus inditijs iudicat; ex hoc tamen non ſequitur, quod ſuſpiciones aliorum non ſint contrà iuſtitiam, quod rectè indicauit idem *D. Thomas 2. 2. d. q. 60. art. 3. ad 3.*, dum dixit. *Iudicium autem interius pertinet ad iuſtitiam, ſecundum, quod comparatur ad exterius iudicium, vt actus interior ad exteriorem ſicuti concupiſcentia ad fornicationem*; conformitèr ad quæ verba *Caietanus ibid.*, ſubdit, *eiuſdem rationis eſt iniuria temerarij iudicij intus, & extra, quāuis ſit æquale nocumentum*; ex quibus habes, quod ipſa ſuſpicio de re graui ex leuibus fundamentis ſit quidem formalitèr contra iuſtitiam, non autem quoad effectus, quatenus cum nihil extra iudicantem cauſauerit, non tenetur etiam extrà ponere reparationem.

4 Satisfit rationibus ſententiæ oppoſitæ. Ad ſecundum reſpondet verum eſſe regularitèr iuſtitiam verſari circa actus externos, verum non vniuersè. Addit vlterius dici iuſtitiam verſari circa actus externos, quatenus verſatur circa alios actus non elicitos à voluntate, qui actus dicuntur eſſe extra voluntatem. Ad tertiam ego iuſtitiam verſari quidem circa actus externos vltimato, & obiectiuè, & hac ratione ſuſpiciones, de quibus loquimur, verſantur circa famam alterius, quæ læditur penes ſuſpicantem, quantum eſt ex affectu ipſius.

Ad tertium reſpondet primo, reſtitutionem dumtaxat faciendam eſſe, quando actio iniqua proceſſit in opus externum puta, vel per ſententiam, vel per detractionem, vel per contumeliam, non autem quando ſiſtit merè in mente ſuſpicātis, nec per hoc deſinit eſſe contrà iuſtitiam, cum ſit eiuſdem rationis ſecundum ſe, ſiue ſit intra, ſiue extrà, vt aſſerebat Caietanus ſupra allegatus. Secundo ſubdit quoquomodo obligare ad reſtitutionem; cum etenim illæ ſuſpiciones afferant damna quædam famæ in proximo in mēte iudicantis, vtique ex iuſtitia obligant ad reparanda huiuſmodi damna, eo modo, quo ſunt per ablationem ipſarum à mente, ſcilicèt ſuſpicantis.

Adhæreo opinioni Leſſij, & arbitror huiuſmodi ſuſpiciones modo, quo ſupra conceptas eſſe formalitèr contrà iuſtitiā. 5 Præfertur ſententia aſſerens eſſe cōtra iuſtitiam. Rationem ex eo deduco primo; quia iuſtitia obligat ad non lædendam famam alterius ſine rationabili fundamēto, ergo qui eandem lædit peccat contra iuſtitiā; ſed, qui temere ſuſpicatur de alio in re graui, vel ex prauo affectu, vel ex ira, vel firmitèr adhæret ſenſui, quod alius exormitèr deliquerit, lædit famam ipſius apud ſe ipſum contrà ius eiuſdem læſi, qui non ſolum habet ius, vt fama propria ſeruetur illæſa non ſolum apud alios, ſed etiam pænes ipſum delinquentem, ergo peccat contrà iuſtitiam. Confirmatur ex ijs, quæ tradit D. Thomas loco citato, nempè, quod comparetur huiuſmodi ſuſpicio, ſeu iudicium internum ad exterius, ſicuti concupiſcentia ad fornicationem, ſed non minus eſt contrà virtutem caſtitatis concupiſcentia, quam ſit fornicatio, cum hoc ſolum diſcrimine, quod fornicatio exit in actum externum, ergo non minus erit contrà iuſtitiam ſuſpicio, ſeu iudicium internum, quam ſit externum, cum hoc ſolo diſcrimine, quod hoc tranſijt in alios, cum nocumento proximi apud ipſos.

§. VI.

§. VI.

An narrans amico iniuriam ſibi ab alio ſecreto illatam ad leniendum dolorem, peccet læthalitèr.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in caſu particulari. 1.
Si manifeſtet amico ad liniendum dolorem non grauitèr peccat. 2.
Si manifeſtauerit ex fine lædendi famam delinquentis, grauitèr peccauit. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.
Si ad leniendum dolorem proruperit in querimonias pluribus audientibus non peccauit lethalitèr. 5.

1 *Exponitur ſeries diſquiſitionis.* DIſquiſitio VI. Antonius delictum aliquod atrox commiſerat aduerſus Sempronium, puta, vel filiam eius ſtuprando, vel violentèr carnalitèr cognoſcendo vxorem, vel furtum fraudulentum in res ipſius familiares committendo. Sempronius ad liniendum dolorem ex illa iniuria ſibi facta illam cum delicto perpatrato narrauit amico, vel fortè etiam in querimonias publicas prorupit, ex quo delictum illud fuit pluribus manifeſtatum. Quæſitum hic fuit, an idem Sempronius ſic narrando, & manifeſtando contraxerit culpam læthalem detractionis. Suppono Antonium independentèr ab illo crimine patrato eſſe perſonam communitèr honeſtam, & bonæ famæ, & exiſtimationis reputatam; ſi etenim eſſet de ſimilibus delictis ſæpius diffamatus, non conſtituerem Sproniū reum grauis criminis ex illa narratione, & manifeſtatione.

Rationes ſuadentes grauitèr peccare. Videtur abſolutè dicendum grauis criminis eſſe reum, quandoquidem ex quo delictum eſt occultum, ius habet delinquens, ne propalletur cum ipſius infamia, potiſſimum cum illa narratio, & propalatio etiam per modum quærimoniȩ non poſſit conferre ad vtilitates narrantis, & conquerentis, cum audiens, ſeu audientes non poſſint eidem prodeſſe ad reparationem illius iniuriæ. Nihilominus

2 *Si manifeſtet amico ad liniendum dolorem, non peccat grauitèr.* Reſpondeo primo, ſi Sempronius narret ſecreto amico iniuriam ſibi illatam ab Antonio ad liniendum dolorem ex illa conceptum, non eſt conſtituendus reus grauis criminis *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. num. 3.45., Tannerus in 2. 2. D. Thomæ diſp. 4. p. 8. dub. 7. nu. 145., Siluius in 2. 2. D. Thomæ q. 62. art. 2. quæritur 15., Leſſius lib. 2. c. 11. dub. 12. nu. 72., Laiman in Theologia morali lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 2. c. 3. nu. 6.* Procedit reſponſio independentèr ab ea ſententia, qua multi aſſerunt licere delictum alterius quantūuis ſecretum vni, vel alteri prudenti viro manifeſtare cum morali credulitate, quod ille, vel illi non ſint alijs manifeſtaturi. Ratio ex eo deducitur, quia ſic narrando amico iniuriam ab altero acceptam vtitur iure ſuo, potiſſimum, ſi hoc præſtet ad liniendum dolorem inde conceptum, & nimis durum eſſet, & præter ſocialem cōſuetudinem, quæ viget inter homines præcipuè familiares, ſi læſus communicando alteri ſuum dolorem nequiret illū mitigare; nec obſtat, quod indè ſequatur alterius infamia apud amicum ſaltem audientem; non obſtet, inquam, quia hoc omnino per accidens euenit, & author illius iniuriæ debet ſibi imputare, quod illud crimen commiſerit, non eidem læſo, qui ius habet dolorem, quem ob iniuriam ſibi illatam concepit, mitigandi, & ſicuti ex infamia, quȩ poteſt prouenire authori, non impeditur læſus, quia ad euitanda damna, quæ ſibi ex crimine alterius prouenire poſſunt, poſſit factum aperire Aduocato, vt conſilium ab eo accipiat, ita ad liniendum proprium dolorem ob iniuriam ſibi allatam conceptum, ex infamia iniuriantis non poterit impediri, quin delictum in eadem iniuria imbibitum amico aperiat. *Rationes pro reſponſione.*

Dixi *ad liniendum dolorem*, nam, ſi iniuriam illam, ſeu delictum, ex qua illa prouenit, aperiret ad effectum alteri detrahendi ad vindictam, tunc *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. nu. 345., Leſſius lib. 2. de iuſtit., & iur. c. 11. dub. 12. nu. 72.* docent ſic aperientem grauitèr peccare cum directè intendat offendentis famam denigrare, cum ad hunc finem determinatè aperiat, nec poteſt excuſari ex eo, quod quodamodo indè proueniat mitigatio doloris, quia actiones ſpecificantur a fine, ad quem directè diriguntur, non ab eo, quod ſecundario, & per accidens prouenit. Solum ijs, quæ hic dicuntur, aduerſari poteſt primo, quod intentio operantis prauè in mente retenta non poſſit efficere, quod illa narratio facta amico ſit peccaminoſa grauitèr contra iuſtitiam, ſi ſecundum ſe ſumpta non ſit talis, cum intentio non ſit cauſatiua damni, niſi quatenus coniungitur cum actione externa apta ſecundum ſe illud damnum cauſare, quod obligat ex iuſtitia, Secundo, quia læſus ſic narrans iniuriam ſibi collatam amico, etiam ad illum effectum detrahēdi lædenti ob vindictam ponit compenſationem iniuriæ pro iniuria, quod videtur eſſe ſine noxa ſaltem læthali. Nihilomi- 3 *Si manifeſtauerit ad vindictam probabilius peccauit lęthalitèr*

lominus facilis videtur ſolutio huiuſmodi rationum. Dicendum namque eſt ad primam, narrationem illã externam aptam eſſe ſecundum ſe ad cauſandum illud damnum, & per conſequens, ſi coniungatur, cum prauo illo animo detrahendi, habet quidquid requiritur ad veram rationem culpæ iniuſtitiam inuoluentis; quod ſi dicatur, quod illa narratio, quando fit ad finem liniendi dolorem, non ſit peccaminoſa, nec obliget ad aliquam

4 Soluũtur rationes oppoſitæ.

compenſationem, ac proindè non poſſit fieri talis ex ſolo fine narrantis in mente retento; ſi, inquam, hoc dicatur, ſtatim reſpondebitur, non eſſe peccaminoſam ex illo fine liniendi dolorem, quia non deprauatur ex fine, nec ex obiecto directè intento, cum hoc ſit ius competens ipſi læſo mitigandi dolorem; per hoc tamen non tollitur, quin ſequatur aliqua læſio offendentis, quæ tamen non attenditur, cum veniat ſolum per accidens, indirectè, & in conſequentiam; cum autem ex fine præcisè detrahendi ponitur illa narratio, quæ apta eſt ſecundum ſe ad ponendam illam læſionem, iam ex fine ponitur actio peccaminoſa, & cum hæc ſit apta cauſare illud damnum, non eſt, cur non ſit contra iuſtitiam, adeòque &c. Ad ſecundum dico, non licere fieri compenſationem infamiæ, vt ſi alius te infamauerit, tu viciſſim poſſis illum infamare, quia hoc manifeſtè importat vindictam, & aduerſatur illi Apoſtoli, *Nolite reddere malum pro malo*.

5 Si læſus ad leniendũ dolorẽ proſũpat in querimonias pluribus audientibus, non peccat lęthaliter.

Reſpondeo ſecundò. Si Sempronius grauitèr læſus, ſeu iniuriatus ab Antonio ad leniendum dolorem prorumpat in quærimonias pluribus audientibus, ex quibus iniurians, ſeu lædens infametur, ſeu quodamodo in fama lædatur, probabilius non peccat læthalitèr *Ioannes della Crux in direct. confeſſar. par. 8. q. art. 2. dub. 3. concl. 1.*, qui etiam pro ſe citat *Ludouicum Lopez*, atque ipſi adhærere videtur *Diana part. 3. tract. 5. reſol. 22.*, quamuis præcisè ibidem recitet opinionem eiuſdem Ioannis della Crux. Ratio ex eo deduci poteſt, quia naturale videtur homini in tali, vel ſimili circunſtantia dolorem conceptum etiam per quærimonias exprimere, illumq; cohibere nimis arduum, & contrà propenſionem naturæ foret, ergo natura ſic quodamodo impellente in quærimonias in tali circunſtantia prorumpere non erit grauitèr peccaminoſum. Accedit, quod audientes in ſimili circunſtantia non valdè firmentur in illis quærimonijs, cum tribuant dolori conquerentis, & iræ potius attribuant, quam veritati; quod ſi poſtea aliqua conſequatur infamia in lædente, hæc erit per accidens, vt ſupra.

§. VII.

An narrans alterius peccata, quæ audiuit aſſerens ſe nihil certo ſcire, peccet læthalitèr.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Sententia eximens ſic narrantem à culpa læthali. 2.
Sententia ſubdens noxæ læthali. 3.
Narrans præcisè ex alterius auditu, qui non ſit fide dignus, probabilius non contrahit noxam læthalem. 4.
Si ille, ex cuius auditu narrat, ſit probatæ fidei, ipſe tamen narrans ſit notæ infidelitatis probabilius obiectiuè grauitèr non peccat. 5.
Intellige, ſi probalitèr putet auditores ſibi non credituros. 6.
Si tam narrans, quàm ille, ex cuius auditu narrat, ſint probatæ fidei, probabilius narrans peccat contrà iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. 7.
Eſt grauior culpa, ſi perſona, de qua ſit illa narratio, ſit notæ probitatis. 8.

DIſquiſitio VII. Enuntiauerat Caius coram Franciſco nonnulla delicta perpetrata, vt ipſe dicebat ab Antonio. Idem Franciſcus eadem, vt audita ab eodem Caio narrauit alijs, aſſerens tamen expreſsè ſe certò de illis nihil ſcire, ſed tantum retuliſſe ea, quæ audiuit. Quæſitum hic fuit, an Franciſcus per illam narrationem peccauerit læthalitèr. 1 Exponitur factũ in ſuis terminis.

Probabilem opinionem aſſerunt eam eſſe, quæ eximit eundem Franciſcum à noxa læthali *Caietanus in 2. 2. D. Thomæ qu. 33. art. 2. dub. 2.*, *Tannerus item in 2. 2. diſp. 4. q. 8. dub. 7. nu. 139.*, *Silueſter verb. detractio q. 4. except. 5.*, *Armilla verb. reſtitutio nu 4. except. 7.*, *Diana part. 3. tract. 5. reſol. 28.*, *Faber de reſtit. in 4. ſentent. diſt. 15. q. 3. diſp. 53. c. 1. n. 29.* Ratio ipſorum ea eſt, quia in tali hypotheſi damnificatio in fama reſpectu Antonij, ſi quæ inde contingit, non tam prouenit ab eodem Franciſco narrante, quam à credentibus, qui ſine ſufficienti fundamento aſſenſum præbent; vndè ſubdunt, quod, ſi narrans non addat aliquam maiorem certitudinem, quam ſit illa, quæ ex Caij relatione habetur, non teneatur ad reſtitutionem. 2 Sententia eximẽs ſic narrãtem à culpa læthali.

Contrariam opinionem probabiliorem exiſtimant *Sotus de iuſt. & iure lib. 4. qu. 6. art. 3. ad quartum*, *Malderus in 2. 2. tract. 7. c. 1. dub. 13.*, *Turrianus in 2. 2. tom. 2. diſp. 53. dub. 10. n. 8.*, *Azorius part. 3. lib.* 3 Sententia ſubdens noxæ læthali.

Digitized by Google

13. c. 6., *Leſſius lib. 2. c. 11. dub. 5., Laiman Theologiæ mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 2. c. 3. n. 7.* Rationem ipſorum eam eſſe existimo, quia per talem narrationem delictorum, quantumuis aſſerat, ſe certò nihil ſcire, ingerit in audientium animos vehementem ſuſpicionem de veritate narratorum, potiſſimum cum homines procliues ſint ad ſiniſtrè ſentiendum, & ſic eſt narrans cauſa iniuſta, cur fama alterius apud plures amittatur.

Variæ cõſiderationes circà propoſitũ dubium.

Ego ſub varijs conſiderationibus præſens dubium dirimendum exiſtimo, & in primis conſidero, an perſona, à qua Franciſcus audiuiſſe refert illa crimina commiſſa ab Antonio, fuerit notæ fidei, & probitatis, adeò vt regularitèr eius dictis fides adhibeatur, an non; & ex ſuppoſitione, quod fuerit talis, an enuntiauerit eidem Franciſco illa delicta ex ſcientia, an ex aliorum auditu. Secundò, an Franciſcus, qui alijs narrauit; & de quo modo eſt quæſtio, ſit fide dignus, & bonæ exiſtimationis apud Auditores, an verò perſona nimiæ loquacitatis, & modicæ fidei; Tertio in ordine ad auditores, an ipſi ſint facilis credulitatis, & leuitatis, vt regularitèr etiam ex leuibus inditijs præſtent aſſentum, an verò non ità leues, vt regularitèr non moueantur ad credendum, niſi ex firmis inditijs. Quarto in ordine ad obiectum, an ſcilicèt illa crimina, quæ fuerunt narrata per eundem Franciſcum, fuerint grauia & enormia, an verò dumtaxat leuia. Quinto in ordine ad modum narrandi, an expoſuerit ſcilicèt cum talibus, vel talibus circunſtantijs, vt delicta illa reddiderit credibilia, an è contrà, & an ſeriò narrauerit, an quaſi iocoſe. Sexto in ordine ad perſonam, de qua facta eſt illa narratio, an ſcilicèt fuerit honeſta, & non conſueta talibus criminibus, an verò diffamata, & ſimilibus noxis obnoxia. His poſitis

4 Narrans præcisè ex alterius auditu, qui ſit notæ infidelitatis, probabilius non peccat læthalitèr.

Reſpondeo primò. Si Caius, ex cuius perſona, ſeu auditu Franciſcus narrat illa crimina Antonij non fuerit notæ fidei, & probitatis, quin potius notæ infidelitatis, & improbitatis, & Franciſcus robur in narratione ipſius dictis non addiderit, ſed præcisè retulerit, & ex aduerſo, ſi Antonius habeatur pro perſona honeſta, & notæ probitatis, probabilius eſt, quod Franciſcus ex illa narratione non contraxerit noxam læthalem. In hanc reſponſionem propendere exiſtimo *Caietanum 2. 2. q. 63. art. 3., Nauarrum c. 18. n. 48., Adrianum in 4. quæſt. de reſtit. famæ in fine, Silueſtrum verb. detractio q. 4.* dum aſſerunt, quod qui dant, non niſi leue fundamentum malæ æſtimationis, non peccent læthitère. Ratio reſponſionis ex eo deducitur, quia illa narratio facta à Franciſco ſine aliqua auctoritate eiuſdem ex auditu præcisè Caij non habet aliquam vim ad inducendum ad credulitatem, niſi ex perſona eiuſdem Caij, ex quo originalitèr prouenit, ſed perſona eiuſdẽ Caij, vtpotè non notæ fidei, & probitatis, quin potius improbitatis, & infidelitatis non tribuit fundamentum prudentis credulitatis, præcipuè cum obſtet tali credulitati ex altera parte honeſtas, & probitas Antonij, de quo euulgauit illa crimina, ergo, cum illa narratio non habeat vim, niſi in dicto perſonæ non dignæ fide, poteſt eſſe præſumptio ex parte exponentis, quod non ſit periculum infamiæ reſpectu Antonij, de quo illa narrantur, & ſic, ſi Auditores credant, illorum potius leuitati erit imputanda credulitas, quam narrationi Franciſci; atque iuxtà hunc ſenſum, vel ſimilem arbitror præcisè locutos eſſe Auctores primæ ſententiæ.

Maximè, ſi ille, de quo narratur, ſit perſona honeſta.

5 Si ille, ex cuius auditu narrat, ſit probatę fidei, & ipſe narrãs notæ infidelitatis obiectiuè non peccat grauitèr.

Reſpondeo ſecundò. Si Caius, ex cuius auditu Franciſcus narrauit illa crimina Antonij, fuerit notæ probitatis, & fidei probatæ, & Franciſcus referens fuerit notæ loquacitatis, & infidelitatis, probabilius obiectiuè grauitèr non peccat, ſi rationabilitèr putat auditores ſibi non credituros, ſecus, ſi putet rationabilitèr ex leuitate ipſorum ſibi fidem præſtituros; in dubio autem, an ſint credituri, nec ne, probabilius grauitèr non peccat obiectiuè. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, cum ex vna parte ſit notæ improbitatis, facilè non inducit credulitatẽ, & ſi fortè induceret, eſſet potius ex leuitate auditorum, quam ex ipſius auctoritate; ex alia, cum probabilitèr ſibi ſuadeat ex eorum more, & propria prauitate cognita eos non credituros, certus moralitèr eſt, quod ipſius narratio, nec fidem ingeret, nec malam exiſtimationem, adeòque obiectiuè, hoc eſt quantum pertinet ad læſionem proximi, non peccat læthalitèr. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia qui aduertit ex ſuis dictis, vel factis alium grauitèr lædendum, vel in bonis fortunæ, vel in bonis famæ, & & honoris, tenetur ab illis dictis, & factis ſaltem ex lege charitatis abſtinere, ſi poteſt ſine ſuo detrimento, quantumuis ex alterius culpa id videat prouenturum, quiſque enim tenetur conſulere indemnitati proximi, & non ponere occaſionem damnorum. Vtrum verò in hac hypotheſi peccet etiam contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem famę, negatiuè ſentiunt *Caietanus 2. 2. q. 73. art. 3., Nauarrus in manual. c. 18. nu. 48., Silueſter verb. Detractio q. 4.* Rationem ex eo deducunt, quia per talem narrationem nõ eſt cauſa effi-

Quid ſentiendũ ſit in dubio, an auditores crediturì ſint nec ne.

Digitized by Google

efficax damni, cum illud merè per accidens ex illa narratione ſequatur, & per ſe ſolum prouenit ex leuitate credentium, cum ipſius dicta attenta qualitate perſonæ non ſint apta fidem parere, quorum opinioni non inuitus adhæreo. Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quia in dubio, an credituri ſint, nec ne, ex qualitate perſonæ narrantis præſumendum videtur, cuius modica fides, & probitas, cum ſit nota audientibus, non videtur poſſe ex ſe gignere certam fidem; vndè, ſi ipſi audientes credant, iuxta ſuperius dicta hoc potius eorum leuitati, quam fidei narrantis atribuendum eſt.

6 Si iocosè narret, nō peccat lethalitèr.

Hinc etiam deducere poteris, quod, quantumuis Franciſcus narrans fuerit notæ fidei, & probitatis, ſi tamen iocosè narret, & non ſerio, non ſit eidem narratio imputanda ad culpam læthalem, cum ex modo loquendi non inducat prudentē credulitatem, quæ ſi fuerit poſita, non erit ex ipſius fide, ſed ex leuitate credentium.

7 Si tam narrans, quā ille, ex cuius auditu narrat, ſint probatæ fidei peccat læthalitèr contrà iuſtitiam.

Reſpondeo tertio, ſi tam Caius, à quo originalitèr prouenit illa manifeſtatio, quàm Franciſcus, qui ex auditu illius proximè narrauit, fuerint notæ fidei, & probitatis, & hic cum talibus circunſtantijs narrauerit, vt nedum leues, ſed etiam prudentes viri prudentèr crederent, abſolutè Franciſcus narrans peccat contrà iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem famæ *Sotus lib. 4. de iuſt. qu. 6. art. 3. circa quartum argumentum, Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 11. dubit. 5. nu. 18.*, & cum his ſentire exiſtimo quotquot ſuſtinent abſolutè ex tali narratione oriri iniuſtitiam, & onus reſtitutionis. Ratio ex eo deducitur, quia concurrentibus illis conditionibus tam ex parte narrantis, quàm ex parte eius, ex cuius auditu narrat, narratio ipſa inducit ſufficiens fundamentum prudentis credulitatis, ergo Franciſcus narrans eſt cauſa efficax, cur audientes credant, adeoq; admittant malam exiſtimationem de perſona, de qua fit illa narratio, adeoq; peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reparationem bonæ famæ indè violatæ. Confirmatur, quia, ſi quis abſolutè diceret, alium commiſiſſe graue delictum, alijq; audientes crederent, certè peccaret contrà iuſtitiam, & obligaretur ad reſtitutionem famæ, ſed quando quis narrat in talibus, vel talibus circunſtantijs, & adducto auctore, cui ex conditione propriæ bonitatis, & fidei merito regularitèr præſtatur plena fides, non minus, ac ſibi ipſi præſtaretur, perindè ſe habet quoad effectum prudentis credulitatis, ac ſi ipſe abſolute narraret, quandoquidem quoad efficaciam mouendi ęquè prodeſſe poteſt auctoritas adducta perſonæ bonæ fidei, & probitatis præcipuè, ſi ſit allata a perſona etiam talis fidei, & probitatis, ac dictum abſolutum narrantis, ergo &c.

8 Si perſona, de qua fit illa narratio ſit honeſta, & in communi bona exiſtimatione eſt grauior, ſi induxerit auditores ad credēdum.

Reſpondeo quarto, ſi narratio facta à Franciſco fuerit circa perſonam honeſtā, & quoad communem æſtimationem nō aſſuetam talibus criminibus, quæ de ipſa narrantur, grauior eſt ipſius narrantis culpa, ſi efficacitèr induxerit ad credulitatem audientes, ſecus, ſi ita crediderint ex propria leuitate ex leuibus motiuis; ſi verò fuerit circa perſonam criminoſam, & in communi conceptu aſſuetam ſimilibus noxis, vel nulla erit culpa narrantis, vel leuior, etiam ſi efficacitèr induxerit auditores ad credendum. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia quo perſona honeſtior offenditur, eo grauior eſt ex genere ſuo culpa offendentis, ſic grauius eſt delictum, ſi offendas, vel in perſona, vel in fama Principem, ac ſi offendas plebæum, ergo, ſi efficacitèr per illā narrationem inducantur audientes ad malè ſentiendum de perſona honeſta, & ſecundum cōmunem conceptum non aſſueta talibus noxis, inducens grauius peccabit, ac ſi induceret ad ità ſentiendum de perſona criminoſa, & aſſueta ſimilibus criminibus; Neque dicas, quod cum perſona, de qua fit illa narratio, reputetur cōmunitèr honeſta, & non aſſueta illis criminibus, potius retrahat auditores à credulitate, quam inducat, & propterea, quod ex parte narrantis potius culpam alleuiet, quam aggrauet, cum ponat motiuum difficilioris credulitatis, vndè hæc videtur procedere ex leuitate eorundem credentium; contrà enim impugnaberis, quia, cum ex conditione eius, à quo originalitèr prouenit illa notitia, cum ex qualitate propriæ perſonæ, & ex circunſtantijs, & modo narrandi narrans ipſe ſupponatur efficacitèr mouiſſe ad credēdum de illa perſona honeſta illa crimina, non poteſt excuſari à maiori grauitate criminis ratione honeſtatis, & dignitatis perſonæ læſæ; nam, & ſi quodamodo talis honeſtas, & dignitas videatur retrahere à credendo, motiua tamen, quæ induxerunt ad fidem præſtandam, præualuerunt, & ſic viget argumentum, quod quo dignior eſt perſona læſa, eo grauior ſit culpa lædentis. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia culpa, & iniuſtitia, quæ conſurgit, vel conſurgere poteſt ex illa narratione, deſumitur penes inuoluntarietatem, quæ eſt in perſona læſa, vt alibi ſæpè commendauimus ex mente D. Thomæ, ſed perſona criminoſa, & aſſueta criminibus, vel non eſt inuolunta-

Digitized by Google

ria, vel ſaltem non grauitèr talis, quod ſimilia crimina de ſe ipſo narrentur, & credantur, cum vix habeat bonam famam apud homines, ergo &c.

Nonnulla corrollaria ad ſuperius dicta.

Ex his omnibus habes, quod, ſi Franciſcus narrans huiuſmodi crimina de Antonio efficacitèr induxerit auditores ad credendum ex propria cauſa, non ex leuitate ipſorum, & narratio illa fuerit circa obiectum graue, & culpa ipſius ſit grauis, ſi verò fuerit circa obiectum leue, & non grauitèr lædens, culpa ipſius non ſit, niſi leuis, niſi fortè ratione qualitatis perſonæ inducat grauia damna, & mortalem læſionem grauem in fama, & bona æſtimatione eiuſdem, cum ex ſuperius dictis id, quod reſpectu vnius eſt leue, reſpectu alterius ſit graue, ſic, ſi dicatur de iuuene in delitijs innutrito, quod fæminas concupiſcat, leue delictum eſt, ſi verò hæc, vel ſimilia dicantur de perſona Religioſa, vel ſpiritualibus dedita erit peccatum graue.

---

§. VIII.

An detrahere de fama mortui ſit peccatum læthale.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Opinio aſſerens illam detractionem eſſe lathalem. 2.
Si manifeſtans huiuſmodi delicta poſt mortem delinquentis ea nouerit ex Sacramentali Confeſsione peccat lathalitèr. 3.
Etiam ſi nouerit extrà Confeſsionem. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 Factum elucidatur in terminis particulatibus.

DIſquiſitio VIII. Mortuus eſt Caius clericus, & Margarita nobilis fæmina relicto poſt ſe bono nomine, & fama penes ſuperſtites. Theodoricus poſt aliquod temporis à morte ipſorum expreſſis verbis manifeſtauit eoſdem adulteriũ, vel concubinatum commiſiſſe. Quæſitũ hic fuit, an Theodoricus in tali manifeſtatione læthalitèr peccauerit.

2 Opinio aſſerens illam detractionẽ eſſe læthalem.

Petrus *à Nauarra lib.* 2. *de reſtit. c.* 4. *nu.* 351. aſſerit apud neminem hanc quæſtionem inueniſſe, cum tamen quotidiana ſit, & practica; & poſtea adductis argumentis pro vtraque parte concludit illam manifeſtationem, ſeu detractionem eſſe peccaminoſam læthalitèr.

Nonnullę cõſiderationes circa factũ.

Vt clarius hac in re procedamus aduertendum eſt cum eodem Petro a Navarra, reuelantem, ſeu manifeſtantem, vel notum habere illud delictum, quod de mortuis manifeſtet ex confeſſione, ſi ipſe fuerit Sacerdos, vel alitèr ex cognitione aliundè habita extra Sacramentalem confeſſionem, & iuxtà hanc diſtinctionem quoad modum cognitionis dirimenda eſt difficultas; circa quam

Videtur iuxtà vtrumque membrum diſtinctionis dicendum talem manifeſtationem non eſſe peccaminoſam læthalitèr, eo quia mortui per illam vix lædũtur, nec amplius pati poſſint damnum quoad bona temporalia, inter quæ computatur fama, & honor, cum mortui perindè ſe habeant in ordine ad hæc bona, ac ſi non eſſet, & ipſi mortui quoad hæc bona non curant. Nihilominus

Reſpondeo primo. Si Theodoricus manifeſtans huiuſmodi delicta poſt mortem deliquentis nouerit ex Sacramentali confeſſione grauitèr peccat in illa manifeſtatione. Conſentit in hoc *Petrus à Nauarra lib.* 2. *de reſtitut. c.* 4. *num.* 351., & quotquot ſuſtinent ſigillum Sacramentale potiſſimum quoad peccata obligare etiam poſt mortem, quæ opinio eſt communis, & abſolutè tenenda. Ratio ex eo deducitur, quia ſic manifeſtando non ſolum infert iniuriam Sacramento, ſed etiã fidei debitæ perſonæ ſub ſecreto manifeſtanti, ergo grauitèr peccat. Antecedens probatur, quia non ſolum tenetur ex ſigillo naturali ſecretum ſeruare, ſed etiam ex vi ſacramenti, & ſic non ſeruando iniuriam facit eidem Sacramento. Rurſus, qui in confeſſione Sacramentali peccata ſua ſubmittit clauibus, ſubmittit ſub tacita conditione, ne manifeſtentur, cæteroqui non ſubmitteret, ergo non ſolum peccat contrà Religionem ratione Sacramenti, ſed etiam contrà fidelitatem ratione ſecreti, quinimmo etiam contrà iuſtitiam ratione infamiæ, quæ inde poteſt conſequi perſonæ, cuius manifeſtantur delicta. 3

3 Si manifeſtãs nouerit ex Sacramẽtali Confeſſione peccat læthalitèr.

Reſpondeo ſecundo. Si Theodoricus manifeſtans huiuſmodi delicta poſt mortem delinquentis nouerit aliundè, quam à Sacramentali Confeſſione probabilius peccat etiam grauitèr. Idem *Petrus à Nauarra loc. cit.* Rationem ex eo deduco, quia vnuſquiſque prudens, & honeſtæ conditionis ſtudet, vt bona ipſius fama, bonumque nomen ſeruetur incolume etiam poſt ipſius mortem apud poſteritatem, ergo ipſius pia mens læditur, dum fama per manifeſtationem illorum occultorum violatur. Ad hoc plurimum facit id, quod de quodam Romanorum Principe refert *Petrus à Nauarra loc. cit.*, qui iactitabat *ſe bonis fortuna à ſe obtentis, & honoribus delectari, quórum priora*, aſſerebat, *nemo à me eripiet viuo, altera ne mortuo* qui-

4 Etiã ſi nouerit extra cõfeſſionem.

quidem. Secundo graue peccatum eſt falſa teſtimonia de defunctis dicere, ergo etiam graue peccatum eſt eorum delicta occulta propalare, quia in tantum illud falſum teſtimonium intelligitur graue, in quantum ipſis præiudicium infertur, ergo ſunt capaces præiudicij illati in bonis famæ, & honoris, ergo, ſi per impoſitionẽ falſi criminis lædantur in fama, & honore, etiam lædentur per manifeſtationem criminis, ſed occulti, quia nõ ſolum fama denigratur per falſum, ſed etiam per verum, ſed occultum. Tertiò, quia defunctis quodamodo creſcit gaudium accidentale ex bona fama, quæ ex commemoratione bonorum operum, quæ in vita geſſerunt, conſurgit, ergo ex aduerſo eiſdem gaudium illud accidentale decreſcet ex mala fama, quæ ex narratione prauorum operum occultorum, conſurgit. Quartò, quia præiudicium quodamodo per illam manifeſtationem criminum occultorũ infertur coniunctis eius, de quo talia manifeſtantur, puta ipſius conſanguineis, & parentibus.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

5 Ad rationem, quæ ex aduerſo dicebatur, patet ex dictis quid ſit reſpondendum; dato etenim etiam, quod quoad bona temporalia defuncti damnum non patiantur quoad honorem tamen, & famam illud patiuntur, cum homines ex naturali inclinatione appetant gloriam, ſuique nominis odorem in poſteritatem relinquere, potiſſimum cum gaudium accidentale ex bono nomine conſurgens valdè diminuatur, & regularitèr redundet in familiam, ſeu coniunctos.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

§. IX.

An manifeſtantes delicta occulta defunctorum teneantur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Si ſecuta ſit præciſè læſio in fama defuncti non eſt facienda reſtitutio coniunctis. 2.
Eſt facienda ipſi defuncto per laudationem, & quomodo. 3.
Si illa manifeſtatio redundet aliquo modo in vniuerſam familiam defuncti, vtique eſt damnum reputandum. 4.
Et ſi orta fuerint damna, hæc ſunt reparanda. 5.

DIſquiſitio IX. Iuxtà caſum expoſitum in præcedenti diſquiſitione Theodoricus poſt mortem Caij nonnulla ipſius crimina occulta manifeſtauit, ob quam manifeſtationem diximus grauitèr peccaſſe. Hic iam quæritur, an ob illam manifeſtationem teneatur ad aliquam reſtitutionem, & quamnam? 1

Expoſitio diſquiſitionis.

Hic conſiderandum eſt, an ex illa manifeſtatione ſecuta fuerit ſolummodo læſio quoad famam, & honorem eiuſdem Caij defuncti, & in eo caſu inquirendum eſt, an reſtitutio ſit facienda hæredibus ipſius, & quomodo, an verò eidem defuncto per retractationem, vel alijs modis ſuperius aſſignatis, dum de reſtitutione famæ læſæ per manifeſtationem veri criminis occulti; an verò ex illa manifeſtatione ſecuta fuerit aliqua læſio in bonis temporalibus quoad coniunctos, quatenus ex illa eiſdem coniunctis emanarint damna, & in eo caſu inquirendum erit, an teneatur talia damna reparare, & quomodo.

Nonnullę cõſiderationes circa dubium.

Reſpondeo primò, ſi ex illa manifeſtatione ſecuta fuerit præciſè læſio in fama, & honore defuncti, nulla reſtitutio facienda eſt coniunctis, ſeu conſanguineis eiuſdem *Ioſeph Angles in Flor. in 4. ſent. q. de reſtit. honor. & bon. temp.*, *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. n. 353.* Ratio eſt, quia, quando iniuria non redundat in parentes, & hæredes, ſed præciſè in defunctum, intelligitur eſſe perſonalis; perſonalis autem iniuria defuncti non tranſit ad hæredes quoad ius exigendi pro illa compenſationem, & licet dicantur hæredes repræſentare perſonam defuncti, hoc intelligitur quoad onera, & iura realia, non autem quoad merè perſonalia, vt bene *Petrus à Nauarra loc. cit.* Confirmatur, quia modus potiſſimum reſtituendi propter famam ablatam per manifeſtationem veri criminis, ſed occulti eſt per laudationem perſonæ læſæ, cum nequeat fieri per retractationem, ſeu per aſſertum, quo lædens dicat à ſe manifeſtatum verum non eſſe; ſed quando læſio reſultat præciſè in perſonam defuncti, non poteſt reparari per laudationem aliorum ab ipſo defuncto, ſed per præciſam ipſius commendationem, ergo non eſt facienda reſtitutio hæredibus. 2

Si ſecuta ſit præciſè læſio in fama, non eſt facienda reſtitutio coniunctis.

Reſpondeo ſecundò. Reſtitutio in hypotheſi præcedentis reſponſionis facienda eſt ipſi defuncto taliter, qualiter remoueatur illa mala exiſtimatio ipſius impicta ex illa manifeſtatione in Auditoribus, hocque potiſſimum per laudationem ipſius. Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia tolli non poteſt, quin per illam manifeſtatonem fuerit quoquo modo læſa bona fama, & exiſtimatio eiuſdem defuncti, ad quam conſeruandam ius habet, & ex qua gaudium quoddam acci- 3

Eſt tamen facienda ipſi defuncto talitèr, vt remoueatur illa exiſtimatio.

Digitized by Google

accidentale animæ eiuſdem defuncti reſultat, ergo non eſt, cur lædens non teneatur illam famam reparare per reintegrationem eiuſdem eo modo, quo poteſt ſine mendacio, & hoc potiſſimum per laudationem ipſius, ſi alia via congruentior non competat reparandi.

4 Si illa manifeſtatio redundet in vniuerſam familiam, damnũ eſt reparãdũ.

Reſpondeo tertiò. Si illa manifeſtatio redundet aliquo modo in viuentem familiam, vel conſanguineos, vtique ex iuſtitia reparanda eſt per manifeſtantem illa occulta crimina. Conſentiunt *idem Ioſeph de Angles, & Petrus à Nauarra loc. cit.* Ratio in promptu eſt, quia ſic manifeſtans fuit cauſa efficax illius iniuriæ, quæ non ſolum reſultat in perſonam directè læſam, ſed etiam indirectè in familiam viuentem, vel conſanguineos, ergo tenetur illam iniuriam reparare, quatenus illæſam conſtituat eandem familiam, ſeu conſanguineos, qui ex illa manifeſtatione iniuriam illam, ſeu damna contraxerunt.

5 Et ſi orta fuerint damna in temporalibus, hęc etiam ſunt reparanda.

Reſpondeo quartò, ſi ex illa manifeſtatione delicti occulti damna in temporalibus prouenerint familiæ, ſeu conſanguineis, illa damna ſunt per manifeſtantem reparanda. Ità DD. præallegati. Ratio ex eo deducitur, quia illorum verè fuit cauſa. Hoc contingeret primò, ſi ex illa manifeſtatione fuiſſent alij diſpoſiti ad benefaciendum familiæ remoti ab illis beneficijs eidem conferendis. Secundo, ſi ex illa priuarentur conſanguinei conſortio aliorum eiſdem valdè vtili, & his ſimilia contingerent.

---

§. X.

An infamans Religionem, vel aliquem ex Religione peccet læthalitèr, & teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Si quid ſiniſtrum dixerit de ſtatu Religionis ſiniſtre de eodem ſentiens eſt ſuſpectus de hæreſi. 2.
Si quis contempſerit aliquod inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum, tãquam prauum, non eſt immunis à ſuſpicione hæreſis. 3.
In vtroque præcedenti caſu tenetur dictum retractare. 4.
Si quid ſiniſtrum dixerit de Religione nuntians grauia crimina occulta in eadem perpatrata tenetur ad reſtitutionem. 5.
Non eximitur ab hoc onere, quantumuis ſuperior remittat. 6.
Grauitèr etiam peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ſi male dixerit de aliquo Religioſo. 7.

Diſquiſitio X. Plura, & longe plura contrà Religionem dixerat Antonius, vel aduerſus aliquem ex aliqua determinata Religione enuntiauerat, vel quæ falſa erant, vel quæ ſi vera, erant occulta. Orta hic fuit ratio dubitandi, an idem Antonius grauitèr peccauerit, & quonam genere peccati, & an teneatur ad reſtitutionem. 1 Exponitur ſtatus difficultatis.

Confiderationes circa factum.

Pro clariori notitia aduertendum eſt, an Antonius prauum quid dixerit de ſtatu Religionis quaſi male, & ſiniſtrè ſentiens de eodem ſtatu in vniuerſum. Secundo, an de aliqua determinata Religione à Sede Apoſtolica approbata, quatenus de ea male expreſsè ſentiat, vel loquatur, vel impugnet. Tertiò, an locutus fuerit de noxis, quæ paſſim in aliquo Monaſterio, vel Religione committuntur. Quartò, an tantum de aliquibus Religioſis, ex quorum criminibus quodamodo lædatur Monaſterium, ſeu Religio. Quibus poſitis

2 Siniſtrè ſentiens de ſtatu Religionis, & male loquẽs eſt ſuſpectus de hæreſi.

Reſpondeo primò. Si Antonius prauum quid dixerit de ſtatu Religionis in vniuerſum eundem quodamodo contemnens, & ſiniſtre de eodem ſentiens non ſolum peccat peccato detractionis, ſed etiam eſt valdè ſuſpectus de hæreſi *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. n. 354.* Ratio ex eo deducitur, quia ſic loquendo, & ſentiendo videtur ſentire ſtatum Religionis non eſſe ſtatum perfectionis, ſicque vota ſolemnia Religioſa non eſſe commendabilia, & per conſequens ex voto non eſſe ſequenda Chriſti Domini conſilia, quod certè hæreticam redolet prauitatem, nam hoc eſt per peruerſum ſenſum contemnere eadem Diuina conſilia, & peſundare Apoſtolica veſtigia, & Euangelicam perfectionem tot PP. auctoritate firmatam, tot conciliorum, & Pontificum decretis, & commendationibus illuſtratam.

3 Si contẽpſerit aliquod inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatũ, tanquam prauũ nõ eſt immunis à ſuſpicione hæreſis.

Reſpondeo ſecundò. Si Antonius prauum quid ſenſerit, & dixerit de aliqua determinata Religione à Sede Apoſtolica approbata, & confirmata non præciſè exponens errata, quæ ex Religioſorum incuria, vel malitia in eadem obrepſerunt, vel obrepunt, ſed contemnens ipſum inſtitutum, tanquam prauum, non eſt immunis etiam à graui ſuſpicione hæreſis. Idem *Petrus à Nauarra loc. cit. n. 354.* Ratio ex eo deducitur primò, quia male ſentit de ordinata Pontificis poteſtate, quatenus approbauerit, quod erat tanquam prauum reprobandum, potiſſimum cum huiuſmodi approbationes fiant ex ſpe-

ſpeciali Spiritus Sancti ductu, & aſſiſtentia. Secundò, quia contemnere pium Religioſorum inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum proximè accedit ad cōtemptum ordinis, ſeu ſtatus Religionis; vndè merito plures Pontifices ſententiam excommunicationis protulerunt in huiuſmodi contemptores, prout refert *Bartholomæus Medina in ſumma c. 14 fol. 184.*

4 In vtroq; præcedēti caſu tenetur dictū retractare

Reſpondeo tertiò. In terminis duarum præcedentium reſponſionum tenetur Antonius ſenſum illum deponere, & dictum reuocare. Ratio ex eo deſumitur, quia, cum ille ſenſus ſic conceptus declinet quodamodo à fide, & ſit in fide ſuſpectus, vtique eſt reijciendus, cum non ſolum infidelitatem, ſed etiam ſpeciem infidelitatis teſte Apoſtolo, quiſq; à ſe ipſo abijcere teneatur. Quod autem teneatur dictum retractare, ſeu reuocare, ex eo deducitur, quia per illud potuit in aliorum animis nedum ingeſſiſſe alienationem à ſtatu Religionis, ſed etiam quid à fide remotum inſinuaſſe, ergo ad auertendos animos audientium à tali credulitate forte excitata ex illo dicto tenetur dictum illud retractare.

Non tamen facile inducit credulitatem.

Verum tamen eſt, quod, cum illud dictum ſit valdè remotum à credulitate, præſumendum ſit, quod malum ſenſum in auditorum animos non impreſſerit, cum huiuſmodi dicta in communi omniū conſenſu non innitantur niſi in prauitate dicentis, & ſi forte auditores crediderint eorum leuitati ſit tribuendum, non dicto loquentis, niſi forte aſtu quodam ipſos deceperit.

5 Si quid ſiniſtrū dixerit de Religione enuntians grauia crimina occulta eiuſdē peccat, & tenetur ad famæ reſtitutionem.

Reſpondeo quartò. Si Antonius prauū quid locutus fuerit de aliqua Religione enuntians in eadem grauia, & enormia delicta committi, grauitèr peccat, & tenetur ad reſtitutionem famæ, niſi fortè illa delicta fuerint notoria. Conſentiunt in hanc reſponſionem *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. nu. 357.* Ratio ex eo deducitur, quia tanto grauius eſt delictum, quanto dignior eſt ille, cui fit iniuria, ſed, cum læditur perſona priuati per manifeſtationem criminis occulti, & vtique grauis, committitur graue delictum per detractionem, ergo multo grauius cum læditur communitas, potiſſimum cum ex illa detractione oriri poſſunt grauia damna, nempè auerſio auditorum ab illa Religione, mala æſtimatio eiuſdem, & alia ſimilia. Ratio, cur teneatur ad reſtitutionem, illa eſt, quia illa narratio, ſeu manifeſtatio illorum criminum occultorum eſt cauſa efficax malæ æſtimationis illius Religionis apud Auditores, & quandòque aliorum damnorum, quæ in temporalibus indè prouenirent, & vtique contrà ius, quod habet eadem Religio ſeruandi illæſam propriam famam, propriamq; bonam exiſtimationem, ergo non eſt, cur non teneatur reparare per retractationem, vel alio modo vtili, & licito illam famam, illaque damna, quæ inde prouenerunt.

Hic oritur difficultas, an ſit ſufficientèr reparata illa iniuria, ſeu eximatur detrahens ab onere vlterioris reparationis, ſi ſuperior eidem eandem iniuriam remittat? Videtur affirmandum, quandòquidem, cum Superior ſit caput illius Religionis, ſeu Monaſterij, habeatque in ſe virtualitèr translatas aliorum voluntates videtur perinde remittere, ac ſi omnes ſingillatim remitterent, & ſicuti, ſi omnes remitterent, deobligaretur lædens ab onere reſtitutionis, cum vnuſquiſque poſſit cedere iuri ſuo, ità, ſi ipſe nomine omnium remittat, videtur lædens &c. Nihilominus tutius eſſe exiſtimo, quod lædens non eximatur ab onere reſtitutionis; cum Superior poſſit quidem cedere iuri ſuo, non autem iuri aliorum, qui æquè ſunt infamati cum ipſo; nec valent ea, quæ ex oppoſito dicebantur, quandòquidem cum vnuſquiſque ius habeat ad famam Religionis, ſeu Monaſterij ſeruandam, & vt reparetur, ſi fortè fuerit violata per iniquas detractiones, nec per ſimplicem remiſſionem Superioris reparetur, poteſt vnuſquiſque velle, vt toti communitati fiat reſtitutio, nec in hoc intelliguntur habere propriam voluntatem virtualitèr translatam in illam Superioris.

Nec eximitur, quātumuis Superior remittat.

7 Peccat etiam, & tenetur ad reſtitutionem, ſi malum occultum de perſona Religioſa dixerit.

Reſpondeo quinto, ſi Antonius prauū aliquid manifeſtaret, ſed occultum de perſona aliqua Religioſa in aliquo Monaſterio, ſiue nominata, ſiue innominata grauitèr etiam peccaret, & teneretur ad reſtitutionem. *Petrus à Nauarra loco cit. nu. 358.*, & quidem, ſi detraxerit de perſona Religioſa nominata dubium eſſe non poteſt, quin peccauerit, & obligetur &c. quandoquidem detractio de quacunque alia perſona, quantumuis non Religioſa inducit grauem noxam, & obligat, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo à fortiori inducit tale peccatum detractio de perſona Religioſa, & obligat, quandoquidem quo dignior, & ex proprio ſtatu honeſtior eſt perſona, eo magis eſt honoranda, & colenda, adeòq; fortius vrget ius eandem non lædendi per detractionem; Si verò fuerit perſona innominata, denegari non poteſt, quod, cum ſit membrum illius determinatæ Religionis, quodcunque illud ſit, non inferat magnum dedecus, & infamiam ipſi Religioni, cuius eſt membrum,

Rationes pro reſpōſione.

nam

Digitized by Google

nam, ſicuti honor, qui Religioſo particulari defertur, non tam defertur ob eius merita, ſed etiam ob habitum, & ſtatus, Religioniſque ſanctitatem, qui etiam honor cedit in bonum totius Religionis, itá dedecus, & infamia, quæ vti Religioſo confertur in damnum totius Religionis cedet, & cum potiſſimum nulli determinatæ perſonę illud dedecus inferatur, cum nulla perſona ſit nominata, in dedecus totius potiſſimum cedere videtur; ex quo plurimi, nec incongruè docent, quod vnuſquiſque Religioſus ratione proprij ſtatus in vitæ exemplo ita ſe gerere debeat, ac ſi totius Religionis honor, & fama ex ſe ſolo dependeret; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod tota Religio labè non inficiatur ex vnius Religioſi adulterio, hæreſi, vel ſimoniaca prauitate; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet labes peccati non imputetur toti Religioſi, cum propriè, & ſingularis ſit Religioſi delinquentis, tolli tamen non poteſt, quin Religionis ſplendor, & decor in communi hominum exiſtimatione diminuatur.

---

§. XI.

An filius poſſit licitè occidere Patrem bannitum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſeries facti. 1.
Sententia aſſerens poſſe filium Patrem bannitum occidere. 2.
Sententia negans licitum eſſe filio Patrem bannitum occidere. 3.
Filius non poteſt occidere Patrem bannitum, ſi non ſit noxius Reipublicæ, ſecus, ſi ſit noxius. 4.
Soluitur ratio oppoſita. 5.

1 Facti ſeries expoſita.

DIſquiſitio XI. Ob enormia delicta per Principem fuerat bānitus Caius Pater Franciſci a toto dominio Mediolanenſi ea lege, & poteſtate, vt poſſet à quocunque impunè occidi. Quæſitum hic fuit, an vigore facultatis conceſſæ à Principe poſſet idem Caius occidi à Franciſco eius filio licitè?

2 Sententia aſſerens poſſe filiū Patrē bannitum occidere.

Bartolus *in l. ſi adulterium cum inceſtu §. liberto ff. de adult., Marſilius in l. 1. §. præterea n. 33. ff. de quæſt., Gomez in §. rurſum n. 22. Inſtit. de act., Angel. de maleſ. in verb. ex interuallo nu. 17.*, qui etiam aſſerit ita fuiſſe determinatum per Collegium Peruſij, docent filium poſſe licitè occidere Patrem bannitum, & ea ratione mouentur, quia ex quo Pater vigore Statuti, vel Principis ſententia eſt bannitus, cenſetur effectus hoſtis patriæ, ergo videtur licere filio eum interficere iuxtà textum *in l. minimè ff. de relig., & ſumpt. fun.*

Ex aduerſo *Iulius Clar. lib. 5. ſent. §. homicidium nu.* 40. ſuſtinet filio non licere Patrem, quantumuis bannitum occidere, & aſſerit contrariam opinionem eſſe crudelitatis, & impietatis plenam, & etiam ibidē reſpondet argumentis eiuſdem contrariæ opinionis. Probat igitur in primis ſuum aſſertum ea ratione, quia ex eo, quod Pater intelligatur bannitus, non deſinit eſſe Pater, nec iura naturalia amittit, & per conſequens nec ceſſat obligatio naturalis filij erga Patrem, qui propterea filius obſtante iure naturali non poteſt inuehere in vitam eiuſdem Patris. Reſpondet poſtea argumento contrariæ ſententiæ aſſerens, Patrem ex eo, quod ſit bannitus, non effici hoſtem patriæ, niſi per quandam fictionem iuris, quæ præualere nequit iuri naturali, quod habet Pater in filium. — 3 Sententia aſſerens non licere filio Patrē bannitum occidere.

4 Cōciliatur vtraq; opinio per diſtinctionē.

Ego hac in re vtramque opinionem per diſtinctionem conciliandam exiſtimo; vel enim Pater eſt ſimplicitèr Bannitus ex vi Statuti, vel ſententiæ Principis ob aliquod delictum, & in hoc ſenſu tutiorem arbitror opinionem Iulij Clari; vel Pater non ſolum eſt bannitus, ſed etiam maximè noxius Reipublicæ, & hoſtis eiuſdem verè, & actualitèr cōtrà patriam arma inferens, adeo vt illi nocumento alitèr obuiari non poſſit, & iuxtà hunc ſenſum arbitror æquam eſſe opinionem Bartoli, & aliorum præcitatorum.

Primam partem ſatis concludentèr euincunt rationes eiuſdem Iulij Clari, quas adduximus referentes eiuſdem opinionem, quibus has ex aliorum mente ego addo; primo, quia ex quo Pater eſt bannitus, filius a patria poteſtate non liberatur *Baldus, & Alexander in l. ſi cum dotem §. ſi patri ff. ſolut. matrimon., Ripa in l. ex facto §. ex facto ff. ad Senat. conſult. Trebell.* Secundo, quia non obſtante, quod Pater ex vi Statuti ſit bannitus, filius eidem alimenta præſtare tenetur *l. mitius §. 1. ff. de iur. dot. auth. inceſtas C. de inceſt., & inutil. nupt. Nouella 12. c. 2., Menochius lib. 1. de arbit. Iud. q. 90. nu. 45., Matthias Colier. in tract. de aliment. lib. 1. c. 5. n. 16., & 18.*, ſi ergo Filius tenetur alimenta præſtare, quo modo poſſet licitè, & impunè occidere? — Filius tenetur præſtare alimenta patri bānito.

Secundam partem, quam etiam ſuſtinet idem *Iulius Clarus loco cit., Gaſpar Hurtadus de iuſt., & iur. diſp. 11. difficul. 3., Ioannes Dicaſtillus de iuſt., & iure lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 1. n. 15., Diana part. 8. tract. 7.*

reſol.

reſol. 42., *Mazuchellus tract. de caſib. reſeruatis diſp. 2. c. 8. difficul. 3. nu. 10. & ſeqq.* Probo primo *ex d. l. minimè ff. de relig., & ſumpt. fun.*, vbi non dicitur, quod filius poſſit interficere Patrem bannitum ſimpliciter, ſed quando Pater, & patriam, & liberos oppugnat. Secundò, quia filius poteſt accuſare Patrem de crimine hæreſis, & læſæ Maieſtatis, alijſque, quæ vergerent in commune Reipublicæ detrimentum, etiam ſi indè Pater eſſet occidendus certò, & infallibilitèr, ergo, ſi non ſit aliud remedium auertendi damnum commune, poterit idem filius Patrem ipſum occidere.

Filius poteſt accuſare Patrē de crimine hæreſis.

5 Neq; obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod, cum ſemper maneat Pater, & alter filius ex naturali ſanguinum affectione in nullo vnquam caſu poſſit filius ex ſe proprium Patrem occidere, cum illa naturalis affectio nullo pacto, nulloque iure poſſit dirimi, & aboleri per textum *in l. ius agnationis ff. de pactis l. iura ſanguinis ff. de reg. iur.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quiá licet ea, quæ ex allegatis textibus dicuntur, vera ſint ſimpliciter, vim tamen non habent intercedente alio iure fortiori, cuiuſmodi eſt auerſio damni totius communitatis, & etiā damni proprij eiuſdem filij, & ſicuti bonum totius præualet bono partis, ità auerſio damni in ordine ad totum prçualere debet auerſioni damni in ordine ad partem.

Soluitur ratio oppoſita,

---

§. XII.

An filius poſſit Patrem vim vi repellendo licitè occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Sententia negans Filium poſſe Patrem occidere. 2.
Probabilius licitum eſt filio Patrem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

1 DIſquiſitio XII. Ex dictis in præcedentibus prænotionibus certum eſt aggreſſum poſſe in actu aggreſſionis aggreſſorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi aliter alienam mortem non poſſit vitare, niſi ipſe percuſſus moriatur. Hoc ſuppoſito ſuppono vlterius, quod Pater filium aggrediatur metam ſibi a legibus præſcriptam tranſiliendo, ſed omni humanitate paterna penitus abiecta ita acriter in ipſum inueſtiendo, vt non niſi mors ſit eidem expectanda; qua in hypotheſi quæritur, ſi filius non poſſet aliter mortem propriam euitare; niſi Patrem occidendo, poſſit licitè ipſum occidere.

Refertur ſtatus diſquiſitionis.

Negatiuam ſententiam ſuſtinent *Acatius Enenkelius in tract. de priuileg. parentum, & liberor. priuil. 2. c. 2. n. 15.*, *Georgius Obrechtus in tract. de neceſ. defenſ. c. 6. n. 15.*, *Thomas Lanſius in decade theſium per Saturam th. 7. lit. D.*, *Volzius in comment. ad l. corneliam ff. de ſicar. c. 7. n. 23.*, qui omnes hanc negatiuam ſententiam in eo refundere videntur, quod impium vſquequaque videatur, eos, à quibus lucem hanc ſuauiſſimam accepimus, luce ipſa viduare, vndè emanauit Platonis ſententia *lib. 9. de legibus*, qua dicit. Ne pro vita quidem ſe defenſuro, quam & parentes eripere volunt, lex vlla Matrem, aut Patrem lucis authores interimere concedit, ſed omnia potius perferre, quam tale quid agat. Nihilominus 2

Sententia negans filium poſſe Patrem occidere,

Reſpondeo in ea hypotheſi licere filio Patrem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Menochius de arbitr. Iud. lib. 2. cent. 4. caſ. 356. n. 35.*. *Ioannes Gaddeus in diſcurſ. accadem. de extraiud. defenſ. diſp. 1. concl. 3. lit. G.*, *& ex Theologis Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 2. nu. 30.*, *Gaſpar Hurtadus de iuſt. & iur. diſp. 10. difficult. 6.*, *Diana part. 8. tract. 7. reſol. 41.*. Ratio ex eo deducitur, quia ex regula generali defenſio neceſſaria, & tutela inculpata omnibus conceſſa eſt per textum *in l. 3. ff. de iuſt. & iure l. ſcientiam §. qui cum aliter ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. cum arietes ff. ſi quadrup. paup. fec. dicat.*, ergo eadem conceſſa cenſetur filio in ordine ad Patrem eundem filiū aggredientem. Conſequentia probatur, quia, ſi quæ ratio obeſſet filio in ordine ad Patrem, hæc eſſet, quia naturalis affectio ſanguinis, & ſubiectio filij ad Patrem videtur tali internectioni obſtare, ſed hęc ratio nequit obeſſe, quandoquidem, ex quo Pater declinat a paterna humanitate, & pietate erga filium videtur conſequi ius in eodem filio non ſe exhibendi talem erga ipſum Patrem, tum quia ordo charitatis exigit, vt prius quis ſibi ipſi conſulat, quam alteri, quantumuis ſibi coniuncto, & magis quis delinquit interficiendo ſe ipſum, quam alterū occidendo, cum magis ſit quis ſibi obligatus, quam alteri. Neque hic audiendus eſt *Bodinus lib. 1. de Republica c. 4.* dum aſſerit ex nullo delicto licere parricidium committere, quia parricidium maius eſt quocunque patris delicto; Non, inquam, audiendus eſt, quia vt bene notat *Diana part. 8. tract. 7. reſol. 41. verſ. deinde leges prope med.* ad ſummum hæc verificantur,

3 **Licitū eſt in ea hypotheſi filio Patrē occidere,**

Ordo charitatis poſtulat, vt ſibi potius quis conſulat, quam Patri.

quando parricidium eſt voluntarium, ſecus, quandò eſt neceſſarium ad defenſionem neceſſariam, & inculpatam tutelam, quia tunc præualet ius in ordine ad ſe ipſum.

4 *Soluuntur rationes oppoſitæ.*

Ad rationem ex aduerſo adductam patet ex dictis quid ſit reſpondendum; dic etenim eam intelligendam eſſe de homicidio voluntario, quod, ſi ex Platonis ſententia ſupra enuntiata videatur intelligendum, quando etiam concurrit titulus iuſtæ, & inculpatæ ſui defenſionis, hoc vim non facit, quandòquidem ex mero ipſius placito hoc dictum eſt; non quod ratio naturalis hoc ſuadeat.

---

§. XIII.

An Clericus homicida priuatus ſit ipſo iure beneficio, quod poſſidet.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus difficultatis. 1.
Si homicidium commiſerit ſine animo deliberato, non priuatur ipſo iure beneficio. 2.
Si homicidium fuerit qualificatum, & cum plena deliberatione clericus priuatur ipſo iure beneficio. 3.

1 *Series facti expoſita.*

DIſquiſitio XIII. Theon Clericus in vindictam quodamodo cuiuſdam iniuriæ receptæ a Theodorico ipſum occidit. Poſſidebat tunc Theon beneficium quoddam Eccleſiaſticum ſatis pingue. Quæſitum hic fuit, an ratione, & in pænam talis occiſionis intelligatur ipſo iure priuatus tali beneficio, an ſolummodò ſit priuandus per ſententiam.

Aduertendum hic eſt, an homicidium illud commiſerit ſimpliciter non animo deliberato, an verò illud perpatrarit qualificatè, & cum plena deliberatione; ſecundum enim hanc duplicem conſiderationem oriri poteſt diuerſa decidendi ratio.

2 *Si homicidium cõmiſerit ſimpliciter, & ſine animo deliberato, non priuatur ipſo iure beneficio.*

Reſpondeo primò: Si Theon homicidium illud commiſerit ſimpliciter, & ſine animo deliberato, probabilius eſt non priuari ipſo iure beneficio, quod poſſidet; licet poſſit per ſententiam priuari. *Innocentius in c. cum noſtris de conceſ. præbend., Anan. in c. inquiſitionis nu. 3. de acc., Corſetus in ſuis ſingul. in verbo ſententia verſ. clericus, Felinus in d. c. inquiſitionis nu. 1., Follerius in pract. crimin. can. fol. 276. n. 37., Diaz in pract. crimin. can. c. 88., Gomez in c. 1. poſt nu. 7. de reſcript. in 6, Alciatus in c. cum non ab homine poſt num. 16. de iudic., Placa lib. 1. de delict. c. 11. num. 2., Igneus in l. neceſſarios §. non alias in lectura nu. 13. ff. ad Sill.* Ratio ex eo deducitur primò, quia regulariter pænæ ob delicta non incurruntur ipſo facto, niſi hoc in iure ſit expreſſum, quinimmò, etiam ſi in lege diceretur ipſo facto, exigunt tamen adhuc etiam declarationem, non enim quis tenetur exequi pœnam in ſe ipſo. Secundò, quia etiam ſi in iure prohibente diceretur ipſo facto, hoc intelligendum eſſet quoad delictum qualificatum, & in toto rigore completum ſecundum omnes circunſtantias, ſed huiuſmodi non eſt homicidium ſimpliciter commiſſum, niſi ſit, ſeu fuerit cum plena deliberatione, ergo &c. Tertiò, quia pænæ ſemper ſunt ſtrictè interpretandæ, adeò vt intelligantur præcisè quoad onus incurrendi, non quoad actualem incurſum, & ſi quandò quæ additur in impoſitione ipſarum ipſo facto hoc intelligendum ſit ad terrendum delinquentes, & hoc ex communi ſcribentium conſenſu, niſi alijs verbis prægnantibus exprimatur, quæ indicent animum imponentis non requirentis aliam ſententiam, ſeu declarationem; & vſus iam inualuit, vt non niſi ità pænæ intelligantur.

Pænæ regulariter nõ incurrũtur, niſi poſt ſententiam.

3 *Si homicidiũ fuerit qualificatũ, & cum plena deliberatione priuatur ipſo iure beneficio.*

Reſpondeo ſecundò. Si homicidium fuerit qualificatum, & cum plena deliberatione probabilius eſt, quod Theon intelligatur ipſo facto priuatus illo beneficio. Ità de communi Canoniſtarum, & Legiſtarum conſenſu teſtatur *Iulius Clarus lib. 5. ſent. verb. homicidium num. 16. in fin.* Rationem à contrario ſenſu à dictis in præcedenti reſponſione deſumo, quia ſcilicet ex vna parte delictum in eo genere intelligitur plenè conſummatum ſecundum omnes circunſtantias requiſitas ad rationem pleni, & conſumati homicidij, & ex altera per conſuetudinem, & vſum legitimè præſcriptum iura pænalia in hoc genere ſecundum hanc rigoroſam acceptionem ſumuntur.

---

§. XIV.

An homicida priuetur ſucceſſione eius, quem interfecit.

SVMMARIVM.

Diſquiſitionis ſtatus expoſitus. 1.
Siue deberet ſuccedere ab inteſtato, ſiue ex teſtamento per illud homicidium priuatur ſucceſſione. 2.
Admittitur ad ſucceſſionem, & poſtea excluditur à fiſco, tanquam indignus. 3.

Diſqui-

1 Diſquiſitio expoſita.

Diſquiſitio XIV. Succedere quis debebat, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato alteri, quem ex certa quadam cauſa, vel vera, vel aprehenſa interfecit. Quæſitum fuit, an intuitu illius internectionis intelligatur occidens priuatus ſucceſſione ipſius defuncti, quem interfecit.

Dixi, *ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato*, vt innuerem difficultatem procedere, ſiue de extraneo, qui fuerat ab occiſo inſtitutus hæres ipſius, ſiue de filio, qui ex vi, & iure ſanguinis debet ſuccedere, ſiue de alio quocunque, qui ex diſpoſitione iuris, quando ex teſtamento hæres non eſt inſtitutus, habet ius ſucceſſionis in bonis defuncti.

2 Siue deberet ſuccedere ex teſtamento, ſiue ab inteſtato priuatur ſucceſſione.

Reſpondeo. Homicida, ſiue deberet ſuccedere ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, priuatur ſucceſſione eius, quem interfecit *Iulius Clarus lib. 4. ſent. §. homicidium nu. 17. Mer. conſ. 98. n. 8.* Expreſsè colligitur *ex l. cum ratio §. fin. ff. de bon. damnat.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem æquum non eſt, vt qui aliquem principali bono naturali ſpoliauit per iniquitatem eius bonis temporalibus gaudeat, & hoc non ſolum ob pœnam delicti à iure ſtatutam, ſed etiam ex præſumpta voluntate occiſi, qui, ſi præſcius fuiſſet, non inſtituiſſet, vel priuaſſet.

3 Admittitur ad ſucceſſionē, & poſteà excluditur à fiſco, tanquā indignus.

Sed hic oritur immediatè difficultas, an ratione homicidij excludatur ab hæreditate, tanquam incapax, an verò admittatur ad ſucceſſionem, & deindè fiſcus illam ab ipſo auferat, tanquam ab indigno? Iure merito ſtatuit idem *Iulius Clarus loc. cit.*, quòd admittatur, & poſtea excludatur à fiſco, tanquam indignus. Hoc videtur euincere textus *in d. l. cum ratio §. fin. ff. de bon. damnat.* Ratio eſt, quià talis ſucceſſio adijcitur fiſco in pænam delinquentis, quaſi quod ipſe delinquens priuetur tali hæreditate in pænam, ſed priuatio ſupponit habitum, cum nemo poſſit priuari eo, quod non habet, ergo ſupponitur, quod ipſa hæreditas fuerit tranſlata in ipſum delinquentem, & quod poſtea in pænam delicti fuerit ea per fiſcum priuatus. Hoc expreſsè innuit *Butrius conſ. 63. in primis verbis*, qui, quamuis loquatur præciſè de filio Patrem occidente, non video, cur verificari non debeat de alio extraneo occidente eum, à quo fuerat hæres inſtitutus?

Sed, an hæc, quæ dicta ſunt intelligenda ſint præciſè, quando hæres, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato occidit ſimpliciter ſuum inſtitutorem, ſeu authorem, an verò ſolummodò, quandò occidit homicidio qualificato, ſeu animo determinato? Abſolutè crederem quoad hoc ſufficere, quod occiderit occiſione culpabili, nec ſemper requiri, quod hoc fecerit cum illa qualitate animi deliberati, quia, cum agatur de beneficio ipſi collato à teſtatore, ſeu competente iure ſucceſſionis, videtur illo indignus, ex quo erga ſuum benefactorem, ſeu authorem ita enormitèr, & culpabilitèr ſe geſſit, & ſicuti ex iurium diſpoſitione ob caſus non ità aſperos ſicuti eſt mors collata, tribuitur parentibus facultas exhæredandi filios, ità non video, cur ex morte culpabili actu collatà à filijs parentibus, vel ab extraneis ſuis inſtitutoribus non debeant ipſi occiſores priuari hæreditate, vel ipſis delata ex teſtamento, vel competente ab inteſtato iure ſanguinis, & ſucceſſionis naturalis; Et certè ea, quæ hîc dicimus de homicidio etiam ſimplici, valdè congruunt rationi naturali, ne ſcillicèt gaudeant beneficijs, qui erga ſuos benefactores ità peruerſe ſe egerunt.

Sufficit, quod occiderit occiſione culpabili.

---

§. XV.

An in hypotheſi præcedentis diſquiſitionis, ſi homicida habuerit filios, ipſi ſuccedant defuncto, an verò fiſcus ipſis excluſis.

SVMMARIVM.

Exponitur facti series. 1.
Sententia aſſerens ſuccedere filios filij occiſoris cum excluſione fiſci. 2.
Probabilius ſuccedit fiſcus cum excluſione filiorum occiſoris. 3.
Lucrum dotis, quocunque titulo delatum ſit marito deuoluitur ad hæredes eiuſdem vxoris. 4.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 5.

1 Elucidatur, factū in ſuis terminis.

Diſquiſitio XV. Dictum fuit in præcedenti diſquiſitione, quod, ſi quis, vel extraneus hæres inſtitutus, vel filius, cui iure ſuitatis, & ſanguinis competit hæreditas in bonis paternis, & etiam maternis ab inteſtato, occideret ſuum inſtitutorem, vel parentem reſpectiuè, priuetur ſucceſſione eiuſdem, quem interfecit, & ſuccedat Fiſcus modo ſupra explicato. Modo ſuppono, quod extraneus inſtitutus, vel filius ius habens ſucceſſionis ab inteſtato habuerint reſpectiuè filios, & poſteà quæro, an in illa ſuppoſitione occiſionis inſtitutoris, ſeu parentis ſuccedere debeant filij occiſoris excluſo fiſco, an verò fiſcus excluſis filijs? Hoc quod dictum eſt de extraneo occidente ſuum inſtitutorem, & de filio occidente

Digitized by Google

Patrem extantibus filijs comparatiuè ad ius fiſci, proportionalitèr inquiri poteſt de marito occidente vxorem in ordine ad hæredes, vel eiuſdem mariti, vel vxoris quoad lucrum dotis, an ſcilicèt illud ſit applicandum fiſco cum excluſione hæredum, an verò hæredibus cum excluſione fiſci.

2 Sententia aſſerens ſuccedere filios filij occiſoris, cũ excluſione fiſci.

Baldus *in l. ſi quis inceſti nu. 4. C. de inceſt. nupt.* loquens præciſè in terminis filij occidentis Patrem aſſerit eodem Patre occiſo per filium ſuccedere in hæreditatẽ eiuſdem Patris defuncti filijos occiſoris, qui reſpectu ipſius defuncti ſunt nepotes excluſo Fiſco, quem non alia ratione moueri exiſtimo, niſi quia ex delicto Patris non videntur filij innocentes priuandi iure ſuccedendi in bonis aui, tum quia talis præſumitur mens rationabilis eiuſdẽ aui defuncti. Nihilominus

3 Probabilius ſuccedit fiſcus cũ excluſione filiorũ occiſoris.

Reſpondeo primo, in data hypotheſi exiſtentiæ filiorum eius, qui occidit parentem ſuum Fiſcum eoſdem filios excludere à ſucceſſione in hæreditate defuncti, quod idem in fortioribus terminis dicendum eſt reſpectu filiorum extranei, quando hic occidit inſtitutorem ſuum. *Boerius deciſ. 25. n. 8. & 17.*, qui etiam refert ita fuiſſe iudicatum in ſua curia, *Aufrer. in 4. parte de arreſt. q. 130.*, & *Ioannes Gall. q. 146.*, qui teſtantur ita fuiſſe deciſum in parlamento Pariſienſi *Alber. in tertia parte ſtatutorum q. 48.*, *Barbat. conſil. 8. poſt n. 4. lib. 3. & conſ. 70. n. 45. lib. 4.*, qui omnes teſtantur hanc eſſe communem opinionem. Rationem huius reſpõſionis ex eo deſumo primò, quia vel filius occiſor ſuccedit primo in hæreditate paterna, & deinde eadem auferetur ab eodem, tanquam indigno per Fiſcum; vt nos ſupra affirmabamus per textum *in d. l. cum ratio §. fin. ff. de bon. damnat.*, vel immediatè patrato parricidio priuatur iure hæreditatis paternæ, quod deuoluatur ad Fiſcum; ſi primum dicatur, cum illa hæreditas tranſierit primo in eundem homicidam, nec filij ipſius ius habeant ad bona paterna viuente eodem ipſorum Patre, hinc eſt, quod, ſi ipſe Pater viuens, vel illa diſſipauerit, vel amiſerit ex delicto in pœnam eiuſdem deſtituantur quocunque iure ad eadem bona, cum non habeant ius ſuccedendi, niſi in legitima reſultante ex illis bonis, quæ Pater reliquit poſt ſuum obitum, ergo in ea hypotheſi filij non excludunt Fiſcum, ſed ab eodem excluduntur; Si ſecundum dicatur; cum Pater intelligatur priuatus illo iure ſuccedendi in illa bona hæreditaria ex diſpoſitione iuris, illa bona non fiunt propria ipſius, adeòque, nec filij ipſius poſſunt in eadem bona ſuccedere ex perſona Patris, quod, ſi dicatur, quod ius habeant ſuccedendi ex propria perſona, ſtatim hoc ſubterfugium tolletur, nam quantumuis ipſi filij occiſoris, qui ſunt nepotes aui occiſi ius habeant ſuccedendi immediatè Auo, quando Pater ipſorum præmortuus eſt, quando tamẽ Pater ipſorum viuit, hic habet ipſos excludere, cum prior ipſe veniat in hæreditatem, vndè, ſi ipſe ob delictum iure ad eandem priuatur, filij non acquirunt ius, cum hoc ceſſarit in eorum Patre, qui ſicuti, ſi viuens illa bona poſt acquiſitionem diſſipaſſet licitè, & validè diſſipaſſet, nec ius filiorum ipſius intelligeretur læſum, ità, ſi viuens iure ad eadem bona fuerit priuatus ante illorum acquiſitionem iure quodamodo diſſipante, & transferente in fiſcum, filij in ordine ad illa non acquirunt ius.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Confirmatur, quia, vt bene notat *Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. homicidium n. 17. prope med.* data contraria opinione, quam admittit *Baldus in d. l. ſi quis inceſti* plurima incongruentia prouenirent contra finem legis prohibentis huiuſmodi homicidia ſub pœna non ſuccedendi perſonæ occiſæ, & præcipuè, quod daretur improbis facilior occaſio delinquendi, cum id, quod amitterent ex proprio delicto, acquirerent media perſona filiorum.

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt de filio occidente Patrem exiſtentibus ex parte occiſoris filijs, in fortioribus terminis intelliguntur verificari de extraneo occidente ſuum inſtitutorum exiſtentibus ex parte eiuſdem extranei filijs, quandòquidem filij extranei non habent tantum ius in bonis eius, qui inſtituit proprium Patrem in hæredem, quantum habet nepos ex perſona nedum Patris, ſed etiam propria in bonis aui. Modo agendum eſt de marito occidente propriam vxorem quoad bona dotalia, ſeu quoad lucrum dotis; an ſcilicèt in ea hypotheſi lucrum illud adijciatur Fiſco, an verò hæredibus ipſius mariti, vel vxoris.

Verificatur in fortioribus terminis de filijs occiſoris extranei.

Quid ſentiẽdum ſit de marito occidente propriam vxorem.

Bartolus *in l. fin. in fin. ff. de his quibus, vt indign.* circa præſentem difficultatem diſtinguit; vel etenim lucrum illud dotis defertur marito ex pacto, & conuentione, & ſic aſſerit, quod in ea hypotheſi ſuccedunt hæredes vxoris, ſicuti in reliquo ipſius patrimonio; vel illud lucrum defertur marito ex diſpoſitione ſtatuti, quatenus hoc decernat, quod præmoriente vxore maritus dotem ipſam acquirat, & ſic aſſerit, quod in ea hypotheſi lucrum illud applicatur Fiſco, quia, cum maritus illud quodamodo per mortem vxoris acquiſierit eodem poſtea priuatur à fiſco ratione delicti commiſſi in perſonam

nam

Exponitur mens Bartoli procedentis cũ diſtinctione.

nam vxoris. Sed ſi inquiramus ab eodem Bartolo, cur ſi lucrum dotis deferatur marito ex conuentione in eodem ſuccedant hæredes vxoris excluſis hæredibus mariti, & fiſci, ſi verò eidem deferatur ex diſpoſitione ſtatuti ſuccedat in eodem Fiſcus excluſis heredibus tum vxoris, tum mariti, non aſſignat rationem diuerſitatis. Hæc forte poſſet afferri ex interpretatiua ipſius mente, quod ſcilicèt in caſu, quo defertur ex conuentione vim non habet diſpoſitum, niſi in voluntate contrahentium, ſeu conuenientium, quæ voluntas ex parte vxoris non ſupponitur extendi, quando maritus enormiter in ipſam delinquit eandem occidendo; in caſu verò, quo defertur ex ſtatuto diſpoſitum independentèr ab ipſis contrahentibus vim habet, & ſic confert ius marito, quo deindè per fiſcum priuatur, tanquam indignus. Nihilominus

4

Si maritus vxorẽ occiderit, lucrum dotis, ſiue delatum marito ex pacto, ſiue ex ſtatuto applicatur hæredibus vxoris.

Reſpondeo ſecundò: Si Maritus vxorem occiderit lucrum dotis, ſiue ex pacto deferatur marito, ſiue ex diſpoſitione ſtatutaria, applicatur heredibus eiuſdem vxoris excluſis tum hæredibus mariti, tum fiſco. *Ruinus conſ. 11. in fin. lib. 5., Rolandus in tract. de lucro dotis qu. 61., Decius conſ. 525., Gomez Arias ſuper l. 80., Tauri n. 1., Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. homicidium n. 17. in fin*, qui omnes teſtantur hanc eſſe opinionem communem, & ſequendam tam in conſulendo, quàm in iudicando, & quidem, quod excludendi ſint hæredes mariti, & ex eo facilè liquet, quia per hanc diſpoſitionẽ ſatis auertuntur mariti ab enormibus his delictis aduerſus proprias vxores, cum nouerint nedum ſe ipſos, ſed etiam proprios hæredes priuandos illo lucro dotis, quod cæteroqui conſequerentur. Quod verò etiam excludendus ſit Fiſcus ex eo deducitur, quia quod lucrum dotis, vel ex pacto, vel ex ſtatuto poſt mortem vxoris deferatur marito eſt de iure ſpeciali contra ius commune, ſecundum quod dos ſoluto matrimonio per mortem vxoris redire debet ad hæredes eiuſdem vxoris per textum *in l. ſi quidem C. ſolut. matrimon.*, ergo, ſi ex cauſa

Hoc eſt magis cõforme diſpoſitioni iuris cõmunis.

mariti lucrum illius dotis non poteſt ad illum pertinere, non ad fiſcum, ſed ad eum, ad quem de iure communi deberet competere, eſt conferendum, quandoquidem res de facili debet redire ad ſuam naturam *l. ſi vnus §. pactus verſ. quod in ſpecie ff. de pact.* cum præcipuè talis reditus ad ius commune ſit fauorabilis *Gloſa in c. ſtatutum in verb. dinumerãdum de præbend. in 6.* Accedit, quod quando lucrum dotis, vel ex conuentione, vel ex ſtatuto defertur marito poſt mortem vxoris intelligendum eſt, quando defertur purè, non autẽ ſub cõditione aliqua, tacita, vel expreſſa, ſed lucrum dotis delatum marito, vel per ſtatutum, vel per conuentionem, ſi vxor ipſi præſeceſſerit, defertur marito ſub tacita conditione, ſi matrimonium diſſoluatur ſine culpa mariti *l. conſenſu C. de repud. l. Lucius ff. ſolut. matrim.*, ergo ſi maritus vxorem interficiat, cum eius culpa, & facto matrimonium diſſoluatur, deficit conditio, ſub qua illud lucrum marito defertur, ergo illi non applicatur, ac proindè ab eodem non poteſt per fiſcum auferri; atque ita ſpecialitèr ſentiunt *Cumanus, & Alexander in l. ſi ab hoſtibus §. ſi vir ff. ſoluto matrimonio*.

5

Soluuntur rationes contrariæ ſẽtentiæ.

Fortior ratio ad probandam hanc noſtram aſſertionem, ſeu reſponſionem erit ſolutio argumentorum, quæ ex aduerſo obijciuntur; & quidem ad illud, quod obijciebatur ex *Bartolo in d. l. final. in fin. ff. de his quib. vt indign.*, quod ſcilicèt quando lucrum dotale defertur marito ex prouiſione legis, ſeu ſtatuto ex occiſione vxoris facta per eundem maritum illud deuoluatur ad fiſcum per textum *in l. cum ratio §. finali ff. de bon. damnat.* quandò verò defertur marito ex pacto, & conuentione, ſeu ex diſpoſitione hominis, illud deuoluatur ad hæredes vxoris per textum *in l. ſi ab hoſtibus §. ſi vir. ff. ſolut. matrimon.* Ad hoc, inquam, reſpondetur, quod gratis omninò ponitur illa diſtinctio, nec textus allegati quid aduerſus nos euincunt, nam textus *in d. l. cum ratio* loquitur in hæreditate, quæ ab inteſtato defertur proximiori ſimplicitèr ideſt purè, non autem ſub conditione tacita, vel expreſſa, adeòque, ſi ille deficiat etiam vxorem occidendò, in ea ſuccedit, & propterea poteſt in pœnam à fiſco illa priuari; hic autem agitur de lucro dotis delatum marito per ſtatutum, quod eidem intelligitur delatum ſub tacita conditione; ſi ſcilicèt matrimonium diſſoluatur ſine ipſius culpa per allegata ſuperius iura, adeòq; ſi deficiat illa conditio non in ipſum maritum transfertur, & propterea non poteſt illo priuari per fiſcum, cum pleno iure reuertatur ad hæredes ipſius vxoris.

Soluitur ſecundum argumentũ cõtrarium.

Aliud argumentum affertur, quod ſcilicet lucrum dotis deferatur marito, ſiue hoc ſit ex conuentione, ſiue ex ſtatuto, ex cauſa onéroſa ſcilicèt propter expenſas, quæ fiunt circa vxorem in matrimonio, quod propterea eidem marito acquiritur pleno iure, & propterea poteſt eodem, tanquam pleno iure ſibi competente per fiſcum priuari. Sed facilè huic argumento occurro aſſerens, quod fructus dotis conſtante matrimonio dantur quidem in ordine ad onera, & expenſas matrimonij, non autem lucrum eiuſdem dotis, cætero-

roqui

Digitized by Google

roqui per ius commune incongruè ſtatueretur, quod lucrum eiuſdem dotis diſſoluto eodem matrimonio per mortem vxoris, & non relictis ex eodem filijs deberet redire ad hæredes eiuſdem vxoris. Deinde fruſtra per conuentionem, vel ſtatutum decerneretur, quod lucrum dotis mortua vxore deberet pertinere ad maritum, ſi ex cauſa onerum matrimonialium, & expenſarum in eodem faciendarum deberet illud lucrum ad eundem maritum pertinere.

---

§. XVI.

An, ſi maritus ex cauſa vxorem occiderit, amittat ius ad lucrum dotis.

S V M M A R I V M.

Exponitur difficultas in ſuis terminis. 1.
Sententia Bartoli aſſerentis maritum nō amittere jus ad lucrum dotis. 2.
Sententia contraria exponitur. 3.
Præfertur hæc ſecunda ſententia. 4.
Si maritus auctoritate Iudicis vxorem occiderit ob adulterium non amittit ius ad dotem. 5.
Si propria auctoritate occiderit ob adulterium, dos deuoluitur ad fiſcum. 6.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DIſquiſitio XVI. Titius maritus Caię in conuentione matrimoniali cum eadem Caia accepit in dotem mille nummos aureos, & in loco, in quo celebratus fuit contractus, aderat ius municipale ſtatuens, quod maritus, ſi vxor prædecederet ſine liberis, lucraretur totā dotem, vel fortè non extante tali iure municipali conuenerunt adinuicem, quod decedente ipſa vxore ſine liberis ipſe Titius maritus eandem dotem lucraretur. Conſtante iam matrimonio Titius Caiam adinuentam in adulterio occidit. Quæſitum hic fuit, an idem Titius ob illud vxoricidium amiſerit ius ad illam dotem, & an illa deuolueretur ad Fiſcum, an verò ad hæredes eiuſdem vxoris.

2 Sententia Bartoli aſſerētis maritum nō amittere ius ad lucrū dotis.

Bartolus *in l. ſi ab hoſtibus § ſi vir n. 5. ff. ſolut. matrimon.* ſuſtinet ex illo vxoricidio Titium non amittere ius ad lucrum dotis; nec certe improbabili ratione hoc videtur ſtatuere, quandoquidem, ex quo iura, & conſuetudo eidem marito impunitatem cōcedant, videntur etiam concedere, ne priuetur iuribus, quæ cæteroqui ipſi competunt, inter quæ eſt, vt lucretur dotem ſibi ab vxore traditam in caſu prędeceſſus eiuſdem vxoris ſine liberis. Accedit, quod vxor propter adulterium perdat dotem, viroque acreſcat *c. plerumque de donat. inter vir. & vxor. l. conſenſu §. 1. C. de repud. l. vnica §. taceat C. de rei vxor. act. l. miles §. ſocer ff. ad leg. Iul. de adult.*, & quamuis *Plantius rub. C. de edendo n. 46.* intelligat præcitata iura, & præcipue *d. c. plerumque*, vt ſolum vim habeant in eo ſenſu, vt non poſſit vxor poſt ſeparationem immediatè petere, vt ſibi dos reſtituatur; Menochius tamē *lib. 2. de arbitrar. centur. 3. caſ. 287. nu. vlt.*, *Barboſa l. 2. part. 1. in princip. nu. 53. ff. ſolut. matrim.*, *Abbas c. fin. n. 3. de adulterijs, & ibi omnes fermè ſcribentes, Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. nu. 1.*, *Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. adulterium nu. 13. verſ. & ſcias* intelligunt præcitatos textus de iure abſolutè repetendi pro quocunque tempore, & volunt abſolutè dotem acquiri marito.

Iaſon è contrà *in d. l. ſi ab hoſtibus §. ſi vir circa finem ff. ſolut. matrimonio* abſolutè ſuſtinet ob illud vxoricidium maritum amittere ius ad illud lucrum, hancque aſſerit communem eſſe ſcribentium ſententiam; quod etiam affirmant *Gomez Arias ſuper leg. 80. Tauri num. 11.*, *Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 7.*, *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 8. n. 9.* hocque probat ex textu *in l. inter dum §. qui furem ff. de furtis*, vbi dicitur, quod qui propria auctoritate ius ſibi dicit, quantumuis lege ex conſuetudine permittēte legale commodum minime poſſit conſequi. 3 Sententia contraria exponitur.

Reſpondeo huic ſecundæ ſententiæ adhærendum eſſe precipuè propter communem conſenſum aſſerentem virum occidentem propria auctoritate vxorem cum adultero amittere bona omnia, quæ ob adulterium vxoris ſibi adiudicarentur; ex quo ego infero, ergo, ſi ex eo, quod propria auctoritate occidat, amittit ea, quæ pleno iure ſibi competerent ex adulterio vxoris, non eſt, cur amittere non debeat ea, quæ ex ſtatuto, vel ex conuentione ſibi competerent, ſi propria auctoritate non occidiſſet; & certe ad hoc maximè facit allegatus textus *in d. l. interdum §. qui furem ff. de furtis*. 4 Præfertur hæc ſecūda ſententia.

Hic ipſum duplex remanet difficultas diſſoluenda, quarum prima eſt, an, ſi maritus non per ſe ipſum propria auctoritate vxorem adulteram occiderit, ſed per Iudicem præmiſſa accuſatione, amiſerit ius ad illud lucrum dotis. Secunda ex ſuppoſitione, quod maritus propria auctoritate occidendo ius ad illud lucrum amiſerit, an illud deuoluatur ad hæredes eiuſdem vxoris, an vero ſit applicandum Fiſco? Duplex ratio dubitādi proponitur.

In ordine ad primam exiſtimo abſolutè, ſi auctoritate Iudicis maritus vxorem ob adulterium occiderit, non amiſiſſe ius

ad

ad illud lucrum. Ita ſentit *Sanchez de matrimonio lib.* 10. *diſp.* 8. *n.* 9., & omnes ferè ſcribentes, dum aſſerunt, quod, quando propria auctoritate occidit, ideò amittat ius ad illud lucrum, quia ius ſibi dicit contrà diſpoſitionem iuris *in d. l. interdum §. qui furem ff. de furtis*, ſed hæc ratio ceſſat, quando appoſita accuſatione apud Iudicem ipſam occidit auctoritate ipſius, ergo &c. Et certe rectæ rationi innititur hoc aſſertum, quandòquidem, vel ex ſtatutis, vel ex conuentione ius ad illud lucrum ipſi competit, ſi vxor decedat ſine liberis; nec illud ius poteſt amittere ex eo, quod eandem vxorem apud Iudicem de adulterio accuſauerit, quandòquidem accuſando vtitur iure ſuo, cum ius habeat vindictam auctore Iudice ſibi aſſumendi de iniuria ſibi allata, & qui vtitur iure ſuo ſeruatis ſeruandis non congruè ob id ſubijciendus eſt pænæ, adeòque non eſt, cur ſit priuandus quaſi in pænam illo iure ad lucrum dotis, nec alia eſt aſſignabilis cauſa, ob quam debeat priuari.

5 **Si maritus auctoritate Iudicis vxorē occiderit ob adulterii, non amittit ius ad dotem.**

6 **Si propria auctoritate occiderit ob adulteriū dos deuoluitur ad fiſcum non ad hæredes vxoris.**

In ordine ad ſecundam videtur abſolutè dicendum, quod lucrum illud non ſit deferendum ad hæredes vxoris, quandòquidem denegari non poteſt, quin vxor ipſa ob adulterium illud amiſerit per præcitata iura *in c. plerumque de donat. inter vir. & vxor. l. conſenſu §.* 1. *C. de repud. & alia vt ſupra*; nec denuo illud ius acquirit ex eo, quod maritus propria auctoritate illam occiderit, quandòquidem illa occiſio conſtituit quidem maritum, quoquo modo delinquentem, non autem reddit vxorem immunem à delicto adulterij, & à pænis, quæ ex eodem delicto conſequuntur, &, ſi ipſa vxor non eximitur à pæna amiſſionis lucri dotalis, non video, quomodo hæredes illius poſſint illud aſſequi, cum vniuerſum ius, quod habent, ſit ex perſona eiuſdem vxoris, cui debebent ſuccedere. Cum igitur maritus ſpolietur illo iure ratione vxoricidij commiſſi propria auctoritate per ſuperius allegata & probata, & cum vxor ipſa etiam ob adulterium commiſſum intelligatur iure illo priuata, non video, cur lucrum illud non ſit deferendum ad fiſcum.

Requiritur tamen Iudicis ſententia.

Solum hic remanet pro complemento dubitandum, an illud lucrum deuoluatur immediatè ad fiſcum, an verò ad talem deuolutionem requiratur ſententia Iudicis? Arbitror abſolutè talem Iudicis ſententiam requiri, quandòquidem hoc eſt in pænam vxoris delinquentis *Hoſtienſis in c. porro nu.* 3. *de diuort.*, *& ibi Ioannes Andræas n.* 4., *Ancharanus in fine*, *Alexander de Neuo n.* 19, *Præpoſitus n.* 4., *Baldus c. ex parte n.* 8. *de conſuet.*, *Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir. & vxor. §.* 24. *num.* 5., *Aſtenſis in ſumma* 2. *part. lib.* 8. *tit.* 33. *art.* 2. *paulo poſt princip.*, & alij plurimi quos refert *Sanchez de matrimonio lib.* 10. *diſp.* 8. *nu.* 13.; vndè merito *Baldus in d. c. ex parte nu.* 8. *de conſuet.*, *Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir. & vxor. §.* 34. *n.* 5., *Auiles c. prætorum in proemio*, *Gloſa*, *D. Fernando in fine* docent hæredes vxoris decedentis antè ſententiam non perdere dotem.

---

§. XVII.

An homicida teneatur ad intereſſe animæ occiſi.

SVMMARIVM.

Dilucide exponitur ſeries tituli. 1.
Sententia affirmans teneri. 2.
Contraria ſententia exponitur. 3.
Probabilius tenetur aliquas eleemoſinas erogare, & quaſnam. 4.

1 **Facti ſeries expoſita.**

DIſquiſitio XVII. Iniuſtè Franciſcus occiderat Caium, & propter iniuſtum homicidium bona eiuſdem interueniente Iudicis ſententia fuerunt confiſcata. Quod per Fiſcum, qui quodamodo ratione confiſcationis reputatur hæres eiuſdem Franciſci, debeantur hæredibus Caij occiſi compenſationes expenſarum factarum in medicis, & medicinis, & aliorum ad eius curam pertinentium, necnon æſtimationis operarum, quas Caius exercere potuiſſet, ſi non fuiſſet occiſus, docet ex communi conſenſu *Rolandus conſ.* 39. *per totum lib.* 2., & ità in facti contingentia conſuluit *Bertrandus conſ.* 217 *lib.* 8., quamuis *Iulius Clarus lib.* 5. *ſentent. §. homicidium nu.* 18. *in fine* aſſerat hoc in practica male obſeruari, nam Fiſcus rapit omnia bona delinquentis virtute confiſcationis, & nulla prædictorum ratio habetur. In huius rei deciſione immorandum non arbitror, ſed pro ſolutione vos remitto ad *Crauettam*, qui *conſ.* 119. hanc quæſtionem plenè examinat, ponderata diſcutit, & concludentèr reſoluit; ſed ſolum pro nunc ſuppono, quod fiſcus ad huiuſmodi onera teneatur, & ſubinde quæro, an etiam teneatur ad intereſſe animæ occiſi, ſcilicèt ad dandum, vt præ eâ fiant orationes, ieiunia, & eleemoſinæ, & alia huiuſmodi ſecundū facultates ipſius homicidę, quod videtur affirmare *Iulius Clarus d. lib.* 5. *ſentent. §. homicidium n.* 18. *in princip.*

2 **Sententia affirmatiua Clari.**

Nihilominus ſuppoſito, quod per Fiſcum compenſarentur omnia, in quibus damna

damna contigerunt ex illo homicidio hæ-
3 Contraria ſententia exponitur
redibus occiſi; puta expenſæ factæ in medicis, & medicinis, & alia omnia ad occiſi curam pertinentia, quin immò, & æſtimatio operarum, quas ipſe occiſus egiſſet, ſi gladio occiſoris non occubuiſſet non videtur ex iuſtitia reſultare onus in Fiſco quoad illud intereſſe animæ occiſi, quandoquidem ipſe Fiſcus, ad quid amplius non obligatur, ac obligaretur ipſe homicida, ſi bona ipſius non fuiſſent ob illud delictum publicata; ipſe autem homicida poſita compenſatione quoad prędicta omnia non videtur obligari ad illud intereſſe animæ occiſi, ſiquidem per illam compenſationem, tantum haberent hæredes, quantum habuiſſent, ſi non fuiſſet occiſus, & ſicuti, ſi non fuiſſet occiſus ex illis bonis acquiſitis operibus, & induſtria ipſius, & ex alijs per eundem occiſum relictis intereſſe ipſius eſſet peragendum, ita cum æquiualens illis, ſeu illorum æſtimatio fuerit per hæredes accepta à fiſco ex illa per hæredes eoſdem illud idem intereſſe eſt habendum.

Quod, ſi dixeris, quod ex illa violenta morte, ſeu occiſione idem Caius paſſus fuerit damna, nedum in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus; cum priuatus fuerit tempore opportuno ad animæ ſuæ conſulendum, ad ſe muniendum pijs operibus, & ad comparandam ſarcinam meritorum, ad vberiores, & feruentiores preces, ergo pro illorum operum, quibus priuatus eſt, compenſatione tenebitur tot erogare, quot fiant opportunæ preces, ieiunia, ſuffragia &c. ſicuti enim pro damnis temporalibus, quę contigerunt ex illo homicidio, facienda eſt ex iuſtitia compenſatio, non video, cur non facienda ſit etiam pro damnis ſpiritualibus, quæ vtique compenſabilia ſunt per alia opera ſimilia per alios exercenda. Si, inquam, hoc dixeris, poterit fortaſſis reſponderi, quod, ſi priuatus eſt tempore illo opportuno ad enuntiata opera exercenda, fortaſſis eſt priuatus tempore ad impia quæque gerenda, & quod illorum operum, quæ fortaſſis fuiſſet peracturus in ordine ad vtilitatem animæ regulariter non habeatur ratio, vt ex iuſtitia compenſentur per alia ſimilia opera ab alijs pro eodem exercendis, quamuis ex pietate, & charitate exerceantur, ſeu fiant. Quid igitur hac in re concludendum?

Inſtantia propoſita aduerſus hanc ſecundam opinionē, & diſſoluta.

4 Probabilius tenetur aliquas eleemoſinas erogare, & ad quēnam effectum.

Reſpondeo probabilius eſſe ſaltem ex charitate teneri ad erogandas aliquas eleemoſinas pro ſacrificijs, & pijs precibus effundendis pro intereſſe animæ occiſi, non quidem pro eo, quod ipſe diſpoſuiſſet pro ſua anima pro tempore mortis, ſi non fuiſſet occiſus, cum tantum ab hærede occiſoris receperit, quantum probabiliter acquiſiuiſſet, ſed pro eo, in quo ipſe occiſus ex cauſa illius violentæ mortis defecit in ſe diſponendo, vberioribus precibus, & feruentioribus effundendis, & pia meritorum ſarcina comparanda. Rationes ſuperius adductæ pro vtraque parte hoc ſufficienter euincunt, vnde non eſt, cur vlterius hac in re immoremur; atque in hoc conſulendi ſunt *idem Iulius Clarus, & Rolandus loc. cit.*

---

§. XVIII.

An, ſi quis intendens vnum occidere, alterum pro ipſo occidat, ſit puniendus pæna ordinaria homicidij.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Pœna ordinaria homicidij quænam ſit. 2.
Diſcrimen inter homicidium doloſum, & culpoſum. 3.
Sententia aſſerens occidentem vnum pro alio, quem animo deliberato intenderet occidere, non euitare pœnam ordinariam. 4.
Non tenetur pæna ordinaria, ſed extraordinaria. 5.

DIſquiſitio XVIII. Caius animo iniquo concepto aduerſus Franciſcum viribus omnibus contendebat ipſum occidere; huic homicidio inhians, vel ex errore, vel ex alia cauſa pro eodem Franciſco occidit Antonium. Quæſitum hic fuit, an pro tali homicidio inciderit in pęnas ordinarias homicidæ. Pro quo 1 Expoſitio caſus particularis.

Aduerte primo pænam ordinariam homicidij de iure communi eſſe pænam legis Corneliæ de ſicarijs per textum *in l. 1. ff. ad leg. Cornel.*; hæc autem pæna eſt in nobili deportatio, & bonorum omnium confiſcatio per textum *in l. 3. §. legis, Corneliæ eod. tit. ff. de ſicar.* Hæc de iure communi antiquo; cæterum de iure nouo conſuetudinario pæna illa legis Corneliæ abolita intelligitur, prout docet *Angelus in d. l. 3. §. legis Corneliæ ff. ad leg. cornel. de ſicarijs, Afflictus ſuper prima part. conſtit. regn. rub. 13. nu. 1., Placa lib. 1. delictorum c. 10. poſt n. 2.*; vnde hodie eſt pæna mortis *Boſſius tit. de homicidio n. 109.*, & afficit æquè nobilem, ac plebeium *Bolenegus in rep. l. capitalium §. famoſos n. 64. ff. de pœnis.* 2 Pœna ordinaria homicidij quænam ſit.

Aduerto ſecundò differre homicidium doloſum aliquo modo ab homicidio culpoſo, nam homicidium doloſum eſt, quandò quis animo occidendi illum interficit, & ſi ille animus interficiendi præceſſe- 3 Diſcrimē inter homicidium doloſū, & culpoſū.

ceſſerit ex interuallo ipſam occiſionem conſtituit homicidium deliberatum, ſed, ſi interuenit in ipſa rixa, vel calore iracundiæ, conſtituit homicidium non niſi ſimplex, prout notauit *Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. homicidium n. 5. & 6.* Culpoſum verò homicidium illud dicitur, quandò quis non doloſè, neque animo occidendi, ſed inaduertentèr alium interficit, & hoc homicidium licet ſine dolo commiſſum poteſt puniri criminalitèr, non quidem pæna ordinaria mortis, ſed extraordinaria, puta exilio, vel pecuniaria, vt ex communi praxi atteſtatur *Boſſius in tit. de defenſ. reorum nu. 68.*, & quandòque etiam pæna triremium ad tempus, vt teſtatur *Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. homicidium nu. 3.* Item dicitur culpoſum, quandò quis citra animum occidendi alium percuſſit, ex qua tamen percuſſione ille mortuus eſt; quomodo autem coniectari poſſit, quod non percuſſerit cum animo occidendi, aſſerit *idem Iulius Clarus ibid. nu. 4.*, vt plurimum coniectari ex qualitate armorum, & inſtrumenti, quo facta fuit illa percuſſio, & ibi enumerat varios caſus, in quibus iudicatum fuit pro negatione illius animi. His ſuppoſitis

4 Sententia aſſerēs nō euitare pœnā ordinariam.

Bartolus *in l. reſpiciendi §. delinquunt in fin. ff. de pœnis* ſuſtinet Caium occidentem Antonium pro Franciſco, quem animo deliberato intenderat occidere, non euitare pænam ordinariam capitis inflictam pro homicidio deliberato, nam licet reſpectu Antonij non fuerit animus deliberatus, fuit tamen animus deliberatus aliquem occidendi, ex quo animo ſecutum eſt hoc homicidium in perſona Antonij; atque per hanc opinionem aſſerit *Iulius Clarus loc. cit. nu. 4. verſ. dicunt etiam aliqui* Bartolum conſtituiſſe Iudices maleficiorum in magno diſcrimine, dum volunt eam ſeruare. Nihilominus

5 Nō tenetur pæna ordinaria, ſed extraordinaria.

Reſpondeo Caium in hac hypotheſi non teneri pæna ordinaria homicidij, ſed extraordinaria, puta deportationis, vel pecuniaria, vel fortè etiam triremium iuxtà qualitatem eiuſdem Caij occidentis. *Placa lib. 1. delictorum c. 27. n. 1.* atque hanc opinionem communem appellat *Alba conſ. 1. & 2., Menchaca controu. Illuſt. c. 96. poſt n. 32., Grammaticus conſ. 5.*, qui etiam refert ita fuiſſe iudicatum per conſilium *Neapol. ſuper conſt. Regni fol. 14. nu. 21.* Ratio ex eo deduci poteſt primò, quia æquum omninò eſt, vt mitius puniatur homicidium ſine dolo, & ſine animo deliberato, ac puniatur homicidium cum dolo, & cum illo animo deliberato per communem ſcribentium ſententiam, vt dicit *Cepola conſ. crim. 137. col. 1.*, & in hoc nemo diſcrepat, vt dicit *Maranta in ſuo ſpeculo col. 26. poſt nu. 59.*, ſed in Caio reſpectu Antonij non fuit ille dolus, nec ille animus deliberatus, ſiquidem nunquam intendit ipſum occidere, quin potius illud homicidium reſpectu Caij fuit inuoluntarium, ergo &c. Neque dicas, quod illud Antonij homicidium proceſſit ex illo animo deliberato alium occidendi, adeòque &c.; contrà enim impugnaberis, quia illa animi deliberatio in ordine ad hoc homicidium omninò impertinens eſt ad conſtituendum hoc doloſum, & deliberatum, cum ille animus non fuerit ad hoc ordinatus, ſed ad quid aliud; & quod eſt deliberatum reſpectu vnius non intelligitur tale in ordine ad alterum, ad quem deliberans non reſpicit. Confirmari poteſt ex eo, quod communius docent, quod ſcilicèt, ſi intendens percutere Titium laicum errans percuſſerit Titium clericum, non incurrat pænam excommunicationis, & ità de communi teſtatur *Didacus in rep. c. alma mater fol. 497. poſt n. 15. verſ. 9. ad eiuſdem, & in rep. c. quamuis fol. 53. poſt nu. 3., Placa in d. c. 27. nu. 18., Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. fin. q. 77. n. 8.*, ergo etiam ſi intendens vnum occidere alterum ab eodem occidat non contrahet pænas ordinarias homicidij deliberati.

Non fuit dolus, ob quem cōſtituatur homicidium culpoſum.

---

§. XIX.

Vtrum Clericus non recitans horas canonicas peccat contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Clericus in ſacris conſtitutus non beneficiatus grauitèr peccat, non tamen tenetur ad aliquam reſtitutionem. 2.
Si fuerit beneficiatus, & omiſerit ſine cauſa, tenetur ad reſtitutionem fructuum ad ratam omiſſionis. 3.
Tenetur etiam ſi omiſerit ad duos, vel tres dies. 4.
Cui facienda ſit reſtitutio remiſſiuè. 5.

1 Facti ſeries expoſita.

DIſquiſitio XIX. Titius, vel initiatus ordini mero Subdiaconatus, cui adiectum eſt onus recitandi horas canonicas, vel de aliquo beneficio prouiſus ratione cuius ad illas tenetur, pluries eaſdem horas omiſit ex incuria, & culpa. Quæſitum hic fuit, an ex illa omiſſione culpabili teneatur ad aliquam reſtitutionem, & quamnam?

Digitized by Google

Diſcrimē inter clericum beneficiatū, & non beneficiatū.

Certum eſt, quod diuerſimodè res ſe habere poteſt in ordine ad clericum beneficiatum, & non beneficiatum, quamuis hic etiam ratione ordinis teneatur ad ſacrarum horarum recitationem; Diſcrimen eſt, quod beneficiatus recipit fructus beneficij propter illud onus recitandi ſacras horas canonicas, cum non beneficiatus nullos recipiat fructus; vndè non beneficiatus, ſi non recitat, videtur ſolummodo peccare contrà legem præceptiuam Eccleſiæ; beneficiatus verò, & contrà legem præceptiuam, & contrà iuſtitiam commutatiuam, quatenus non confert id, quod tenetur conferre ratione fructuum.

2 Clericus nō beneficiatus nō tenetur ad reſtitutionem.

Reſpondeo primo Clericus non beneficiatus omittens horas canonicas, quantumuis ſit in ſacris conſtitutus non tenetur ad aliquam reſtitutionem, quamuis grauitèr peccet ex illa culpabili omiſſione *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 2. num.* 180., & in hoc omnes conſentiunt. Ratio ex eo deducitur primò, quia ſic omittens non peccat contrà iuſtitiam commutatiuam; ſed dumtaxat contrà iuſtitiam legalem; non etenim aliquid recipit, pro quo obligetur ad illud onus; nec poteſt dici, quod receperit ordinem pro illo onere; non, inquam, poteſt dici, quandòquidem Eccleſia non conuenit cum ordinando, vt ipſa conferat ordinem, & ipſe aſſumat illud onus, ſed ſolummodò adijcit illi ordini illud onus, ergo non tenetur ordinatus ex iuſtitia commutatiua ad horas recitandas, ſed dumtaxat ex legali, & per conſequens non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſi omiſerit, quantumuis ex culpa. Confirmatur, quia per illam omiſſionem non facit alicui iniuriam, ſed ad ſummum ſibi, cum verſus aliquem non teneatur.

Non tenetur ergà Eccleſiā, & fideles ex iuſtitia commutatiua.

Dices, quod, quantumuis non teneatur verſus aliquem ad aliquam reſtitutionem temporalem, ſeu quoad bona temporalia, cum ipſe nulla receperit, teneatur tamen ad aliquam ſpiritualem, eo quod lædat Eccleſiam, & fideles in bonis animæ, cum priuet ipſam Eccleſiam debitis ſuffragijs. Sed contra, quia etiam erga Eccleſiam, & fideles non tenetur ad illas horas ex iuſtitia commutatiua, ſed dumtaxat ex legali, & propterea non eſt, cur teneatur pro omiſſione ipſarum; ex quo ſequitur, quod, ſi pro aliqua die horas non recitauerit, non teneatur altera die recitare id, quod omiſit, nec ad aliquod æquiualens, niſi fortaſſis illi iniungatur per Sacramentalem Pænitentiam.

3 Si fuerit beneficiatus, tenetur ad ratam omiſſionis.

Reſpondeo ſecundò. Si fuerit clericus beneficiatus, & ratione beneficij teneatur ad horas canonicas, ipſaſque ſine causa omiſerit, tenetur quidem ad reſtitutionem fructuum, quos recepit ad ratam omiſſionis, non autem ad aliquam ſpiritualem *Petrus à Nauarra loc. cit. n.* 181. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ſuppoſito beneficio fructus dantur in ordine ad tale onus, ergo eodem onere omiſſo per culpabilem omiſſionem tenebitur omittens ad reſtitutionem illorum fructuum, quos pro illo onere recepit ad ratam omiſſionis. Ratio verò ſecundæ partis eluceſcit ex dictis in præcedenti reſponſione in ſolutione inſtantiæ, quandòquidem facta illa compenſatione ratione temporalium prouentuum nullius læditur ius ob illam omiſſionem, cum tunc ſolum recitatio ſit ſolum ex præcepto Eccleſię, vndè merito ſubdit *idem Petrus à Nauarra loc. cit.*, quod, ſi ſtipendium ob illud onus recipiat, non peccet contrà iuſtitiam, ſi ſtipendium reſtituat.

4 Tenetur etiam ſi omiſerit ad duos, vel tres dies.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi quis omiſerit per duos, vel tres dies, teneatur ad reſtitutionem ſtipendij, quod pro illis recepit? *Sotus lib. decimo de iuſtit. q.* 5. *art.* 6. *concl.* 4. docet, quod non teneatur reſtituere, adducitque rationem, quia in ciuilibus familijs non obligantur ad reſtitutionem miniſtri ob aliquot dies, quibus ſeruitium ſubtraxerunt, ergo &c. Sed huic reſponſioni obſtat deciſio Pij V., quam refert *Nauarrus c.* 25. *n.* 122., quæ deciſio cantat in hæc verba: ***Statuimus, vt qui horas omnes canonicas, vno aut pluribus diebus intermiſerit omnes fructus, qui illi, vel illis diebus reſpondent, qui verò matutinas dimidiam, qui cæteras omnes horas aliam dimidiam, qui harum ſingulos ſextam partem fructuum eius diei amittat.***

5 Cui faciēda ſit reſtitutio remiſſiuè.

Si autem hic inquiras cuinam facienda ſit illa reſtitutio? Sotus reſpondet faciendam eſſe Pontifici; Alij, inter quos *Petrus à Nauarra loc. cit. n.* 192. faciendam eſſe fabricæ Eccleſiæ, cui ille eſt beneficiarius. Alij pauperibus, & hæ omnes opiniones ſunt valdè probabiles, quibus poteſt vnuſquiſque adhærere.

Digitized by Google

DE RESTITVTIONE II.

HActenus egimus de duplici radice reſtitutionis, de cauſis ſcilicèt, ex quibus oritur onus reſtituendi per ordinem generatim ad quæcunque bona, ſiue fortunæ, ſiue famæ, & honoris, ſiue vitæ, & corporis, ſiue animæ. Nunc de ipſa reſtitutione, tum in ordine ad res, quæ debent reſtitui, tum in ordine ad perſonas, quæ debent reſtituere, tum in ordine ad illas, quibus fieri debet reſtitutio, tum in ordine ad alias circunſtantias quantitatis, modi, temporis, ordinis, & loci ſeruandas in reſtitutione, quæ omnia ſub his duobus carminibus comprehenduntur.

Quid, quis reſtituet, cui, quantum, quomodo, quando
Ordine, quove loco, quæ cauſa excuſat iniquum

Circa hæc, omnia reaſſumendo, quæ in præcedentibus dicta ſunt, ſingula ſingulis applicando iuxtà contingentiam materiæ diſceptationes in præſenti agitabuntur, ex quarum cognitione vniuerſa, quæ ad pręſens inſtitutum pertinent, eluceſcent vſque ad pleniſſimam notitiam. Hic tantum moneo, quod quoad cauſas excuſantes à reſtitutione, quæ innuuntur in vltimis ſecundi carminis particulis ſermo remittetur ad titulum de reſtitutione III., vbi ex profeſſo omnia tam ſecundum iuris ciuilis, quàm ſecundum iuris canonici diſpoſitionem diſcutientur.

PRÆNOTIO I.

Quidnam debeat reſtitui.

SVMMARIVM.

Pro bonis fortunæ facienda eſt reſtitutio in eiſdem numero bonis, ſi extent, ſi verò non extent per alia eiuſdem ſpeciei, vel per pretium æquiualens. 1.

Re amplius non extante arbitrarium eſt læſo velle, vel pretium, vel ſpeciem. 2.

Si fuerint ſegetes contritæ, vel arbor ſucciſa ante maturitatem ſunt reſtituendæ ſecundum valorem, quem fuiſſent habituræ demptis expenſis, & laboribus. 3.

Si abſtulerit rem, quam Dominus fuiſſet conſeruaturus pro tempore maioris valoris debet reſtituere ſecundum eundem maiorem valorem. 4.

Si verò Dominus non fuiſſet conſeruaturus debet reſtituere ſecundum valorem, quem res habuiſſet pro tempore conſumptionis faciendæ à Domino. 5.

In dubio pro quonam tempore Dominus fuiſſet conſumpturus reſtituenda eſt ſecundum maiorem æſtimationem detracto eo, quod importat illa incertitudo. 6.

Pro bonis famæ facienda eſt reſtitutio in eodem bonorum genere, & non aliter. 7.

Detractor non tenetur, niſi reſtituere læſum in priori ſtatu reuocando dictum. 8.

Detractor tenetur ſolummodo reſtituere famā penes ſuos auditores immediatos, quando illis manifeſtauit ſub ſecreto, vel ſciens eoſdē alijs non reuelaturos, ſecus, ſi non aperuit ſecreto, neque ſub tali probabilitate. 9.

Digitized by Google

Quando falſum crimen impoſuit, tenetur retractare dictum etiam ſub iuramento, ſi ita res exigat. 10.

Quomodo reſtituenda ſit fama, quando verum crimen, ſed occultum, fuit manifeſtatum. 11.

Quando detractor ipſe viuens non reſtituit, non tenentur eius hæredes reſtituere famam. 12.

Bona famæ, & honoris non ſunt compenſanda in bonis fortunæ. 13.

Si quod damnum inde contigerit in bonis fortunæ, facienda eſt pro eodem compenſatio. 14.

Si ipſe detractor non ſatisfecerit viuens læſo in bonis fortunæ tenentur ſatisfacere pro eiſdē hæredes, ſiue ipſi læſo, ſi adhuc viuat, ſiue eius hæredibus. 15.

Si fama fuerit reparata per viros graues, non tenetur detractor eam reſtituere, tenetur tamen reparare damna temporalia. 16.

Idem dic, ſi infamia fuerit abolita per obliuionem. Ibid.

Intellige, ſi perfectè fuerit reparata. 17.

Ex diuturnitate temporis poteſt pro obliuione præſumi. 18.

Manifeſtans alicuius crimen, quod arbitratur verum, & notorium, cum tale non ſit, tenetur retractare. 19.

Si ex illa manifeſtatione infamatus damna paſſus fuerit, non tenetur manifeſtans illa reparare. 20.

Narrans aliquod de alio, quod ſecundum ſe malum non ſit, ſiniſtrè tamen accipiatur ab auditoribus, tenetur ex charitate reſtituere, non ex iuſtitia. 21.

Pro bonis vitæ, & corporis non eſt facienda reſtitutio in bonis fortunæ. 22.

Intellige etiam quoad membra hominis ſerui. 23.

Regula pro taxatione talis lucri. 24.

Pro bonis ſpiritualibus naturalibus facienda eſt compenſatio in eodem genere, ſi poteſt, non in alio. 25.

Si inde damna temporalia prouenerunt, ſunt compenſanda. 26.

Damnificatio per vim, & fraudem in bonis ſupernaturalibus compenſanda eſt per ablationem vis, & fraudis. 27.

Vbi non fuerit vis, & fraus, non eſt ex iuſtitia facienda compenſatio. 28.

Quid ſentiendum ſit de retrahente, vel extrahente à Religione. 29.

SIcuti læſio poteſt contingere circa bona fortunæ, famæ, & honoris, vitæ, & corporis, & etiam ſpiritualia animæ, vt in præcedentibus latè diſſeruimus, ita quoad hæc omnia poteſt contingere onus reſtitutionis, & propterea in ordine ad ſingula inquiri poteſt, in quibuſnam rebus facienda ſit eadem reſtitutio.

Aſſertio I. Pro bonis fortunæ facienda eſt reſtitutio per eadem omninò bona numero, ſi extent, in quibus dominus læſus eſt, ſi verò eadem non extent, per alia eiuſdem ſpeciei, vel bonitatis, vel per pretium æquiualens, adeò vt tantum reſtituatur, quantum ſufficit ad æqualitatem debiti, vel damni illati. *Nauarrus c.25. n.24., D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 12. §. 17., Petrus à Nauarra lib. 4. c. 1, nu. 4., Silueſter verb. reſtitutio 7. q. 5. dict. 2. & 3.* — 1 Facienda eſt reſtitutio per eadē bona, vel per æquiualens.

Prima pars clarè liquet *ex l. manifeſtum C. de ſolutionibus*, & vlterius ratione ſic euincitur, quia extante eadem re, cuius dominium verus Dominus in alium non tranſtulit, ſemper Dominus retinet ius in illa, ergo, vbi Dominus illam determinatè velit, nec contentus ſit alia eiuſdem ſpeciei, & bonitatis, eadem ipſi, ſi extet, erit reſtituenda. Antecedens omninò clarum eſt. Conſequentia probatur, quia res ſemper clamat pro Domino, quouſque ius in illa retinet; Neque dicas cum *Petro à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 1. dub. 3. nu. 5. verſ. 2. etiam mihi videtur* ſufficere, quod reddatur res æqualis in ſpecie, & bonitate, cum lædens reparauerit damnum ſecundum æqualitatem, immò, nec videtur illi iniuriam facere, nec vllo modo peccare contrà iuſtitiam, licet alter perſiſtat, ac proteruè rem ſuam expoſtulet, quia irrationabilitèr perſiſtit, & eſt inuitus; Cōtrà enim impugnaberis, quia, cum Dominus non ſit ſpoliatus dominio rei ſuæ, ſemper illam eandem poteſt exigere, vndè, ſi ipſa in numero non tribuatur, iniuria propriè ipſi inuritur. Hoc tamen vnum aduerterem, quod, vbi ageretur de pecunia, vel de aliqua ſpecie, in qua ſecundam qualitates indiuiduantes vix poſſet eſſe diſcrimen inter vnum, & alterum, non reputaretur grauis iniuria, ſi vnum pro altero reſtitueretur, nec quoad hoc poſſet Dominus eſſe rationabilitèr inuitus ſaltem grauitèr. — Poteſt Dominus velle rē ſuam determinatè.

Secunda pars etiam liquet *ex auth. hoc niſi C. de ſolut.*, & vlterius ratione ſic euincitur, quia de ratione iuſtitiæ commutatiuæ, cuius actus propriè eſt reſtitutio, eſt, vt ponatur æqualitas, vbi non eſt, ergò eadem re non amplius extante, per quā poni deberet æqualitas, debet per aliam eiuſdem ſpeciei, vel per pretium æquiualens conſtitui. In hac hypotheſi, quod amplius eadem res in numero non exiſtat, oritur difficultas, an ſit in arbitrio eius, qui læſit, reddere rem eiuſdem ſpeciei, & bonitatis, vel eiuſdem pretium æquiualens, an verò in arbitrio læſi velle, vel pretium, vel ſpeciem. Probabilius eſt eadem re non amplius extante, arbitrium eſſe læſo velle, vel rem ſimilem in qualitate, — 2 Re amplius non extāte arbitrarium eſt læſo velle, vel pretium, vel ſpeciem.

tate, & bonitate, vel eiuſdem pretium, quandoquidem ex quo ipſe læſus eſt, habet omne ius aduerſus lædentem, & fauorabilia debent potiùs ipſi cedere, quam lædenti.

Intellige, ſi ille, apud quē res perijt, erat poſſeſſor malæ fidei.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis intelligenda ſunt, quando ille, qui rem alienam detinebat, & apud quem perijt, vel à quo conſumpta eſt, erat poſſeſſor malæ fidei; ſi etenim bona fide poſſidebat, nec ex ea factus fuerit ditior, ad nullam reſtitutionem obligatur non amplius eadem re exiſtente, quia iuxtà ſuperius dicta, nec tenetur ratione rei acceptæ, cum amplius non exiſtat, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum ipſe, nec iniuſtè acceperit, nec detinuerit, nec ex eo, quod factus fuerit locupletior, cum nullum lucrum, quod perſeueret, indè acquiſierit.

Quid ſentiendū ſit, quādo res de præſēti parum valet, pluris tamen ſit poſtea valitura.

Ex eo autem, quod in aſſertione dictum ſit, quod tantum debeat reſtitui, quantum ſufficiat ad ponendam æqualitatem debiti, vel damni illati, conſurgit ratio dubitandi, an, ſi quis intulerit damnum in re aliena, quæ licet de præſenti parum valeat, ſpem tamen inducat maioris valoris de futuro, debeat reſtituere, quanti res valet de præſenti, an quanti de futuro valebit? Secundum duplicem ſenſum præſens dubitatio poteſt examinari; vel quatenus quis conterat v.g. ante maturitatem ſegetes, vel arborem creſcentem reſcindat, quæ tunc minoris ſunt valoris, licet in maturitate, & incremento longè pluris ſint valitura; vel quatenus auferat rem alienam, quæ pro tempore ablationis quoad valorem legalem valuerit tantum decem, & pro tempore reſtitutionis creuerit ad valorem eundem vſque ad viginti. Iuxtà primum ſenſum ſentiendum eſt reſtitutionem, ſeu compenſationem faciendam eſſe non præcisè ſecundum valorem quem habebant ſegetes, & arbor, quando illæ fuerunt contritæ, iſta ſuccisa, ſed ſecundum valorem, quem fuiſſent habituræ pro tempore maturitatis, & perfecti augmenti detractis tamen expenſis, laboribus, habitaque ratione periculi iuxtà prudentum arbitrium. Ratio eſſe poteſt, quia qui deſtruit rem fructiferam non ponit perfectam æqualitatem, niſi reſtituat non ſolum valorem rei, ſed etiā fructuum indè emanantium, quoſque Dominus erat certo moralitèr percepturus, ergo etiam, qui deſtruit rem alienam, non ſolum tenetur reſtituere valorem eiuſdem rei, quem habebat tempore deſtructionis, ſed etiam valorem, quem Dominus deductis deducendis erat ab illa re percepturus. Addo, quod qui deſtruit rem alienam, non ſolum debet

3 Si ſegetes fuerint cō tritæ, & arbor ſuccīſa ante maturitatem ſunt reſtituendæ ſecūdū valorē maturitatis detractis expēſis, & laboribus.

valorem eiuſdem reſtituere, ſed etiam ſoluere lucrum ceſſans, ergo &c. Dixi *detractis expenſis, & alijs*, quia ſi abſolutè teneretur ſoluere quanti res eſſet valitura pro tempore futuro meliorem redderet conditionem læſi, quod nemo tenetur præſtare. Iuxtà ſecundum ſenſum reſpondendum eſt cum diſtinctione, vel etenim Dominus, ſi non fuiſſet re illa ſpoliatus, fuiſſet ipſam conſeruaturus, vel fuiſſet alienaturus, vel conſumpturus pro tempore ablationis, vel pro tempore, quo minoris valebat. Iuxtà primum diſtinctionis membrum aſſerendum eſt, quod ſubtractor teneatur reſtituere ſecundum valorem maiorem, quem habitura fuiſſet pro tempore reſtitutionis. Iuxtà verò ſecundum membrum, non teneatur reſtituere, niſi ſecundum valorem, quem res habebat, quando fuit ablata, vel fuiſſet habitura pro tempore, quo Dominus fuiſſet conſumpturus. In vniuerſum conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 12. à n.106. vſque ad 109.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia eo ipſo, quod Dominus erat conſeruaturus rem illam vſq; ad tempus maioris valoris, quantumuis pro tempore ablationis, vel conſumptionis factæ à fure eſſet minoris, damnum patitur in illo exceſſu pretij, quem fuiſſet conſecuturus, & hoc ex iniuſta actione eiuſdem furis, ergo debet Dominus compenſari in illo exceſſu, quem res conſeruata apud ipſum acquiſiuiſſet. Ex aduerſo deducitur, quod, ſi Dominus fuiſſet conſeruaturus rem illam vſque ad tempus reſtitutionis, & pro illo tempore res ſublata in valore extrinſeco, & legali decreuiſſet, & fur eandem rem alienauerit pro tempore, pro quo pluris valebat, non teneatur illum exceſſum, quem exegit ſupra id, quo res fuiſſet valitura pro tempore, pro quo Dominus fuiſſet conſumpturus, eidem retribuere; tum quia ille exceſſus eſſet fructus induſtriæ eiuſdem furis; tum quia, ſicuti, ſi res creuiſſet in valore pro tempore reſtitutionis, ſi Dominus fuiſſet ad illud tempus conſeruaturus, tenetur fur ſecundum illum maiorem valorem reſtituere, non obſtante, quod alienauerit pro tempore minoris valoris, ità, ſi res decreuerit in valore pro tempore, pro quo ſit reſtitutio, & pro quo Dominus fuiſſet conſeruaturus, ſi non fuiſſet ſublata, & fur eam vendiderit pro tempore maioris valoris, non tenebitur illum exceſſum, ſecundum quem alienauit, eidem tribuere, ſed ſatis erit, quod reſtituat ſecundum valorem, quem tunc habet. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Dominus habeat ius ad pretium rei ſuę, adeòque, cum pretium, quo

4 Si abſtulerit rem alienam, quam Dominus fuiſſet conſeruaturus pro tēpore maioris valoris debet reſtituere ſecundum maiorem valorem.

5 Si nō fuiſſet Dominus conſeruaturus, reſtituenda eſt ſecundum valorem temporis conſumptionis.

Nonnullæ illationes ex prædictis deductæ.

fuit

Digitized by Google

fuit vendita fuerit in illo exceſſu, vtique ius habent etiam ad illum exceſſum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia pretium rei venditę ſit furis venditoris, prout expreſsè colligitur *ex l. qui vas §. vlt. ff. de furtis*, nec Dominus habet ius ad illud pretium, niſi quatenus debet compenſari in damno ſibi illato; vndè non poteſt exigere, niſi ſecundum quod eſt damnificatus; non eſt autem damnificatus, niſi ſecundum valorem, quem res fuiſſet habitura pro tempore reſtitutionis, ſi illam fuiſſet conſeruaturus vſque ad illud tempus. Ratio ſecundæ partis ex mox dictis deducitur, quia, ſi Dominus non fuiſſet conſeruaturus pro tempore, quo pluris fuiſſet valitura, ſed alienaſſet pro tempore minoris valoris, non cenſetur damnum pati ex eo, quod reſtituatur ſecundum valorem, in quo ipſe fuiſſet rem conſumpturus, vel alienaturus; ſi enim tunc alienaſſet, non niſi minorem valorē fuiſſet conſecutus, ergo in eo dumtaxat eſt reintegrandus, non ſecundū valorem, quem res acquiſiuiſſet, ſi fuiſſet vſque ad illud tempus conſeruata; cum ipſe non fuiſſet ad illud tempus conſeruaturus.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

6

In dubio, pro quo tempore Dominus ſit conſūpturus, reſtituenda eſt ſecundum maiorem valorē dempto pretio incertitudinis.

Quod, ſi inquiras, quidnam ſentiendum ſit, quando dubium eſt, pro quonam tempore Dominus fuiſſet alienaturus, an pro tempore maioris valoris, an verò pro tempore minoris? Leſſius *lib. 2. de iuſtitia, & iure c. 12. dub. 16. n. 109.* abſolutè arbitratur reſtitutionem, ſeu compenſationem faciendam eſſe ſecundum ſummam æſtimationem, quam res habuit, & hoc in fauorem innocentis, cum in dubio debeat eſſe melior ipſius conditio, & in odium delinquentis, cuius conditio ſemper reputatur deterior. Sed quamuis in foro externo videatur rectè procedere; in interno tamen non abſolutè veram crediderim ipſius opinionem; quandòquidem omni iure certum eſt, quod non tanti ſit habenda res incerta, quanti certa. Quamobrem eiuſdem propoſitionem limitarem, vt intelligatur detracta illa æſtimatione, quam importare poteſt incertitudo. Quod, ſi inquiras, quanti habendus ſit infra ſummam æſtimationem ille valor ratione incertitudinis, arbitrarer, vel remittendum eſſe arbitrio boni viri, vel taxandum ad medietatem intra ſupremam, & infimam æſtimationem.

7

Pro bonis famæ facienda eſt reſtitutio in eodem bonorum genere, & nō in alio.

Aſſertio II. Pro bonis famæ, & honoris facienda eſt compenſatio in eodem bonorum genere, ſi poſſit, cęteroqui nulla vrget obligatio reſtituendi in bonis fortunæ; compenſanda tamen ſunt damna, quæ circa bona fortunæ ex tali læſione emanarunt *Nauarrus c. 17. n. 90., Silueſter verb. detractio q. 4. caſ. 2., Petrus à Nauarra lib. 2. c. 4. de reſtit. nu. 417., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 11. dub. 16. n. 92.*

Bona famę, & honoris ſunt ſub dominio poſſidentis.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur primò, quia fama, & honor ſunt bona, quæ ſubſunt vero dominio perſonæ, cui ſunt affixa, & ſunt vere compenſabilia per ea, quæ ſupra latè probauimus, & præcipuè ſub hoc *eod. tit. de Reſtitut. 1. prænot. 14. ſect. 2. aſſert. 1.*, ergo qui lædit alterum in talibus bonis tenetur eadem compenſare reſtituendo in eodem genere, in quo læſit. Conſequentia probatur, quia iuſtitia commutatiua exigit, vt quotieſcunque id, in quo alter læſus eſt, poteſt reddi, reddatur, cum vnum pro altero inuito Domino ſolui non poſſit ex vulgatis iuribus. Secundò, quia qui alterum in fama, vel honore iniuſtè læſit, retinet quodamodo famam, & honorem ipſius ipſo rationabilitèr inuito, ergo tenetur famam ipſam, & honorem reſtituere. Conſequentia probatur, quia eſt de formali ratione iuſtitiæ commutatiuæ ſeruare æqualitatem, qua vnuſquiſque habeat, quod ſuum eſt, & nullus alienum. Antecedens ſic euincitur detractor habet in ſua poteſtate alienam famam, & honorem reparare, ergo retinet, quodamodo, & vt ità dicam æquiualentèr talem famam, & honorem apud ſe. Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod fama ab altero ablata nullius vtilitatis ſit detractori, adeòque non videatur ab ipſo reſtituenda; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quoad obligationem reſtituendi non requiritur, quod res ablata cedat commodo auferentis, ſecus, qui rem alienam incenderet, vel in mare proiceret, non teneretur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, quod nemo dicet.

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Circa hanc primam partem plurima conſurgunt dubia examinanda; quorum primum eſt, vtrum ſufficiat detractori ſtatuere læſum in priori ſtatu ſuæ famæ, an verò vlterius debeat aliquid reddere pro infamia, quam læſus paſſus eſt toto tempore medio inter detractionem, & retractationem detractionis. Molina, qui vt refert Lugus, primus omnium ex profeſſo hanc controuerſiam diſcuſſit, affert pro parte affirmatiua rationes validas ſitas in eo potiſſimū, quod fama coaleſcit ex bona opinione, quam homines habent de aliquo ſucceſſiuo tempore, ità vt pars famæ ſit bona opinio hodierna, pars opinio craſtina, & ſic ſucceſſiuè, vndè videtur inferre, quod qui reſtituit famam craſtinam, & non hodiernam, non reſtituat ad æqualitatem, cum partem reſtituat, & non totum. Exemplificat hanc rationem in fonte vini, quem ſi quis iniuſtè impediret, ne flueret, non ſatisfaceret ad ęqualita-

litatem per reſtitutionem dumtaxat eiuſ-
8 dem fontis liberi, ſed deberet vlterius aliquid reſtituere pro illo tempore, pro quo fuit impeditus, ne flueret, ità fama eſt veluti fons, ex quo ſucceſſiuè oritur apud alios bona opinio hodie, & cras, & ſic ſucceſſiuè de aliquo, vndè qui impedit per detractionem non videtur ſufficientèr ſatisfacere, ſi ponat famam in priſtino ſtatu, & non reſtituat aliquod pro illo fluxu, quem pro tempore præterito impediuit. Nihilominus idem Molina ſenſit, communem eſſe confeſſariorum praxim non imponendi pænitentibus, niſi onus famam reparandi per retractationem, & quidem iure merito, nam aliter eſſet nimis graue iugum eiſdem imponere, cum ex alia parte reſtituta de præſenti fama cenſeatur etiam ablata infamia præterita, quia per reſtitutionem famæ de præſenti læſus apud eos, apud quos infamiam paſſus eſt eodem modo ſe habet, ac ſi infamiam paſſus non fuiſſet, iſti quippe dum iudicant ſe pro præterito tempore falſo opinatos retrotrahunt quodamodo bonam famam, & æſtimationem præſentem ad totum tempus præteritum, in quo malam opinionem falſo habuerunt; atque per hæc reſponderi poteſt ad ea, quæ afferebantur à Molina; admiſſo etenim, quod conſtetur fama ex opinione hodierna, & craſtina, & ſucceſſiua dicendum eſt per reparationem hodie factam licet non formalitèr, quaſi virtualitèr tamen reparari etiam infamiam præteritam, quia illi, apud quos læſus eſt in fama per retractationem factam à detractore retrotrahunt bonam opinionem ad quodcunque tempus præteritum, nec currit paritas de fonte vini, quia Dominus fontis per reparationem eiuſdem hodiernam præciſè, neque virtualitèr haberet totum id, quod habere deberet, ſicuti habet infamatus.

Detractor non tenetur, niſi ſtatuere læſum in priori ſtatu, nec aliud tenetur addere.

Dubium ſecundum, an detractor debeat reparare famam læſi apud eos dumtaxat, apud quos abſtulit, an verò etiam penes alios, quibus à ſuis auditoribus infamia propallata eſt. Phylippus *Faber de reſtitut. in 4. diſt. 15. q. 3. diſp. 35. c. 1. n. 37.* exiſtimat ſufficere, ſi reparet præciſè apud eos, apud quos detraxit eo quia cum verba promulgentur in infinitum impoſſibile eſt reparare apud omnes, quod etiam docuerunt *Villalobos tom. 2. tract. 11. difficult. 37. n. 11., Tannerus in 2. 2. D. Thomæ diſp. 4. q. 6. dub. 6. n. 146.*, quod etiam confirmat communis praxis confeſſariorum, qui onus non imponunt pænitentibus, niſi reparandi apud ſuos auditores immediatos, & hoc etiam videtur rationi congruere eo quia principalis detractor detegendo falſitatem, vel iniu-
riam apud ſuos auditores immediatos 9
videtur illis quodamodo implicitè committere, vt ſuam hanc reſtitutionem adaperiant alijs, quibus fortaſſe infamiam ipſi per promulgationem intulerunt. Probabilis certè eſt hæc opinio. Nihilominus cum diſtinctione ego procedendum exiſtimo; vel etenim detractor aperuit alterius errorem penes aliquos ſub ſecreto, vel probabilitèr exiſtimans ipſos rem alijs non eſſe manifeſtaturos cum ſint timoratæ conſcientiæ, & notæ probitatis, vel neque ſub ſecreto aperuit, neque ſub tali probabilitate. Iuxtà primum ſenſum arbitror ſufficere, ſi reſtituat apud ſuos auditores immediatos, non ſic iuxtà ſecundum; atque iuxtà hanc diſtinctionem videntur procedere *Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 11. difficult. 37., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 34. in fin.* Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quia in primo ſenſu infamia per auditores immediatos detractoris irrogata per manifeſtationem delicti alijs factam eſt omninò præter intentionem, & fortuita reſpectu primo detractoris; in ſecundo detractor ſua manifeſtatione cenſetur cauſa efficax infamiæ apud omnes; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo dicebantur, nempè impoſſibile eſſe reparare apud omnes cum de facili verba protrahantur inter innumeros; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum damnum illud efficacitèr intulerit detractor penes omnes ex ſe oritur onus reparationis, & quod poſtea nequeat apud omnes reparare, hoc omninò per accidens eſt ratione impotentiæ, ratione cuius tamen non omninò excuſabitur à reparatione penes eos, apud quos poteſt, ſicuti qui habet impotentiam ad ſoluendum mille, quos debet ad ponendam æqualitatem perfectam, tenetur ſoluere centum, ſi poteſt ad ponendam æqualitatem omni meliori modo, quo poteſt.

Detractor tenetur ſolummodò reſtituere penes ſuos auditoris immediatos, quibus ſub ſecreto manifeſtauit.

Secus, ſi non aperuit ſub tali probabilitate.

Dubium tertium eſt, quomodo detractor teneatur famam reſtituere, quando alterum læſit falſum crimen imponendo. Sentiendum eſt teneri retractare, quod dixit, aſſerendo ſe deceptum fuiſſe, ſed re
melius conſiderata comperiſſe errorem, 10
vel falſum dixiſſe etiam adhibendo iuramentum, & teſtes, ſi neceſſitas vrgeat eo, quia auditores nolint ſine iuramento, vel teſtibus credere *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 2., Sotus de iuſt. lib. 4. q. 6. art. 3., Turrianus 2. 2. tom. 2. diſp. 53. dub. 1. n. 9., Nauarrus c. 18. nu. 45., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c. 4. n. 137., Salonius de iuſt. tom. 1. q. 62. art. 2. controuerſ. 13., Tannerus 2. 2. diſp. 4. q. 6. dub. 6. nu. 141.*, & in ſpecie quoad onus

Quando crimē falſū impoſuit, tenetur retractare dictam etiā ſub iuramento, ſi res ità exigat.

adhi-

Digitized by Google

adhibendi teſtes docent *Molina tom. 1. diſp. 41., Ioannes della Crux in directorio part. 1. prop. 7. art. 2. dub. 5., Sotus, Aragonius, & Salonius loc. cit.* Ratio eſt, quia qui alterum læſit, tenetur ad æqualitatem conſtituendam etiam cum aliquo ſuo incommodo adhibere omnem modum, & medium licitum requiſitum ad ipſam ponendam, ſed iuramentum adhibere ad firmandum ſe falſum in detractione dixiſſe, & etiam teſtes ad roborandum, eſt medium omninò licitum, cum ex vna parte iuramentum ſit verum, & vrgeat neceſſitas, ergo &c. Aduerte tamen, quod ſi per retractationem immineret aliquod grauius malum, ſeu damnum in fama ipſi retractanti, non teneatur cum tanto ſuo detrimento retractare. Quod ſi auditores his adhibitis adhuc renuant credere, ſibi imputent, nam tunc mala opinio orta ex dicto detractoris non amplius ex illo dicto cenſebitur prouenire, cum omni morali modo fuerit retractatum, ſed ex peruerſitate eorundem auditorum.

11 Quomodo reſtituenda ſit fama, quã do verum crimẽ, ſed occultum fuit manifeſtatũ.

Dubium quartum eſt in inquirendo ad quid teneatur, qui alterum infamauit verum crimen propallando, ſed occultum. Nonnulli arbitrantur ad aliud non teneri manifeſtatorem, quam ad laudandum eum, cuius delictum verum manifeſtauit, etiam in alia materia, & ſecum honorificè pertractando. *Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 11. diffic. 37. n. 4., Caietanus 2. 2. q. 72. art. 2., Tannerus 2. 2. diſp 4. q. 6. dub. 4. nu. 143., Fauſtus in ſpecul. confeſſ. diſp. 21. q. 74. memb. 6.* Alij arbitrantur poſſe iuſte aſſerere ſe in manifeſtatione talis delicti fuiſſe mendacem, nec per hoc ſubire notam mendacij eo, quia manifeſtando id, quod non poterat licitè manifeſtare, peccauit; omnis autem peccans lato modo mendax eſt iuxta illud omnis homo mendax; atque ita ſentit *Homobonus de Bonis in tract. de exam. Eccleſiaſt. tract. 10. de art. circa contract. de reſtit. c. 2. q. 4. verſ. ſi autem hic modus.* Alij ſentiunt teneri dicere ſe non verum dixiſſe, ſed falſum ſubintelligendo mente veritate publica, ſed priuata, in quo ſenſu verum dicit. Sed primum modum reſtituendi non facile approbarem, niſi vbi alia non ſuppeteret via reparandi famam deperditam, prout notat *Emmen. de Lugo tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 15. de Reſtitut. ſect. 2. nu. 31.,* cum nemo cogendus ſit inuitus ad commutandam famam ſuam in vna materia pro fama in alia; Deindè quid prodeſt perſonæ læſæ, quod cum dixeris de eadẽ eſſe ſodomitam, ſi poſtea eam laudes, quod ſit perſona eleemoſinaria; Nec ſecundum, quia dicendo te mendacem fuiſſe in manifeſtatione illius criminis expreſſum committis mendacium, nec prodeſt illud ſubterfugium, quod nomine mẽdacis intelligatur dumtaxat errans, quia omnis peccans mendax eſt; non prodeſt, inquam, quia nomine mendacij, quando aliud non exprimitur venit ſpeciale vitium aduerſans veritati, non quodcunque vitium, prout opponitur cuicunque virtuti, licet lato modo poſſit hoc vſurpari; Nec tertium, quia non facile admitterem has reſtrictiones mentales, & internas. Quamobrem ego crederem detractorem teneri dicere, ſe malè, & iniuſtè locutum fuiſſe in ijs, quæ prius dixerat, nec in hoc mentitur, quia veriſſimum eſt, cum verè iniuſtè egerit, & malè, propallando crimen, quod non poterat propallare. Quod, ſi hoc non ſufficiat, nec alius modus ſuppetat reparandi damnum ſine mendacio non damnarem primum modum laudandi, ſcilicèt in alia materia.

12 Quando detractor ipſe non reſtituit viuens famam, non tenentur eius hæredes reſtituere.

Dubium quintum eſt, an quando detractor ipſe viuens non reſtituit, teneantur reſtituere ipſius hæredes poſt ipſius obitum. Reſpondendum eſt negatiuè *Cardinalis de Lugo tom. 1. de iuſt. diſp. 15. de reſtit. ſect. 1. n. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 11. dub. 21.* quidquid ex aduerſo dixerunt *Adrianus quodlib. 11. q. 1. lit. S., Nauarrus in man. c. 18. nu. 46., Molina lib. 1. de iuſt. diſp. 45. nu. 3.,* qui tamen mouentur ex falſo principio arbitrantes pro læſione in bonis famæ, & honoris faciendam eſſe compenſationem in bonis pecuniarijs, quod tamen aſſerendum non eſſe, infrà clare conſtabit. Ratio noſtræ reſponſionis ex eo deducitur, quia obligatio famam ſublatam reſtituendi eſt perſonalis, reſpicitque ſolum nudam perſonam detrahentis quoad bona realia, non merè perſonalia.

13 Bona famæ, & honoris non ſunt compenſanda in bonis fortunæ.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicèt bona famæ, & honoris non ſint compenſanda in bonis fortunæ, quam ſuſtinent præ cæteris *Laiman Theol. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 2. c. 7. nu. 3., Filliutius tom. 2. tract. 32. c. 10. n. 239., Turrianus 2. 2. tom. 2. diſp. 53. dub. 7. n. 3., Bannes 2. 2. q. 62. art. 2., Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 11. dub. 16., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. n. 416.,* ex eo deducitur, quia bona famæ, & honoris ſunt ordinis ſuperioris reſpectu ad bona fortunæ, ergo illa per iſta nequeunt ex rigore iuſtitiæ compenſari. Accedit, quod infamatus etiam, ſi pecuniam accipiat, non habet æqualitatem, nec etiam partialem cum fama deperdita, Neque dicas pecuniam eſſe menſuram rerum omnium humanarum, ergo in pecunia poteſt dari æquiualens pro fama, & honore, adeò vt licet fama, & honor ſint

bona

Digitized by Google

bona ſuperioris ordinis per ſuperexceſſum tamen pecuniæ poſſint compenſari; Deindè licet pro bonis famæ, & honoris

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

non poſſit poni compenſatio ad æqualitatem perfectam per pecuniam, exigi tamen poſſit, vt ponatur ſaltem æqualitas, quantum poteſt poni, & certè magis acceditur ad æqualitatem per poſitionem pecuniæ, ac ſi nihil poneretur; contrà enim impugnaberis, quia pecunia non eſt menſura quarumcunque rerum humanarum, ſed rerum tantum exteriorum, & venalium, cæteroqui eſſet etiam menſura pro bonis vitæ, & corporis, quod nemo dicet; vndè quoad bona famæ, & honoris ſpecialitèr dicitur Prouerb. 22. *Melius eſt bonum nomen, quam diuitiæ multæ*, & Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi, & magni*. Ad id, quod ſubditur, patet ex ſuperius dictis, quid ſit reſpondendum; per pecuniam etenim, nec in toto, nec in parte deſinit infamia, quod non verificatur in ordine ad bona fortunæ, quę, quando ex impotentia non compenſantur ad æqualitatem per reſtitutionem æquiualentis, quando tamen in eiſdem bonis aliquid ponitur, compenſantur ſaltem pro parte.

14 *Si quod damnũ inde contigerit in bonis temporalibus, facienda eſt pro eodem compenſatio.*

Ratio tertiæ partis eſt, quia qui alterũ lædit in bonis corporis, tenetur per bona fortunæ compenſare damna in tali læſione ſecuta, non quidem pro eiſdem bonis corporis formalitèr ſumptis, ſed pro emolumentis temporalibus, quæ ſine tali læſione læſo prouenirent, & pro damnis item temporalibus, quæ inde emanant per ea, quæ ſupra latè probauimus, ergo etiam qui lædit alterum in bonis famæ, & honoris tenebitur ad compenſationem bonorũm temporalium, quæ ex tali læſione prouenerunt. In particulari autem tenetur ad compenſationem totius damni indè ſecuti, qui alterum infamauit imponendo falſum crimen, ſi ex tali impoſitione damna temporalia prouenerint, puta ad expenſas, ſi quas læſus fecerit ad recuperandam eandem famam, ad lucra etiam, quæ ea de cauſa ceſſarunt, vt ſi cauſa talis infamationis non conſecutus fuerit beneficium, quod ſperabat, vel ſpoliatus officio, quo gaudebat. Maior tamen difficultas eſt, an teneatur ad illa omnia damna detractor, qui verum crimen aperuit, ſed occultum, Sotus exiſtimat non teneri ad totum damnum, ſed tantum ad partem, eo quia illa damna non tantum oriuntur per ipſam criminis manifeſtationem, ſed etiam, & hoc potiſſimum, ob ipſum crimen, quin immò manifeſtatio eſt ſolum conditio applicans cauſam. Communior tamen ſententia ſuſtinet teneri ad integram ſatisfactionem, & meritò; nam eſt cauſa principalis moralis illius damni, & ſine ipſo damnum non eſſet ſecutum; vndè manifeſtatio tribuit crimini vim nocendi. Cæterum, ſi manifeſtatio non eſſet cauſa, nihilque influeret, nihil ratione ipſius eſſet reſtituendum.

Hic oritur dubitandi ratio, an, ſi ipſe detractor non ſatisfaciat læſo pro damnis ſecutis ob læſionem famæ, ſubeant onus talis ſatisfactionis eiuſdem hæredes, & an teneantur iſti ſatisfacere hæredibus læſi, ſi ipſe viuens non fuerit ſatisfactus. **Nauarrus in man. c. 18. n. 45., Adrianus quodlib. 11., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 11. dub. 21. n. 113.** ſuſtinent teneri huiuſmodi hæredes detractoris ſatisfacere ipſi læſo, ſi viuat, vel eius hæredibus, ſi fuerit mortuus, atque ipſis ſubſcribendum cenſeo. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia hæc obligatio compenſationis quoad damna temporalia non eſt merè perſonalis, ſed afficit bona detractoris, quæ cum tali onere tranſeunt ad ſucceſſores, & ſicuti tenentur hæredes ex bonis teſtatoris damnum compenſare, quod idem teſtator intulit comburendo iniuſtè domum alterius, ità &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia hæredes in ordine ad bona fortunæ induunt ipſam perſonam defuncti, eiuſque iura ſubeunt in ordine ad hæreditatem, hæc autem iura ſunt veluti partes hæreditatis. 15 *Si ipſe detractor nõ ſatisfecerit pro damnis temporalibus, tenentur eius hæredes.*

Duo alia dubia proponuntur

Antequam deueniam ad reſtitutionem, ſeu compenſationem faciendam pro læſione bonorum vitæ, & corporis placet duo alia dubia reſoluere ſpectantia ad materiam famæ, & honoris. Primum eſt, an, ſi fama læſa per detractorem fuerit alia via reparata, puta per teſtimonium grauium virorum, vel per obliuionem abolita, teneatur detractor adhuc reſtituere. Secundum, an, ſi qui exiſtimans crimen aliquod certæ perſonæ eſſe verum, & notorium, propallet, cum tamen nec verum ſit, nec notorium, teneatur ad famæ per illam propallationem ablatæ reſtitutionem.

16 *Si fama fuerit reparata per teſtimonium grauium virorũ, non tenetur detractor eã reſtituere, tenetur tamen reparare damna temporalia.*

In ordine ad primum aſſerendum eſt, ſi per teſtimonium grauium virorum fuerit perfectè reparata fama innocentis, detractorem non teneri amplius reſtituere, teneri tamen compenſare damna, ſi quæ obuenerint in temporalibus tempore medio inter talem propallationem, & reparationem, puta, ſi priuatus fuerit officio, vel legato, ſi verò infamia præſumatur abolita per obliuionem, nec etiam infamator tenetur ad reſtitutionem, tenetur tamen ad compenſationem damnorum temporalium, ſi quę inde obuene-

rint. Prima pars eſt expreſsè *Leſſij d. lib. 2. de iuſt. c. 11. dub. 17. n. 98. & 99. & aliorum.* Secunda pars eſt *Silueſtri verbo Detractio qu. 4., Cordubæ in ſumma qq. q. 3. concl. 9. in prima parte concluſ. Angles Florib. in 4. ſent. q. de reſtitut. famæ dub. 2. concl. 1., D. Antonini 2. part. tit. 2. c. 2. §. 3., Petri à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. nu.* 421. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia onus reſtitutionis oritur ex iure, quod habet læſus, vt ſibi reſtituatur, quod iniuſtè ablatum eſt, & ne perſeueret cum infamia propriç perſonæ apud homines, ſed, quando fama reparata eſt per aliorum grauium virorum teſtimonium, ceſſat hoc ius, quod habet, vt ſibi reſtituatur male ablatum, ſi quidem iam illud håbet; nec referre poteſt, quod reſtitutio facta ſit ab alio ab ipſo detractore, quandòquidem, dummodò habeat, quod habere debet, parum curare debet, an ab vno, vel ab alio habeat, ſicuti qui læſus eſt in bonis fortunç, dummodò illa recuperet, parum curare debet, an immediatè a fure recuperet, an verò ab alio; Dixi, *ſi perfectè fuerit reparata per teſtimonium grauium virorum*; ſi etenim adhuc maneat in ancipiti eius fama eſt per ipſum detractorem in priſtino ſtatu reſtituenda, vel per retractationem detractionis, ſi delictum, ob quod læſa eſt fama, fuerit falſum, vel altero ex modis ſupra allegatis, ſi delictum fuerit verum, ſed occultum. Quod verò teneatur compenſare damna in bonis fortunæ, ſi quæ obuenerint medio tempore inter detractionem, & reparationem factam teſtimonio grauium virorum ex eo deducitur, quia ipſe detractor per iniuſtam illam detractionem fuit cauſa efficax illorum damnorum, ſiquidem ex propallatione illius delicti ſiue falſi, ſiue veri, ſed occulti priuatus eſt ſpe conſequendi officij, vel ſpoliatus beneficio, vel legato. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia illa reſtitutio famæ, quando infamia iam ſupponitur per obliuionem abolita, eſſet potius pernicioſa læſo, quam fauorabilis, quandòquidem eſſet potius quædam refricatio, & renouatio infamiæ per actualem memoriam, & cogitationem inde ſubortam. Solum difficultas hic eſt, quandonam infamia ſit præſumenda abolita per obliuionem? Caietanus 2. 2. *qu. 62. art. 2. ad ad ſecundam dubitationem* in caſu particulari de adoleſcente, qui apud æquales iactauit ſe fœminam determinatam, & honeſtam carnalitèr cognouiſſe, videtur hæſitanter dicere, vbi non conſtat auditores oblitos eſſe ſemper præſumendum eſſe eos recordari; tum quia ſæpè multorum recordamur poſt multum temporis, quorum ſtatim non meminimus; tum quia eà, quæ primis temporibus accepimus, firmius retinemus. Sed non facilè acquieſcit huic dicto *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. n. 423.* dum exiſtimat ex longo temporis decurſu præſumendum eſſe pro obliuione; non enim alia ratione detractor intelligere poteſt detractionem ita eſſe obliuione deletam, vt ità ſe habeat, ac, ſi non eſſet poſita, niſi ex ratione temporis, & antiquitate ſui dicti. Minus audiendus eſt idem *Caietanus loc. cit.* dum dicit, quod, quando detractor infamauit falſum crimen imponendo, teneatur reſtituere non obſtante obliuione, quando verò infamauit verum dicendo, ſed occultum ſuppoſita obliuione non teneatur; Non, inquam, audiendus eſt, quia quomodocunque infamauerit, ſiue verum crimen occultum aperiendo, ſiue falſum imponendo, vbi memoria præſumitur rationabilitèr abolita, reſtituere eſt potius pernicioſum infamato, quam vtile; Quid etenim aliud eſt velle tunc per retractationem famam reparare, niſi efficere, quod vulnera, quæ iam conſenuerant, recrudeſcant? Minus ego poſſum acquieſcere Nauarro, qui vt refert *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. c 4. n. 424.* forte arbitrans, nunquam præſumendum eſſe pro obliuione, aſſerit, quod detractor debet rogare eum, ſeu eos, coram quibus detraxit, an meminerint ſe illis dixiſſe crimen de tali homine, qui ſi affirmauerint, debet rogare, ne eum malum exiſtimant ob aliquod crimen, quod ipſe illi falſo impoſuit; ſi verò negauerint, poterit in bona fama confirmare; Non, inquam, poſſum acquieſcere, quia hæc cautela potius inſeruit ad excitandam memoriam, quam ad delendam. Quamobrem ad difficultatem propoſitam arbitror ex diuturnitate temporis alio non exiſtente inditio memoriæ exiſtentis in auditoribus præſumi pro obliuione, puta ſi benè de eo alloquantur, vel libere cum eodem infamato tractent habentes eum in æſtimatione, & commendantes, quo in caſu detractor non cenſetur amplius teneri ad reſtitutionem.

Idem dic, ſi fuerit infamia abolita per obliuionem.

17 **Intellige, ſi perfectè fuerit reparata.**

Quandonam præſumi poſſit pro obliuione.

18 **Ex diuturnitate temporis poteſt pro eadẽ præſumi.**

19 **Manifeſtans crimen alterius exiſtimãs illud eſſe verum, & notoriũ, cum tale non ſit, tenetur retractare.**

In ordine ad ſecundam varijs reſponſionibus occurro, & quidem dico primò, quod, ſi ſic exiſtimans infamauerit penes aliquem cognito errore teneatur retractare; *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 11. dub. 22. nu. 115.*; nec difficilis eſt probatio huius dicti, quandòquidem denegari non poteſt, quin innocens in ea hypotheſi ſit læſus, & lædens, quamuis non criminoſus denegari non poteſt, quin retineat famam læſi, quam poteſt reparare, ergo non eſt, cur non teneatur reſtituere; nec

tali

Digitized by Google

tali oneri obeſt bona fides, qua detraxit; non obeſt, inquam, quia talis bona fides excuſat quidem à peccato, non autem ab onere reſtitutionis, ſicuti non excuſatur à tali onere, qui detinet rem alienam in bonis fortunæ etiam cum bona fide; verum tamen eſt, quod, cum detraxerit ſine culpa, non videatur obligari ad reſtitutionem cum graui ſuo onere, puta cum propria infamia, & detrimento in bonis proprijs fortunæ ea proportionali ratione, qua detinens rem alienam bona fide tenetur quidem Domino reſtituere, ſed non remittere rem, quam habet alienam apud ſe magnis ſuis impenſis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, diſparem eſſe rationem de detinente rem alienam in bonis fortunæ apud ſe bona fide, & de propallante alienum delictum bona fide, dum arbitratur illud eſſe verum, & publicum; nam in primo caſu nulla eſt culpa apud detinentem; in ſecundo autem caſu ſemper eſt aliqua culpa ſaltem aduerſus charitatem, vndè merito *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. n. 421.* reprehendit eos, qui de peccatis, quantumuis publicis aliorum loquuntur non ſolum ijs, qui ea neſciunt, ſed etiam ijs, qui ſciebant habitualitèr; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato etiam, quod quoquo modo peccauerint contrà charitatem, non propterea oritur onus reſtitutionis, quia charitas læſa non obligat, ſed tantum iuſtitia violata; cæterum, nec etiam contrà charitatem arbitrarer loquentem de crimine verò, & publico grauitèr peccare, cum ſuppoſita notorietate delinquens amiſerit ius ad famam.

20 **Si diffamatus dāna paſſus fuerit, non tenetur ſic manifeſtans illa reparare.**

Dico ſecundò, quod ſi ex illa manifeſtatione delicti, quod à manifeſtante arbitrabatur verum, & notorium, damnum aliquod emanauerit infamato innocenti, puta quod non fuerit conſecutus beneficium, quod ſperabat, deciderit à gratia Principis, a quo plurima dona conſequebatur, non teneatur ſic manifeſtans damna illa compenſare *Leſſius loco quo ſupra nu. 118.* Ratio eſt, quia non cenſetur cauſa iniuſta infamiæ, ex qua illa damna prouenerunt. Verum tamen eſt, prout notant *idem Leſſius loc. cit.*, quod ea, quæ dicuntur, intelligenda ſint, quandò damna illa prouenerunt, antequam propallans errorem dignoſceret; ſi enim poſt cognitum errorem ipſe non retractauerit detractionem, & interim damna illa conſequantur, vtique tenetur ad illorum compenſationem, quia ex illo tempore, quo cognouit, & non retractauit, conſtitutus eſt in mora culpabili, & intelligitur iniuſtus detentor alienæ famæ, vndè damna ad talem iniuſtam detentionem conſequentia perinde ſe habent, ac ſi eſſet ſubſequentia ad iniuſtam acceptionem.

21 **Narrans aliquid de alio, quod nō ſit malum, ſiniſtre tamē interpretetur ab auditoribus, teneatur ex charitate illud retractare, non ex iuſtitia.**

Dico tertio, quod ſi quis aliquid enarret de alio, quod ſecundum ſe non ſit malum, ſed ſiniſtrè ab auditoribus accipiatur, ità vt penes ipſos pariat infamiam perſonæ, de qua eſt talis narratio, teneatur quidem ex charitate reſtituere inducendo germanam intelligentiam ſuæ narrationis, non tamen ex iuſtitia; ità *Leſſius loc. quo ſupra nu. 119.* Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quia charitas exigit, vt aliorum damna auertantur, maximè, ſi proueniant ex proprio facto, quamuis ſecundum ſe non criminoſo; Quoad ſecundam, quia illa narratio ſecundum ſe non erat ordinata ad alterius infamiam, quæ propterea, ſi conſecuta fuerit, non prouenit directè à narrante, ſed ex praua intelligentia auditorum ſiniſtra interpretantium. Verum tamen eſt, quod ſi verba, quibus concepta eſt illa narratio, fuerint talia, vt ſecundum verborum ſonum potius redoleant in infamiam ſaltem in foro externo, obligent ad reſtitutionem, quia in foro externo ſumuntur, vt iniurioſa, & taliter acciperentur etiam a perſonis cordatis.

22 **Pro bonis corporis, & vitæ nō eſt facienda reſtitutio in bonis fortunæ.**

Aſſertio III. Pro bonis corporis, & vitæ læſis non eſt facienda reſtitutio in bonis fortunæ, bene tamen pro damnis, quæ ſuboriuntur in eiſdem bonis fortunę ex læſione corporis, & vitæ. Prima pars eſt *Magiſtri in 4. diſt. 15. in fin., Tamani diſp. 28. dub. 1., Leſſij lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. dub. 23. n. 141., Vaſquez de reſtitutione c. 2. dub. 6. n. 17., Lugi diſp. 51. ſect. 1. n. 5., Nauarri c. 15. n. 22., Gloſæ in c. 1. de iniur. & damno dato, Ledeſmæ in 4. diſt. 24. q. 25. art. 2. dub. 7., Coarruuiæ lib. 2. var. reſolut. c. 10. num. 7. circa medium* aduerſus *Sotum lib. 4. de iuſtitia q. 6. art. 3. ad tertium, Silueſtrum verb. reſtitutio 3. q. 2.*, qui pro ſe citant *D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 2. ad primū*, qui verè fauere videtur contrariæ nobis ſententiæ, dum dicit *Et ideo quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquod æquale, debet fieri compenſatio qualis poſſibilis eſt, puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore conſiderata conditione vtriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri.*

Bene tamen, pro damnis, quæ inde obuenerunt.

Secunda pars eſt *Laiman in Theolog. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 2. c. 7. n. 3., Filliutij tom. 2. tract. 32. c. 10. nu. 239., Turriani 2. 2. tom. 2. diſp. 53. dub. 7. n. 3., Malderi in 2. 2. tract. 7. c. 7. dub. 8., Bannes 2. 2. q. 62. art. 2. & aliorum*, qui quamuis loquantur in terminis famæ, & honoris ſecundum maioritatem rationis trahendi ſunt etiam in terminis læſionis circa membra corporis, & bona vitæ.

Digitized by Google

Prima pars colligitur, tum ex iure diuino, tum ex iure ciuili; iure quidem diuino *Exodi* 21., vbi ſic legitur: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum, & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo, ſi ſurrexerit, & ambulauerit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit, qui percuſſerit, ità vt operas eius, & impenſas in Medicos reſtituat,* vbi, cum non fiat mentio de reſtitutione pro damno corporis, infertur pro illo non oriri obligationem reſtitutionis ex iuſtitia; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in eodem cap. 21. Exodi exprimatur obligatio etiam reſtituendi pro iniuria, & damno naturali, dum dicitur: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, & ipſa vixerit, ſubiacebit damno, quantum maritus expetierit, & arbitri iudicauerint.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia *lij ſubiacebit* damno intelligi non debet de compenſatione damni naturalis præcisè ratione iniuriæ, ſed de damno temporali ratione emolumenti, quod Pater ſperabat ex operibus, & obſequijs filij, ſi natus fuiſſet. Quod, ſi velis abſolutè *lij ſubiacebit* intelligendum eſſe de damno naturali, dic hoc non eſſe ex vi iuſtitiæ commutatiuæ, ſed ex iuſtitia vindicatiua, & lege pœnali ibi ſancita, quæ modo ceſſauit. Ex iure ciuili, prout habetur *ex l. vlt. ff. de his, qui effud. vel deiecer.*, vbi ſic legitur. *Cum liberi hominis corpus ex eo, quod deiectum, effuſumue quid erit, læſum fuerit Iudex computet mercedes Medicis præſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt, præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus eſt ob id, quod inutilis factus eſt. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem.*

Rationes ſuadentes non eſſe faciẽdam reſtitutionem pro bonis vitę, & corporis.

Hic ſolum inſurgit difficultas, an ea, quæ dicta ſunt de incompenſabilitate membrorum corporis procedant ſolummodo de membris mutilatis hominis liberi, an vero etiam ſerui? Ratio dubitandi oritur ex ijs, quæ docent *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 9. dub. 23. num. 141., Lugo diſp. 11. ſect. 1. num. 1.*, conformitèr ad id, quod habetur *in d. l. vlt. ff. de his, qui effuderint, vel deiecerint*, vbi dicitur, quod liberum corpus nullam patitur æſtimationem, quod, cum dicatur de ſolo libero non videtur extendendum ad ſeruum, cum ex eo, quod mutilatio ſerui quoad damnum reſpectu Domini eiuſdem rationis ſit, ac ſi eſſet mutilatio bouis, ac equi. Nihilominus ſiſtendo in rigore iuſtitiæ aſſerendum exiſtimo etiam bona corporis hominis ſerui eſſe incompenſabilia, qua talia ſunt, per bona pecuniaria, ſeu fortunæ; tum quia, & ipſa ſunt ſuperioris ordinis; tum quia ſeruus per ſui venditionem non transfert à ſe in Dominum dominium ſui corporis, cum illud ſit ſolum penes Deũ, adeoque quoad bona corporis æquè eſt ſui iuris, ac quilibet alter liber; tum quia etiam, ſi dentur quæcunque bona fortunæ ſeruus, nec æquiualentèr ſua membra recuperat; quæ omnia requiruntur ad ſeruandam æqualitatem, quam exigit iuſtitia commutatiua. Quamobrem ad rationem dubitandi reſpondendum eſt in lege citata ſolum innui corpus liberum nullam recipere æſtimationem, neque in ordine ad ſe, cum ſit ex vno capite ſuperioris ordinis reſpectu bonorum fortunæ, ex alio non recuperetur etiam, ſi dentur in compenſationem quæcunque alia bona, neque in ordine ad alterum, cum ſit proprij, non alieni iuris; corpus vero ſerui, quamuis non recipiat æſtimationem in ordine ad ſe proptèr rationes mox adductas, recipit tamen in ordine ad Dominũ, apud quem maioris æſtimationis eſt ſeruus cum perfecta membrorum deorganizatione, quam ſeruus mutilus, & mancus; tum quia non ità eſt diſpoſitus ad eius obſequia, tum quia tanti non eſt vendibilis, quanti vendibilis eſſet; ſi non eſſet mutilus. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt eiuſdem rationis ad ſummum eſſe, quoad damna inde emergentia, non quo ad ipſam ſubſtantiam, & entitatem partis abſciſſæ, & mutilatæ.

23 Intellige etiã quoad membra hominis ſerui

Vlterius ratione à priori ſic euincitur, quia iuſtitia commutatiua reſpicit æqualitatem dati ad acceptum ſecundum proportionem aritmeticam, ſed per bona fortunæ non poteſt poni æqualitas in ordine ad bona corporis, & vitæ quandoquidem bona corporis, & vitæ per nulla bona temporalia poſſunt adæquari per textum *in l. liber homo ff. ad leg. Aquil.* Huic rationi aduerſari videtur expreſsè D. Thomas allegatus ſupra in aſſertione, vbi aſſerit compenſationem faciendam eſſe pro membro in bonis pecuniarijs ea motus ratione, quod vbi compenſatio non poteſt fieri per æquiualens ſufficiat, quod fiat ſecundum quod poſſibile eſt. Non, inquam, aduerſari poteſt, quia D. Thomas intelligendus eſt, loqui dumtaxat in eo ſenſu, quod quando non poteſt fieri compenſatio pro membro, fiat per id, quod eſt poſſibile, nempe per pecuniam non quidem compenſatiuè ad ipſum membrum, ſed ad damna, quæ ex ipſius defectu conſequuntur. Quod ſi D. Thomas alitèr ſit intelligendus veneror auctoritatem, non tamen in hoc poſſum acquieſcere.

Euincitur etiam ratione à priori.

Vlterius à poſteriori euincitur ex varijs abſurdis, quæ inde emergerent, & primo inferri

Etiam ratione à poſteriori.

Digitized by Google

inferri poſſet obligationem reſtitutionis, & compenſationis pecunia faciendæ pro damno naturali mutilationis, vel occiſionis non extingui etiam ſi mutilans, vel occidens à Iudice capitalitèr damnaretur, ſicuti fur quamuis damnatus capitalitèr tenetur reſtituere quantum poteſt pro damno temporali. Secundo inferri poſſet, quod ſemel admiſſo, quod bona ſuperioris ordinis poſſent per res inferioris ordinis compenſari, non videtur poſſe negari res ſpirituales poſſe per pecuniam compenſari, quod eſt ridiculum. Tertio, hoc ſequeretur, quod nunquam poſſet determinari quantitas pecuniæ ſoluendæ pro mutilatione, aut occiſione, cum membrum hominis, & multo magis vita pretioſiora ſint quacunque pecunia. Neque dicas, quod res ordinis inferioris poſſint adæquare res ordinis ſuperioris, ſi præcipuè præſcindamus à rebus ſpiritualibus, non in Phyſica perfectione, ſed in morali æſtimatione, ſicque multum bonorum fortunæ poſſe excedere, nedum adæquare parum bonorum corporis, ſicuti in valore, & æſtimatione morali multum argenti poteſt ſuperare parum auri. Sed contra, quamuis daremus, quod in morali æſtimatione quandoque pluris habeantur multa fortunæ bona, quam parum bonorum corporis, hæc tamen de rigore iuſtitiæ non ſunt compenſabilia per illa fortunæ bona. Ratio eſt, quia, quamuis mutilatus accipiendo talia fortunæ bona aliquid accipiat, quod antea non habebat, eaque pluris faciat, quam membrum, quod perdidit, non habet tamen vllo modo partem abſciſſam, quam vtique deberet recuperare ad habendam æqualitatem, quam reſpicit iuſtitia commutatiua, & in hoc ſenſu intelligenda eſt illa propoſitio, quod bona corporis, vtpotè ſuperioris ordinis ſint incompenſabilia per bona alterius ordinis inferioris. Ad id, quod dicebatur de multo argento in ordine ad parum auri, dicitur re vera poſſe fieri in his compenſationem, quia, qui accipit multum argenti, accipit in eo parum auri, quod perdidit, ſi non formalitèr, ſaltem æquiualentèr, quatenus poteſt illud multum argenti in parum auri commutare.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Secunda pars aſſertionis ex eo deducitur, quia qui alterum damnificat in bonis fortunæ, tenetur ad reſtitutionem in eiſdem fortunæ bonis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo damnificans alium in bonis corporis, ex qua damnificatione oriatur damnum in eiſdem bonis fortunæ, tenebitur ad reſtitutionem talis damni in talibus bonis. Conſequentia probatur, quia perindè eſt, ac ſi contulerit immediatè damnum in eiſdem bonis fortunæ, nam, qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, per textum *in l. qui occidit §. penult. ff. ad leg. Aquil.*

Rationes conuincentes faciendam eſſe compenſationem pro damnis temporalibus.

Ex his ſequitur primo, quod mutilans tenetur ad omnes expenſas in curatione, tam in Medicos, & Chirurgos, quam in medicamina factas, deductis tamen ijs, quas mutilatus expendiſſet, ſi non fuiſſet mutilatus, dummodo tamen tales expenſæ pro curatione fuerint neceſſariæ iuxta perſonæ qualitatem. Secundo, ad compenſationem lucri ceſſantis, quod re vera fuiſſet conſecuturus mutilatus ex negotiatione, arte, proprijſque induſtrijs; Neque probabilitèr in hoc caſu aliquid deducendum videtur, quidquid ſentiat *Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 87. nu. 4., & 5.*, ex illo lucro pro ceſſatione laboris, eo quia gaudeat mutilatus quiete, quæ eſt quid pretio æſtimabile, ratione cuius videtur minus debere lucrari, quam dum laborat; probabilitèr, in quam, non eſt deducendum, tum quia, ſi demeretur valor laboris totum id, quod deberet reſtitui demi deberet, cum vt plurimum ſit pretium laboris, & induſtriæ; tum quia illa quies eſt laborioſa reſultans ex ægritudine, & imbecilitate corporis, & mallet mutilatus membris integris laborare, quam quieſcere cum tali ægritudine. Aduerte hic illud lucrum ceſſans propter mortem occiſi, quod compenſari debet ab homicida, non eſſe attendendum reſpectu eiuſdem perſonæ occiſæ, ſed reſpectu aliarum perſonarum cum ipſa coniunctarum, puta vxoris, & filiorum. Ratio eſt, non quam adducit Molina ſitam in eo, quod priuare aliquem vita non ſit diuerſum damnum, ac priuare illum emolumentis, ſicuti eſt diuerſum damnum priuare aliquem vita, & alios emolumentis, quæ ex illius operibus fuiſſent percepturi; non, inquam, ratio hæc eſt, quia in ſententia eiuſdem Molinæ, ſecundum quam debet pro membro reſtitutio fieri in pecunia, magis deberet reſtitui pro vita diuitis occiſi, cui damnū illatum eſt diuitiarum, quam pro vita pauperis, cui tale damnum in diuitijs non eſt illatum, quod ipſe Molina non concedit; Sed illa ratio à priori eſt, quia talis reſtitutio facienda eſt pro damno, quod ſequitur ex tali occiſione; occiſus autem in priuatione bonorum fortunæ damnum non ſentit, cum etiam, ſi illa haberet, ei vtilia nequaquam forent. Tertio, mutilatorem, ſeu homicidam non teneri ad expenſas in funere occiſi faciendas, quia illæ expenſæ aliquando fieri debuiſſent, vndè quoad hoc nullum damnum illatum eſt. Quod ſi dicas teneri proptèr anticipationem; ſtatim impugnaberis, quia,

Compenſandæ ſunt expenſæ in Medicis, & medicinis.

Lucra ceſſantia.

Quandò lucrū ceſſans compenſandū.

Non tenetur occiſor pro expenſis funeris.

Digitized by Google

quia, ſi quod damnum infertur ob illam anticipationem, cederet hæredibus; hæredes autem magis commodum ſentiunt in adeunda anticipatè hæreditate, quam incommodum in anticipatione expenſarum funeris. Hæc omnia colligo, tum ex illo *Exodi 21.*, tum *ex l. vlt. ff. de bis qui effud., & deiecer.*

Difficultas ſolummodò eſt in aſſignanda regula, qua taxari debeat determinata quantitas quoad hoc lucrum ceſſans. Prima igitur eſt, quod totum lucrum non ſit reſtituendum, quantum operæ valerent, ſi ponerentur; quia lucra in ſpe
24 Regulæ pro taxatione talis lucri.
minoris valent, quam lucra in re propter pericula, & impedimenta, quæ poſſent occurrere. Secunda in determinando tempore, pro quo facienda eſt compenſatio ratione lucri ceſſantis, deſumi debet conſiderando, an mutilatus moriatur, nec ne? ſi non moriatur, & remaneat mutilus, & impeditus ad lucrum; tunc percuſſor tenetur arbitrio prudentis ſingulis annis, quibus viuit, tantum lucri contribuere, quantum ceſſat ex mutilatione attentis tamen circunſtantijs omnibus ingenij, habilitatis, virium; ſeu quod melius, erit poterit ſimul rem componere cum mutilato ad dandum ei pro vna vice tantum, quantum eſſet vendibilis obligatio, & ius ad reſtitutionem futuram arbitrio prudentum; Aduerte tamen, quòd, ſi ex vulnere debilitata ſit complexio mutilati, ità vt ea de cauſa oriatur abreuiatio vitæ, tunc facienda ſit reſtitutio non ſolum pro annis, quibus viuit, ſed etiam pro illis, quibus probabiliter vixiſſet, ſi non fuiſſet vulneratus; Si verò vulneratus moriatur ex vulnere tunc attendendum eſt ad tempus, quo probabilitèr vixiſſet, ſi non fuiſſet vulneratus, & pro toto illo tempore compenſari debet ab homicida lucrum modo mox explicato. In taxando autem tali tempore *Suarez*, *Florianus, Iaſon, & alij* volunt computari debere vſque ad annos centum iuxtà id, quod dicitur *in l. finali C. de ſacroſanctis Eccl. l. an vſusfructus ff. de vſufruct.*; melius tamen cum alijs exiſtimo talem computationem remitti debere arbitrio boni, & prudentis viri.

25 Pro bonis ſpiritualibus naturalibus facienda eſt compenſatio in eodē genere, ſi poteſt, non aliter.

Aſſertio IV. Pro bonis ſpiritualibus naturalibus facienda eſt à lædente reſtitutio, qua huiuſmodi bona reparentur, ſi poteſt, aliter nulla vrget obligatio reſtitutionis in alio bonorum genere, ſed tantum damna temporalia inde emergentia compenſanda. Pro bonis vero ſpiritualibus ſupernaturalibus, ſi damnificatio illata ſit per vim, & fraudem, quatenus per hęc quis inductus fuerit ad peccatum, reſtitutio à lædente facienda eſt per remotionem vis, & fraudis, & per exhortationem ad pœnitentiam, ſi verò illata ſit ſine vi, & fraude per ſolas preces, & ſuaſiones nulla ex iuſtitia facienda eſt reſtitutio, ſed ad ſummam ex charitate. Ferè in omnibus conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 8. à n. 1. ad fin., Gomez tom. 3. c. 2. n. 12. & alij magis communitèr* aduerſus Sotum quoad ſecundam partem, qui *lib. 4. de iuſt. qu. 6. art. 3. in ſolut. ad primum* aſſerit pro læſione huiuſmodi bonorum ſpiritualiū naturalium faciendam eſſe reſtitutionem in pecunia.

Prima pars ex eo euincitur, quia vbicunque poteſt conſtitui æqualitas in eodem bonorum genere, in quo contigit Quomodo poſſint reparari bona ſpiritualia naturalia.
læſio vtique ſic exigente iuſtitia commutatiua debet conſtitui, ergo, ſi bona ſpiritualia naturalia læſa poſſint reparari, puta, ſi quis fuerit dementatus per aliquem potum, & maleficium, & per alterum potum, vel per ablationem maleficij poſſit dementatio auferri, tenebitur dementans reparare, eaque auferre, per quæ perſeuerat dementatio. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod homo non ſit Dominus horum bonorum ſpiritualium, ſicuti non eſt Dominus ſuæ vitæ, & corporis, adeòque non habeat ius iuſtitiæ ad illorum reparationem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet in rigore non ſit Dominus, eſt tamen cuſtos, & adminiſtrator, & ius habet, ne in eiſdem per fraudem, & iniuſtè lædatur, quod ſi pro vita, & membris corporis ex dictis non eſt facienda compenſatio, hoc eſt, quia huiuſmodi bona non ſunt reparabilia, cæteroqui facienda eſſet reparatio. Cum igitur bona illa ſpiritualia naturalia ſupponantur poſſe reparari, non eſt &c.

Secunda pars ex eo euincitur, quia bona ſpiritualia naturalia ſe habent, vt bona naturalia corporis, immò propter dependentiam, quam habent potentiæ naturales ſpirituales à potentijs corporeis non læditur aliqua potentia ſpiritualis, quin ſimul lædatur potentia aliqua corporea, & organica, ergo idem proportionalitèr de bonis ſpiritualibus naturalibus ſentiendum eſt, quod de bonis naturalibus corporis dictum eſt, ſic v. g., qui alterum potione venefica, & maleficio dementauit, nec poſſit amplius dementiam reparare non tenetur pro ipſa dementatione ſecundum ſe ſumpta contribuere in pecunia, ſicuti non tenetur pro mutilatione in membris corporis.

Tertia pars, quod ſcilicèt teneatur lædens in huiuſmodi bonis ſpiritualibus naturalibus compenſare damna, quæ ex illa læſione conſurgunt in bonis temporali- 26 Tenetur lædens dānna temporalia cōpenſare,

bus

Digitized by Google

bus pecuniarijs deducitur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, nempè ſic lædentem intelligi inferre damnum in rebus temporalibus, nam infert damnũ in eo, ad quod conſequuntur damna temporalia, & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, ergo tanquam cauſa efficax ipſorum tenebitur talia damna compenſare.

27 *Damnificatio per vim, & fraudẽ in bonis ſpiritualibus ſupernaturalibus cõpenſanda eſt per ablationẽ vis, & fraudis.*

Quarta pars elucet etiam ex ſupradictis, quia vis, & fraus non ſolum in bonis naturalibus ſpiritualibus, ſed etiam in ſpiritualibus ſupernaturalibus inducit propriè iniuriam, ſiquidem eſt contrà ius, quod vnuſquiſque habet, ne ſuis bonis, ſiue naturalibus, ſiue ſupernaturalibus fraudetur, ne vt per vim illa amittat, ergo qui per vim, & fraudem inducit alterum ad peccandum, & per conſequens ad amittendam gratiam tenebitur ex iuſtitia omnia præſtare, quæ poteſt ad eandem gratiam reparandam, & ſic in particulari ad remouendam vim, & fraudem, & etiam ad ponendas pias exhortationes inducentes ad pænitentiam, prout contrà nonnullos arbitrantes non eſſe ex neceſſitate huiuſmodi exhortationes adhibendas probat *Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 6. punct. 5.* ea ratione, quia remouere ſolum fraudem, & vim non eſt, quantum eſt ex ſe, reſtituere in ſtatu virtutis, & gratiæ, cum per talem remotionem nullatenus inclinetur ille, qui inductus fuit ad peccandum, ad reſcipiſcendum, ergo vt quis dicatur in gratia reſtituere, quantum poteſt, debet vltrà remotionem fraudis, & vis exhortationem, aliudue medium adhibere, quo, quantum ex ſe, conetur ipſum reuocare ad ſtatum gratiæ.

28 *Vbi non fuerit vis, & fraus nõ eſt neceſſaria compenſatio.*

Quinta pars ex ijs euincitur, quę ſupra dicebamus, quia vbi non adeſt fraus, nec vis, ſed merè preces, & exhortationes inductus ad peccandum omninò liberè, & voluntariè conſentit, cum preces, & exhortationes non tollant rationem voluntarij, ergo nullam patitur iniuriam, cum ex vulgatis iuribus ſcienti, & conſentienti non fiat iniuria, ergo inducens ex iuſtitia non tenetur ad aliquam reſtitutionem, cum non violauerit iuſtitiam, nec propriè iniuriam intulerit. Non negandum tamen eſt, quod lædens teneatur ex charitate, quia charitas obligat ad remouendum vnumquemque à peccato.

29 *Quid ſentiendũ ſit de retrahente, vel extrahente à Religione.*

Hic ſolum pro complemento remanet inquirendum, ad quid obligetur qui alterum, vel per vim, & fraudem, vel per preces, & ſuaſiones retraxit, vel abſtraxit à Religione, ſed in hoc non immorandum, cum latè diſſeruerimus in præcedentibus. Hic ſolum addo dubium, an ſi alterum, quantumuis per fraudem, & vim retraxerit à Religione, ſiue nouitium, ſiue profeſſum, nec poſſit remouendo vim & fraudem, & pias exhortationes adhibendo ad Religionem reducere, teneatur ipſe ingredi ad reparandum damnum Religionis. Reſpondendum eſt negatiuè; nam vel teneretur ingredi ad reſarcienda damna temporanea, quæ vel ex extractu, vel retractu prouenirent Religioni, vel ad compenſandum pro ipſa perſona retracta, vel extracta; ex neutro capite tenetur ipſe ingredi; non ex primo, quia bona vnius generis non ſunt compenſanda ex iuſtitia per bona alterius ordinis ſuperioris; vt latè probatum eſt ſupra; non ex ſecundò, quia ſtatus Religionis debet liberimè acceptari; eſt etenim ſtatus perfectionis, ad quem eligendum requiritur plena libertas, & licet ex delicto poſſit quis in pænam concludi in Monaſterio ad agendam etiam perpetuam pænitentiam, tamen non poteſt cogi ad profitendum in eadem, cum profeſſio debeat eſſe omninò ſpontaneè volita.

PRÆNOTIO II.

Quiſnam debeat reſtituere.

SVMMARIVM.

Cooperantes ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè ad iniuſtas acceptiones tenentur ſaltem ſubſidiariè ad compenſationem. 1.

Ordo ſeruandus in reſtitutione quoad cooperantes. 2.

Hæredes, ſiue principalis damnificantis, ſiue cooperantium tenentur ad compenſationem damnorum temporalium, non ſpiritualium. 3.

Nonnullæ illationes ex ſupradictis. 4.

NOn diutius immorandum in hoc titulo, quandòquidem plenè egimus de pertinentibus ad ipſum, dum de cooperantibus ad iniuſtas actiones *ſub hoc eod. tit. de reſtitutione I. prænot. 12. per vniuerſas ſectiones,* quia tamen ibi dumtaxat de iniuſtitia in actione actum eſt, nunc de onere reſtitutionis ad eandem iuſtitiam conſequente aliquid attingemus, & vlterius protrahentes prænotionem inquiremus, an onus huiuſmodi reſtitutionis tranſeat ad hæredes eorum, qui quocunque ex allegatis modis, ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè cooperati ſunt ad iniuſtas actiones, & acceptiones.

Aſſertio I. Cooperantes, ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè ad iniuſtas acceptiones, ità vt ex eorum cooperatione, tanquam ex cauſa morali, ſecutus ſit effectus damnifi-

catio-

Digitized by Google

1 Cooperãtes, ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè ad iniuſtas actiones tenentur ſaltem in ſubſidium ad cõpenſationem.

cationis tenentur ſaltem in ſubſidium ad compenſationem eo modo, quo tenentur principales damnificantes. Dixi *eo modo, quo tenentur principales damnificantes* ad indicandum, quod, ſi ipſi principales damnificantes non teneantur, quando v. g. damnificatio eſt in bonis corporis, vel animæ, pro ipſa ſubſtantia, vel membri mutilati, vel animæ læſæ, ſed dumtaxat pro damnis temporalibus inde ſubſequentibus, ità etiam cooperantes ſolum teneantur pro illis damnis temporalibus. Procedit aſſertio in ordine ad omnia bona, ſiue fortunæ, ſiue famæ, & honoris, ſiue vitæ, & corporis, ſiue ad ſpiritualia naturalia, ſiue ad ſpiritualia ſupernaturalia. Procedit inſuper in ſuppoſitione, qua ipſi cooperantes verè influxerint in damnum in ordine ad bona, in quocunque genere, ſi enim independenter ab illis iam effectus damnificationis erat determinatus, nec dicuntur propriè influere, nec eſſe cauſæ illius, & propterea non tenentur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem. In his terminis conſentiunt *D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 7. in corpore, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. à nu. 2. ferè vſque ad fin., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 13. à nu. 2. & ſeqq., Ioannes Medina C. de reſtitut. qu. 7., & alij communitèr.*

Si verè influxerint in damnum.

Ratio ex eo deducitur, quia ad reſtitutionem non ſolum tenetur, qui rem acceptam habet, ſed etiam, qui concurrit ad iniuſtam acceptionem, ſed cooperantes omnibus modis allegatis concurrunt ad iniuſtam acceptionem, ſeu alterius læſionem, ergo tenentur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem. Minor probatur, quia vt bene notat *D. Thomas loc. cit.* tripliciter poteſt quis alterum inducere ad iniuſtè accipiendũ, ſeu ad iniuſtam acceptionem primo mouendo ad ipſam acceptionem, & hoc modo concurrit mandans, conſulens, conſentiens expreſsè, & laudans; Secundo fauendo iniuſtè accipienti, vt cum quis receptat furem, ſeu rem acceptam iniuſtè, & eidẽ furi auxilium quomodolibet præſtat. Tertio ex parte rei acceptæ, quia ſcilicèt participat in furto, & rapina, & quaſi ſocius criminis conſtituitur; atque cooperantes iuxtà triplicem hunc modum dicuntur poſitiuè concurrere. Rurſus poteſt quis negatiuè concurrere, quatenus non impedit damnum, cum poſſit, & debeat impedire, vel quia ſubtrahit ſuum præceptum, ſiue conſilium impediens furtum, vel quia ſubtrahit ſuum auxilium, quo poſſet obſiſtere, vel quia occultat poſt factum, cum teneatur manifeſtare; Altero autem ex his modis ſemper concurrunt illi, qui comprehenduntur in aſſertione. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod nemo teneatur rem alterius augere, ergo, cum teneatur reſtituere, qui rem acceptam habet, non tenentur cooperatores concurrentes ad iniuſtam acceptionem reſtituere, cæteroqui iſti tenerentur rem alienam augere; Non, inquam, obeſſe poteſt; quia non intendimus, quod omnes ſimul collectiuè, & inſolidum teneantur reſtituere, ſed ſeruato ordine, vt infrà dicetur, ità vt reſtituente principali non teneantur cæteri, ſed tantum in defectum ipſius, quo etiam in caſu altero eorum reſtituente cæteri non teneantur, niſi ad ſummum ad ratam, non quidem in ordine ad eum, qui in integrum reſtitutus eſt, ſed in ordine ad eum, qui integrè reſtituit.

Rationes ſuadentes aſſertum.

Si autem inquiras, quinam ordo ſit ſeruandus inter cooperatores ad reſtituendum, ſiue per comparationem inter ſe adinuicem, ſiue per comparationem ad principalem, dicam latè inferius ſub ſuo titulo, dum de ordine ſeruando in reſtitutione. 2

Ordo ſeruandus in ordine ad cooperantes remiſsiuè.

Aſſertio II. Hæredes, ſiue principalis damnificantis, ſiue cooperantium ad damnum tenentur ad reſtitutionem pro damnis illatis in bonis temporalibus pecuniarijs, & pretio compenſabilibus à ſuis principalibus, quibus in hæreditate ſucceſſerunt, ſiue talia damna illata ſint immediatè, & directè in eadem bona temporalia, ſiue mediatè, & indirectè ſolum, quatenus principales, quibus ſucceſſerunt, intulerint damnum alteri in corpore, vel fama, & honore, & ex illis damnis orta fuerint damna in bonis temporalibus; non tamen tenentur pro damnis ipſis corporis & vitæ, quinimmò, nec pro fama, & honore. Prima pars eſt communis quoad omnes, qui ſuſtinent eoſdẽ principales, & teſtatores teneri reſtituere, & compenſare. Secunda pars, quod non teneantur pro ipſa ſubſtantia vitæ, & corporis eſt communis quoad eos omnes, qui ſuſtinent pro vita, & corpore non poſſe fieri compenſationem. Tertia pars eſt *Petri à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. nu. 426.* aduerſus *Adrianum quodlib. 11. lit. T., Pedrezam precept. 8. §. 1. & alios.* 3

3 Hæredes, ſiue principalis dãnificantis, ſiue cooperãtium tenentur ad reſtitutionẽ pro bonis tẽporalibus, non pro ſpiritualibus.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illud onus, quod habet damnificans in bonis fortunæ ratione damnificationis factæ, ſiue immediatè in ipſis rebus, ſiue mediatè tantum, prout ſcilicèt conſurgit ex læſione in bonis vitæ, & corporis, ſeu famæ, & honoris computatur inter debita realia eiuſdem damnificantis, ergo eodem damnificante non ſatisfaciente pro ipſis tenebuntur eiuſdem

Succedũt in onere ſuorum principalium.

Digitized by Google

eiuſdem hæredes eodem defuncto pro ipſis ſatisfacere, cum hæredes rapreſentant perſonam defuncti tam quoad omnia iura, quàm quoad omnia onera realia per textum *in auth. de iureiur. §. præſt. C. de impub. & alijs ſubſtit. l. qui in futurum, & l. qui libertis §. hoc verb. ff. de vulg. & pupil. ſubſtit.*, vndè hæres conueniendus eſt, vbi defunctus debuit *l. hæres abſens ff. de iuditijs*, cum hęres ſit ſucceſſor lucri, & actionum eiuſdem defuncti *l. an vitium, & l. cum hæredes ff. de diuerſ. & temp. præſcrip. & l. apud ff. de except. do. §. exactorem, & §. fin.* Antecedens probatur, quia pro illa damnificatione non ſolum obligatur ipſe damnificans, ſed etiam omnia ipſius bona, quouſque ſatisfecerit.

Ratio pro damnis in bonis, vitæ, & corporis. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia pro ipſis damnis vitæ, & corporis quoad ſubſtantiam ipſorum, nec tenetur ad compẽſationem ipſe principalis damnificans, vt latè ſupra probauimus, ergo nec tenebuntur eiuſdem hæredes, cum hæres ad ea tantum obligetur, ad quæ obligabatur eius inſtitutor *arg. l. hæres abſens ff. de indic.*, vbi dicitur, quod hæres ſit conueniendus, vbi defunctus debuit, ergo vbi defunctus non debuit, non erit hæres conueniendus.

Ratio pro damnis in bonis famę, & honoris. Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quia fama non poteſt in ſua ſpecie reſtitui, niſi dictum retractando, ſed per retractationem factam ab hærede detractoris fama non reſtituitur. Quid enim prodeſt læſo, quod vno detrahente alter retractet? Certè eidem fides non adhibebitur, vndè onus reſtituendi famam eſt perſonale ipſi detractori; Neque obeſſe poteſt textus *in c. Parochiano de ſepult.*, vbi hæres obligatur ad damna à defuncto dato, etiam ſi ei nullius vtilitatis extiterint; nec textus *in c. his de rapt., & c. à nobis de ſent. excommun.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt bene conſiderat *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 4. nu. 426.* textus primus loquitur de reſtitut. rerum temporalium, non de ipſa fama, prout colligitur *ex c. vlt. eod. tit.*, vbi Pontifex numerat ea, ob quæ tenetur hæres pro defuncto, quæ omnia ſunt damna in bonis fortunæ, & in eodem ſenſu ſunt intelligendi alij duo textus allegati.

4 **Nonnullę illationes ex ſupradictis.** Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, poteris deducere quid ſentiendum ſit in ordine ad hæredes læſi, quando ipſe mortuus eſt, an ſcilicèt eiſdem ſit facienda reſtitutio. Et quidem iuxta prædicta de hæredibus lædentis ſeruata proportione dirimenda eſt hæc quæſtio; Dic etenim, quod, ſi læſio, vel directè, vel indirectè facta fuerit in bonis fortunæ perſonæ læſæ eadem perſona defuncta reſtitutio, ſeu reparatio facienda ſit hæredibus eiuſdem, quia, ſicuti hæredes lædentis rapræſentant perſonam eiuſdem quoad onera, ita hæredes læſi rapræſentant ipſius perſonam quoad iura realia. Si verò læſio facta fuerit in bonis vitæ, & corporis, ſicuti pro ſubſtantia eorundem non eſſet facienda ipſi læſo, ſi ſuperſtes fuerit, ità nec facienda eſt eius hæredibus; ſi tandem læſio facta fuerit in fama, & honore; tunc diſtinguendum eſt, vel mortuo læſo lædens adhuc ſuperſtes eſt, vel eodem defuncto adhuc mortuus eſt lædens, & ſolum remanent hæredes vtriuſque; Si ſuperſtes fuerit lędens, mortuo lęſo, adhuc ille tenetur reſtituere, prout notat *Leſſius lib. 2. de iuſtit. & iur. c. 11. dubit. 11. n. 114.*, quia fama eſt bonum quoddam, quod cenſetur etiam mortuus poſſidere; per hoc enim viuit quodamodo in memoria hominum, quod omnes deſiderant, & omnibus innatum eſt, & hoc modo talis reſtitutio redundat etiam quodamodo in decus hæredum ipſius, nam, ſicuti eſt quodamodo dedecus eſſe hæredem perſonæ infamis, ità decus eſt eſſe hæredem perſonæ boni nominis, & famæ; Si tam læſus, quàm lædens prædeceſſerint, tunc pro fama, & honore non eſt facienda reſtitutio per hæredes lædentis hæredibus læſi iuxtà ſuprà dicta.

PRÆNOTIO III.

Cuinam facienda ſit reſtitutio.

SVMMARIVM.

Nonnullæ inſpectiones. 1.
Regularitèr reſtitui debet ei, à quo res accepta eſt, vel cui damnum illatum. 2.
Excipe, niſi Dominus petat, vel in proprium, vel in alienum detrimentum contrà iuſtitiam. 3.
Non tamen, ſi velit inſumere in vſus, qui non ſint contrà iuſtitiam. 4.
Si Dominus mortuus eſt, facienda eſt reſtitutio eius hæredibus, qui, ſi non ſint, facienda eſt pauperibus. 5.
Quid faciendum eſt, quando Dominus diu diſtat. 6.
Quando res accepta eſt non à Domino, ſed à iuſto poſſeſſore, poſſeſſori reſtituenda eſt. 7.
Quando res ablata eſt ab eo, qui non eſt capax dominij, vel adminiſtrationis, reſtituenda eſt Domino, ſeu adminiſtratori. 8.
Reſtituenda eſt Domino, quando poſſeſſor eſt rationabilitèr ſuſpectus de iniuſta detentione. 9.
Res non eſt reſtituenda ei, qui dedit alteri illicitè, & contrà iuſtitiam. 10.
Quando non conſtat de vero Domino, & legitimo

Digitized by Google

timo poßeſſore reſtituenda eſt res Domino vniuerſali, nempè Deo. 11.

Huiuſmodi bona incerta ſunt reſtituenda Domino vniuerſali, ſic exigente iure poſitiuo conformitèr ad ius naturale. 12.

Non eſt neceſſaria Epiſcopi auctoritas ad diſtribuenda bona incerta pauperibus, vel in vſus pios. 13.

Quando, qui habet bona incerta, eſt pauper, poteſt illa licita ſibi retinere. 14.

Quando detentor facta debita diligentia ſibi, vt pauperi applicuit, ſi res illa exiſtat, comparente Domino debet illi reſtituere, ſecus, ſi bona fide conſumpſerit. 15.

Si dedit pauperibus, ſi res illa adhuc extet, eſt reſtituenda Domino. 16.

Res ſublatæ à perſonis Eccleſiaſticis, regularitèr ſunt eiſdem reſtituendæ. 17.

Excipiuntur nonnulli caſus, in quibus eiſdem non eſt faciendo reſtitutio. 18.

PLura circa præſentem titulum attigimus in præcedentibus. Nunc omnia ex profeſſo examinanda, & quidem

1 **Nonnullę inſpectiones.**

(omiſſis ijs, quæ dicta fuerunt ſupra de rebus à fure acquiſitis, vel titulo gratuito, vel titulo oneroſo, an ſcilicèt ſint reſtituendæ Domino, an verò poſſint reſtitui eidem furi, quando præcisè fuerunt acquiſitæ titulo oneroſo ad recuperandum pretium pro ipſis ſolutum,) in primis inſpiciendum eſt, quomodo res detineatur ab eo, qui tenetur reſtituere, an titulo furti, an titulo contractus, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, an titulo inuentionis, an præſcriptionis minus legitimæ, & quomodo; deindè in ordine ad perſonam, à qua accepta eſt res reſtituenda, an fuerit vero Dominus illius rei, an verò poſſeſſor ſolummodò, vel cuſtos, vel depoſitarius, vel adminiſtrator, & in ordine ad hos omnes inquiretur, an poſſit reſtitui Domino omiſſo poſſeſſori, vel cuſtodi, vel ijs omiſſis tradi Domino, & ſimili diſcutientur.

2 **Reſtitutio fieri debet ei, à quo res ablata eſt, vel dãnum illatum.**

Aſſertio I. Regularitèr reſtitui debet ei, à quo aliquid acceptum eſt, vel cui damnum illatum eſt *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5., Silneſter verbo Reſtitutio 4. q. 1. & ſeqq., Paludanus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 5. & q. 2. art. 4., Coarruuias in reg. peccatum 2. part. §. 2., D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 1. §. 4., Ioannes Medina C. de reſtit. qu. 2. verſ. de eo, quod ſecundo, Sotus lib. 4. de iuſt. q. 3. art. 1., & alij communitèr.*

Ratio aſſertionis.

Ratio ex eo deducitur, quia reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ conſtituens æqualitatem inter illos, quorum vnus minus habet, quam habere debet, ſed hæc æqualitas conſtitui non poteſt, niſi ei, qui minus habet, ſeu à quo aliquid acceptum eſt, quod ſuum ſit, reddatur, ergo regularitèr reſtitui debet ei, à quo aliquid acceptum eſt, vel cui damnum eſt illatum. Quis enim non videt, ſi Petro reſtituatur, quod à Paulo acceptum eſt, adhuc Paulo deeſſe, quod ſuum eſt, adeòque non eſſe poſitam æqualitatem intentam à commutatiua iuſtitia in actu reſtitutionis? Quis item non videt, quam facile quiſquam poſſet aliena dominia inuertere, ſi poſſet quilibet, quod ab vno accepit, alteri reddere?

3 **Excipe, niſi Dominus petat, vel in proprium, vel in alienũ detrimentum contrà iuſtitiam.**

Dixi, *regularitèr*, quia plures admittuntur exceptiones, in quibus Domino res non eſt reſtituenda, quantumuis eandem petat; & primò, quando Dominus peteret in proprium, vel alienum detrimentum contrà iuſtitiam; hac de cauſa habens depoſitum gladium non tenetur reſtituere Domino volenti eo vti ad interficiendum ſe, vel proximum. Ratio eſt, quia reſtitutio debet redundare in vtilitatem, non in perniciem illius, cui fit; tum quia Dominus petens ſibi reſtitui aliquid, quo vult vti contrà iuſtitiam, non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus de negatione reſtitutionis. Extendunt hoc aliqui, ità vt procedat etiam, quandò Dominus rem, quam petit ſibi reſtituendam, vult inſumere in vſus aliundè illicitos, quamuis non contrà iuſtitiam, puta petit ſibi reſtituendam pecuniam, quam vult inſumere cum meretricibus. Nihil ominùs probabilius in hoc caſu ſentiendum eſt, debere detinentem rem reſtituere.

4 **Non tamen, ſi velit inſumere in vſus non contrà iuſtitiam.**

Ratio eſt, quia collatio pecuniæ ad vſus illicitos non tamen contrà iuſtitiam inſumendæ eſt dumtaxat contrà charitatem; detentio verò pecuniæ inuito Domino eſt contrà iuſtitiam; magis autem vrget obligatio iuſtitiæ, quam obligatio charitatis, & ex duobus malis eligendum eſt minus, illud ſcilicèt, quod eſt contra charitatem potius, quam illud, quod eſt contrà iuſtitiam; ex quo patet diuerſam eſſe rationem de eo, qui reddit aliquid adhibendum contrà iuſtitiam; hic etenim, ſi non reddit, facit tantum contrà iuſtitiam; ſi reddit, facit contrà iuſtitiam, quatenus ſaltem indirectè concurrit ad inferendam iniuriam, facit etiam contrà charitatem, quatenus ex charitate tenetur conſulere bono alieno, quando poteſt; ideò in tali caſu maius malum eſt reddere, quam non reddere, & iſtud, tanquam minus malum præeligendum eſt.

Intellige, niſi maius damnum immineat ei, qui nõ reſtituit.

Quod intellige procedere, niſi neganti reddere maius, vel æquale, vel ſaltem graue damnum immineret; tunc etenim, quia licitè quiſque poteſt præferre bonum proprium alieno, nec vllus tenetur cum graui detrimento proprio impedire detrimentum alienum, liceret petenti red-

Digitized by Google

reddere rem ipſi, vel alij contrà iuſtitiam nocituram.

5 **Si Dominus mortuus eſt, facienda eſt reſtitutio eius hæredibus, ſi hæredes deſint, pauperibus.**

Secundo excipitur, quando ille, à quo res accepta eſt, ſeu cui damnum illatum eſt, mortuus eſt, vel multum diſtans; ſi enim mortuus eſt, facienda eſt reſtitutio ipſius hæredibus, ſiue neceſſarij iſti ſint, & ſuccedentes ab inteſtato, ſiue quodammodo alieni, & ſuccedentes ex teſtamento. Quòd, ſi hæredes deſint, reſtituendum eſt pauperibus, vel in pios vſus inſumendum ad ſuffragium animæ defuncti; ſi ſit multum diſtans, adeò vt res transmitti ad ipſum non poſſit, niſi cum ſumptibus excedentibus, vel adæquantibus valorem rei tranſmittendæ, aut ſit moralitèr certum periculum, quod res, ſi tranſmittatur, ad ipſum non perueniet, expectanda eſt commodior occaſio reſtitutionis, cuius commodioris occaſionis, ſi ſpes non ſuppetat, iudicandum eſt de re illa, ac ſi mortuus eſſet ipſius Dominus.

6 **Quid faciendum eſt, quando Dominus diu diſtat.**

Aliqua hic eſt difficultas, verum, quando res tranſmitti commodè poteſt, & debet, tranſmittenda ſit expenſis Domini, an expenſis reſtituentis. Huic difficultati cum diſtinctione reſpondendum eſt; nam qui debet reſtituere, vel fuit poſſeſſor bonæ fidei, & ſic non tenetur proprijs expenſis rem tranſmittere, ſed ſatis eſt, quod eam Domino notificet, & tuto loco reſeruet, vel fuit poſſeſſor malæ fidei, & ſic tenetur proprijs expenſis rem tranſmittere ad locum, in quo eam accepit. Ratio eſt, quia poſſeſſor bonæ fidei tenetur ſolum ratione rei acceptæ, & ſic ſatis eſt, quod rem alienam reſtituat eo tempore, & loco, quo alienam eſſe ſciuerit; poſſeſſor malæ fidei tenetur etiam ratione iniuſtæ acceptionis, ideò tenetur rem remittere, vbi iniuſtè accepit, vt Domino reſarciatur damnum non ſolùm ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis.

7 **Quando accepta eſt non à Domino, ſed à iuſto poſſeſſore, poſſeſſori reſtituenda eſt.**

Aſſertio II. Quando res accepta fuit non à Domino, ſed à poſſeſſore, puta, ab oppignoratario habente pignus in aſſecurationem, depoſitario rei ſibi in cuſtodiam datæ, à commodatario rei commodatæ, & conductore rei locatæ regularitèr tenetur reſtituere ille, qui eandem accepit, poſſeſſori, non Domino *Medina C. de reſtitutione q. 2. verſ. de eo, quod ſecundo Ioſeph Angles in florib. Theol. q 4. ſent. 2. part. q. cui reſtitutio eſt facienda dub. 3. concl. 4., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 5., & alij magis communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia, cum poſſeſſor iuſtè poſſideat rem, & eam cuſtodiat, vel vtatur ipſa, eidem propriè infertur iniuria per ablationem eiuſdem rei, cum iniuſtè priuetur ſua poſſeſſione, & vſu eiuſdem rei, ergo eidem eſt reſtituẽda.

Accedit, quod ipſe Dominus, (excepto quando res eſt præciſè tradita alteri in cuſtodiam in fauorem ſui ipſius) ſi rem ſuam accipiat de manu poſſeſſoris legitimi ſine ipſius conſenſu, vtique eidem inferat iniuriam, & teneatur ad reſtitutionem, niſi interueniat legitima cauſa, ergo, ſi alter à Domino à manu poſſeſſoris accipiat, tenebitur eidem poſſeſſori reſtituere. **Quinam veniat nomine iuſti poſſeſſoris.** Accedit ſecundo, quod, ſi depoſitarius, qui ex conuentione detinere debebat pecuniam apud ſe depoſitam per annum, & eadem ex tacito conſenſu deponentis, cum eſſet depoſitum irregulare, erat negotiaturus, & pecunia ab eodem depoſitario auferatur per tertiam perſonam, teneatur fur depoſitario, & pecuniam, & intereſſe reddere, & non Domino, prout docet *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. nu. 6.*; cum Dominus ipſe non eſſet negotiaturus illa pecunia, ſed depoſitam vellet habere apud depoſitarium, & tutam, ergo res, ſi accipiatur iniuſtè à depoſitario, vel à quocunque legitimo titulo poſſeſſoris detinente rem ipſam, erit reſtituenda eiſdem, à quibus fuit iniuſtè accepta.

8 **Quando accepta eſt ab incapaci dominij, & adminiſtrationis, cui ſit reſtituenda.**

Dixi, *regularitèr*, nam in nonnullis caſibus res eſt potius Domino, ſeu adminiſtratori reſtituenda, quam ei, à quo eſt ablata. Primus caſus eſt, quando ille, à quo res accepta eſt, non eſt capax dominij, vel adminiſtrationis; hoc contingeret, in caſu, quo res eſſet accepta à Religioſo, vel à filio familias, vel à furioſo, & amente habente curatorem, tunc etenim non illis, ſed Prælato, vel Patri, vel tutori, ſeu curatori eſſet reſtituenda per textum *in l. pupillus §. furioſus ff. de Sor. Inſtit. de inutil. ſtipul. §. pupillus, & l. obligari ff. de Author.* & notat *Petrus à Nauarra loc. quo ſupra num. 10.*

9 **Reſtituenda eſt domino, quando poſſeſſor eſt rationabilitèr ſuſpectus de iniuſta detentione.**

Secundus caſus eſt; quo poteſt, & fortè etiam debet Domino reſtitui, non poſſeſſori, quando poſſeſſor eſſet rationabilitèr ſuſpectus de detentione rei iniuſta *Sotus lib. 4. de iuſtitia qu. 3. art. 1., Nauarrus in ſumma c. 17. à nu. 18., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitutione c. 2. nu. 4.*, nec in hoc caſu locum habent textus *in l. per Cuius, & l. ſui, & l. itaque Tullo in princip. §. ſed ſi res ff. de furtis*, quandòquidem textus illi præciſè loquuntur, quando ille, à quo eſt res ſublata, eſt certus, & indubitatè legitimus poſſeſſor. Ratio autem exceptionis ea eſt, quia quando eſt rationabilis præſumptio, quod detinens iniuſtè detineat, comparatur furi, cui res reddenda non eſt contrà voluntatem Domini; Hoc tamen aduertẽdum eſt, quòd ſi talis præſumptio non inducat moralem certitudinem de iniuſtitia detentionis, poſſit

Digitized by Google

adhuc reſtitui eidem poſſeſſori, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis per vulgatiſſima iura.

Tertius caſus eſt, quando ille, qui dedit alteri, qui cæteroqui eſſet reſtituturus, dedit illicitè, & contra iuſtitiam, tunc

10 Res non eſt reſtituenda ei, qui dedit alteri illicitè, & contra iuſtitiam.

etenim eidem non videtur reſtituenda; pro quo aduerte ex *D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. ad ſecundum* dupliciter poſſe eſſe aliquam dationem illicitam, vel quia ſit aliqua lege prohibita, vt eſt datio ſimoniaca, vel quia, quamuis in ſe ipſa præciſè non ſit prohibita, ſit tamen propter aliquod illicitum, vt eſt datio facta meretrici propter fornicationem. Datio illicita hoc ſecundo modo valida eſt, & meretrix rem accipiens, quamuis ante traditum vſum ſui corporis debeat ei rem, à quo accepit, reſtituere, vt contractum reſcindat, poſt traditum tamen corporis vſum poteſt rem illam licitè retinere, quia vſus corporis traditus eſt aliquid pretio æſtimabile, vnde emanauit illud vulgare effatum: Meretrix turpiter facit, quod ſit meretrix, non turpiter tamen accipit, quod ſit meretrix. Neque dicas

Dupliciter datio poteſt eſſe illicita, & quomodo.

fœminam extra matrimonium non poſſe libere diſponere de vſu proprij corporis, ergo non poteſt talem vſum iuſtè vendere, nec per conſequens pretium talis venditionis iuſtè, aut retinere, aut exigere; contrà enim impugnaberis, quia, quamuis fœmina extra matrimonium nequeat libere de vſu proprij corporis diſponere, nec ipſum licitè vendere, poteſt tamen vendere validè, nam ad hoc, vt venditio ſit valida, & poſſit pro ea venditor pretium retinere, ſatis eſt, vt quis vendat rem, quam iuſtè poſſidet; tunc enim, cum ſaluetur contrà paſſum, & venditor bono aliquo pretio digno ſe priuet in gratiam emptoris, debet in emptore correſpondere paſſum, quatenus patiatur emptor carentiam pretij in gratiam ipſius venditoris. Datio illicita primo modo nullatenus transfert dominium in accipientem, quia lex prohibens talem dationem reddit accipientem inhabilem ad acquirendum dominium rei per ipſum datæ; ſunt autem illicitæ hoc primo modo omnes illæ dationes, quæ fiunt pro opere iniurioſo contra iuſtitiam, vt pro homicidio, pro ferenda ſententia iniuſta, & ſimilibus, vt probatur *ex l. multæ cum C. de mod. mulctandi*, vbi omnia pro opere iniurioſo acquiſita adijciuntur fiſco, quæ lex, quatenus adijcit talia bona fiſco, non obligat, niſi poſt Iudicis ſententiam, quatenus facit accipientem inhabilem ad dominium talium bonorum, adeòque obligatum ad reſtitutionem valet etiam ante ſententiam Iudicis, ante quam propterea tenetur talia bona reſtituere pauperibus æquè, ac eſſet bona incerti Domini; non enim tenetur reddere fiſco, cum non ſupponatur prolata ſententia, & condemnatio Iudicis, antequam fiſco nihil adijcitur; Nec item tenetur reſtituere ei, qui dedit, quia hic ipſo iure naturæ à ſe abdicauit dominium, neque lex poſitiua debet in hoc ipſi fauere, ipſumque in dominio reſtituere; ceteroqui faueret delicto ipſius.

11 Quando non conſtat de vero Domino, & legitimo poſſeſſore reſtituenda eſt res vniuerſali domino.

Aſſertio III. Quando non conſtat de vero Domino, ſeu legitimo rei poſſeſſore, probabilius res eſt reſtituenda vniuerſali Domino, nempè Deo erogando in vſum pium, vel eam in pauperes diſtribuendo, facta tamen prius diligenti inquiſitione Domini particularis *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5. in ſolutione ad tertium, Gloſa in c. cum tu de vſuris, Ledeſma 24. q. 18. art. 5. §. præcipuè, Ioſeph Angles 2. part. flor. q. cu reſtitutio difficult. 4., Corduba lib. 1. quæſtionarij qu. 39. in fin., Couarruuias ad reg. peccatum part. 3. §. 1. n. 3., Ioannes Medina C. de reſtitutione q. 3. cauſ. 10., Nauarrus in Manuali c. 17. nu. 92. & ſeqq.* Pro cuius aſſertionis clariori intelligentia aduertendum, quod bona aliqua poſſint dici incerta quoad Dominum tripliciter; primò, quatenus

Quomodo res poſſit eſſe incerta quoad Dominum.

ſunt talia ex delicto, quatenus acquiſita fuerint, vel per furtum, vel per vſuras, vel per aliud delictum, ità tamen, vt ignoretur eorum Dominus; ſecundò, quatenus ſunt talia ex contractu, quatenus ſint ex depoſito, commodato, & mutuo, ità vt ipſorum Dominus non poſſit inueniri; tertiò, quatenus ſint inuenta, nec ſciatur quinam ſit ipſorum Dominus. Quoad hæc omnia procedit aſſertio, quæ ſic

Probatur primò, quia, quando cognoſci non poteſt verus Dominus, nec haberi poteſt eius expreſſa, & determinata attendenda eſt eiuſdem interpretatiua, & rationabiliter præſumpta voluntas; ſed

Præſumptio eſt, quod Dominus velit in vtilitatem animæ ſuæ rem expendi.

præſumpta voluntas Domini incerti eſt, quod potius expendatur in vſus pios, & pauperum eleemoſinas, quam quod in alias commoditates, vel detinentis, vel aliorum alienentur, ſiquidem per eleemoſinarum largitionem, & ſumptus in vſus pios res cedunt in ſpiritualem vtilitatem eiuſdem, ergo &c. Neque dicas, præſumptionem potius eſſe, quod res detineatur penes poſſidentem, ſeu detinentem, nam hoc pacto poſſet eſſe ſpes, quod Dominus ſit recuperaturus, ſi eidem fortè innotuerit, vbi ſit, quod, ſi diſtribuatur in pauperes, vel in vſus pios, non poteſt amplius talis ſpes vigere; contrà enim impugnaberis, quia vbi facta fuerit diligens inquiſitio Domini, & expectatum congruum tempus arbitrio boni viri ad

cogno-

Digitized by Google

cognoſcendum de Domino, ſecundum communem æſtimationem, & humano modo ceſſare videtur illa ſpes recuperationis, vel pro nihilo reputari; undè docent *Sarmento lib. 6. ſelectarum c. 10.*, *Petrus de Aragonia 2. 2. q. 62. art. 5.*, *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 3. art. 3.*, *Petrus à Nauarra lib. 4. c. 2. n. 75.*, *Megala 2. 2. lib. 2. c. 4. n. 33.* in iure pro eodem reputari ignorari poſt debitam inquiſitionem dominum rei, ac rem nullum habere dominum; qui tamen DD. tali æquiparatione utuntur ad inferendum quid aliud, quod à nobis non admittitur, nempè inuentorem, ſeu detentorem rei incerti Domini poſſe illam inſtè ſibi acquirere, eo quia, cum nullum habeat Dominum, efficiatur primi occupantis; quamuis etenim res ipſa perindè habeatur, ac ſi non haberet Dominum, habet tamen ſecundum ſe innatum quoddam pondus, quo feratur ad Dominum, pro quo ſemper clamat, & ſic, quamuis ſecundum æſtimationem non reputetur alicuius determinatę perſonæ, eſt tamen ſecundum ſe determinati Domini, ac proindè non eſt propriè adeſpota, ſicuti ſunt res, quæ nullius ſunt, & fiunt primo occupantis; cuius veritatis ſignum eſt, quod, quando res nullius abſolutè ſunt, à nullo poſſunt reuocari à primo occupante pro quocunque tempore, quando verò ſint incerti Domini comparente eodem Domino ſunt ab ipſo reuocabiles, adeòque &c. Ex quibus infero, quod, cum res illæ incerti Domini habeant vim illam, qua feruntur in Dominum, ſint expendendæ iuxtà ipſius pręſumptam voluntatem, ſeu in utilitatem ipſius, ſiue viuentis, ſiue mortui.

Facta cõgrua diligẽtia, ſpes pro nihilo reputatur

Dices, hanc rationem à nobis adductam uniuerſalitèr non euincere intentum, quia, ſi Dominus in peccato læthali obierit, vel in infidelitate, illa erogatio rei ſuæ, vel in pauperes; vel in uſus pios non poſſet cędere in ipſius utilitatem ſpiritualem, ergo in hac ſaltem hypotheſi res illæ non eſſet erogandæ in pauperes, vel uſus pios; Sed contra, quia, quamuis, ſi Dominus obierit in peccato læthali, ſeu in infidelitate, illa erogatio rei ſuæ in eleemoſinam; & uſus pios, non ſit eidem profutura, nec ceſſura ſit in utilitatem ſpiritualem ipſius, & per conſequens pręſumi nequeat ipſius voluntas pro illa, hoc prouenit ex ſpeciali conditione ſubiecti, ut talis ob culpam eiuſdem mentem, & voluntatem peruertentem, & deflectentem in peruerſum ſenſum rationi diſſonum; quamobrem tunc res illa eſt expendenda iuxtà pręſumptam voluntatem Domini uniuerſalis dirigentis omnia ad rectum finem, non particularis, qui, cum declinauerit à recto fine, non poteſt ſua ad eundem finem dirigere; unde, cum poſſeſſor rei incertæ, ſeu cuius Dominus eſt incertus ſcire nequeat ſtatum Domini rei, an ſcilicèt ſit viuens, vel mortuus, & ſi mortuus naturalitèr, an viuat ſpiritualitèr, vel in via ad gloriam, vel in termino, an verò ſpiritualitèr etiam occubuerit, rem illam debet expendere, vel iuxtà rationabilem intentionem eiuſdem Domini incerti, ſi ipſe ſit capax rationabilis intentionis, vel iuxtà intentionem præſumptam Domini uniuerſalis, ſi particularis ob damnationem æternam ſit incapax rationis.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Probatur ſecundo varijs iuribus tam iuris canonici, quàm cæſarei; & primo quoad bona incerta ex delicto *ex c. cum tu de vſuris*, ubi Pontifex præcipit, *vt ea, quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſint illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus &c.* quem textum DD. extendunt ad quæcunque bona incerta ex delicto; Secundo quoad alia bona incerta *ex auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſ.* ubi ſic legitur. *Si peregrinus inteſtatus deceſſerit, ad hoſpitem nihil perueniet, ſed bona ipſius per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur, vel in cauſas pias erogentur*; & quidem iure merito hæc ſtatuuntur, ſiquidem magis ſunt congrua pietatis officijs, iuri communi, præſumptæ voluntati Dominorum, & conſuetudini ferè ubique apud timoratos præſcriptæ.

Varia iura tam canonica, quàm ciuilia euincentia aſſertum.

Circa hanc aſſertionem, & ea, quæ in eius probatione dicta ſunt plures inſurgunt rationes dubitandi; quarum prima eſt, an huiuſmodi bona incerta ſint eroganda in pauperes, vel alios uſus pios, ſic exigente iure naturæ, an verò dumtaxat iure poſitiuo. Secundo ex quocunque iure proueniat illud onus erogandi in pauperes, vel uſus pios, an talis erogatio, ſeu diſtributio pertineat ad Epiſcopum, vel ad publicas poteſtates, an verò ad perſonam poſſidentem res illas incertas. Tertiò, an, ſi ille, qui habet bona incerta, verè ſit pauper, poſſit ſibi bona illa retinere. Quartò, ſi ipſe, ut pauper, vel apud ſe detinuerit, vel alijs pauperibus diſtribuerit, ſi non fuerit pauper, an ſi Dominus comparuerit, teneatur bona illa incerta, ſi extent, reſtituere, vel ſi non extent, pretium æquiualens.

Propoſitæ variæ rationes dubitandi

In ordine ad primam, probabilius arbitror ſic exigere ius poſitiuum non quomodocunque, ſed conformitèr ad ius naturale, maximè ſuppoſita fide. Pro quo aduerte ius naturale, quodamodo duplex eſſe, alterum abſolutum, & ſtrictum; alterum relatiuum, & minus ſtrictum; primum

12 Sunt reſtituẽda pauperibus ſic exigente iure poſitiuo conformiter ad ius naturale.

Digitized by Google

cum etenim Epiſcopi ſint Patres, & Procuratores pauperum ad ipſos pertinet bona incerta eiſdem erogare. Accedit, quod, ſi poſſeſſor poſſet ex ſe diſponere, quantumuis in cauſam piam, poſſet facilè ex proprio amore decipi, adeòque æquum, & conſentaneum eſt, vt res deferatur ad Epiſcopum, tanquam ad Patrem, & Procuratorem pauperum. Fateor hanc opinionem æquam eſſe, & maximè rationi congruam. Nihilominùs

Non eſt neceſſaria Epiſcopi auctoritas ad diſtribuēda bona incerta pauperibus, vel in vſus pios.

13 ſentiendum eſt regularitèr loquendo non eſſe neceſſariam Epiſcopi auctoritatem ad diſtribuenda bona incerta pauperibus, vel eroganda in vſus pios *Medina C. de rebus reſtituend. q. 3. cauſa 10., Silueſter verb. reſtitutio 8. q. 5., Nauarrus in Manual. c. 17. n. 92., Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4. principali, & art. 4. minus principali ArchiDiaconus in c. 2. de teſtamentis, Ioannes Cardinalis in c. quamquam de vſuris in 6., Calderinus in clement. 1. de priuileg.* Ratio ex eo deducitur, quia pluribus in textibus iuris canonici præcipitur reſtitutio bonorum incertorum facienda pauperibus, nec ibi fit mentio de requiſita auctoritate Ordinarij, vel, ſi quandòque in alijs textibus fit mentio, non eſt in ordine ad diſtribuendum, ſed dumtaxat ad compellendos poſſeſſores ad diſtribuendum, ſic primo *in c. ſicut dignum de homicid. §. eos inſuper,* vbi de quodam, qui bona alterius iniquè detinebat, dictum fuit, quod, ſi poterant reſtitui ijs, quorum fuerant, non potuerint erogari pauperibus, ergo, ſi non poterant reſtitui ijs, quorum fuerant, erant pauperibus eroganda, nec ibi fit aliqua mentio Epiſcopi.

Iura canonica nō exigunt hanc Epiſcopi auctoritatē.

Secundo *in c. cum tu de vſuris,* vbi de vſurario dicitur, quod teneatur vſuras reſtituere illis, à quibus iniuſtè accepit, ſi exiſtant, vel ſi non exiſtant eorum hæredibus, & ijs non exiſtentibus, vel fortè etiam non cognitis reſtituendæ ſint pauperibus, vbi cum eodem ſermone illa omnia ſtabiliantur; arguendum eſt, quod, ſicuti extante eo, à quo ſunt acceptę vſuræ, ſunt per ipſum vſurarium eidem reſtituendæ, vel eodem non extante ipſius hæredibus, & iſtis etiam non extantibus erogandæ ſint pauperibus, ita per eundem vſurarium ſint eiſdem pauperibus diſtribuendæ nullo habito recurſu ad Epiſcopum, quemadmodum ad eundem non eſt recurrendum, quando extante læſo, ſeu eius hæredibus ipſis facienda eſt reſtitutio; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non extante læſo, ſeu eius hæredibus talia ſint pro anima veri Domini fidelitèr eroganda, & ſic ſint iam diuino cultui emancipata, & conſequenter à ſolo Prælato diuini cultus ſint eroganda; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia nunquam melius, & expreſſius intelliguntur bona diuino cultui emancipata, quem quando à teſtatore per expreſſam voluntatem relicta ſunt, vt diſtribuenda pauperibus, in quo caſu non ad Prælatum diuini cultus pertinet eadē diſtribuere, niſi ad ſummum ſubſidiariè, ſed tantum ad hæredem poſſeſſorem huiuſmodi bonorum, ergo etiam, quantumuis tacita illa bona incerta intelligantur diuino cultui mancipata, non tamen ad Prælatum pertinebit illa in vſus pauperum diſtribuere, ſed dumtaxat ad poſſeſſorem.

Soluuntur varia obiecta, quę ex iuribus in contrarium deducuntur.

Quòd, ſi dicatur fieri mentionem de auctoritate Epiſcopi ad hoc munus diſtribuendi requiſita *in d. c. cum ſit de Iudæis, & in d. c. quamquam de vſuris in 6. & in auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſ.* tunc reſpondebo quoad primum *c. cum ſit de Iudæis* cum *Medina C. de rebus reſtituendis qu. 3. cauſa 10. verſ. non obſtante* canonem illum fuiſſe ſpecialitèr editum pro illo caſu, pro quo debitor erat Iudæus, qui plura iniquè extorſerat à Chriſtianis, quę, cum incerta eſſent, erant pauperibus Chriſtianis eroganda; nec æquū, nec congruum erat illud onus diſtribuendi committere fidei eiuſdem propter nimiam auiditatem, quam habent Hæbrei bona fidelium vſurpandi, & propterea vehemens aderat præſumptio, quod propter illud iniquum deſiderium, & odium in fideles non eſſet iuſtè diſtributurus, adeòque &c. Quoad ſecundum *in c. quamquam de vſuris in 6.* dicendum eſt per eundem textum ſolum indicari ad Epiſcopum pertinere diſpenſationem, quando ſcilicèt ille, ad quem pertinet diſtribuere, ſiue ſit ipſe debitor incertorum, ſiue eius hæres, non reſtitueret; tunc etenim datur actio Epiſcopo accipiendi, & diſtribuendi, ne pauperes defraudētur; & iuxtà hunc ſenſum interpretantur illum textum *Medina loc. cit., & Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitutione c. 2. n. 56.*

Epiſcopis datur actio, quando debitor non reſtituit.

Quoad tertium verò textum *in d. auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſſ.*, vel idem omninò reſpondendum eſt, vel etiam dicendum hoc ſpecialitèr ſtatui de peregrinis in domibus hoſpitum decedentibus quoad eorum bona, quia hæc non tranſierunt ſub alicuius poſſeſſione, cum hoſpes ex eo præciſè, quod detinuerit in propria domo peregrinos, non intelligatur in eorum bonis poſſeſſionem acquiſiuiſſe; vndè iura meritò ſtatuerunt, quod in ea hypotheſi ordinarius, ſeu Epiſcopus conſtitueretur cuſtos, & quaſi poſſeſſor eorundem bonorum, ad quem propterea deuoluitur ius, vbi commodè bona illa deferri non poſſint ad hæredes, de illis diſtribuendis in eleemoſinas pauperum,

vel

Digitized by Google

vel in pios vſus, quæ ratio non militat in alijs caſibus, in quibus regularitèr detinentes conſtituuntur quaſi poſſeſſores.

In ordine ad tertiam dicendum eſt, quod, ſi ille, qui bona incerta habet, verè ſit pauper, poſſit eadem licitè ſibi retinere

14 Quando detinens eſt pauper poteſt bona illa ſibi detinere.

Scotus in 4. diſt. 15. qu. 3., *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 6. n. 41.* Ratio ex eo deducitur, quia ſtante qualitate paupertatis, & conditione poſſeſſionis in detinente poteſtas eſt facultatiua in eodem eligendi pauperes, in quos bona incerta diſtribuat, ergo, ſi ipſe pauper verè exiſtat, poterit ſibi ipſi diſtribuere, ſeu ſibi retinere. Conſequentia probatur, tum quia in pari cauſa paupertatis charitas potius exigit, vt quis ſibi ſubueniat, quam alijs; tum quia melior eſt conditio poſſidentis; tum quia tandem ipſe non debet eſſe deterioris conditionis, quam alij pauperes. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non ſufficiat, quod ipſe detinens, ſeu quaſi poſſeſſor ſit pauper, vt poſſit bona illa ſibi detinere, quandòquidem ex præſumpta voluntate Domini, & Eccleſiæ videtur requiri, quod diſtributio ſit facienda magis indigentibus, non ſimplicitèr indigentibus, prout docet *Ledeſma 24. q. 18. art. 5. §. præcipuè*, & alij, qui ea ratione moueri videntur, quia, cum ratio diſtributionis ſit paupertas, vbi maior erit paupertas, erit reſtitutio facienda, tanquam perſonæ in hac materia digniori, quod etiam paritate beneficiorum poteſt euinci, quæ, cum debeant conferri iuxtà merita in genere probitatis, & literarum, non debent conferri in tali genere dignis ſimplicitèr, ſed dignioribus, prout definiuit Concilium Tridentinum, & latius declarauit SS. D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita feria V. die 2. Martij 1679. dum damnauit propoſitionem illã, quæ eſt in ordine quadrageſima ſeptima *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui niſi digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint ad Eccleſias promouent. Concilium, vel primo videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumptò comparatiuo pro poſitiuo, vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò, quando ſit concurſus.*

Non currit paritas de onere eligendi digniores ad beneficia, ac de onere eligendi pauperiores ad bona incerta.

Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notant *Nauarrus in manual. c. 17. nu. 93.*, *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 59.* nulla lege, aut ratione euincitur, quod pauperiores in ea hypotheſi ſint eligendi, potiſſimum, cum huiuſmodi bona non ſint ex neceſſitate in pauperes eroganda, ſed poſſint in alios vſus pios expendi; nec in hoc currit paritas de collatione beneficiorum, quandòquidem cum hæc ex natura ipſa inſtitutionis ſint in ordine ad publica miniſteria, & ad bonum commune fidelium, non niſi in digniores ex diſpoſitione Eccleſiæ, & ex natura ſua debent transferri. Non negauerim tamen, quod, ſi quis in extrema neceſſitate conſtitutus reperiretur, bona illa incerta eſſent potius in ipſum transferenda, quam in alium, ſeu in ſe ipſum vulgaritèr tantum indigentem, ſeu pauperem, prout notat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. n. 69.*, ſed hoc non eſſet ex præciſa natura bonorum incertorum, ſed ratione præciſè extremæ indigentiæ, in ordine ad quam reparandam vnuſquiſq; nedum de incertis, ſed etiam de proprijs tenetur ſubuenire per ea, quæ alibi docuimus.

In ordine ad quartam reſpondeo cum diſtinctione, vel etenim detentor eam ſibi tanquam pauperi detinuit, vel alijs pauperibus diſtribuit poſt debitam diligentiam; Iuxtà primum ſenſum adhuc diſtinguendum eſt, vel adhuc illa bona apud ipſum permanent, & tunc Domino comparente ſunt eidem talia bona reſtituenda; vel adhuc non permanent, & tunc ſubdiſtinctione vtendum, vel illa bona abſque culpa, ſeu cum bona fide acquiſiuit, & conſumpſit, & ſic non tenetur reſtituere, nec compenſare, vel per culpam acquiſiuit, quatenus ignorans quinam fuerit Dominus, illam rem, ſeu bona acquiſiuit ſciens non eſt ſua, & poſtea poſt debitam inquiſitionem factam cum animo reſtituendi, ſibi tanquam pauperi applicuit, & deindè conſumpſit, & tunc etiam non tenetur Domino comparente reſtituere. Iuxtà ſecundum ſenſum probabilius etiam Domino comparente non tenetur reſtituere. In vniuerſum conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 6. à n. 43. ad n. 47.* Ratio primæ partis quoad primum ſenſum ex eo deſumitur, quia tunc, ſiue res extet in ſe ipſa, ſiue in pretio, poſſeſſor tenetur erga Dominum ratione rei acceptæ, quæ ſemper clamat pro Domino, ergo illam tenetur reſtituere; excipiendum tamen eſt in caſu, quo ipſe detentor eſſet in extrema neceſſitate conſtitutus, quia tunc iure naturæ ſic exigente ad ſibi ſubueniendum in tali neceſſitate poſſet non reſtituere; Neque hic audiendi ſunt *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 57*, *Henriquez de Indulgent. c. 34. n. 8.* dum aſſerunt, quod, ſi res fuerit debito modo ſibi applicata, tanquam pauperi, quantumuis in ſua ſpecie adhuc exi-

15 Comparente Domino, ſi res illa exiſtat, eſt illi reſtituenda, ſecus, ſi fuerit bona fide conſumpta.

Digitized by Google

exiſtat, non ſit amplius Domino reſtituenda, qui duplici ratione ad hoc aſſerendum mouentur primò, quia, quando poſt debitam inquiſitionem applicata eſt pauperi, intelligitur Domino reſtituta, nec Dominus poteſt eſſe rationabilitèr inuitus; Secundò, quia per hanc applicationem poſt congruam diligentiam intelligitur translatum dominium; Non, inquam, audiendi ſunt, quia quotieſcunque res adhuc perſeuerat, niſi fuerit legitimè præſcripta, ſemper clamat pro Domino, & iure quodam innato in ipſum fertur; nec rationes adductæ ex aduerſo aliquid roboris habent; non prima, quia applicatio fieri debet ſub ea tacita conditione, quod, ſi Dominus comparuerit re eadem ſub ſpecie ſua exiſtente, eidem reſtituatur, quod idem intellige, ſi perſeuerauerit in pretio, nec Dominus tenetur ratam habere illam applicationem, niſi donec rem ſuam inueniat; non ſecunda, propter eandem rationem, quia res illa transfertur ſub tacita illa conditione, vndè dominium non acquiritur, niſi tanto tempore poſſideatur, quantum ſufficiat ad legitimam præſcriptionem. Ratio ſecundæ partis quoad primum ſenſum iuxtà primum membrum diſtinctionis, quatenus ſcilicèt adhuc illa bona non permaneant, cum fuerint bona fide acquiſita, & conſumpta, ex eo deſumitur, quia ſcilicèt detentor, qui ſibi applicuit, & conſumpſit, nec tenetur ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis; non ratione primi, quia adhuc res illa non extat; Non ratione ſecundi, quia ſine culpa accepta eſt, & bona fide in pauperes translata. Ratio tertiæ partis quoad primum ſenſum iuxta ſecundum membrum diſtinctionis (quod ſcilicèt non teneatur re amplius non extante, etiam ſi per culpam fuerit acquiſita, ſi facta fuerit debita diligentia cum animo reſtituendi, antequam ſibi fieret applicatio) ex eo deſumitur, quia res accepta non amplius obligat, cum non perſeueret, nec iniuſta acceptio, cum ſufficientèr intelligatur purgata per illum animum reſtituendi cum debita illa, & congrua inquiſitione Domini, & per illam reſtitutionem factam eo modo, quo potuit iuxtà præſumptam voluntatem Domini. Ratio quoad ſecundum ſenſum, quando ſcilicèt alijs pauperibus diſtribuit, ex eo deſumitur, quia nullus extat titulus obligans ad reſtitutionem; non res accepta, cum adhuc non extet, non iniuſta acceptio, cum bona fide acceperit, & reſtituerit ſeruato debito modo. Quod, ſi ſupponas, quod bona illa ſic bona fide per poſſeſſorem diſtributa in alios pauperes, adhuc penes illos in ſua ſpecie perſeuerent, & inquiras, an, vel ipſe diſtributor teneatur illa repetere de manibus pauperum, in quos diſtribuit, vt reddat Domino comparenti, vel ipſi pauperes teneantur ipſi Domino exigenti reſtituere; tunc crederem ipſos pauperes, vel ad exigentiam diſtributoris, vel eiuſdē Domini teneri reſtituere, vt tandem deueniant in manus Domini; excipè, niſi pauperes eſſent in extrema, vel grauiſſima neceſſitate conſtituti. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus, quandòquidem illa diſtributio facta ſupponitur ſub tacita conditione, ſi Dominus non comparuerit, cæterum ipſo comparente, cum res perſeuerans ſemper clamet pro Domino, non eſt, cur illi non ſit reſtituenda.

Conſiderationes circa rem præſentē.

16 *Si extet penes pauperes, quibus detētor deſtribuit, adhuc eſt Domino reſtituēda.*

17 Aſſertio IV. Res ſublatæ à perſonis Eccleſiaſticis regularitèr ſunt eiſdem reſtituendæ, à quibus fuerunt ablatæ *D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1. quæſtiuncula vlt. ad vltim., Petrus à Nauarra lib. 4. c. 2. n. 12.*

Res ſublatæ à perſonis Eccleſiaſticis regularitèr ſūt eiſdē reſtituendæ.

Ratio ex eo deducitur quia huiuſmodi bona ablata ab Eccleſiaſticis, vel ſunt bona patrimonialia ipſorum, vel ſunt bona Eccleſiaſtica immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vel tandem fructus eorundem bonorum Eccleſiaſticorum; ſed quæcunque illa fuerint ex omni titulo debentur Eccleſiaſticis, à quibus fuerint ablata; & quidem primò, ſi fuerint bona patrimonialia, non poteſt eſſe dubium, quin eiſdem facienda ſit reſtitutio, quandòquidem illorum, ne dum ſunt legitimi poſſeſſores, ſed etiam veri Domini, & in ordine ad talia bona perindè ſe habent, ac, ſi eſſent laici, cum ſtatus Eccleſiaſticus non reddat ipſos incapaces dominij, & inhabiles ad diſponendum de illis bonis pro libertate ſua; Hæc, quæ dicta ſunt de bonis patrimonialibus Eccleſiaſticorum proportionalitèr intelligenda ſunt de illis bonis, quę ipſi Eccleſiaſtici ex redditibus Eccleſiaſticis acquiſierunt parcius viuendo, quam eorum ſtatus, & decens ſuſtentatio exigeret; hæc etenim bona dicuntur etiam quaſi patrimonialia, & perindè ſe habent, ac ſi per meram induſtriam eorundem Eccleſiaſticorum eſſent acquiſita, & licet DD. cōtrouertant, an Eccleſiaſtici poſſint pro libertate diſponere de redditibus beneficiorum, qui ſuperſunt ex eorum conuenienti ſuſtentatione, an verò teneantur erogare in pios vſus, magis tamen communitèr conueniunt, quod de ijs, quæ ipſi ſubtraxerint ex ſua decenti ſuſtentatione, poſſint pro libertate diſponere etiam extrà vſus pios, & ſubleuationem pauperum.

Fit inductio per varia bona, quæ Eccleſiaſtici poſſident.

Digitized by Google

Secundò, ſi fuerint bona Eccleſiaſtica immobilia, vel mobilia, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, quod debeant eiſdem reſtitui ex eo facilè euincitur, quia, quantumuis non habeant Eccleſiaſtici propriè illorum dominium, denegari tamen non poteſt, quin habeant propriè adminiſtrationem, & cuſtodiam illis commiſſā, ergo eiſdem ratione adminiſtrationis, poſſeſſionis, & cuſtodiæ erunt reſtituenda. Tertiò, ſi fuerint fructus, ſeu redditus beneficiorum ex eo facilè deducitur, quod ſint reſtituendi eiſdem beneficiarijs, ex eo, inquam, quia ipſi beneficiarij, vel ſunt Domini ipſorū fructuum, ſeu redditũum beneficiorum, vt ſentit *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. n. 15.*, vel tantum legitimi adminiſtratores, prout docet *Nauarrus in manual. c. 17. nu. 29. verſ. 2. quando Prælatus*, quod probat *arg. c. veritatis de dol. & contum.*, *& in c. venerabili de offic. delegat. & c. fin. de accuſ. & c. peruenit de fideiuſ.*, ſiue autem ſint Domini, ſiue adminiſtratores ius habent, vt fructus ſibi reddantur, ergo &c.

18 Excipiuntur nonnulli caſus, in quibus eiſdē nō eſt facienda reſtitutio.

Dixi, *regulariter*, nam, ſi illa eſſent bona immobilia Eccleſiaſtica, ſeu mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſent, & ipſe beneficiarius fuerit rationabilitèr ſuſpectus de diſſipatione, ſeu alienatione, certè eidem non eſſent reſtituenda, ſed Eccleſiæ, ſeu Chriſto, prout docent *Petrus à Nauarra d. lib. 4. de reſtitut. c. 2. nu. 16.*, *Caietanus in ſumma c. 4.* Ratio eſt, quia illa bona non ſunt propriè ſub dominio eiuſdem Prælati, ſeu beneficiarij, ſed Eccleſiæ, ergo, cum aderit probabilis, & rationabilis præſumptio, quod ipſe Prælatus, ſeu beneficiarius ſit bona illa immobilia, ſeu mobilia pretioſa diſſipaturus, ſeu alienaturus in præiudicium Eccleſiæ, non erunt illi reſtituenda. Conſequentia probatur ex communi regula, ſecundum quam depoſitarij, commodatarij, & ſimiles, qui non habent rerum dominium, quando ſunt legitimè, & rationabilitèr ſuſpecti, quod non reddent Dominis, non ſunt in reſtitutione præferendi Dominis, ſicuti non ſunt præferendi fures; Deindè reſtituere non Domino ſuſpecto, quod eas ſit alienaturus in præiudicium Domini, eſt dare gladium furioſo, & bona alterius tradere furi. Si verò illa bona ſint fructus beneficij, & ſit ſuſpicio rationabilis, quod beneficiarius detractis ijs, quæ ſunt neceſſaria ad congruam ſui ſuſtentationem, ſit diſſipaturus in cauſas nō pias, tunc DD. in varias, eaſque contrarias abeunt opiniones; ex ijs etenim, qui aſſerunt beneficiarios eſſe ſimplicitèr adminiſtratores huiuſmodi redditũum exceptis *ijs*, quæ ſunt neceſſaria ad congruam ipſorũm ſuſtentatiōnē alij aſſerunt non eſſe reddendos eiſdem beneficiarijs ſtante illa ſuſpitione futuræ diſſipationis, ſeu alienationis in alios vſus ab ijs, qui ſunt pij, quandòquidem tunc foret potius diſſipator, quam diſpenſator, & tunc militaret eadem ratio, quæ militat quoad bona immobilia, ſeu quoad mobilia pretioſa; alij è contrà aſſerunt eiſdem beneficiarijs eſſe abſolutè reddendos, inter quos *Nauarrus in manual. c. 17. num. 29.*, niſi beneficiarius ſit ſuſpenſus, neque ei coadiutor ſit datus, quod probat *ex d. c. veritatis de dol. & contum. & c. venerabili de officio deleg.*; Illi verò, qui abſolutè aſſerunt, eſſe beneficiarios Dominos huiuſmodi fructuum, ſeu redditũum, inter quos *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 15. & ſeqq.* docent ſimplicitèr eſſe tales redditus, ſeu fructus beneficiorum eiſdem reſtituendos, qui ea ratione mouentur, quia nullus eſt re ſua priuandus ob prodigalitatem, vel aliam malam adminiſtrationem; atque huic opinioni ſuppoſito pro nunc dominio huiuſmodi redditũum in beneficiario, quod tamen alibi examinabitur, tanquam probabiliori adhærendum exiſtimo.

Quid de fructibus beneficij, quādo eſt ſuſpicio, quod beneficiarius nō ſit expēſurus in cauſas pias.

PRÆNOTIO IV.

Quantum debeat reſtitui ad plenè ſatisfaciendum.

SVMMARIVM.

Ad ſatisfaciendum iuſtitiæ commutatiuæ tantum eſt reſtituendum, quantum ablatum eſt. 1.

Hæc quantitas deſumenda eſt ſecundum inæqualitatem poſitam per iniuſtam actionem. 2.

Debet ſumi ſecundum valorem, quem res fuiſſet habitura, ſi non fuiſſet ſublata. 3.

Ad ſatisfaciendum iuſtitiæ vendicatiuæ, aliquando plus debet reſtitui, quam ablatum ſit. 4.

Pluribus concurrentibus ad quid ſinguli teneantur? 5.

Si concurrerint tum partialitate cauſæ, tum effectus tenentur ſolum ad ratam. 6.

Si concurrerint totalitate cauſæ, & effectus ſinguli tenentur in ſolidum. 7.

Si condonet principali, alij minus principales deobligantur. 8.

Si condonet minus principali, principalior non deobligatur. 9.

Si condonet vni ex principalibus, cæteri aquè principales non intelliguntur deobligati, ſicut ſi condonet vni ex minus principalibus, cæteri minus principales non deobligantur. 10.

Poteſt

Poteſt agere aduerſus alios in caſu, quo vnum tantum liberauerit, & cæteri non intelligantur deobligati. 11.

Si creditor vni ex debitoribus æquè obligato debitum remiſerit per promiſſionem præciſè ipſum non vexandi nullo recepto pro tali remiſſione, & alter vexatus ſatisfecerit, poteſt hic agere aduerſus illum, quem creditor liberauit ad conſequendam illius portionem. 12.

Si alter fuerit abſolutè liberatus, & alter ſit impotens, tertius non tenetur, niſi ad ſuam portionem. 13.

Si vnus concurrerit partialitate cauſæ, & totalitate effectus non tenetur, niſi ad partẽ. 14.

NOn eſt hic ſermo de quantitate, quę obliget ad reſtitutionem ſub onere grauis peccati, quandòquidem de hac fusè actum fuit in pręcedentibus, ſed de quantitate, quæ ſuppoſita læſione neceſſaria eſt ad conſtituendam æqualitatem, quam iuſtitia reſpicit; pro quo aduerte, cum in iniuſta actione, ſeu in actione furtiua non ſolum lædatur iuſtitia commutatiua propter inæqualitatem, quæ conſtituitur inter lædentem, & læſum, ſed etiam quodamodo iuſtitia legalis propter iniurioſam acceptionem, ideo hic controuertendum remanet, quantum retribui debeat, vt ſatisfiat iuſtitiæ commutatiuæ, & quantum vt ſatisfiat iuſtitiæ vindicatiuæ. Porro cum multi, quandòque concurrant ad iniuſtam læſionem, inquirendum remanet, quantum vnuſquiſque debeat retribuere, vt ſatisfiat.

1 Debet reſtitui, quã tum ablatum eſt.

Aſſertio I. Ad ſatisfaciendam iuſtitiæ commutatiuæ tantũ debet reſtitui, quantum ablatum eſt *D. Thomas 2.2.q 62. art. 3. Nauarrus in ſumma c. 17. n. 27. & alij communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia tunc ſatisfit iuſtitiæ commutatiuæ, quando redditur ad æqualitatem, quod inæqualitèr ablatum eſt, ſed quando tantum reſtituitur, quantum ablatum eſt, reducitur inæquale ad æqualitatem, ergo tunc fit ſatis iuſtitiæ commutatiuæ.

2 Hæc quãtitas deſumenda eſt ad inęqualitatẽ poſitã per iniuſtã actionem.

Hoc, *tantum*, quod dicitur reſtituendum ad conſtituendam æqualitatem requiſitam à iuſtitia commutatiua ſemper eſt ſumendum cum proportione ad inæqualitatem poſitam per iniuſtam actionem, adeò vt, ſi quantitas damni, vel debiti ſit certa, neceſſe ſit, vt tantundem reſtituatur; ſi verò quantitas damni ſit incerta tantum ſit reſtituendum, quantum computata incertitudine debiti, vel damni adæquat ipſum damnum, ſeu debitum; hæc autem computatio incertitudinis debiti cum ipſo debito ad taxandum, quantum reſtitui debet, fieri debet arbitrio boni, & prudentis viri, qui conſideratis omnibus circunſtantijs rei, temporis, loci, & perſonæ arbitretur *arg. l. certi conditio ff. de rebus creditis, & in princip. Inſtit. de verbor. oblig. & l. 1. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt*, qui bonus, & prudens vir taxare debet ad æqualitatem rigoroſam, ſi fieri poteſt, ſin minus ad talem, quæ proprius accedat ad ipſam *arg. l. fideicommiſſa §. quanquam ff. de legat. 3. & c. quintauallis, & c. veniens de iure iur.*

3 Debet ſumi ſecundum valorem, quẽ res fuiſſet habitura.

Rurſus hoc, *tantum*, comparatiuè, ad quantum ablatum eſt, debet ſumi non præciſè ſecundum valorem, quem dicit actu res ipſa ablata, ſed etiam ſecundum illum, quem dicit in potentia, adeò vt non ſolum reſtituatur ſubſtantia rei, aut quid æquiualens ſubſtantiæ, ſed etiam compenſetur lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſic v. g. qui ſcribæ calamum, ſutori acum furatur, non ſatisfacit calamum, aut acum præciſè reſtituendo, ſed debet ſimul reparare ceſſationem lucri, & emerſionem damnorum ex tali furto ſecutorum; vndè etiam licet res huiuſmodi ex ſe præciſè ſint materia leuis, nec præbeant rationabile fundamentum grauis indignationis, ratione tamen lucri ceſſantis, & damni emergentis poſſunt eſſe materia grauis, & inducere obligationem reſtitutionis ſub læthali; Rurſus, qui conculcat ſemina, arboreſque præſcindit, non ſatisfacit, niſi vltrà rerum ſubſtantiam fructus, ſeu valorem fructuum, qui inde ſperabantur, reſtituat iuxtà æſtimationem prudentis viri, qui debebit deducere expenſas, & quantitatem illam proportionalitèr, ſecundum quam communitèr minoris valoris æſtimatur res in ſpe, quam res in actu propter impedimenta, quæ poſſunt ſpem minuere, vel fortè etiam irritare.

Aliud dubium remiſſiuè.

Hic latè diſputant DD., an, ſi res ablata non amplius remaneat in ſua ſpecie, ſed fuerit conſumpta ab iniquo detentore, ſeu raptore, quæ tamen diuerſum valorem habuerit pro tempore ablationis, conſumptionis, & reſtitutionis, ſit reſtituenda ſecundum valorem, ſiue maiorem, ſiue minorem, quem habebat pro tempore ablationis, an verò pro tempore conſumptionis, an pro tempore reſtitutionis? Sed, quia de hac controuerſia nos ſupra latè egimus ſecundum varias conſiderationes, & diſtinctiones ibi habitas, ideo ad præacta pro reſolutione vos remittimus.

4 Ad ſatiſfaciẽdum iuſtitiæ vindicatiuæ aliquãdo plus debet reſtitui, quam ablatũ ſit.

Aſſertio II. Ad ſatisfaciendum iuſtitiæ vindicatiuæ, aliquando plus debet reſtitui, quam ablatum eſt. Conſentiunt communitèr DD. *cum D. Thoma 2.2.q.62. art. 3.*

Digitized by Google

Ratio ex eo deducitur, quia leges pænales, quæ per publicam poteſtatem inductæ ſunt ad deterrendos homines ab iniuſtis, & iniurioſis acceptionibus iuſtæ ſunt, & legitimæ, & per conſequens obligatoriæ in vtroque foro, ſed quandòque aduerſus huiuſmodi iniuſtos raptores latæ ſunt pænæ obligantes ſupra id, quod ablatum eſt, vt habetur in illo Exodi 22. *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno reſtituet, & quatuor oues pro vna oue*, & licet *D. Thomas loc. cit. ad primum* aſſerat illam pænam poſt Chriſti aduentum obolitam eſſe, cum nemo amplius obligetur ad obſeruantiam iudicialis præcepti, aſſerit tamen quod idem, vel ſimile poſſit ſtatui in lege humana, de qua erit eadem ratio, & de facto in iure ciuili, & canonico ſimiles pænæ reperiuntur diſpoſitæ; Verum tamen eſt, vt plurimum non eſſe obligationem in conſcientia ad talem reſtitutionem excedentem, niſi poſt ſententiam condemnatoriam Iudicis, cum leges pænales, vt plurimum non obligent ad ſubeundam, ſeu exequendam in ſe ipſo pænam ante ſententiam, prout communius docent Theologi in quæſtionibus de legibus.

Non eſt obligatio in conſciẽtia, niſi poſt ſententiam.

5 Pluribus concurrẽtibus ad quid ſinguli teneantur.

Aſſertio III. Pluribus ſimul concurrentibus ad idem damnum inferendum partialitate tam cauſæ, quàm effectus non eſt onus reſpectu ſingulorum reſtituendi in ſolidum, ſed tantum pro rata; concurrentibus verò pluribus totalitate, tum cauſæ, tum effectus ſinguli tenentur in ſolidum; concurrentibus verò pluribus totalitate effectus, ſed partialitate cauſa probabilius ſinguli non tenentur in ſolidum, ſed tantum pro rata. Ità in vniuerſum ſentit *Emmentiſs. de Lugo in 2. 2. D. Thomæ diſp. 19. ſect. 2. §. 5., & alij apud ipſum*. Pro intelligentia

Modi quibus plures poſſũt concurrere.

Aduerte, tripliciter poſſe plures concurrere ad idem damnum inferendum; primò, quatenus ſinguli concurrunt partialitèr tum partialitate cauſæ, tum partialitate effectus, quatenus ſcilicèt vnus ex illis, nec alios ad effectum illum damnificationis cauſandum moueat, nec totũ effectum per ſe ipſum cauſet, hoc potiſſimum contingeret, quando plures ad inuicem non commoti, ſed vnuſquiſque ex proprio motiuo vineam alienam ingrederentur, & ſinguli per ſe partem fructuum, ſeu vuarum ab illa aſportarent; Secundò, quatenus ſinguli concurrunt, tum totalitate cauſæ, tum totalitate effectus; totalitate effectus, quatenus ſingulis totus effectus correſpondet; totalitate cauſæ, vel poſitiuè, quatenus quilibet concurrat modo per ſe ſufficienti ad ponendum totum effectum, vt contingit in duobus, qui ſimul læthali vulnere alterum afficiunt, item in duobus, quorum ſinguli ſimul ponunt ſufficiens conſilium ad idem furtum ponendum, vel negatiuè, quatenus licet quilibet non ponat concurſum ex ſe ſufficientem ad effectum, quilibet tamen ponit concurſum, quo ſublata non poneretur effectus, ſicque dicitur cauſa totalis effectus quodamodo negatiuè, quatenus poteſt effectum totalitèr impedire, ità contigit in eo, qui per ſuum ſuffragium concurrit ad inferendum damnum iniuſtum. Tertio, quatenus ſinguli concurrunt partialitate cauſæ, ſed totalitate effectus, quando ſcilicèt quilibet concurrit ad totum effectum, non tamen mouet alias cauſas ad talem effectum concauſandum, immo nulla alia cauſa ſuperaddita adhuc aliæ cauſæ talem effectum cauſaſſent, etiam ſi illa non concurriſſet; hoc contingeret in eo, qui iam omninò furari paratis furtum conſuleret, & commendaret.

6 Si concurrerint partialitate cauſæ, tum effectus teneẽtur ſolum ad ratam.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ad ſatisfaciendum iuſtitiæ commutatiuæ in reſtitutione rerum alienarum, ſeu damnorum alijs illatorum ſufficit, quod tantum retribuatur, quantum ablatum eſt; ſed in hypotheſi huius primæ partis aſſertionis cum quilibet concurrerit tantum partialitate cauſæ, & effectus, reſtituendo præciſè partem, quam abſtulit, ſeu in qua damnificauit, tantum reſtituit, quantum abſtulit, vel in quanto damnificauit, ergo &c. Minor probatur, quia in ordine ad reliquas partes effectus ipſe nullatenus concurrit cum ipſe in tales partes nullam actionem exercuerit, nec Phyſicam, nec moralem, cum alias cauſas ad hoc non mouerit. Ex quibus deducuntur ea, quæ ſupra dicebantur, quod ſcilicèt, ſi plures eandem vineam ingredientes eandem deuaſtauerint, nec tamen adinuicem conuenerint, nec ſibi auxilium, conſilium præſtiterint, non teneantur ſinguli in ſolidum, ſed tantum pro rata quoad illam ſcilicèt partem, in qua quiſque ſecundum ſe damnificauit.

7 Si cõcurrerint, tũ totalitate cauſæ, & effectus ſinguli tenentur in ſolidum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia qui totalitate cauſæ, & effectus ad damnum concurrit formalitèr, & æquiualentèr, ità ſe habet, ac ſi ſe ſolo totum damnum inferret, ergo tenetur ad reſtitutionem æquè, ac ſi ſolus damnum intuliſſet; quod intellige procedere ex ſuppoſitione, quod cæteri, qui ſimul concurrerunt, aut non poſſint, aut nolint concurrere ad damni reparationem. Verum quidem eſt, quod ità in integrum reſti-

reſtituenti competit deindè ius in ſingulos ex ſocijs exigendi ab ijs pro rata portione damni illati; & hi ſoluti ab obligatione reſtituendi Domino, cui primum damnum illatum erat, tenentur reparare damnum paſſum ab eo, qui integrè reſtituet.

Nonnulla dubia excitata. Circa hanc ſecundam partem aſſertionis nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi. Prima eſt, an, ſi Dominus, cui damnum illatum eſt condonarit alteri illorum, qui damnum totalitèr totalitate cauſæ, & effectus ſibi intulit, cæteri, qui cum illo eodem modo concurrerunt ad tale damnum intelligantur deobligati ab onere reſtituendi. Secunda ex ſuppoſitione, quod per condonationem vni factam cæteri non deobligarentur, an Dominus poſſit contrà eoſdem agere pro toto debito, ſeu pro compenſatione totius damni illati.

In ordine ad primam ſecundum varias conſiderationes dirimenda res eſt; vel etenim Dominus condonat auctori principali, vel condonat minus principali, ſi vterque teneatur in ſolidum licet vnus principalitèr, alter tantum in ſubſidium. Rurſus, vel condonat vni æquè principali, dum alij æquè principalitèr obligantur; vel condonat ex debitoribus ſecundarijs vni dumtaxat nulla facta expreſſa mentione condonationis reſpectu

8 Si condonet vni principali alij minus principales deobligantur. aliorum. Quibus poſitis conſiderationibus reſpondeo primò, quod, ſi condonet principali debitori, alij minus principales intelliguntur deobligati. *Medina C. de rebus reſtituendis q. 8. dub. 3., Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 3. in fine, Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 13. dub. 8. nu. 57.* Ratio ex eo deducitur primò, quia illa condonatio habet vim æquiualentis ſolutionis factæ à principali debitore, ſed ſoluente principali debitore actu cæteri minus principales intelliguntur deobligati, ergo eodem virtualitèr, ſeu æquiualentèr ſoluente per acceptilationem, ſeu condonationem debiti factam à creditore, alij minus principales erunt ab onere ſoluendi deobligati. Accedit, quod minus principales tenentur tãtum in ſubſidium principalis, ergo eodem principali liberato per condonationem ſibi factam à creditore liberati etiam cenſendi ſunt minus principales, qui eidem principali accedunt.

9 Si condonet minus principali autor principalior non deobligatur. Reſpondeo ſecundò, ſi creditor, ſeu læſus condonarit minus principali non intelligitur liberatus auctor principalior. Conſentit *Leſſius loc. cit. num. 58.* Ratio ex eo deducitur, quia principalis non accedit minus principali, ſicuti iſte accedit illi, ſeu obligatio iſtius dependet ab obligatione illius, ergo liberato per condonationem minus principali non intelligitur liberatus ab onere compenſationis, ſeu reſtitutionis principalis debitor, ſeu damnificator. Confirmatur ex ijs, quæ diximus *tom. 2. ſub tit. Contract. V. de cambijs II. Diſquiſ. IV. §. V. n. 3. & ſeqq.* nempè, quod liberato, ſiue per condonationem, ſiue per conuentionem vno ex fideiuſſoribus obligato cum alijs in ſolidum non intelligantur deliberati cæteri fideiuſſores, prout colligitur ex textu *in l. ſi ſtipulatus eſſes §. ſi ex duobus ff. de fideiuſſoribus*, quamuis liberato principali debitore intalligantur deobligati omnes fideiuſſores, quantumuis eſſent obligati in ſolidum, & hoc non alia ratione, niſi, quia obligatio fideiuſſorum eſt dependens ab obligatione principalis debitoris, non ſic obligatio vnius fideiuſſoris dependet ab obligatione alterius, ergo deobligato vno ex debitoribus minus principali, non intelligetur deobligatus magis principalis. Reſpondeo tertiò, ſi creditor, vel læſus condonarit vni ex principalibus, reliqui æquè principales, qui æquè primo cum illo concurrerunt ad damnum, non intelliguntur liberati ab onere ſoluendi, ſicuti etiam ſi condonarit vni ex ſecundarijs, non intelliguntur alij æquè ſecundarij liberati ab illo onere. Conſentit in vniuerſum *Leſſius loc. quo ſupra nu. 59.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia obligationes illorum adinuicem cum proportione comparatæ non ſunt ab inuicem dependentes, ergo vno ex ijs liberato non intelliguntur cæteri deobligati. Confirmatur, quia creditor, ſeu læſus ex vi crediti, ſeu læſionis liber eſt ad agendum contrà quemcunque voluerit, cum ſinguli intelligantur obligati in ſolidum, ergo altero omiſſo poterit contrà alterum agere ad compenſationem. Conſequentia probatur, quia per liberationem vnius alios æquè obligatos non eximit ab obligatione; poteſt enim cedere iuri in ordine ad vnum, & illud firmare in ordine ad alterum.

10 Facta cõdonatione vni ex principalibus cęteri æquè principales non deobligãtur.

In ordine ad ſecundam dicendum eſt, quod quando per liberationem vnius ex debitoribus alij non intelliguntur liberati poſſit creditor contrà eoſdem non liberatos agere ad compenſationem integri crediti, ſeu totius damni ſibi illati, ſi liberauerit præciſè ſub promiſſione non intentandi actionem aduerſus ipſum, ſecus, ſi abſolutè remiſſerit debitum eidem. Conſentiunt communitèr. Ratio ex eo deducitur, quia omnes illi intelliguntur obligati in ſolidum, ergo per promiſſionem vni factam de non agendo contrà ipſum non demitur ius, quod habet creditor

11 Quando poſſit agere aduerſus alios.

ditor

Digitized by Google

Ratio adducta in ipſa ratione dubitandi hoc efficacitèr euincit; & merito ſubdit idem Leſſius, quod creditor triplicem quodamodo remiſſionem faciat; alteram abſolutè eidem Theodorico partis ſcilicèt, quam ipſe ſoluere deberet, ſi alij ſoluerent; alteram, ſi ex tribus, qui concurrerunt ad damnum, vnus impotens eſſet ad ſoluendum quoad dimidium eius, quod ille impotens deberet perſoluere; alteram tandem totius vtroque ſocio reddito impotente ad ſoluendum. Tertio ratio dubitandi, an, ſi vni ex tribus debitoribus, ſeu æquè primo damnificantibus non facta fuerit condonatio, ſed ipſe in integrum reſtituerit, teneantur alij ipſi contribuere. Procedit hæc difficultas in caſu v. g., quo tres latrones v. g. concurrerint ad damnum alteri inferendum, quorum alter pænitentia ductus totum damnum compenſauerit damnificato, & ſic quæritur, an alij duo teneantur erga reſtituentem ad ſuam congruam portionem. Qua in difficultate procedendum eſt cum diſtinctione, vel etenim quilibet parte rerum, in qua damnificatus eſt Dominus, potitus eſt, vel alter nullam partem illarum rerum aſſecutus eſt, vel tandem, nec ille, qui reſtituit, gauiſus eſt re aliqua, nec alij, qui non reſtituerunt, ſed omnes ſimul v. g. diruerunt domum, vel prædam abiecerunt in flumen; ſi primo modo res procedat non eſt dubium, quin omnes teneantur pro ſua portione, quandòquidem omnes gauiſi ſunt ſua parte, nec vnus tenetur pro parte alterius; ſi ſecundo modo res procedat; tunc ille tantum, qui re potitus eſt, tenetur ad reſtitutionem, & non alij, quo fit, ſi ipſe integrè reſtituerit, quod nullam habeat actionem aduerſus alios, qui non participarunt in re illa, cum talis actio non oriatur, nec ratione rei acceptæ, cum alij rem illam, nec in parte habuerint, nec ratione iniuſtæ acceptionis, nam ratione iſtius ſolummodo tenentur verſus Dominum, non reſpectu alterius, cum quo concurrerunt ad damnum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex eo, quod ille integralitèr perſoluerit, ſeu ſatisfecerit Domino pro toto damno eidem illato, acquirat omnes actiones, quas Dominus ipſe habere poterat, inter quas aderat actio, qua Dominus alios omnes conuenire poterat pro damno ſibi illato; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia actio Domini licet poſſet dirigi in ordine ad quoſcunque, qui ad damnum concurrerunt erat ſolummodò in ordine ad reſtitutionem rei ſuæ, ſeu compenſationem damni illati, qua conſecuta à quocunque ex illis ceſſabit in ordine ad alios, & ſic accepta illa compenſatione Dominus non poterat cedere actionem aduerſus alios, qui rem non habuerunt, ſaltem efficacitèr, cum illi poſſent elidere talem actionem exceptione, quod ratione rei acceptæ ipſe reſtituens teneretur pro integro ſatisfacere; Si tertio modo res procedat; tunc adhuc diſtinguendum videtur, vel etenim ille, qui reſtituit alios mouit ad damnificandum, ità vt ſine ipſius ſuaſu non damnificaſſent; & tunc *Sotus lib. 4. de reſtit. q. 7. art. 3. in fin., & Caietanus apud eundem Sotum ibi* arbitrantur, & merito ipſo reſtituente reliquos ad nihil teneri; cum obligatio reſpectu ipſorum non oriatur, nec ratione rei acceptæ, cum nullum fructum perceperint, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum ille fuerit tota cauſa illius damnificationis, ſeu iniuſtæ actionis; vel ille, qui reſtituit alios non mouit, ſed omnes ſua ſpontè illi ſceleri ſe obtulerunt; & tunc abſolutè crederem alios teneri pro ſua portione verſus primum reſtitutorem, quia omnes ſunt pares in illo delicto, nec ille ſupra alios tenetur ratione rei acceptæ, cum nemo acceperit, ſed omnes deſtruxerint. Hoc tamen vnum pro complemēto aduertendum eſt, quod, ſi ille, qui reſtituit in caſu, quo nemo fructum perceperit, ſed omnes deſtruxerint, vel rem combuſerint, alios ſuaſionibus mouerit non diſpoſitos ex ſe ad damnificandum, ita tamen, vt ſi ipſi ſuaſionibus moti non concurriſſent, nec ipſe damnificationem aggreſſus fuiſſet, tunc non videantur eximi in ordine ad Dominum ab onere alicuius portionis, & etiam in ordine ad totum, ſi mouens fuerit impotens ad compenſationem. Ratio eſt, quia ipſi, quantumuis ab alio moti verè concurrerunt ad damnum Domini, adeòque Dominus ius habet aduerſus ipſos ſaltem in ſubſidium. Dixi *in ordine ad Dominum*, nam in ordine ad reſtituentem principalem, qui mouit, ſi ipſe reſtituerit, moti ad nihilum videntur teneri propter rationem ſuperius adductam, quia ſcilicèt mouens fuit tota cauſa damni.

Aliud dubium excitatum.

Secūdum varias cōſiderationes dirimitur.

Satisfit ſingulis.

Ratio tandem tertiæ partis ex eo deducitur, quia obligatio reſtitutionis oritur ex cauſalitate in damnum, ergo ex cauſalitate partiali damni non videtur oriri poſſe obligatio totalis reſtitutionis, nec videtur aſſignari poſſe ſufficiens ratio, cur defectus integritatis in effectu eximat ab obligatione integræ reſtitutionis, & ab eadem obligatione non eximat defectus integritatis in cauſalitate. Verum tamen eſt, quod iuxtà ſuperius poſitam explicationem cauſæ partialis, prout pertinet ad preſens inſtitutum, non videa-

14 Si vnus concurrerit partialitate cauſæ, & totalitate effectus, non tenetur, niſi ad partem.

Digitized by Google

videatur oriri poſſe obligatio reſtitutionis, cum etenim iam ſupponatur alia cauſa parata, & diſpoſita ad executionem effectus, eadem cauſa partialis ſuperueniens non videtur efficax ad illum effectum, cum independenter ab ipſa eſſet ponendus; Procedit igitur ſolum in hypotheſi, qua cauſa illa ſuperueniens, quæ in præſenti dicitur partialis, moueret ad aliquam circumſtantiam, quæ eſſet damnoſa in aliquo pretio æſtimabili, vel ipſa non ſolum moralitèr per conſilium, vel ſuaſiones, ſed etiam Phyſicè per actionem, ſcilicèt realem, & Phyſicam concurreret ad illud damnum, illud ſimul exequendo cum alia cauſa iam antecedenter diſpoſita.

PRÆNOTIO V.

Quomodo facienda ſit reſtitutio.

SVMMARIVM.

Aſſignatur diuerſitas modi, quo fieri poteſt reſtitutio. 1.

Reſtitutio facienda eſt tali modo, vt damnum conuenienter reparetur. 2.

Pro damno occultè illato facienda eſt reſtitutio occultè, & per alium. 3.

Si non poteſt fieri ſine detectione occulti raptoris poteſt differri donec &c. 4.

Si læſio facta fuerit per rapinam, & violentiam publicam non ſufficit reſtitutio per redditionem accepti, ſed etiam petenda eſt venia. 5.

Si debitor alteri dederit rem Domino reſtituendam, & hæc pereat ante reſtitutionem, quandòque liberatur, quandòque non. 6.

Liberatur, ſi debitor tradiderit ei, quem Dominus miſit ad accipiendum. 7.

Liberatur, ſi rem cuius dominium perſeuerabat penes creditorem adhuc extantem tradiderit confeſſario, quem fidelem reputabat deferenda creditori, cum ipſe ſine infamia non poſſet deferre, & perierit. 8.

Re non extante, ſi confeſſarius defecerit, ſententia aſſerens debitorem liberari. 9.

Sententia negans liberari. 10.

Si res iniuſtè à debitore fuerit ablata, & ab eodem conſumpta reſtituenda eſt per eundem debitorem in æquiualenti. 11.

Si fuerit iuſtè accepta perijt debitori. 12.

Non liberatur debitor, ſi remittat per internuntium non reputatum fidelem. 13.

Etiam ſi hic fuerit confeſſarius. 14.

Remiſſio debiti facta à creditore, ſi ſit facta per preces, & ſuaſiones, quandòque eximit debitorem à debito, quandòque non, facta verò per vim, & fraudem nunquam eximit. 15.

Si creditor fuerit deceptus quoad expreſſionem minoris quantitatis remiſſio inualidatur quoad totum 16.

Vis inducitur ſufficientèr per metum cadentem in conſtantem virum. 17.

Item per preces inductas à Principe reſpectu ſui ſubditi. 18.

Quomodo validè poſſit Princeps inducere vim, & in ordine ad quæ debita. 19.

Quomodo, & quando immediatè poſſit Princeps remittere debitum. 20.

Ad validam remiſſionem non requiritur, vt prius pecunia debita præſens offeratur creditori, antequam petatur remiſſio. 21.

Tenet remiſſio, quantumuis debitor illam petens non haberet animum reſtituendi, ſi negaretur. 22.

EX diuerſis cauſis, ex quibus oriri poteſt obligatio reſtitutionis, etiam diuerſus modus reſtituendi poteſt prouenire; vel etenim debitum eſt ex contractu, vel ex delicto, ſi ex delicto, vel delictum illud, ex quo oritur obligatio, eſt occultum, vel manifeſtum. Rurſus, ſiue ſit ex contractu, ſiue ex delicto, vel eſt ratione bonorum incertorum, ſeu incerti Domini, vel ratione bonorum certorum, quorum ſcilicèt certus Dominus non ignoratur. Rurſus, vel eſt circa bona fortunæ, vel circa bona famæ, & honoris, & ſi circa bona famæ, & honoris, vel prouenit ex iniuſta læſione per manifeſtationē delicti occulti, vel per impoſitionem criminis falſi, ſi verò circa bona fortunæ, vel proueniret ex delicto immediato, vel mediato. De modis quibus in his omnibus caſibus facienda ſit reſtitutio agetur in præſenti, ſed hic non erit agendum de modo reſtituendi res incertas, nec de modo reſtituendi famam, & honorem, cum de primo egerimus *ſub hoc eodem tit. de Reſtitutione II. Prænot. III. aſſert. 3. vſque ad finem*; de ſecundo verò item *ſub hoc eod. tit. de reſtitut. II. prænot. 1. aſſert. 2.*, & alibi ſparſim.

1 Aſſignatur diuerſitas modi, quo fieri poteſt reſtitutio.

Nec ſolum ex diuerſitate cauſarum, ex quibus prouenit onus reſtitutionis, oriri poteſt diuerſitas modi in reſtituendo, ſed etiam ex voluntate reſtituentium, diuerſimodè quandòque fit reſtitutio; vel etenim reſtitutio fit immediatè per ipſam perſonam obligatam, vel per interpoſitam perſonam; quo in caſu oritur ratio dubitandi, an, ſi quis debitor tertiæ perſonæ tradiderit pecuniam reſtituendam creditori, & tertia illa perſona malitioſe non reſtituerit, valeat reſtitutio, quantum ad effectum deobligandi ipſum debitorem ab onere iteratæ ſolutionis; vel reſtitutio fit non per ipſam veram, & realem ſolutionem, ſeu vt alij loquuntur in numerata pecunia, ſi debitum fuerit pecu-

Poteſt prouenire etiam ex voluntate reſtituentium.

nia-

Digitized by Google

niarium, vel per ſolutionem non formalem, ſed æquiualentem, nempè per remiſſionem factam, & in hoc caſu oritur ratio dubitandi, an remiſſio, quocunque modo facta, vel propter importunas preces, vel propter vim, & fraudem, vel etiam cum libertate ſemper liberet debitorem à debito.

2 Reſtitutio faciẽda eſt tali modo, quo conuenientèr damnũ reparetur.

Aſſertio I. Reſtitutio facienda eſt tali modo, quo conuenientèr damnum illatum reparetur. Conſentiunt communitèr *Caietanus in ſumma verb. reſtitutio c. 7., Gabriel in 4. diſt. 15. q. 2. dub. 2., D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 4. §. 1., Medina C. de reſtitutione q. 2. fol. 7.*

Non difficilis eſt probatio huius aſſertionis, quandòquidem reſtitutio eſt actus veræ, & perfectiſſimæ virtutis, ſed virtus debet tendere in ſuum obiectum benè, & conuenientèr, ergo reſtitutio debet fieri modo conuenienti; rurſus eſt actus cõmutatiuæ iuſtitiæ intendentis æqualitatem, ſed eo ipſo, quo damnum reparatur, & res ablata in Domini poteſtatem reddit ponitur æqualitas, ergo &c. Hæc, quæ dicuntur æquè procedunt, ſiue reſtitutio facienda ſit ex cauſa contractus, ſiue ex cauſa delicti, quia ſemper eſt actus virtutis, & commutatiuæ iuſtitiæ.

3 Damnum occultè illatũ reparandum eſt occultè, & per alium.

Hic ſolum remanet explicandus in particulari modus, quo facienda eſt reſtitutio ex cauſa delicti occulti; Dicendum quippè eſt, reſtitutionem ità fieri debere, vt læſus perfectè reintegretur, & lædens infamia non afficiatur, quamobrem fieri debet occultè, & per alium, prout docet *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. n. 2.* qui pro ſe allegat *Scotum in 4. diſt. 15. art. 4. q. 4. §. de quarto ſub lit. D. verſ. ſi quæras, & verſ. vnus ſpecialis, D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 6. ad ſecundum, Bartholomæum Medinam lib. 1. ſummæ c. 14. §. 30. verſ. la ſexta Cabeca;* nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem reſtitutio non eſt facienda cum maiori damno reſtituentis, quando modus vitandi talis damni ſimul cum reintegratione creditoris non ſuppeteret, ergo, ſi poteſt fieri reſtitutio per tertiam perſonam ſine infamia debitoris, vtique hoc modo facienda eſt, vt fiat modo conuenienti, ex quo merito deducit *Petrus à Nauarra d. lib. 4. de reſtitutione c. 5. nu. 2.,*

4 Si non poteſt fieri ſine detectione occulti raptoris poteſt differri reſtitutio.

quod, ſi nec per tertiam perſonam fieri poſſit ſine detectione debitoris, differri poſſit ad tempus, quo ceſſet dictum inconueniens, quod aſſerit colligi *ex c. qui per alium de reg. iur in 6. & c. ſi peccauerit 2. q. 1. verſ. non dico;* & *D. Thomas 2. 2. d. q. 62. art. 6. ad ſecundum* rationabilitèr aſſerit, quod *homo, & ſi non teneatur crimen ſuum detegere hominibus, teneatur tamen crimen ſuum detegere Deo in confeſſione, & ità per Sacerdotem, cui confitetur, poteſt reſtitutionem facere rei alienæ*, vbi indicat ſpecialem modum reſtituendi ſine infamia perſonæ, quæ occultè læſit.

5 Pro delicto publico vltrà rationem accepti petenda eſt venia.

Rurſus remanet explicandus modus, quo facienda eſt reſtitutio ex cauſa delicti publici, ſeu manifeſti, an ſcilicèt ſufficientèr ſatisfiat per redditionem rei acceptæ, an verò ad conuenientèr ſatisfaciendum requiratur aliquid aliud; Sentiendum exiſtimo, quod, ſi læſio facta fuerit per rapinam, ſeu violentiam, non ſufficiat reſtitutio per redditionem accepti, ſed vlterius à lædente ſit petenda venia ratione iniuriæ admixtæ. *Petrus à Nauarra lib. 4. c. 5. n. 23.,* qui etiam citat *Mercadum c. 3., & D. Thomam 2. 2. q. 66. art. 9., Gloſam, & Raimundum in ſumma confeſ. lib. 1. tit. 5. q. 24.* Ratio ex eo deducitur, quia per rapinam non ſolum alicui infertur damnum in rebus, ſed etiam ignominia quædam in perſona lęſa, ergo nedum fieri debet reſtitutio reddendo rem acceptam, vel æquiualens, ſed etiam per ſubmiſſionem, & petitionem veniæ reſtituendo honorem per illam ignominiam læſum; vndè merito *Bartholomæus Medina lib. 1. ſummæ c. 14. §. 30. verſ. la ſexta Cabeca* dicit etiam, quod, ſi peccatum eſt publicum, publicè ſit reſtitutio facienda propter ſcandalum vitandum; ſed hoc procedit ex motiuo præciſè charitatis, ſcilicèt ædificationis, quæ non obligat ad reſtitutionem, non ex iuſtitiæ præcepto, vndè, ſi de facto reſtitutio facta eſſet ſecreta, non eſſet iterum facienda, ſed alitèr ſcandalum reparandum.

6 Si debitor rem alteri tradiderit reſtituendã Domino, & hic non reſtituat, quãdóq; creditor liberatur, quandóq; non.

Aſſertio II. Si Principalis debitor tertiæ perſonæ tradiderit rem alienam Domino reſtituendam, & tertia illa perſona non reſtituerit, vel caſu, vel malitia, quandòque liberatur ab onere vlterioris, ſeu iteratæ reſtitutionis, quandòque non. Conſentiunt ferè communitèr. Fortior probatio præſentis aſſertionis erit in explicatione ſingulorum caſuum, in quibus liberatur, & in quibus non liberatur.

7 Liberatur, ſi tradiderit ei, quem Dominus miſit ad accipiendũ.

Liberatur primò, ſi debitor rem tradat ei, quem Dominus, ſeu creditor miſit ad accipiendum, etiam ſi non ſit fidelis, prout docet *Petrus à Nauarra de reſtit. lib. 4. c. 5. n. 4.* Ratio eſt, quia ex quo creditor miſit ad accipiendum tradito eidem chirographo, vel ipſe miſſus notus eſt debitori, tanquam famulus creditoris, quoque ipſe creditor vtitur ad ſua negotia, & ſimilia peragenda, debet ſibi imputare, ſi ille fugerit, quod illum ad hoc munus deputarit, non debitori, qui non ſua ſponte, ſed cauſa creditoris rem ipſi debitam tradidit illi nuntio. Accedit, quod, cum debitor tradiderit rem debitam

Digitized by Google

perſonæ miſſæ, & deſtinatæ à creditore eo ipſo, quo tradidit, tranſtulit dominium eiuſdem rei in creditorem, cum perindè ſit, ac ſi tradiderit ipſi creditori, cum perſona miſſa eundem creditorem repreſentet, ergo, ſi res illa pereat ex culpa perſonæ miſſæ, quatenus effugerit cum re ſibi tradita, periiſſe creditori cenſenda eſt, non debitori, qui propterea liberabitur ab onere vlterioris ſolutionis.

Liberatur ſecundò, ſi rem, cuius dominium adhuc perſeuerabat penes creditorem, adhuc extantem tradiderit confeſſario, quem fidelem reputabat, deferendam ad creditorem ipſum, cum ipſe

8 Item ſi rē adhuc extantē tradiderit cō feſſario, quem fidelem reputabat.

per ſe ſine propria infamia non poſſet deferre *D. Antoninus part. 2. tit. 2. c. 4 §. 1. Nauarrus in man. c. 17. num. 67., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 5. nu. 10.* Ratio ex eo deſumitur, quia, cum dominium illius rei adhuc permaneat penes creditorem, nec debitor fuerit in aliqua culpa, cum fecerit, quod in ſe eſt, tradendo pro reſtitutione perſonæ, quam omni ex capite fidelem arbitrabatur, cum ei arcana ſui cordis in Sacramentali Confeſſione libere commendaret, vtique, ſi res illa perierit, non debitori, qui prudenter ſe geſſit, ſed Domino, ſeu creditori erit caſus interitus imputandus. Dixi, *ſi rem extantem tradiderit, cuius dominium adhuc perſeueraret penes creditorem*, nam, ſi adhuc

Quid dicendum, ſi res adhuc ipſe non extaret.

res debita in ſpecie non extaret, & propterea dominium non eſſet penes creditorem; tunc diuiſos inuenio DD. quorum aliqui inter quos videntur eſſe *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. ad ſecundum, Scotus in 4. diſt. 15. art. 4. q. 4. §. de quarto ſub lit. D., Gabriel. in 4. diſt. ead. q. 2. dub. 2.*

9 Prima ſententia aſſerens debitorē liberari.

aſſerunt, quod, ſi confeſſarius ipſe ad hoc deputatus non reſtituerit, dummodo pro fideli habeatur ab ipſo debitore, adhuc debitor ipſe immunis remaneat ab onere iteratæ reſtitutionis, quantumuis res ipſa debita in ſpecie non extet, qui omnes meo videri ea ratione mouentur, quia, cum ipſe debitor eximatur ab onere reſtitutionis per ſe ipſum ob periculum infamiæ inde ſecuturæ, fidelitèr, & prudentèr gerit negotium creditoris dimittendo ipſi rem debitam media perſona confeſſarij, qui non ſolum ratione proprij muneris Sacerdotalis, & iudicis ſpiritualis, quo fungitur, habetur pro fideli, & maximè idoneo, ſed etiam communi praxi ſuadente communius eligitur ad exequendum tale munus; vndè creditor ipſe non poteſt eſſe quoad hoc rationabilitèr inuitus, & debet ſaltem implicitè conſentire.

10 Sententia negans liberari.

E contrà alij abſolutè ſuſtinent, quod, ſi res ipſa non amplius extet in ſpecie, & ipſa fuerit tradita à debitore confeſſario, non eximatur ipſe debitor ab onere vlterioris ſolutionis, ſi confeſſarius ipſe non reſtituerit, quantumuis hic pro fideli fuerit habitus; atque iſti ſunt præcipuè *D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 4. §. 1., Angles in flor. Theol. 2. part. q. cui reſtitutio facienda eſt difficult. 10. concl. 2., Nauarrus in manu. c. 17. num. 67., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 5. n. 7.*, qui mouentur tum iure, tum ratione; iure quidem per textum *in c. ſignificante de pignor.*, vbi Pontifex determinat, quod qui per certum, & fidelem nuntium pecuniam debitam creditori remiſit, ſi nuntius per fide egerit, non eximatur ab onere iteratæ ſolutionis; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod in eodem textu iuſtificetur perſona debitoris rem debitam ſincere mittentis. Ibi-- *Cum igitur prædictus debitor, quantum in eo fuit, iuramentum de debito ſoluendo adimpleuit, cum per eum, quem certum nuntium eſſe putebat, remiſerit termino ſtatuto mandamus &c.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis in hoc textu non eſt ſermo de pecunia reſtituenda ex neceſſitate per interpoſitam perſonam ad vitandam infamiam, cum ſit conuentio de eadem reſtituenda inter creditorem, & debitorem interueniente iuramento reſpectu iſtius; vndè quoad hoc idem dicendum erit, quod infra dicetur, dum de reſtitutione palam facienda. Deindè, vt bene notat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. nu. 8.*, textus *in d. c. ſignificante de pignorib.* duo dicit; alterum, quod, ſi pecunia debita creditori remittatur per nuntium, qui fidelis reputabatur, ſit iterum

Rationes pro hac ſecunda ſententia negante.

reſtituenda, ſi nuntius perfide egerit; alterum, quod, ſi oppignorata fuerit domus ſub pacto legis commiſſoriæ cum iuramento reſtituendi pecuniam creditam tempore præfinito, & ſine dilatione per nuntium reputatū fidelem remittat, non incidat in commiſſum; Ex eo autem, quod determinet, quod non incidat in pænam commiſſoriam, non bene ſequitur, quod eximatur ab onere iterum ſoluendi. Ratione item euincitur, quia res illa, ſeu pecunia, cum non ſit illa eadem in ſpecie, quæ fuit accepta, eo vſque remanet ſub dominio debitoris, quouſque non fuerit tradita creditori, ergo, ſi antequam eidem creditori fuerit tradita, perierit abſque culpa etiam eiuſdem debitoris eidem vtique periiſſe cenſenda eſt, cum interitus rei cedat Domino rei. Quid igitur in hac cōtrouerſia concludendum?

11 Si fuerit iniuſtè ablata, & cōſumpta eſt reſtituenda.

Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim res iniuſtè ablata fuit à debitore, & ab eodem conſumpta; vel iuſtè accepta. Iuxtà primum membrum diſtinctionis abſolutè arbitror, debitori,

perire,

Digitized by Google

perire, & ipſum teneri iterum reſtituere. Ratio pro hac parte non ſolum eſt, quia dominium rei, quæ traditur alteri reſtituenda creditori poſt conſumptionem rei ablatæ eſt penes ipſum debitorem, vt probat ſecunda opinio, quæ proindè ipſi perit; ſed etiam, quia, cum fuerit iniuſtè ablata ratione moræ præcedentis, & iniuſtæ acceptionis obligat ipſum debitorem ad compenſationem tanquam moroſum, & iniuſtum acceptorem. Iuxtà ſecundum

12 *Si fuerit iuſtè accepta perijt debitori.* membrum diſtinctionis abſolutè ſentiendum eſt rem perire debitori propter rationes ſuperius adductas, quia cum res ipſa debita in ſpecie perierit, pecunia, quę pro eadem eſt reſtituenda, eo vſque remanet ſub dominio eiuſdem debitoris, quouſque fuerit tradita creditori; ergo, ſi antecedentèr ad talem traditionem creditori perierit, debitori, tanquam Domino perijſſe cenſenda eſt.

13 *Non liberatur debitor, ſi remittat per internuntium, qui pro fideli non habeatur.* Ex aduerſo non liberatur, ſi debitor remittat creditori rem ipſi debitam per internuntium, qui pro fideli non habeatur, & hoc etiam verificatur, ſiue res, quę remittitur ſit eadem in ſpecie, quæ fuit ablata, ſiue non, prout communitèr DD. ſuſtinent, & præcipuè *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitutione c. 5. nu. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia mittens per illum internuntium non fidelem fuit in culpa lata, adeòque interitùs rei ipſi eſt imputandus.

14 *Etiam ſi hic fuerit confeſſarius.* Non liberatur ſecundò, etiam ſi remittat per confeſſarium, qui pro fideli non reputatur; non enim dignitas confeſſarij ipſum eximit à culpa, quam contraxit tradens rem perſonæ, quam ipſe nouit, vt infidelem, & infidelitas ipſa, vt cognita inducit culpam, à qua non eximit dignitas, ſeu qualitas confeſſarij.

15 *Quandonà remiſſio facta à creditore liberet debitorē, & quando non.* Aſſertio III. Reſtitutio, quæ fit æquiualentèr per remiſſionem creditoris de re ſibi debita, quandòque, ſi ſit remiſſio facta per preces, & ſuaſiones, eximit debitorem ab onere vlterioris ſolutionis, quandòque non eximit; ſi verò ſit facta, vel per vim, vel per fraudem nullo modo eximit. Conſentiunt in vniuerſum *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. n. 21., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 16. dub. 2. nu. 34. & ſeqq., Caietanus in ſumma verb. reſtitutio c. 7. Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 4., Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. num. 1., Nauarrus in ſumma c. 17. n. 45. & ſeqq., Gloſa in c. peccatum verb. reſtituatur de reg. iur. in 6., Hoſtienſis in ſumma de vſuris §. quæ pæna verſ. quid ſi*

Ratio primæ partis eſt, quia ipſa remiſſio debiti facta per creditorem debitori eſt ex genere ſuo ſufficiens ad eximendum debitorem ab onere reſtitutionis, ſiquidem, vt bene notat *Leſſius loc. cit.* ſicuti creditor, vt rei ſuæ moderator, & arbiter poteſt debitum, quo alter ergà ipſum premitur, tertio cuidam donare ex propriæ voluntatis arbitrio, ità non eſt, cur non poſſit proprio debitori condonare, non enim qualitas debitoris demit ius creditoris ad cedendum creditum, quod habet verſus ipſum. Verum tamen eſt, quod hæc remiſſio habet ſpeciem donationis, quæ propterea debet eſſe omninò libera, & voluntaria reſpectu remittentis; vt conſentiunt communitèr DD. *Remiſſio habet vim ſolutionis.* Solum hic remanet explicandum, cum dixerimus in aſſertione, quod quando remiſſio facta eſt per preces, & ſuaſiones, quandoque eximat debitorem ab onere reſtitutionis, quandòque non, quandonam preces tollant rationem voluntarij, & quandonam non tollant. Dicendum igitur eſt, quod quantumuis preces fuerint importunæ regularitèr non demant rationem voluntarij, prout docent *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. num. 22., Nauarrus in manual. c. 17. nu. 45. & ſeqq., Caietanus in ſumma verb. Reſtitutio Adrianus in 4. de reſtitut. q. 2. col. 4.*, & nos etiam latè docuimus in quæſtionibus de actibus humanis, vndè remiſſio debiti facta his intercedentibus ſortiri debet ſuum effectum, nec importunitas, qua adhibentur, vim minuit, ſi verè fuerit in remittente animus remittendi, qui animus certè ſupponitur adeſſe, cum nemo melior eſſe poſſit teſtis propriæ voluntatis, quam verbibus, qua exprimitur, prout docent *Caietanus, Nauarrus, & Petrus à Nauarra loc. cit.*; non, inquam, minuit, quia cæteroqui eleemoſinæ impetratæ a pauperibus per importunitatem eſſent reſtituendę, quod nemo aſſeret; Hæc, quæ dicta ſunt, æquè intelligi debent, ſiue preces fuerint eiuſdem impetrantis, ſiue alterius honeſtæ perſonæ, ſiue Confeſſarij in fauorem eius, cui fit remiſſio. *Preces importunæ non tollūt rationem voluntarij.* Dixi, *regularitèr*, quia ſi eſſent preces Principis inducerent quodamodo coactionem, & haberent vim mandati, ſeu iuſſionis, vt docent *Nauarrus loc. cit. n. 46., & Petrus à Nauarra item loc. cit. n. 21.*; in quo caſu certè debitor nō eximeretur in conſcientia ab onere reſtitutionis. *Excipè, niſi eſſent preces Principis.* Ad hanc tamen remiſſionē, vt effectum ſortiatur requiritur, vt remittens poſſit donare, & habeat dominium ſupra rem, quam donat, vndè filius familias non poteſt rem paternam remittere, & ſi remittat defectu poteſtatis, non tenet remiſſio, nec Monachus rem Monaſterijs &c. Item requiritur, vt ſit ex rebus, quæ à iure non prohibeantur remitti; quænam autem ſint, quæ à iure prohibeantur remitti, ſeu donari vide apud *Leſſium lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 2 n. 37. & alios.*

Digitized by Google

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia fraus, dolus, & vis tollunt abſolutè rationem voluntarij, & inducunt quodammodo coactionem, & inuoluntarietatem mixtam, ſiue ex ignorantia, ſiue ex violentia, ergo, ſicuti irritant donationes, etiam irritabunt remiſſiones. Quomodo autem inducantur fraus, dolus, & vis irritantes remiſſionem ex nonnullis caſibus particularibus liquet; & primò, ſi debitor dicat minus ſe debere, quam deberet, certum eſt, quod inducatur fraus, cum, ſi creditor ſciret maiorem quantitatem ſibi debitam, non remitteret, prout docet *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. nu. 21.* Sed, an in hoc caſu valeat remiſſio quoad partem expreſſam, licet irritetur quoad non expreſſam, an verò irritetur quoad totum, diſſidium magnum videtur poſſe eſſe, nam ex vna parte, ex quo eſt deceptio ſolummodo quoad partem, videtur firmari remiſſio quoad partem, in quam deceptus conſentit; ex alia parte, cum remittens ex deceptione, ſeu fraude fuerit inductus ad remittendum, non videtur in aliqua parte remittere liberè, ſeu voluntariè, adeòque remiſſionem illam non deobligare in aliquo debitorem. Probabilius ſentio quoad nihilum remiſſionem illam tenere, & hoc deduco ex præſumpta voluntate remittentis, quandòquidem, ſi ſciuiſſet maius eſſe debitum eo, quod fuit enuntiatum, & ad ipſum decipiendum minorem quantitatem fuiſſe expoſitam, vtique non condonaſſet; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod creditor in illam minorem quantitatem expreſſam conſenſerit, adeòque quoad illam non habere amplius regreſſum, & ſicuti, ſi quis alteri donauerit ſupra id, quod poteſt donare iuribus reluctantibus maiori donationi, non irritatur donatio quoad totum, ſed dumtaxat quoad illum exceſſum per ea, quæ ſparſim alibi commendauimus, ità ſi quis alteri remiſſerit debitũ ſub rapreſentatione minoris quantitatis, cum re vera eſſet maior, intelligi debet quoad effectum remittere in minori illa quantitate expreſſa, non autem quoad exceſſum non expreſſum, quandòquidem ipſa remiſſio eſt ſpecies donationis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia creditor non ſimplicitèr conſentit in illam quantitatem expreſſam, ſed ſolummodò ex ſuppoſitione quid tanta eſſet ſolummodò quantitas debita, & ex ſuppoſitione, quod in illa rapreſentatione non fuerit commiſſa fraus ad ipſum decipiendum; non enim eſt præſumptio, quod voluerit beneficium conferre in eum, qui fraudem aduerſus ſe ipſum commiſſit; nec currit paritas de donatione in maiori quantitate ſupra id, quod poteſt donare, nam qui plura donat, quam poteſt, intellegitur ex propriæ volũtatis arbitrio id, quod poteſt, cum id, quod minus eſt, contineatur in eo, quod maius eſt, ac de remiſſione debiti, quando ex fraude, quid minus expreſſum eſt, quam ſit in ſe, nam in hac hypotheſi cum conſentiat ex falſa rapreſentatione, & fraude in nihilum voluntariè, & liberè conſentire cenſendus eſt, & potuit cedere velle minori quantitati, ſi talis eſſet, & non maiori, adeò vt ſtante exceſſu ſupra rapreſentatum totum velit. Secundo interuenit fraus, ſi debitor dicat, ſe minus poſſe, quam verè poſſit. Tertiò, ſi rapreſentet ſe non tanta æquitate in illud debitum eſſe prolapſum, cum tamen re vera omni iure illud debitum contraxerit; Quarto interuenit metus, ſeu vis, per quam non deobligatur debitor à ſolutione integri debiti, ſi ipſe debitor minetur creditori, quod, ſi de centum, quos debet, non ſit contentus quinquaginta, & in reliquis plenã præſtet remiſſionem, nihil habebit, prout docent *Siluester verb. reſtitutio 7. q. 2. dict. 1. & verb. reſtitutio 2. §. 7., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. n. 21. & alij magis communitèr.* Quid autem ſentiendum ſit, ſi non ipſe debitor, ſed alia tertia perſona honeſta agat, cum creditore dicens *efficiam, quod talis dabit tibi tantum, ſi reſiduum velis ex corde dimittere*, & ipſe creditor ſpondeat, an ſcilicèt debitor per ſolutionem illius quantitatis, de qua conuenit mediator, liberètur à toto debito? Affirmatiuè reſpondendum exiſtimo *cum Silueſtro d. verb. reſtitutio 7. qu. 2. d. primo, Petro à Nauarra loc. cit. nu. 22.*, quia cum omnia ritè eidem creditori fuerint rapreſentata, & ſine vlla coactione videtur remiſſio reſpectu creditoris eſſe omninò libera, & voluntaria.

Fraus, dolus, & vis tollũt rationẽ voluntarij.

Explicatur, quo modo induci poſſit fraus, & dolus, quæ tollãt rationem voluntarij.

16 Si creditor fuerit deceptus per expreſſionẽ minoris quantitatis remiſſio eſt inualida quoad totum.

Nonnulli alij caſus deceptionis exponuntur.

Ex eo autem, quod dixerimus in ſecunda parte huius aſſertionis, non liberari debitorem ab onere ſolutionis per remiſſionem creditoris, ſi hæc facta fuerit per fraudem, dolum, aut vim, remanet hic explicandum, quænam propriè inducant vim quoad effectum, de quo hic agitur, & primo dico induci hanc vim ſufficientèr per metum cadentem in conſtantem virum, quia hic multum demit de voluntario requiſito ad liberam, & validam remiſſionem; ſecundo per preces inductas à Magnatibus, & Principibus, reſpectu ſubditorum, quia tales preces habent vim potiùs iuſſionis, & mandati. Sed, an Princeps poſſit licitè, vel per mandatum compellere creditorem ad remittendum debitori debitum, vel per ſe ipſum illud immediatè remittere: Secundum nonnullas diſtin-

17 Vis inducitur ſufficiẽtèr per metũ cadentem in conſtantẽ virum.

18 Item per preces efficaces Principũ.

Digitized by Google

ſtinctiones dirimendum eſt dubium, vel etenim illud debitum eſt certum, vel incertum; rurſus ſi certum eſt, vel eſt debi-

19 Quando poſſit Princeps validè inducere talē vim, & in ordine ad quæ debita,

tum iure naturali, vt ex mutuo, emptione commodato, & depoſito &c. vel eſt debitum tantum de iure ciuili, qualis eſt falcidia in hæredibus, reſtitutio in integrum, & ſimilia; Si debitum ſit incertum, certum eſt Principem non poſſe per mandatum compellere creditorem ad illud debitori remittendum, cum creditor, quinam ſit, non innoteſcat; Vtrum verò ipſe per ſe poſſit immediatè remittere debitori, affirmat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. n. 90.*, quoad debita incerta, & bona inuenta, eo quia arbitretur hæc ex volun-

20 Quomodo, & quādo Princeps poſſit immediatè per ſe remittere debitum.

tate Papæ, & Principis applicari, & per bullam compoſitionis remitti, quod non improbabile crediderim; tutius tamen eſſet, quod applicarentur in cauſas pias, non in commodum detentorum per ea, quæ ſuperius commendauimus, niſi fortaſsis ipſi detentores eſſet pauperes; ſi verò debitum ſit certū ex iure naturali probabilius non poteſt remittere contrà voluntatem Domini, niſi adſit rationabilis cauſa, quia hoc eſſet intrinſecè malum, & contrà iuſtitiam, niſi eſset ob maius bonū *Innocentius in c. qui in Eccleſia de conſtit. Gloſa in l. fin. C. ſi eo ius, & vtil. pub., Medina C. de reſtitut. q. 3. cauſ. 11.*; Quænam autem debeat eſse hæc cauſa, proptèr quam Princeps poſsit remittere tale debitum, non explicant DD. Ego arbitrarer inter cæteras conditiones hanc debere habere, quod ſit in ordine ad publicum bonum, & quoad reliquas remitto arbitrio boni viri; ſi verò debitum ſit ex iure ciuili probabilius eſt Principem poſse illud remittere, quia hoc ius eſt à Principe, ſeu lege ciuili tributum, quod propterea poteſt ab eo auferri. Vtrum vero ad remiſsionem huius debiti requiratur rationabilis cauſa, ſicuti requiritur in remiſsione debiti ex iure naturali. Videntur aliqui negare, eo quia ſecus non conſtitueretur differentia inter debitum ex iure naturali, & debitum ex iure ciuili. Nihilominus arbitrarer debere fieri talem remiſsionem ex cauſa, cæteroqui intercederet perſonarum acceptio, nec ſit diſpenſatio in legibus ſine rationabili cauſa, cæteroqui potiùs eſset diſsipatio, quam diſpenſatio, prout notat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 5. n. 31.*, nec obſtat ratio aduerſa, quia differētia inter vtrumq; debitum in eo conſiſtit, quod ad remiſsionem debiti naturalis requiritur cauſa cōmunis, & magis vrgens, ad remiſsionem verò debiti ex iure ciuili ſufficit particularis, & minùs vrgens; Dici etiam poſset, quod ad remiſsionem debiti ex iure naturali, tamquā ſuperioris iuris tam ad licitè, quàm ad validè remittendum requiratur cauſa rationabilis; ad remiſsionem verò ex iure ciuili requiratur quidē cauſa ad licitum eſse, non autem ad validum eſſe, cum non ſit lex ſuperior ad Principem.

Circa ea, quæ dicta ſunt in vtraq; parte aſsertionis remanet pro cōplemēto hic inquirendū primo, an ad hoc, vt intelliga- Nonnulla dubia ex citata,

tur valida remiſsio facta debitori per creditorem requiratur, quod eidem creditori offeratur per debitorem pecunia præſens pro reſtitutione, & deindè petatur remiſſio. Secundo, an requiratur, quod debitor ponens ſe in manibus creditoris, petenſq; ab eo miſericorditèr remiſsionem debiti, habeat animum reſtituendi, ſi creditor non remiſerit, adeòvt, ſi animum haberet non reſtituendi, ſi non remitteret, non teneat remiſsio.

In ordine ad primum abſolutè aſſerendum exiſtimo non eſſe neceſſario primo 21 Non eſt neceſſe, quod offeratur pecunia præſens antequam petatur remiſſio.

offerēdam pecuniam debitam præſentem, antequam humilitèr petatur remiſsio, quidquid ex aduerſo ſenſerint *D. Antoninus 2. part. tit. 2. cap. 4., & Dinus in reg. peccatum de reg. iuris in 6.* Dictum noſtrum ſuſtinent *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 5. n. 22., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 2. nu. 35., Caietanus in ſumma verb. reſtitutio, Adrianus in 4. de reſtitut. q. 2. col. 4., Nauarrus in manual. c. 17. n. 45.*, Ratio eſt, quia nullibi in iura præſcribitur, quod ad condonationem debiti requiratur oblatio pecuniæ debitæ præſentis, & æquè remittens poteſt remittere rem præſentem, ac abſentem.

In ordine ad ſecundum nonnulli contendunt debitorem petentem humilitèr remiſſionem debiti cum illo animo non reſtituendi, ſi creditor non remitteret, non deobligari à reſtitutione *Dinus, & Ioannes Andræas in reg. peccatum de reg. iur. in 6., Abbas, & Anan. in c. conſuluit de vſuris, & c. cum tu eod. tit.*, quorum rationem eam exiſtimat eſſe *Petrus à Nauarra*, quia, ſi creditor ſciret illum fingere, & ex corde

22 Tenet remiſſio quantumuis debitor illam petens non haberet animū reſtituēdi

non eſſe paratum ſoluere, non remitteret, quia cauſa remittendi eſt pietas, & miſericordia erga humilitèr petentem. Nihilominus communius docent etiam ſtante illo animo interno non reſtituendi in ſuppoſitione, qua creditor non remitteret, debitorem liberari ab onere reſtitutionis *Gloſa 2. in d. reg. peccatum de reg. iur. in 6., Federicus conſ. 22. Archi Diaconus in c. quanquam de vſuris in 6., Silueſter verb. reſtitutio 7. q. 2. diſt. 3., D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 6., Medina C. de reſtitut. q. 3. c. 4.*, & his quidem adhærendum exiſtimo, quia in illa remiſsione facta cum illo animo ficto debitoris duo conſiderari poſſunt, & ſolutio à crimine, & liberatio ab onere reſtitutio-

tutionis. In ordine ad primum certum eſt, debitorem non abſolui, cum ratione illius animi non reſtituendi in eodem crimine perſeueret. In ordine ad ſecundum clarè liquet, debitorem eximi ab illo onere, ſi cõſtet creditorem liberè, & liberalitèr remiſiſſe, ſiue ipſe debitor eſſet paratus reſtituere, ſiue non, quandoquidem abſolutio à debito reſtituendi non dependet à voluntate, ſeu diſpoſitione debitoris, ſeu ſpoliantis, ſed à voluntate creditoris, ſeu ſpoliati, qui æquè poteſt remittere diſpoſito ad reſtituendum, ac non diſpoſito; vndè in translatione dominij rerum, ſeu circa res ipſas attenditur potiùs voluntas Domini, quam alterius §. *placuit inſtit. de furt., & l. inter omnes §. penult. ff. de furt.*, Neque obeſſe poteſt id, quod ex aduerſo aſſerebatur, nempè, quod ſi creditor cognouiſſet fictionem, non peperciſſet; non, inquam, obeſſe poteſt, quia principale motiuum remittendi in ea hypotheſi fuit miſericordia remittentis, qua ſtante non eſt, cur remiſsio ipſa non debeat tenere, ea proportionali ratione, qua tenet eleemoſina facta pauperi ex miſericordia, quamuis ſi conferens eleemoſinam cognouiſſet peruerſam aliquam qualitatem in paupere, non erogaſſet, quia motiuum principale fuit miſericordia. Confirmari poteſt noſtra opinio *ex l. 1. ff. qui ſatisd. cog.*, vbi dicitur, quod ſatisfacit quicunque adimplet deſiderium creditoris, etiam ſi non ſoluat.

Rationes pro noſtra opinione.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

PRÆNOTIO VI.

Quandonam, ſeu quo tempore facienda ſit reſtitutio.

SVMMARIVM.

Reſtituenda res eſt ſtatim, ac iniuſtè detinetur. 1.

Ly ſtatim ſumendum eſt moralitèr, non metaphyſicè. 2.

In ordine ad actum internum ſtatim, ac cognoſcitur inuoluntarietas Domini eſt eliciendus de reſtitutione, quoad externum poteſt referri ad congruas circunſtantias. 3.

Aſſignatur diſcrimen inter præceptum contritionis, & reſtitutionis. 4.

Cur non committantur tot peccata, quot inſtantia dilationis remiſſiuè. 5.

Cauſæ excuſantes à dilatione reſtitutionis ſunt periculum vitæ, honoris, & famæ. 6.

Regularitèr periculum damni in bonis proprijs fortunæ non excuſat à reſtitutione, ſi ſit ex iniuſta acceptione. 7.

Excipe, niſi debitor per illam reſtitutionem conſtitueretur in extrema neceſſitate. 8.

Si decidere deberet à proprio ſtatu, ad quem iuſtè deuenit, poteſt differre reſtitutionem cum aliqua tamen conditione. 9.

Si iniuſtè ad illum ſtatum deuenerit, tenetur ſtatim reſtituere. 10.

Si ad illum ſtatum deuenerit ex contractu, non tenetur ſtatim reſtituere. 11.

Si debitum ſit ex furto, tenetur ſtatim reſtituere. 12.

PLura circa propoſitum titulum attigimus, dum de neceſsitate reſtitutionis ad ſalutem, vbi etiam attigimus, & explicuimus difficultatem, an tot contrahantur peccata, quot ſunt momenta tẽporis, quibus res aliena inuito Domino detinetur, & non reſtituitur, vndè videtur plenè ſatisfactum præſenti titulo, & dubijs, quæ ex eadem poſſunt emanare. Placet tamen pleniùs cuncta examinare

Aſſertio I. Statim, ac quis rem alienam iniuſtè, & inuito Domino detinet tenetur illam reſtituere. Conſentiunt communius DD., & præcipuè *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. & 8., & ibi Caietanus, & in ſumma verb. reſtitutio c. 6., Sotus lib. 4. de iuſt. qu. 7. art. 4. in principio, Nauarrus in man. c. 17. nn. 54., Coaruuias in regul. peccatum part. prima §. 1. n. 1., Medina C. de reſtitutione q. 2., Angelus verb. reſtitutio 3. q. 5.* 1

Reſtituẽda res eſt ſtatim, ac iniuſtè detinetur.

Dixi, *ſtatim ac*, quæ particula non eſt ſumenda metaphyſicè, prout excludit quamcunque temporis morulam, ſed moralitèr, & ciuilitèr, adeò vt non admittat moram talem, de qua Dominus poſſit eſſe rationabilitèr inuitus; pro cuius tamen particulæ clariori intelligentia aduertendum eſt, quod diuerſimodè res ſe habere poſſit ad actum mentis internum, ac in ordine ad externum opus; & quidem etiam in ordine ad diuerſas ſententias; nam qui ſuſtinent præceptum reſtitutionis eſſe principalitèr affirmatiuum dicunt, quod detinens rem alienam ſtatim, ac nouerit rem eſſe alienam, & detineri inuito Domino per actum internum proponere debet habita opportunitate reſtituere; quoad opus verò externum non teneri immediatè, & quaſi in puncto methamatico reſtituere, ſed ciuilitèr, ac habita opportunitate; non enim, ſi in lectulo decumbat, ſeu ſi ad menſam accumbat, tenetur aſſurgere, vt reſtituat, ſed expectare poteſt abſque fraude, & dolo opportunitatem, qua tranſacta detinens, ſi non reſtituerit, incipiat eſſe in mora; atque ità ſentiunt *Caietanus, & Sotus loc. cit.* Qui verò ſuſtinent præceptum reſtitutionis eſſe negatiuum, aſſerunt internum illum mentis actum cognita alienitate rei, & inuoluntarietate Domini eſſe eliciendum; externa verò redditio, quæ conſequitur, & extrinſecè quodamodo im-

2 Ly ſtatim ſumẽdum eſt moralitèr, & quomodo

3 Actus internus reſtitutionis eſt immediatè eliciendus, externus poteſt referri ad congruas circunſtãtias.

Digitized by Google

importatur, ob rationabiles cauſas deferri poteſt; atque ità ſpecialitèr ſentit *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitutione c. 4. nu. 3.*; Neque ex his inferas, quod præceptum reſtitutionis hoc pacto inuolueret circũſtantiam temporis opportuni, ſicut cætera præcepta affirmatiua, adeòque eſſe principalitèr affirmatiuum aduerſus ea, quæ ſuprà latè commendauimus; contrà enim impugnaberis, quia, vt bene notat *Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 4.* materia aliarum virtutum, quæ cadunt tantum ſub præcepto affirmatiuo, non ſemper occurrit, adeòque præcepta circa illam non ſemper obligant, & pro ſemper, ſed ſecundum prudentiam arbitranda eſt in illa circunſtantia temporis; materia verò reſtitutionis ſemper occurrit, & in ipſa ſemper exiſtit neceſſitas per legem naturalem poſita, adeòque quoad actum internum ſemper obligat, ſed quia requiritur actio, quæ crebrò immediatè poni non poteſt, permittitur opportunitatem expectare. Hæc ille ferè ad verbum, quod idem videtur in ſubſtantia aſſerere *Petrus à Nauarra d. lib. 4. de reſtitutione c. 4. n. 4.*

Soluitur inſtantia oppoſita.

Dixi, *rem alienam inuito Domino*, quod intelligendum eſt, ſiue res detineatur, quę iniuſtè fuerit ablata, ſiue res, quæ detinetur, fuerit iuſtè accepta, ſed elapſum fuerit tempus præfinitum ad reſtitutionem.

Probatur iam aſſertio, quia ſiue præceptum reſtitutionis ſit principalitèr negatiuum, & minus principalitèr affirmatiuum, vt nos ſupra latè ſuſtinuimus, ſiue ſit principalitèr affirmatiuum, & minus principalitèr negatiuum, vt alij ſtatuunt, ſemper tamen includit negationem, ergo quatenus includit negationem eandem conditionem ſortitur cum cæteris præceptis negatiuis, quæ ſemper, & pro ſemper obligant, nec vllam temporis circunſtantiam ſecum ferunt, ſed inuoluit negationem, quatenus dicit non detineri alienum, ergo obligatio non detinendi alienum vrget ſemper, & ad ſemper, cum præcipuè detinere alienum æquiualeat furto continuato; furtum autem ſemper, & pro ſemper eſt prohibitum.

Sæper præceptũ reſtitutionis includit negationem.

Dices præceptum contritionis etiam includit negationem, nam, ſicuti præceptum reſtitutionis dicit non detineri alienum, ità præceptum contritionis dicit non permanere in peccato, ſed præceptũ contritionis non obligat ſtatim, ſemper, & pro ſemper, ergo nec præceptum reſtitutionis. Sed contrà hæc inſtantia nos non poteſt impetere, qui ſuſtinemus præceptum reſtitutionis eſſe principalitèr negatiuum; vndè pro ſolutione aduerte præcepta inuoluentia negationem eſſe quodamodo in duplici differentia, alia affirmatiua principalitèr, & ſolum conſequentèr, & extrinſecè inuoluentia negationem, tanquam ſibi contrariam, qua ratione præceptum amoris v. g. inuoluit negationem odij; alia negatiua principalitèr antecedentèr, & intrinſecè, quatenus præceptum affirmatiuum innitatur eidem negatiuo, qua ratione præceptum reſtituendi innititur præcepto non furandi. Præcepta inuoluentia negationem primo modo ſunt affirmatiua ſimplicitèr, immò nullum eſt præceptum affirmatiuum, quod negationem illo modo non inuoluat, ideo talia præcepta non participant conditionem negatiuorum obligando ſtatim, & pro ſemper, ſed obligant ſolum, vel tempore neceſſitatis, vel tempore aliundè à legiſlatore præfinito, tale eſt præceptum contritionis. Præcepta inuoluentia negationem ſecundo modo principalius inuoluunt negationem, ideò conditionem negatiuorum participant, ſtatim, ac pro ſemper obligant, tale eſt præceptum reſtitutionis.

4 Aſſignatur diſcrimen inter præceptũ contritionis, & reſtitutionis.

Vrgebis *ex D. Thoma 2. 2. q. 62. art. 8. in corpore*, vbi ait, ideò teneri quemlibet ſtatim reſtituere, quia tenetur quilibet peccatum ſtatim deſerere iuxtà illud Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum*, ergo non magis obligat præceptum reſtituendi, ac obliget præceptum deſerendi peccatum, ſeu eliciendæ contritionis poſt peccatum commiſſum, ergo, cum præceptum contritionis non obliget ſtatim, & pro ſemper, neque ſtatim, & pro ſemper obligabit præceptum reſtitutionis. Sed contrà dicendum eſt D. Thomam ſolum velle non poſſe peccatum deſeri, niſi reſtituatur ablatum, & propterea ait, ideò deberi reſtitui, quia peccatum debet deſeri. Cæterum non intendit tantum eſſe obligationem pænitendi, ac deſerendi peccatum, quanta eſt obligatio reſtituendi, ſecus, qui differet pænitere, vel nouum peccatum committeret, vel primum aggrauaret.

Soluitur inſtantia deducta à D. Thoma

Hic latè eſſet agendum, an, cum præceptum reſtituendi iuxtà noſtra principia ſit principalitèr negatiuum, & propterea obliget ſemper, & pro ſemper, iniuſtè retinens rem alienam inuito Domino, ſi differat reſtitutionem, noua ſucceſſiuè peccata committat, an verò ſolum prius peccatum augeat, & aggrauet; Sed quoniam de hac difficultatè latè egimus in præcedentibus, ideò ad ibi dicta vos remitto.

5 Cur non comittantur tot peccata, quot ſunt inſtãtia dilationis remiſiuè.

Aſſertio II. Cauſæ excuſantes à dilatione reſtitutionis ſunt periculum vitæ, & propriæ ſalutis, item detrimentum proprij honoris, & famæ. Conſentiunt com-

6 Quænam ſint cauſæ excuſãtes à dilatione reſtitutionis.

communitèr DD.,& quoad primam partem de communi teſtatur *Petrus à Nauarra lib.4. de reſtut. c.4. n.19.* Quoad ſecundam idem *Petrus à Nauarra loc. mox cit. & lib.2. c.4., Corduba in ſumma q.68., Silueſter verb. reſtitutio 7 q. 11. dict.2., Medina C. de reſtitut. q. 2. verſ. ad tertium, & verſ. ad aliud quid, & alij communitèr, D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 8., Nauarrus c.17. n.57.*

Ratio pro prima parte.

Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quia iuſtitia non exigit, nec voluntas creditoris rationabilitèr præſumpta, vt debitor, quantumuis ex furto, & rapina cum periculo vitæ propriæ, propriæque ſalutis alteri ſatisfaciat in bonis fortunę, quantumuis ab ipſo iniuſtè ablatis, quandòquidem nemo regularitèr tenetur ad bona aliena inferioris ordinis reſtituenda cum damno ſuorum altioris ordinis *arg. c. cum in cunctis de elect. & auth. multo magis C. de ſacroſanct. Eccl.* Secundò, quia ex ordine charitatis tenetur de ſuis bonis, quæ poſſidet creditor, alienæ vitæ, & ſaluti conſulere, ergo debitor ad conſulendum propriæ vitę,& ſaluti, cuius extat periculum, poterit iuſtè diferre reſtitutionem.

Ratio pro ſecunda parte.

Ratio ſecundæ partis ex eodem motiuo deducitur, quia nemo tenetur per bona ſuperioris ordinis alterum per reſtitutionem reintegrare in rebus ordinis inferioris, ergo nec tenetur iacturam pati in bonis famæ, & honoris, quæ ſunt ex genere ſuo ſuperiora, vt alteri ſatisfaciat in bonis fortunæ, quæ ſunt ordinis inferioris. Neque in hoc audiendus eſt *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art.3. verſ. grauius autem*, cui conſentire videntur *Mercatus c. 13. verſ. lo primero, Coaruuias in reg. peccatum prima part. nu.6. verſ. ſed, & tertio, & primo var. c.2. n.8.* dum ſibi confingunt, quod, quandò quis iniuſtè rem alienam detinet, quia per furtum abſtulit, teneatur cum detrimento honoris reſtituere, quando ſine tali detrimento nõ poteſt conſulere damnificato in bonis fortunæ; atque ea ratione mouentur, quia cæteris paribus magis eſt conſulendum pæcuniæ innocentis, quam famæ nocentis; cæteris, inquam, paribus, quando ſcilicèt eſſet magnum pecuniæ detrimentum, & magna etiam famæ iactura. Addunt vlterius, quia tantum poteſt eſſe detrimentum ęris alieni, vt ęquet, immo ſuperet valorem famę, ea proportionali ratione, qua plurimum argenti poteſt nedum adæquare, ſed etiã ſuperare modicum auri; Non, inquam, audiendi ſunt, quandòquidem nulla ratio ſuadet, nullaque lex, nec naturalis, nec poſitiua præſcribit, quod quis iacturam faciat bonorum propriæ famæ, & honoris ad reſarçienda damna aliena in bonis fortunæ, nec iniuſta acceptio aliquod maius onus inducit reſtituendi pro bonis fortunæ cum detrimento bonorum famæ,& honoris, quandòquidem lex tam naturalis, quàm diuina ſuauis eſt in omni ratione, & ęquitate conſiſtens,& propterea eum rigorem, & inæquitatem non præcipit, vt quis voluntariam infamiam pro pecunia alteri reſtituenda ex quocunque titulo pati teneatur, cum inęſtimabilitèr honor pecuniam excedat, nec compenſabilis ſit per eandem, vndè merito *Ariſtoteles 4. ethicorum* dicit honorem eſſe maximum externorum bonorũ, *& D. Thomas 2.2. q. 119. art. 1. in corpore* habet *inter res exteriores maxima eſt honor*, & nonnullis interpoſitis ſubdit, *tum quia etiam homines propter honorem conſequendum, & vituperium vitandum alia omnia poſtponunt*, & *Liuius dec. 1. lect. 3.* habet *Famæ damna maiora ſunt, quam vt æſtimari poſſint.* Si igitur famæ æſtimatio tanta eſt, vt comparatiuè ad bona fortunæ non habeat, nec habere poſſit æqualitatem, quomodo iuſtitia commutatiua, quæ reſpicit æqualitatem, inducere poteſt, vt pro bonis fortunæ quis teneatur deperdere propriam famam,& honorem? Hinc patet quid reſpondendum ad illud, quod ſubditur ſcilicèt æs poſſe ità creſcere, vt adæquet, & ſuperet bonum famæ; dicendum quippè eſt, quod, quantumis pecunia creſcat, nunquam tamen per illam fama reparetur, nec currit paritas de augmento argenti quoad valorem comparatiuè ad modicum auri, quandòquidem per argentum multiplicatum, ſi non formalitèr, ſaltem ęquiualentèr compenſatur modicum auri, quia per illud argentum poteſt haberi aurum, quod non militat de pecunia comparatiuè ad famam, quia per quodcunque peculium fama non reparatur, vndè bene dicitur Prouerb. 22. *Melius eſt bonum nomen, quam diuitiæ multæ.*

Rationes oppoſitæ diſſoluuntur.

Honor eſt maximũ externorũ bonorum.

Aſſertio III. Regularitèr loquendo periculum damni in bonis familiaribus ſeu fortunæ proprijs non excuſat ab onere reſtitutionis, ſi reſtitutio ſit ex cauſa iniuſtæ acceptionis, & de rebus illicitè poſſeſſis. Conſentiunt *Caietanus 2.2. q.62. art. 8. verſ. circa determinationem huius articuli, Petrus à Nauarra lib.4. de reſtitut. c.4. nu.43., Corduba in ſumma q.68. punct. 1., Mercado c.18. verſ. Muchos, Coaruuias 2. lib. var. c. 1. nu. 6. & 8.* 7

7 Regularitèr periculum damni in bonis familiaribus proprijs non excuſat à reſtitutione, ſi ſit ex cauſa iniuſtæ acceptionis.

Dixi, *ſi reſtitutio facienda ſit ex cauſa iniuſtæ acceptionis, & de rebus illicitè poſſeſſis*; nam, ſi debitor damnum paſſurus eſſet in rebus ſuis licitè habitis, iuſteque poſſeſſis tunc *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitutione c.4. nu. 42.* arbitratur, poſſe debitorem reſti-

Limitationes ad dicta, reſtitutionem differre, vt ſi v. g. ex contractu debet centum nummos aureos, & vt reſtituat, debet domum valentem ducentum pro centum vendere, vel artis inſtrumenta, quia Dominus non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus, quod differat, ne ille in rebus ſuis licitè habitis ità notabile, ac magnum damnum perpetiatur; ſupponit tamen, quod creditor non ſit in graui neceſſitate. Sed quidquid ſit de hoc infrà videbimus. Leſſius verò *lib. 2. de iuſtitia, & iure c. 16. dub. 1. n. 22., Nauarrus in manual. c. 17. nu. 57. ex D. Antonino* extendunt etiam, quando debitum eſt ex delicto ea moti ratione, quia, quantumuis creditor, quando debitum eſt ex furto, non teneatur dilationem reſtitutionis concedere ex iuſtitia, tenetur tamen ex æquitate, & charitate, & ęquum maximè eſt, vt creditor patiatur dilationem potius, quam tantam iacturam rei familiaris alienæ. Limitat tamen Leſſius, niſi creditor ex tali dilatione eſſet æquale detrimentum paſſurus; limitat item in caſu, quo ex circunſtantijs conijceretur, quod, ſi ſtatim reſtitutio non fieret, certo moraliter poſtea non eſſet ponenda.

8 *Excipe, niſi debitor cõſtitueretur in extrema neceſſitate.* Dixi etiam, *regularitèr loquendo*, nam, ſi debitor per illam immediatam reſtitutionem eſſet conſtituendus in extrema neceſſitate, procul dubio eximeretur ab onere ſtatim reſtituendi *ArchiDiaconus in c. ſi res 14. q. 6., Hoſtienſis, & Innocentius in c. cum tu de vſuris, Medina de reſtitut. q. 5. verſ. eſt iam dubium*, quia in tali neceſſitate licitum eſt res alienas accipere, ergo multo magis res acceptas detinere. Vtrum verò poſſit ſtatim non reſtituere, ſi ex immediata reſtitutione eſſet à congruentia, & decentia proprij ſtatus declinaturus, tunc DD. diſtinguunt; vel etenim ille conſtitutus eſt in illo ſtatu decenti iuſtè, vel iniuſtè ex delictis, furtis, & rapinis; rurſus, vel debitum, quo premitur, eſt ex contractu, vel ex delicto. Item, vel debitor deductus eſt ad illas anguſtias ſua culpa, puta ludis, commeſſationibus, & inordinatis ſumptibus, vel aduerſa fortuna, & inopinatis caſibus. Si ad illum ſtatum decentem deuenerit iuſtè docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. nu. 25.* non teneri ſtatim reſtituere; monet tamen, quod debeat ſibi detrahere, quantum poteſt intra limitas decentiæ ſtatus, quæ non conſiſtit in indiuiſibili, vt ſenſim reſtituat, quod documentum veriſſimum arbitror, quandòquidem ſub hac ſpecie decentiæ ſtatus plurimi decipiunt, & decipiuntur, cum inutiles ſumptus efficiant, quos ſibi proprio ſtatui confingunt congruere copiam famulorum conducendo, equos, & canes nutriendo, pompas inanes exhibendo, à quibus, ſi abſtinerent, proprium ſtatum non læderent.

9 Si decidere deberet à proprio ſtatu, ad quem iniuſtè deuenir, poſſet differre reſtitutionem.

Si verò iniuſtè ad illum ſtatum deuenerit, puta per furta, vſuras, & iniquas vſurpationes; tunc *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 4. n. 43.* arbitratur abſolutè debere ſtatim reſtituere, neque excuſari ex eo, quod decideret ab illo ſtatu, quia per hoc ipſe nullam iacturam faceret, cum ipſe de ſuo nihil amitteret; neque in hoc damnificaretur in aliquo, ſed a damnificatione deſiſteret. Hinc quis diceret, quod, ſi quis ſimul furatus eſſet bis mille nummos aureos, quibus ſe conſtituit in magno ſtatu, non teneatur illos dimittere, ne ab illo ſtatu caderet? Hoc certè non eſt cadere à ſuo ſtatu, cum ſuus non fuerit. Et ſi hæc verificantur, quando ſimul arripiuntur, cur verificari non debent, quando paulatim vſurpantur? Hanc certè opinionem ęquiſſimam arbitror. 10 *Si iniuſtè ad illũ ſtatum deuenerit, tenetur ſtatim reſtituere.*

Si debitum, quo premitur, ſit ex contractu, & in illo ſtatu iuſtè cæteroqui deuenerit; tunc Leſſius arbitratur non teneri ſtatim reſtituere cum detrimento illius ſtatus, quod etiam videtur docuiſſe *Caietanus in ſumma c. 6.* dum dicit eum, qui tenetur ratione rei, non teneri ad reſtitutionem ſtatim, teneri verò ratione iniuſtæ actionis, quod non improbabile exiſtimo, adiecta tamen ea conditione, quod, ſi paulatim parcè viuendo poſſet ſatisfacere, maximè, ſi iam in honore eſſet, poſſet vtique illo modo, quinimmò teneretur reſtituere, cum ad hoc non intelligatur Dominus rationabilitèr inuitus, & æquum non ſit, vt vir nobilis, & honeſtæ æſtimationis turpiter, & ſubito mendicet, & victum manibus acquirat. 11 *Si ad illũ ſtatũ deuenerit ex contractu, non tenetur ſtatim reſtituere.*

Si verò debitum, quo premitur, ſit ex delicto, puta ex furto, ſeu iniuſta acceptione; tunc Leſſius etiam arbitratur, non teneri ſtatim reſtituere, ſi iuſtè ſtatum illum obtinuit, & calamitas poſtea ſuperueniens ad illum ſtatum deduxerit, & pro hac ſententia citat *Nauarrum c. 17. nu. 63., & Silueſtrum verb. reſtitutio 5. qu. 1, 3, & 4.* Alij verò è contrà inter quos *Caietanus in ſumma d. c. 6. & 2. 2. q. 62. art. 8. verſ. circa determinationem præſentis articuli*, cui adhærere videntur quotquot ſuſtinent debitorem teneri reſtituere alienum iniuſtè acceptum in quocunque rei familiaris detrimento vſq; ad mendicitatem ſuam, & ſuæ familiæ reſeruatis ſolum neceſſarijs ad vitæ ſuſtentationem extremam; docent in eo caſu iniuſtæ acceptionis teneri ſtatim reſtituere, non obſtante, quod per illam reſtitutionem decideret à conuenientia proprij ſtatus; atque hanc ſecundam opinionem tutiorem exiſtimo. Si tandem debitor redactus ſit ad illas anguſtias 12 *Si debitũ ſit ex furto, tenetur ſtatim reſtituere.*

ex culpa, puta ludis, nimijs commeſtationibus, & inordinatis pompis; tunc *Leſſius d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. nu. 28.*, *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 4. n. 44. & alij*, nec incongruè, ſentiunt non liberari ab onere ſtatim reſtituendi, ſiue debitum fuerit ex contractu, ſiue ex delicto; non enim fas eſt, vt quis ſuſtentare intendat ſuum ſtatum aliena detinendo, dum prodige ſua profundit.

Probatur iam aſſertio conſiderando ea, quæ conſiderat *Caietanus* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 8. nempè citra extremam neceſſitatem tripliciter poſſe intelligi non poſſe ſtatim fieri reſtitutionem ſine magno detrimento reſtituentis; primò, quatenus detrimentum debeat eſſe magnum, quia res ablata ſit magna; ſecundò, quatenus detrimentum proueniat ratione lucri ceſſantis; tertiò, quatenus detrimentum ratione damni emergentis in proprijs. Iuxtà primam acceptionem non poteſt eſſe dubium, quin debitor iniuſtus teneatur ſtatim reſtituere, quia debitor reſtituendo in tam magno in nullo damnificatur, quoniam nihil rei ſuæ perdit, cæteroqui eſſet melioris conditionis, qui furatur maiora, ac qui minora ſurripit, vt per ſe patet. Iuxtà ſecundam acceptionem etiam viget ratio, quia lucrum ceſſans non poteſt eſſe ex re aliena, quin potius detinens alienam tenetur reſtituere Domino non ſolum rem, ſed etiam intereſſe, quandò res detinetur iniuſtè inuito Domino. Iuxtà tertiam acceptionem cum diſtinctione procedit *Scotus in 4. diſt.* 15.; vel etenim talis dilatio reſtitutionis eſſet cum multo damno creditoris, aut cum paruulo, aut nullo; ſi cum multo damno, arbitratur teneri immediatè, & ſtatim reſtituere, quandòquidem cum iniuſtè acceperit, & detineat, non debet damnum proprium ſibi imminens referre in damnum creditoris, qui iuſtè poteſt velle rem ſuam; ſi cum modico, ſentit, quod non teneatur ſtatim reſtituere, quia Dominus debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum debitoris, qui debet reſtituere, quam modicum, vel nullum ſuum. Ex aduerſo *Caietanus* 2. 2. *q.* 62. *art.* 8., quamuis admittat primam partem, quod ſcilicèt debitor teneatur ſtatim reſtituere, quando magnum damnum impendit ex illa dilatione Domino, ſeu creditori, non admittit tamen ſecundam partem, quam defendit Scotus, quod ſcilicèt non teneatur ſtatim reſtituere, quando modicum, vel nullum damnum impendit creditori ſaltem propter rationem, quam adducit ipſe Scotus, quandòquidem aſſerit, quod Dominus, ſeu creditor non teneatur eſſe contentus de illa dilatione reſtitutionis; quia poteſt velle vti iure ſuo, & ſicuti, ſi haberet rem ſuam creditor apud ſe, non teneretur illam dimittere ad euitandum damnum proximi, ità nec tenetur illam detentam apud iniuſtum acceptorem relinquere ad ſubueniendum damno ipſius; ex alio tamen capite videtur admittere, quod in ea hypotheſi poſſit debitor diſferre reſtitutionem ratione ſcilicèt impotentiæ, quia, vbi tantum damnum emergeret in proprijs ex reſtitutione ſubita, impotens pro tunc reputatur ad reſtituendum, impotentia quidem non abſoluta, ſed ſecundum quid, quatenus non poteſt, niſi male reſtituere, quod ſufficit ad excuſandum. Sed abſolutè ex iuſtitia ratione culpæ in iniuſta acceptione conſiſtente ego crederem teneri immediatè reſtituere, quamuis ex æquitate, ſi creditor non inſiſteret ad immediatam ſolutionem, crederem poſſe eximi. Sed, an in hoc caſu teneretur ſaltem debitor immediatè non reſtituens compenſare illud modicum damnum, quod ex mora in reſtituendo pateretur creditor. Videtur prima fronte dicendum eximi etiam ab illa compenſatione modici damni, quia cauſa, quæ excuſat à reſtitutione ſortis pro illo tempore, videtur etiam excuſare ab intereſſe quoad illud tempus. Nihilominùs abſolutè ſentiendum exiſtimo, prout ſentit idem *Caietanus loc. cit.* teneri modicum illud damnum compenſare, nam recta ratio poſtulat, vt magis in bonis eiuſdem ordinis conſeruetur creditor, quam debitor, & vitatio damni debitoris non debet eſſe cum damno creditoris.

Adducuntur rationes pro noſtra opinione.

Conſiderationes deductæ ex Caietano.

Quid quo do modicum damnum impedit creditori.

Illud modicũ damnum compẽſandum eſt.

PRÆNOTIO VII.

Quonam ordine facienda ſit reſtitutio?

SVMMARIVM.

Inter concurrentes ad damnum, ex quo omnes obligantur in ſolidum, tenetur primo loco, qui habet rem acceptam, vel eam in ſuam vtilitatem conſumpſit. 1.

Intellige, ſi concurrerit ad iniuſtam actionem, vel mala fide conſumpſerit. 2.

Quando plures obligantur non ratione rei acceptæ, ſed damni illati, primo loco tenetur cauſa principalis Phyſica, ſecundo loco cauſa moralis principalis, poſtea inſtrumentalis. 3.

Satisfaciente principali inſtrumentalis deobligatur. 4.

Inter cauſas inſtrumentales datur ordo prioris, & poſterioris. 5.

Tenentur prius cauſæ poſitiuæ, quam negatiuæ, 6.

Ordo

Digitized by Google

Ordo ſeruandus inter cauſas inſtrumentales poſitiuas. 7.

Procedit præcisè attenta natura cauſalitatis, non modo procedendi conſuetudinario. 8.

ORdo iſte conſiderari poteſt, vel in ordine ad debitores, vel in ordine ad res debitas; & quidem in ordine ad primum inquiri poteſt, quando plures concurrerunt ad idem damnum cauſandum, ſed diuerſo modo, quatenus alij Phyſicè, alij moralitèr tantum in idem damnum influxerint, quinam primo loco teneantur reſtituere, & quinam in ſubſidium tantum, & ſecundario, & quinam ordo ſeruandus ſit inter cauſas Phyſicas comparatiuè ad morales, & è contrà, & inter cauſas morales ad inuicem comparatas, & inter Phyſicas inter ſe. In ordine verò ad ſecundum examinandum veniet quænam debita ſint prius ſoluenda comparando certa ad incerta, & è contra, & quoad certa debita ex contractu ad debita ex delicto, hypothecaria ad pure chirographaria, realia ad perſonalia, antiquiora ad minus antiqua, debita ex ære alieno ad debita ex legato, & his ſimilia

Articuli examinādi circa titulum.

1 **Tenetur primo loco, qui rē habet furtiuam, vel in ſuam vtilitatem cōſumpſit**

Aſſertio I. Quando plures concurrerunt ad idem damnum inferendum, ità vt omnes obligentur in ſolidum, tenetur primo loco reſtituere ille, ad quem deuenit res furtiua accepta, ſi extet in ſpecie, & etiam, ſi non extet, ſi illam in propriam vtilitatem conſumpſit, vel ex illa factus ſit locupletior *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 13. dub. 5. n. 39.* hancque communiorem arbitror DD. opinionem.

Ratio ex eo deducitur, quia inter radices reſtitutionis fortior eſt illa, quæ eſt ratione rei acceptæ, tum quia res ipſa, quouſque perſeuerat in eſſe, ſemper clamat pro Domino, & iure quodam innato in ipſum fertur; tum quia damnum, quod patitur creditor, ſeu damnificatus eſt ratione rei, in qua eſt damnificatus, ergo detentor eiuſdem rei tenetur primo loco reſtituere. Quod, ſi ſupponas, quod detentor rem ipſam conſumpſerit, adhuc non eximitur ab onere primo reſtituendi; nam vel ipſam inſumpſit in propriam vtilitatem, adeò vt ex illa factus ſit locupletior, & tunc certè etiam tenetur, quia illud, in quo factus eſt locupletior, ſubſtituitur loco rei, eidemque æquiualet, vel inſumpſit ſine aliqua ſui vtilitate, nec factus eſt ex illa locupletior; & adhuc non eximitur ab illo onere, quia per illam conſumptionem nouam intulit iniuriam Domino, eiuſque quodamodo vſurpauit dominium; noua autem illa iniuria non eximit ab onere, quo antecedentèr premebatur, antequam illam conſumeret, cæteroqui ex delicto commodum reportaret, quod non eſt dicendum.

Res ipſa pro Domino clamat.

Aduerte tamen hic aſſertionem procedere in ſuppoſitione, qua detentor rei alienæ, vel concurrerit ad iniuſtam acceptionem, vel detinuerit, & conſumpſerit mala fide; ſi etenim, nec iniuſtè acceperit, nec mala fide conſumpſerit, ſed bona certè ipſe ad reſtitutionem, nec primo loco, nec in ſubſidium tenebitur, niſi ex illa conſumptione factus fuerit locupletior; & ratio concludenter ex ſparſim præactis deducitur, quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cum adhuc non extet, nec ex eo, quod factus fuerit ex illa locupletior, cum contrarium ſupponatur; nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum ille, & bona fide poſſederit, & conſumpſerit.

2 Intellige, ſi concurrerit ad iniuſtam actionem, vel mala fide conſumpſerit.

Aſſertio II. Quando plures obligantur ad reſtitutionem, ità tamen, vt nullus teneatur ratione rei acceptæ, cum nihil ablatum ſit, ſed tantummodo damnum irrogatum, primo loco tenetur ad reſtitutionem ille, qui tanquam cauſa principalis Phyſica damnum intulit, quod, ſi ille, qui damnum intulit, ſit cauſa inſtrumentalis, primo loco tenetur cauſa moralis principalis in propoſita præſertim materia, quæ moralis eſt, & in qua genus moris magis attenditur, quam genus naturæ. Conſentit *Leſſius d. lib. 2. c. 13. dub. 5. n. 41. & ſeqq.*

3 Ordo ſeruandus, quando damnum illatum eſt ſine acceptione rei.

Vt clarius hac in re procedamus, & ad clariorem terminorum notitiam aduerte, quantum conferre poteſt ad præſens inſtitutum, nomine cauſæ principalis Phyſicæ intelligi executorem damni, quatenus proprio nomine illud exequitur; nomine verò cauſæ inſtrumentalis Phyſicæ venit executor, qui non proprio nomine, ſed alterius damnum illud exequitur; nomine tandem cauſæ principalis moralis venit v.g. mandans, cuius nomine præcisè alter damnum illud infert; quod, ſi ſupponas, quod executor nedum mandantis nomine, ſed etiam proprio exequatur, tunc ipſe eſt cauſa principalis Phyſica partialis, quatenus exequitur proprio nomine, & cauſa inſtrumentalis reſpectu mandantis, qui eſt cauſa moralis principalis ſaltem partialis. Quibus ſuppoſitis

Quid veniat nomine cauſæ principalis Phyſicę, & quid moralis, & inſtrumentalis.

Probatur aſſertio. Ordinata ratio rerum exigit, vt ſicuti in concurſu plurium iura conferantur principalioribus in beneficijs, ità in eorundem concurſu, vt eiſdem principalioribus in damnificatione, ſeu maleficijs onera conferantur; ſed in concurſu ad maleficia, ſeu damnificationem cauſa principalis Phyſica eſt principalior ad cauſam inſtrumentalem, & item ad moralem, quantumuis prin-

Phyſica principalis præfertur morali.

cipalem, & comparando moralem principalem ad inſtrumentalem, quantumuis Phyſicam illa eſt principalior iſta, ergo, ſicuti Principalis Phyſica eſt principalior ad maleficium, ſeu damnificationem reſpectu moralis, & inſtrumentalis, & moralis principalis reſpectu inſtrumentalis, ità in onere reſtitutionis principalius, & primo tenebitur cauſa principalis Phyſica, deindè cauſa principalis moralis, tandem inſtrumentalis Phyſica.

Hic ſolum excitatur difficultas, an, quantumuis primo loco teneatur cauſa principalis phyſica, & ea deficiente cauſa moralis principalis, & tandem inſtrumentalis, ſi ipſa principalis Phyſica ſatisfecerit, vel etiam moralis principalis, eximatur cauſa inſtrumentalis à quocunque onere reſtitutionis. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. nu. 101. & ſeqq.* non improbat, quin potius maximè commendat opinionem tenentem cauſam inſtrumentalem, aliaſque cauſas ſecundarias nõ eximi ab onere reſtitutionis, non quidem æquis portionibus, ſed pro rata, adeò vt, ſi damnificatio æſtimetur, vt ſex, cauſa principalis, ſiue Phyſica, ſiue moralis teneatur ad tres, inſtrumentalis ad duo, aliæ ſecundariæ ad vnum; & eam rationem potiſſimum adducit, quia omnes iſti verè concurrunt ad damnum inferẽdum, & per conſequens tenentur etiam pro rata actionis iniuſtæ ad reſtitutionem concurrere. Nihilominùs iuxtà prædicta ſentiendum eſt executorem, tanquam cauſam inſtrumentalem non teneri concurrere, prout ſentit etiam *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 5. n. 43. in fine*, & cum eo alij communius *Ioannes Medina C. de reſtitutione qu. 8. §. præſuppoſito, Corduba in ſumma qu. 131., Bartholomæus Medina in ſumma lib. 1. c. 14. §. 30. reg 5. della primera Cabeça, D. Antoninus part. 2. tit. 1. c. 12. §. 14.* Ratio autem ea eſt, quia non obſtante malitia, & iniuſtitia concurrentium is, qui principalis eſt, & cæteros ad damnificandum induxit, tenetur in conſcientia eos indemnes ſeruare, quandòquidem id, quod peregerunt, non nomine proprio, ſed ex cauſa principalis peregerunt; vndè iſti tenentur quidem in ſolidum, ſed conditionalitèr tantum, ſcilicèt, ſi principalis non reſtituerit, non verò abſolutè. Limitat tamen *Ioannes Medina loc. cit.* in caſu, quo executor, & aliæ cauſæ minus principales participes fuerint in re furtiua, quia tunc tenentur principali reſtituenti id, quod acceperunt, retribuere, ne participes furti lucrum ex iniquo facinore reportent.

4 Satisfaciẽte principali, ſiue Phyſica, ſiue morali inſtrumentalis non tenetur concurrere.

Exceptio Medinæ.

Aſſertio III. Inter cauſas ſecundarias, quæ concurrerunt ad damnum alteri inferendum datur quidem ordo prioris, & poſterioris, adeò vt in concurſu ipſarum vna primo loco teneatur, altera ſecundo, & ſic ſucceſſiuè *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4. n. 81., Aleozer in ſumma c. 21.* aduerſus *Leſſium lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 6. num. 49.* Hunc ordinem expreſsè cognouiſſe videtur *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. ad ſecundum* dum dixit, quod *principalitèr teneatur reſtituere ille, qui eſt principalis in facto, principalitèr quidem præcipiens, ſecundario vero exequens, & conſequentèr alij per ordinem.*

5 Inter cauſas inſtrumentales datur ordo prioris, & poſterioris.

Ratio ex eo deducitur, quia ex genere ſuo illa prior cauſa tenetur ad reſtitutionem, quæ prius, & immediatius attingit effectum damnificationis, ſed cauſæ, quantumuis ſecundariæ ſecundum diuerſum modum cauſandi attingunt damnificationem, & ſecundum ordinem prioris, & poſterioris, ergo, & obligantur ad reſtitutionem ſecundum quod prius, & poſterius attingunt effectum. Maior patet exemplo præcipientis, & exequentis, in quo cum præcipiens prius attingat damnum, ipſe primo loco obligatur. Minor probatur, quia ſecundum modum cauſandi plus differunt conſulens, & palpans, quam duo conſulentes, & per conſequens, ſi iſti ad inuicem comparat i differunt numero, illi inter ſe differunt ſpecie; vbi autem eſt diuerſitas in ſpecie in modo cauſandi, ibi eſt perfectior, & imperfectior, proximior, & remotior cauſalitas, cum duo in ſpecie diuerſa nequeant eſſe eiuſdem perfectionis.

Diuerſo modo cauſæ ſecundariæ attingũt damnum.

Si autem inquiras, quomodo deſumendus ſit hic ordo, tunc generalius loquendo dicam cauſas poſitiuas primo loco teneri comparatiuè ad negatiuas, cum principalius cauſet, qui poſitiuè concurrit ad effectum, & operationem iniurioſam, quam ille, qui deſiſtit ab impediendo illum effectum, ſeu operationem. Speciatim verò loquendo dicam excepto executore, qui primo loco tenetur, primo loco obligari iubentem, ſeu imperantem. Secundo conſentientem, tertio conſulentem, quarto laudantem, quinto receptantem, ſexto non obſtantem, cum ex officio obſtare teneatur, & tacentem, vltimo non manifeſtantem; nec difficilis poteſt eſſe ratio huius ordinis; nam loquendo de præcipiente in ordine ad conſentientem, & conſulentem patet fortius, & efficacius agere, qui mandato præmouet, quam qui ſolo conſenſu, & conſilio, comparando verò conſentientem ad conſulentem, ille immediatius attingit cum per ſuum ſuffragium ponat effectum, iſte verò non niſi mouendo; comparando verò conſulentem ad laudantem patet illum

6 Tenetur primo loco cauſæ poſitiuæ reſpectu negatiuarum.

7 Ordo ſeruãdus inter cauſas inſtrumentales poſitiuas.

Digitized by Google

illum principalius agere fortiori modo, & directius mouendo, cum conſilium ex natura ſua moueat, laudatio ex voluntate recipientis laudationem; comparando verò conſulentem, & laudantem ad receptatorem etiam fortior ratio agendi apparet in illis, quam in iſto, ſiquidem illi mouent ante factum, iſte ſolummodò regularitèr poſt factum, & ſi ante factum, quatenus ex receptatione animoſior redditur damnificans ad damnificandum hoc eſt potius ex peruerſitate damnificantis, cum illa receptatio poſſit eſſe indiferens ad hunc finem, vel ad alium, quantum eſt ex parte eiuſdem receptatoris; comparando tandem non obſtantem, & tacentem, cum ex officio obſtare, & clamare teneretur ad non manifeſtatem patet, cum onus obſtandi, & non tacendi referatur ad actionem ante factũ, onus verò manifeſtandi poſt factum.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ aduerſus aſſertionem affert *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 6. n. 49.*, quod ſcilicèt in huiuſmodi cauſis ſecundarijs non ſit attendendus ille ordo, qui attendi debet inter cauſas principales comparatiuè ad ſecundarias, quandòquidem ſecundariæ operantur, tanquam inſtrumenta principalium, non ſic vna ſecundaria, tanquam inſtrumentum alterius item ſecundariæ; non enim laudans v. g. inſeruit conſentienti, vel conſulenti, nec eius nomine agit, nec è contrà, ſed quælibet per ſe in ſuo ordine. Nec item ex eo, quod vnà ex cauſis ſecundarijs pro integro ſatisfecerit, ſequitur, quod aliæ ſimiles eximantur ab onere ſatisfactionis pro ſua rata erga ipſum ſatisfacientem, ſicuti principali ſatisfaciente reliquæ à tali onere liberantur; Nec item ex eo, quod licet vnà efficacius alia operetur non tamen ſequatur, quod vna primo loco teneatur ad reſtitutionem, alia ſecundo, & ſic ſucceſſiuè, ſed tantum, quod efficacior plus debeat in reſtitutione, quam alia minus efficax; Non, inquam, obeſſe poſſunt, non primum, quia in primis etiam cauſa moralis principalis non eſt inſtrumentum principalis Phyſicæ, & tamen, quia illa principalius, & efficacius operatur, tenetur primo loco ad reſtitutionem, ergo etiam, ſi inter cauſas ſecundarias vna non ſit inſtrumentum alterius, ſi tamen efficacius, & proximius attingat effectum, ipſa primo loco obligabitur; talis enim proportio attendenda eſt inter cauſas ſecundarias ad inuicem comparatas, quæ attenditur inter cauſas principales ad inuicem illo ſolum attento diſcrimine, quod primæ operantur principalitèr, iſtæ verò minus principalitèr.

Inſtantia Leſſij contrà ſuperius dicta.

Deindè obligatio reſtituendi oritur ex cauſalitate, quam præſtat cauſa ſecundum ſe in effectum, non per ordinem ad dependentiam, quam vna habet ab altera, quæ dependentia efficit quidem, quod cauſa, à qua dependet, ſit principalis, non tamen efficit, quod, ſi ipſa efficacius, & proximius influat in effectum, quam alia, à qua non dependet, non teneatur reſpectu ipſius primo reſtituere; ratio etenim reſtitutionis tota eſt ratione damnificationis; Non ſecundum, quia quamuis ſatisfaciente cauſa principali cauſæ minus principales, & ſecundariæ deobligatæ remaneant, non ſic ſatisfaciente vnà minus principali comparatiuè ad principales, vel principaliori comparatiuè ad alias minus principales remaneant eædem non principales, & ſecundariæ deobligatæ, non propterea ſequitur ſiſtendo in cauſis ſecundarijs, & minus principalibus, quod magis inter iſtas principalis non teneatur prius ſatisfacere, quam aliæ in eodem genere minus principales. Ratio eſt, quia hæc duo ſunt ſeparabilia, quod aliqua cauſa ſit efficatior alijs in agendo, & per conſequens principalius, & prius obligetur, & quod ipſa ſatisfaciente non deobligentur aliæ, quantumuis minus principales erga ipſam, licet deobligentur erga creditorem, cui per aliam cauſam magis præcipuam facta eſt reſtitutio; pro quo aduerte proprium eſſe ſolummodo cauſæ principalis abſolutæ, & quod primo loco teneatur, & quod ipſa ſatisfaciente aliæ minus principales deobligentur tam in ordine ad ipſam, quàm in ordine ad principalem creditorem; hoc autem non extendatur ad alias cauſas ſecundarias, quantumuis inter ipſas vna ſit efficacior alijs. Ratio autem ea eſt, quia, cum principalis fuerit tota ratio agendi reſpectu aliarum ad ipſam vniuerſum onus reſtitutionis refunditur; minus verò principales reſpectu eiuſdem, quantumuis ſint magis principales reſpectu aliarum, non ſunt tota ratio agendi reſpectu earundem, adeòque non eſt, cur eiſdem debeat incumbere integrum onus reſtitutionis, & cæteræ cauſæ ſecundariæ non teneantur pro rata; vndè in hac cauſa minus principali reſpectu principalioris, licet principaliori reſpectu aliarum duo poſſunt conſiderari, & efficacior ratio agendi, & proximior, ratione cuius principalius obligatur, & ſubordinatio ad primam, non tamen cauſalitas in ordine ad alias ſecundarias, & ſic ratione illius ſubordinationis non tenetur verſus creditorem, niſi in ſubſidium, ratione illius non cauſalitatis in ordine ad alias

Obligatio reſtitutionis oritur ex cauſalitate in damnum.

Soluitur alia inſtantia Leſſij.

Efficacior cauſalitas eſt ratio immediatioris obligationis.

cauſas

Digitized by Google

cauſas non tenetur pro illis, & per conſequens, ſi pro integro ſatisfecerit, poterit aduerſus illas agere pro rata, cum quodamodo ſatisfaciendo creditori in illius locum, & ius ſuccedat; Non tertium, quia, ſicuti cauſalitas eſt ratio obligans ad reſtitutionem, ità efficacior cauſalitas, & immediatior eſt ratio immediatioris obligationis, nec ſolum maior, & minor efficacitas attendi debet ſecundum, quod vel magis, vel minus reddendum ſit, ſed etiam ſecundum ordinem, ſecundum quem fieri debet reſtitutio.

8 Hæc dixi attenta præcisè ratione intrinſeca modi procedendi, & cauſalitatis, quæ ſecundum ſe videtur exigere talem ordinem; Cæterum attenta communi praxi, & conſueto modo procedendi in foro iudiciali non damnarem modum, quo in defectum principalis regulariter conueniuntur cauſæ ſecundariæ ſine aliquo ordine, potiſſimum cum graue præiudicium eiſdem cauſis ſecundarijs conuentis non inferatur; habent enim actionem aduerſus alias concauſas ad exigendum à ſingulis pro rata.

Procedit attenta natura intrinſeca, non conſuetudine.

PRÆNOTIO VIII.

De ordine reſtitutionis ſeruando ratione rei debitæ.

SVMMARIVM.

Bona incerta, ſi in ſua ſpecie extent, non ſunt reſtituenda creditoribus, ſed ijs, quibus incerta debent reſtitui. 1.

Si bona incerta in ſua ſpecie non extent, reſtitutio prius facienda eſt pro debitis certis, quam pro incertis. 2.

Quando bona certa non ſunt ſub dominio debitoris, ſed creditoris, ipſe creditor præferendus eſt alijs creditoribus, quantumuis hypothecarijs. 3.

Si res fuerit vendita alteri, & tradita habita fide de pretio, probabilius venditor non habet prælationem aduerſus alios creditores hypothecarios, vt pretium ſibi ſoluatur. 4.

Debita ex iuſtitia ſunt prius ſoluenda, ac debita ex liberalitate. 5.

Inter debita ex delicto, & debita ex contractu non eſt ordo prælationis, niſi res debita ex delicto extet. 6.

Inter debita merè perſonalia non eſt ſeruandus ordo prioris, & poſterioris. 7.

Si debitor ſit in ſtatu, quo poſſit omnibus ſatisfacere, poteſt prius ſoluere poſteriori. 8.

Intellige dummodo anterior non petat. Ibid.

Si debitor à proprio ſtatu labatur, ità vt non poſſit omnibus ſatisfacere, non poteſt pro libertate vni potius ſatisfacere, quam alteri, ſed tenetur omnibus ad ratam ſatisfacere. 9.

De rigore iuſtitiæ non eſt prius ſatisfaciendum creditoribus pauperibus omiſſis ditioribus. 10.

Ex æquitate poteſt prius ſolui pauperioribus. 11.

Inter debita chirographaria aliqua habent prælationem, & numerantur. 12.

Primum eſt debitum ſponſi de futuro erga ſponſum ratione dotis non ſecuto matrimonio. 13.

Debitum nummularij ratione pecuniæ apud ipſum depoſitæ. Ibid.

Debitum ex pecunia depoſita in ſocietate mercatorum ad negotiandum. Ibid.

Inter debita hypothecaria ſeruandus eſt ordo prioris, & poſterioris. 14.

Præferendus eſt regularitèr creditor habens hypothecam tacitam anteriorem habenti etiam expreſſam poſteriorem. 15.

Item qui habent cauſam ab anteriori. 16.

Et non ſolum quoad bona præſentia, ſed etiam quoad futura. 17.

Et non ſolum pro ſorte principali, ſed etiam pro fructibus rei. 18.

Etiam ſi poſterior mutuauerit pecuniam pro mercibus emendis. 19.

Niſi mutuatarius expreſsè conuenerit, quod illæ merces eſſent ſpecialitèr mutuanti obligatæ. 20.

Non præfertur habens priorem hypothecam locatori domus quoad inuecta, & illata. 21.

Non præfertur mutuanti pecuniam ad nauim armandam, vel reficiendam. 22.

Nec quoad bona dotalia vxoris in bonis mariti. 23.

Niſi anterior haberet expreſſam hypothecam. 24.

Nec quoad bona empta ex pecunia pupilli. 25.

HActenus de ordine comparatiuè ad debitores; nunc de eodem in ordine ad res debitas ſecundum conſiderationes, quas præmiſimus in principio præcedentis prænotionis. Antequam aſſertiones ponam, ſeu excitem difficultates, hoc præmittendum exiſtimo, quod titulus procedat in ſuppoſitione, quod debitor non ſit omnibus ſoluendo, ſeu non poſſit omnibus ſatisfacere, ſi etenim habeat in bonis, quo poſſit æqualitatem inter omnes creditores ponere, debet ſingulis conferre, quantum debet, & propterea non magna hebenda eſt ratio quoad ordinem reſtitutionis.

Procedit in ſuppoſitione, quod debitor non ſit omnibus ſoluēdo.

Vlterius præmitto, quod ea, quæ in proceſſu aſſertionum dicentur, intelligenda ſint quoad ordinem rerum, & attento iure communi; ſi enim alicubi exiſtant iura municipalia diuerſimodè diſponentia, eiſdem eſt inhærendum. Item intelligenda

Procedit de iure cōmuni, & niſi aliqua ratio ſuperior alitèr ſuadeat.

genda ſunt, niſi præceptum naturale charitatis aliter non exigat; in tali etenim ſuppoſitione charitas quodamodo imperat iuſtitiæ, & ſicuti ex charitate ob maiorem indigentiam proximi conſurgit obligatio ſubueniendi vni potius, quam alteri, itá non mirum, quod conſurgere poſſit ex eadem charitate obligatio ſoluendi vni potius, quam alteri, dummodò id, quod ſoluitur, non ſit adhuc ſub ſpeciali dominio alicuius, puta, quia ſit pignus, vel depoſitum; tunc etenim talis res extrà caſum ſaltem extremæ neceſſitatis nequit alteri ſolui, quia extrà talem caſum charitas non exigit, vt ſubueniatur neceſſitati proximi de alieno. His poſitis ſit.

I Bona incerta ſunt reſtituẽda pauperibus, & locis pijs, nõ creditoribus.

Aſſertio I. Bona incerta, quæ ſcilicèt habent incertum dominium, ſi in ſua ſpecie extent, & verè ſint aliena, ſunt primo loco reſtituenda non creditoribus ex alio titulo, ſed ijs, quibus incerta iuxtà præacta debent reſtitui. *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 1. n. 3.*, qui etiam teſtatur de communi, & extendit etiam, quando aliud non ſupereſſet, quo creditoribus fieret ſatis.

Creditores nõ habẽt ius ad bona, quæ non ſunt debitoris.

Ratio ex eo deducitur, quia creditores habent quidem ius aduerſus bona, quæ ſunt debitoris, non verò aduerſus bona, quæ non ſunt eiuſdem, ſeu extrà ipſius dominium, ſed quotieſcunque bona incerta perſeuerant in ſua ſpecie, non ſunt propria, nec ſub dominio debitoris, ſed ſunt iuxtà ſuperius dicta in pauperes, vel in cauſas pias eroganda, ergo illa ſunt reſtituenda primo loco non creditoribus ex alio titulo, ſed pauperibus, vel cauſis pijs. Confirmatur, quia, ſi debitor habeat rem alienam apud ſe depoſitam, vel ſibi commodatam, non habet creditor ius, vt in illa ſatisfiat, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo, ſi debitor habeat rem alienam, quantumuis fuerit incerti Domini, non habebit creditor ius ad illam. Conſequentia probatur, nam tota ratio, ob quam non videtur militare conſequentia, eſt, quia in caſu antecedentis res eſt aliena certa, cuius ſcilicèt non ignoratur Dominus, in caſu verò conſequentiæ res eſt quidem aliena, ſed Dominus non eſt certus, ſed ex eo, quod Dominus non ſit certus, non efficitur, quod res non ſit aliena, nec quod debitor ſit Dominus illius, ergo creditor non poteſt habere ius, vt in illa ſatisfiat, quandòquidem non habet ius, niſi in bonis debitoris; Neque obeſſe poteſt, quod, cum incertus ſit Dominus, & pertineat quodamodo ad detentorem de illa re diſponere, qui propterea videtur teneri diſponere in eo, ad quod tenetur ex iuſtitia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, licet ſit in poteſtate detentoris de ea re diſponendi, non tamen eſt in poteſtate eiuſdem diſponendi ad proprium commodum, ſed ſecundum præſumptam voluntatem veri Domini, & non aliter, nec alio modo; voluntas autem præſumpta Domini eſt, quod diſponatur in fauorem animæ eiuſdem, vel in eleemoſinas pauperum, vel in alias cauſas pias.

Detentor debet diſponere ſecundum præſumptam volũtatem Domini.

2 Reſtitutio prius facienda eſt pro debitis certis, quam pro incertis.

Aſſertio II. Si bona incerta in ſua ſpecie non extent amplius, tunc prius facienda eſt reſtitutio pro debitis certis, quam pro incertis *D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 3. in princip.*, *Caietanus verb. reſtitutio c. 8.*, *Silueſter verb. reſtitutio 6. qu. 5.*, *Medina C. de reſtitut. q. 2. §. ad aliud, quod quinto loco*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dubit. prima num. 4. & ſeqq.*, *Nauarrus in manual. c. 17. num. 47.*, *Valentia 2. 2. q. 6. punct. 10.*, *Lugus de iuſt. & iur. diſp. 20. ſect. 3.*

Debita certa ſunt magis propriè, & ſpecificè debita.

Probatur, quia debita certa, quæ ſcilicèt certum reſpiciunt creditorem, ſunt magis propriè, & ſpecificè debita, quam ſint incerta, quæ ſcilicèt incertum reſpiciunt creditorem, ergo in reſtitutione illa ſunt iſtis præferenda. Antecedens probatur *ex Medina C. de rebus reſtituendis q. 2. §. ad aliud, quod quinto loco quærebatur verſ. ſecundum dictum*, quia ſcilicèt illud debitum incertum, cum non habeat certum dominum ex præactis eſt erogandum, vel in Eccleſiam, vel in pauperes, ſed Eccleſia, & pauperes non habent tantam actionem, & ius ad bona debitoris, quam habent creditores certi, nam actio pauperum, & Eccleſiæ eſt generica, adeò vt, ſi pauperibus dentur, & non Eccleſiæ non inferatur præiudicium Eccleſiæ, nec è contrà inferatur præiudicium pauperibus, ſi Eccleſiæ dentur, & non eiſdem; actio autem creditorum certorum ſpecifica eſt, & naturalis, & ciuilis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod creditores certi habeant quidem actionem ſpecificam, ciuilem, & naturalem in bona, quæ ſint debitoris, non autem in bona, quæ vel ex diſpoſitione iuris naturæ, vel poſitiui, & ex præſumpta Domini voluntate alijs debentur, nempè Eccleſijs, vel pauperibus, quorum propterea potius ius eſt, quam illud creditoris; nam quamuis Eccleſia, ſeu pauperes determinati non habeat actionem ciuilem ad illa bona, pauperes tamen ſub diſiunctò, ſeu Eccleſia habent ius ad illa, cum talia bona ſint affecta qualitate, qua in eoſdem fertur, & non in alios extra ipſorum ſphæram; vndè iſti, vel illi pauperes iſta, vel illa Eccleſia ſunt quoad illa bona præferendi alijs, qui ſunt extra illos, quique non

Digitized by Google

Satisfit cuidã rationi oppoſitæ.

non habent illam qualitatem paupertatis, vel cauſæ, quæ referatur in piam, & ſicuti, ſi bona ipſa incerta in ſua ſpecie exiſterent, quantumuis non potius in hos, quam in illos pauperes, ſunt tamen in pauperes referenda iuxtà dicta in præcedenti aſſertione, nõ in creditores, quantumuis certos, ità etiam, ſi illa bona in ſua ſpecie adhuc non perſeuerent, cum tamen ſint pauperibus, vel Eccleſiæ ex diſpoſitione iuris debita, erunt in eoſdem eroganda, non in creditores; in pauperes inquam, vel in Eccleſiam ad arbitrium eiuſdem debitoris; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo bona illa non perſeuerant in ſua ſpecie, conſtituunt, quidem onus in debitore eadem, ſi non in ſe, cum non extent, ſaltem in æquiualenti reſtituendi pauperibus, vel Eccleſiæ, non tollunt tamen, quin bona illa ęquiualentia ſint ſub dominio eiuſdem debitoris, ſicuti ſunt cætera debita, vel realia, vel perſonalia, antequam perſoluantur eis, quibus debentur, & propterea creditores certi potius ius habent in eadem, tanquam in bona propria eiuſdemmet debitoris; ex quo patet diſcrimen, quod intercedit, quando bona incerta extant in ſua ſpecie, ac quando in illa non extant; quando etenim extant in ſua ſpecie, non ſunt bona debitoris, nec ſub ipſius dominio, & propterea creditores, quantumuis certi non habent aliquod ius ad illa, ſed ſolummodo pauperes, vel Eccleſia ex pręſumpta voluntate Domini, quando verò non extant in ſua ſpecie bona, quæ intelliguntur eſſe apud debitorem, intelliguntur eſſe ſub eiuſdem dominio, ſicut alia bona alijs debita, & per conſequens quoad illa præferendi ſunt creditores certi habentes ſpecificam, naturalem, & ciuilem actionem creditoribus incertis, quales ſunt pauperes, ſeu Eccleſia non habentes actionem, niſi genericam &c.

Bona illa ſunt ſub dominio debitoris.

3 Aſſertio III. Quando bona certa non ſunt ſub dominio debitoris, ſed creditoris, qualia ſunt bona depoſita, commodata, & ſimilia in reſtitutione præferendi ſunt Domini cæteris creditoribus, quantumuis hypothecarijs. *Nauarrus in manual. c. 17. num. 49., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. fin. nu. 8., Baldus communitèr receptus in l. pro debito C. de bon. auct. Iud. poſid.*

Quando bona certa nõ ſunt ſub dominio debitoris, ſed creditoris creditor ipſe præferendus eſt cæteris creditoribus, quantumuis hypothecarijs.

Expreſsè euincitur per textum *in l. ſi ventri verſ. ſi tamen ff. de priuileg. credit.*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem bona illa non ſunt in cumulo bonorum debitoris, cum quouſque perſeuerant in ſua ſpecie, permaneant ſub dominio deponentis, ſeu commodantis, ſed creditores, quantumuis hypothecarij non habent aliquod ius, niſi in bona propria debitoris, non autem in bona, quæ ſunt aliorum, ergo &c. Hæc, quæ diximus de depoſito, & commodato proportionalitèr intelligenda ſunt de bonis furto ſublatis, quæ certè debentur Dominis, cum remaneant adhuc ſub illorum dominio, nec translata ſint ſub poteſtate furis.

Aſſertio IV. Quando res aliqua abſoluto conſenſu eſt alteri vendita, & nondum per emptorem pretium perſolutum venditori, ſed præciſè habita fides de ipſius ſolutione probabilius venditor nõ habet prælationem aduerſus alios creditores hypothecarios, vt pretium eiuſdem ſibi ſoluatur, vel res ipſa ſibi reſtituatur. Conſentire videntur *Coaruuias lib. 1. var. c. 7. n. 3., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. fin. nu. 9.* quem tamen inordinatè citat Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 2. n. 10., Molina lib. 2. tract. 2. diſp. 536.* 4

Venditor non habet ius ad pretium pro re vẽdita, cum prælatione in ordine ad alios creditores hypothecarios.

Ratio ex eo deducitur, quia emptio, & venditio ſunt ex illis contractibus, qui potiſſimum conſenſu perficiuntur, & ſi acceſſerit traditio rei intelligitur in emptorem translatum dominium; vndè, ſi res illa periret, periret emptori, non venditori per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & venditione prænot. 9. nu. 6. aſſert. 3. quod quartam partem, & n. 8.*, ergo cum in præſenti hypotheſi res ipſa intelligatur translata in emptorem, & facta fuerit conuentio de pretio intelligitur eſſe ſub dominio emptoris, adeòq; creditor, nec habebit ius prælationis in ipſam, nec in pretium eiuſdem, quamuis habeat actionem ciuilem in ipſum pretium; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod creditor, donec ei fuerit perſolutum pretium, vinculatam ſibi retineat eandem rem iure hypothecæ; non, inquam, obeſſe poteſt, nam neque iure naturæ, neque iure poſitiuo intelligitur in tali re conſtituta hypotheca, niſi expreſsè de ea ſit actum; non iure naturæ, quia ius naturæ nullam tacitam inducit hypothecam, quod multis elucet rationibus, quia, ſi emptor rem illam emptam alteri venderet, non poteſt primus venditor eam vendicare, quod ſignum eſt eidem non remanere hypothecatam, cæteroqui poſſet repetere, cum hypotheca afficiat rem, eiuſque poſſeſſorem. Secundò, quia, ſi quis alteri vendiderit v. g. domum expectato ex conuentione pretio, nullaque ſpeciali, & expreſſa poſita hypotheca in eadem re pro pretio, & emptor ad reparationem eiuſdem domus emptæ mutuatas acceperit pecunias, quas verè expenderit in tali reparatione, non præfertur ipſe venditor pro pretio, ſed mutuator

Nõ eſt res vẽdita hypothecata venditori pro pretio.

pro

Digitized by Google

pro mutuo, prout docet *Leſſius lib.2. de iuſt. & iur. c.15. dub.2. n.10.*, & nos etiam latè tradidimus *tom.4. ſub tit. Contractus XI. de pign. & hypoth. prænot.4. nu.17. & ſeqq.* per textum *in l. interdum cum l. ſeq., & ibi Bartolus ff. qui potior. in pign. habeantur, & in l. quod quis 19. ff. eod.*, quod verum non eſſet, ſi hypotheca de iure naturæ remaneret in fauorem venditoris in re vendita, quouſque in effectu pretium eiuſdem rei per emptorem ſolueretur; Neque iure poſitiuo vinculata remanet eidem venditori iure hypothecæ res vendita, quouſque per emptorem ipſi fuerit pretium perſolutum, quia nullum ius poſitiuum inducens talem hypothecam in vniuerſis textibus reperitur, quod, ſi afferatur textus *in §. venditæ Inſtit. de rerum diuiſ.*, vbi ſic legitur. *Venditæ vero res, & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam ſi is venditori pretium ſoluerit, aut alio modo ei ſatisfecerit veluti ex promiſſore, aut pignore dato, quod quamquam cauetur in l. duodecim tabularum rectè tamen dicitur, & iure gentium ideſt iure naturali id effici*, ex quibus verbis videtur inferri, quod in ea hypotheſi, qua emptor, vel verè, vel fictione iuris non ſatisfecerit, ſi non ratione hypothecæ, potiori tamen iure dominij creditor ſit alijs quoad illam rem præferendus; ſi, inquam, talis textus afferatur, ſtatim ſubdam, quod fiat proſecutio lectionis in eod. §., & hæc alia verba apparebunt, *ſed ſi is qui vendidit fidem emptoris ſecutus eſt, dicendum eſt ſtatim rem emptoris fieri*; creditor autem videtur ſequi fidem emptoris, quando ei credit abſque fideiuſſore, vel pignore.

Soluitur inſtantia oppoſita.

Scio Leſſium *d. lib.2. de iuſt. & iur. c.15. dub.2. nu.11. cum alijs DD.*, quos ibidem allegat, duram nimis, & aſperam arbitrari hanc noſtram opinionem, cum videatur iuri naturæ repugnans, quod res à venditore tradita emptori nondum ſoluto pretio, & in ſua ſpecie perſeuerans alijs aſſignetur, & creditor re ſua, & pretio eiuſdem fraudetur in concurſu aliorum creditorum anteriorum. Addit, quod, ſi quis domum ſuam alteri locauerit, omnia in eandem inuecta maneant obligata pignori pro annuis penſionibus, & damnis domui illatis, quod etiam nos alibi commendauimus, ex quo infert argumento, vt ipſe aſſerit, à fortiori, quod res vendita hypothecata, ſeu obligata remaneat pro pretio verſus eundem venditorem. Subdit tandem, quod, quando venditor fidem habet emptori pro pretio ſoluendo, & ſi intendat transferre dominium, non tamen intendat ſe priuare omni iure, & recurſu ad rem ſuam. Sed his non obſtantibus adhuc perſiſto, nec illa duritia, quam ipſe cogitat, aliquam vim poteſt facere; quandòquidem hęc oritur ex natura contractuum, ſecundum quos dominium tranſtulit, & creditor debebat ſibi præcauere, vel non tradendo rem ſine pretio, vel reſeruando ſibi in eadem re expreſſam hypothecam, vel fideiuſſorem exigendo pro pretio; quamobrem poſita illa translatione ſine vlla exceptione non habet ius in illam rem, nec ratione dominij, nec hypothecæ; non ratione dominij, quia illud amplius non habet, quod videtur fateri ipſe *Leſſius loc. cit. n.12.* in fine, dum aſſerit, quod, ſi emptor alteri vendiderit, non maneat res illa amplius obligata venditori, quod falſum eſſet, ſi adhuc creditor retineret in illa dominium, cum poſſet illam ratione eiuſdem à quocunque vendicare, quinimmò, ſi adhuc retineret dominium venditor, emptor non potuiſſet rem illam alteri vendere, quia dominium, quod non habuit in ſe, non potuit in alium transferre; nec ratione hypothecæ propter rationes adductas in probatione aſſertionis. Ad illud, quod primo loco ſubdit, dicendum eſt exemplum illud non facere ad rem, cum quoad inuecta, & illata ſpeciali iure inducta eſt in illis hypotheca pro annuis penſionibus, quod non reperitur diſpoſitum quoad res venditas, nec in hoc valet argumentum à paritate, ſeu maioritate rationis, quandòquidem hæc ex natura ſua non inducitur, ſed tantum ex diſpoſitione iurium poſitiuorum, & ex partium conuentione; iura autem non obligant, niſi ſecundum ea, quæ exprimunt. Ad illud, quod vltimo loco ſubditur, dicendum eſt, illam intentionem, quam præſumit Leſſius in creditore ſe non priuandi omni iure, & recurſu ad rem ſuam, nullum effectum poſſe operari, quia propoſitum in mente retentum nihil operatur, & quamuis etiam expreſſiſſet, nihil egiſſet, niſi emptor ipſe conſenſiſſet; vndè debet ſibi imputare, quod non præcauerit expreſsè conueniendo.

Variæ rationes Leſſij aduerſus aſſertionem.

Soluuntur omnes rationes eiuſdem.

Quoad illata, & inuecta eſt ſpecialis ratio.

5 Aſſertio V. Debita ex iuſtitia certæ perſonæ, ſeu certis perſonis prius ſunt ſoluenda, quam debita ex legato, ſeu donatione cauſa mortis, quantumuis legata fuerint relicta Eccleſiæ, ſeu cauſæ piæ. Expreſsè conſentit *Petrus à Nauarra lib.4. de reſtit. c.fin. n.7.*

Debita ex iuſtitia certæ perſonę prius ſunt ſoluẽda, quę debita ex legato.

Ratio ex eo deducitur, quia quoad onus reſtitutionis ſunt præferenda debita ex iuſtitia debitis ex propriæ voluntatis arbitrio, ſeu ex liberalitate, nec ipſe teſtator potuit inſtituere legatum ex bonis, quæ alio titulo iuſtitiæ præcedenti erant alijs debita, ergo hæres, qui repræſentat perſonam defuncti quoad iura, &

Digitized by Google

onera realia debet prius ſoluere debita ex iuſtitia certis perſonis, quam perſoluere legata etiam pro cauſa pia inſtituta. Accedit, quod legata intelligantur ſolum debita deducto prius ære alieno, adeòque prius facienda eſt ſolutio quoad debita, quam quoad legata; Neque obſtat, quod legata fuerint in cauſam piam inſtituta; non obſtat, inquam, quia neque in ordine ad cauſam piam licitum eſt de alieno facere donationem, quia vt bene notat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitutione loc. cit.* hoc eſſet offerre ſacrificium de rapina.

Legata ſunt tantũ debita deducto ære alieno.

Neque item obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in bonis hæredis pro legatis intelligatur tacita hypotheca *l. 1. C. communia de legat. §. noſtra inſtit. de legat., Neguſantius memb. 4. part. 2. n. 157., Mantica lib. 11. de tacit. tit. 27. n. 1., Vaſquez opuſc. de pign. c. 3. §. 1. nu. 30.*, ex quo videtur inferri, quod creditor ex legato in ſolutione præferendus ſit alijs creditoribus non hypothecarijs per infra ponendas rationes; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia talis hypotheca, quæ aſſeritur per allegata iura, & DD. procedit ſolummodo ex ſuppoſitione, quod legata, in quorum fauorem annexa eſt tacita hypotheca, ſint debita, vbi enim res non eſt debita non poteſt pro eadem eſſe hypotheca, quæ fundatur in debito; extantibus autem debitis, quæ totam abſorbeant hæreditatem legata non poſſunt ſubſiſtere, adeòque neque habere hypothecam.

Hypotheca nõ poteſt ſubſiſtere ſine debito.

6 Aſſertio VI. Inter debita ex delicto, & debita ex contractu nullus ordo prælationis ex genere ſuo in reſtitutione eſt ſeruandus, niſi res debitæ ex delicto in ſua ſpecie perſeuerent *Silueſter verb. Reſtitutio 6. q. 5. dict. 5., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. fin. nu. 41., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 3. n. 16.* Eſt contra *Ioannem Medinam C. de reb. reſtituen. q. 2. dub. 5., Michaelem Salonium in 2. 2. D. Thomæ q. 62. art. 8. in fine, Angelum verb. reſtitutio 2. n. 18.* volentes debita ex delicto prius eſſe reſtituenda, quam debita ex contractu, & inter debita ex delicto adinuicem comparata, prius quæ ex grauiori delicto, quam quæ ex minus graui, & ſic prius, quæ ex rapina, quam, quæ ex furto, deinde prius, quæ ex furto, quam quæ ex vſuris. Rationem ex eo deducunt, quia peccata, ſeu debita ex delicto contracta ſunt cum maiori iniuria, & iniuſtitia, quam debita ex contractu, quod etiam militat quoad debita ex delicto grauiora comparata ad leuiora; quoties autem non poteſt ſimul ab omnibus peccatis recedi prius à grauioribus eſt recedendum. Addunt auctoritatẽ *D. Thomæ opuſculo 76. c. 18.* aſſerentis *Cum neceſſaria ad ſalutem præcedant ea, quæ ſunt deuotionis, iuſtè ſoluuntur debita ante legata, ſed maiori iuſtitia reſtituenda ſunt ablata, quam debita ſoluenda, cum in hoc impleatur iuſtitia, & tollatur iniuria facta Deo, & proximo &c.* Eſt item contra *Caietanum verb. reſtitutio c. 8., Nauarrum in manual. c. 17. n. 52., Bartholomæum Medinam lib. 1. ſummæ c. 14. §. 33., D. Antoninum part. 2. tit. 2. c. 7. §. 1. & 2.* volentes prius reſtituenda eſſe debita ex contractu iuſto oneroſo, quam debita ex delicto; contractu, inquam, oneroſo, vt excludatur contractus gratuitus, ſeu debita ex contractu gratuito, puta legato, ſeu donatione propter rationes ſuperius adductas. Rationem in eo conſtituunt, quia debita ex contractu inducunt obligationem magis voluntariam, quam illa ex delicto, ſiquidem debita ex contractu contrahuntur per omninò liberam contrahentis voluntatem, qui enim contrahit, aduertit, & acceptat obligationem, qui verò delinquit, non aduertit, neç vult acceptate talem obligationem.

Inter debita ex delicto, & debita ex contractu nullus eſt ſeruandus ordo prælationis, niſi res debita ex delicto extat.

Rationes pro contraria ſententia.

Probatur iam aſſertio, quia debita, ſiue ſint ex delicto, ſiue ex contractu ſemper ſunt debita perſonalia, & pariunt dumtaxat perſonalem actionem, ſed inter debita merè perſonalia nullus ex neceſſitate ordo eſt ſeruandus in illorum reſtitutione, ergo &c. Maior non videtur pati difficultatem, quia vbi nulla eſt hypotheca, nec ratio dominij ſemper eſt debitum merè perſonale. Minor probatur, quia quoad debita perſonalia, nec ius naturæ præſcribit ordinem, nec ius poſitiuum, non ius naturæ, quia hoc iure nulla inducitur tacita hypotheca; ſi enim contrahentes pacto expreſſo non obligant res ſolutioni, non eſt, cur illa iure naturæ potius vni, quam alteri intelligantur obligata, non ius poſitiuum, quia hoc inducens ius prelationis, quando non adeſt, vel tacita, vel expreſſa hypotheca, non inuenitur. Confirmatur, quia, ſi debitor requiſitus, vel à creditore habente ius ex delicto, vel à creditore ex contractu alteri ſoluerit prius petenti, non ſolum licitè, & iuſtè ſoluit, ſed etiam hoc præſtare tenetur per textum *in l. pupillus ff. quæ in fraudem creditorum*, & docent *Nauarrus c. 17. nu. 52., Silueſter verb. reſtitutio 6. q. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 15. dub. 5. n. 39., Petrus à Nauarra lib. 4. c. fin. n. 42.*, & ratio eſt, quæ deducitur ex dicto textu *in l. pupillus*, vbi dicitur, quod diligentia poſterioris creditoris facit eum potiorem, ſicuti hypotheca, vel priuilegium, & vlterius confirmatur *ex l. quod autem §. 2. & 3. ff. quæ in fraudem crediti*, vbi dicitur. *Qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris poſſideantur*, ideſt,

Omnia ſunt debita perſonalia.

Rationes pro noſtra opinione.

Diligentia poſterioris creditoris eũ facit potiorem.

vt

Digitized by Google

vt explicat *Leſſius loc. cit. nu.* 41. cum alijs communicèr, antequam auctoritate Iudicis ab alijs creditoribus occupentur, *quamuis ſciens, prudenſque ſoluendo non eſſe, recipiat, non timet hoc dictum*; hæc autem non verificarentur, ſi ſeruandus eſſet ex neceſſitate ordo in ſimilibus debitis reſtituendis.

Ex reſponſione, ſeu ſolutione argumentorum, quæ pro vtraque parte aduerſa afferuntur, clarius, & concludentius innoteſcet aſſertio. Quamobrem ad primum pro prima opinione adductum dicendum eſt, quod quamuis debita ex delicto ſint cum maiori iniuria, quam debita ex contractu, & inter debita ex delicto ſit maior iniuria in rapina, quam in furto, quantum tamen ad onus reſtitutionis æqualis obligatio in vtroque viget, cum in vtroque caſu detineatur res aliena inuito Domino, & ſuppoſita detentione rei, ſeu ablatione æquè eſt contrà iuſtitiam non reſtituere debitum ex contractu, & non reſtituere debitum ex delicto; vndè dici poteſt, quod, quamuis in fieri contractio debiti ex delicto ſit magis contrà iuſtitiam, quam contractio debiti ex contractu, immo nullatenus hæc ſit contrà iuſtitiam, tamen in facto eſſe retentio vtriuſque debiti æquè eſt contrà iuſtitiam, quia æquè eſt retentio rei alienæ Domino rationabilitèr inuito. Quod, ſi vrgeas, quod, cum contractio debiti ex rapina ſit maius peccatum, quam contractio debiti ex contractu, in concurſu vtriuſque debiti, quando vtrumque ſolui non poteſt ſit prius ſoluendum illud, in quo conſiſtit grauius peccatum, vt ab illo recedatur; ſtatim impugnaberis, quia maior illa iniuria, in qua conſiſtit grauius peccatum in fieri immediatè deſinit, ac deſinat vis, quæ infertur, & ad hanc auferendam, ſeu pro compenſatione iſtius non requiritur quid aliud ab ipſa reſtitutione rei ablatæ; vndè ſemel commiſſo peccato non remanet, niſi onus reſtituendi, ſeu non detinendi rem ablatam, & tunc iniuria, ſi quæ perſeuerat, conſiſtit tantum in eo, quod res aliena non dimittatur, quod æquè militat, ſiue res, quæ detinetur, detineatur, & habita fuerit ex delicto, ſiue habita fuerit ex contractu, & detineatur poſt elapſum terminum contrà voluntatè Domini. Igitur quoad onus reſtitutionis eadem vis viget in debito, ſiue contractum fuerit ex delicto, ſeu ex contractu cum eo ſolum diuerſo reſpectu, quod prius debitum contractum eſt in origine cum maiori peccato, ad quod tamen delendum vltrà reſtitutionem aliud non requiritur, quam quod deteſtetur peccatum, & in confeſſione exprimatur ſecundum ſuam ſpeciem; cæterum quoad onus reſtitutionis non eſt maior ratio prælationis in vno, quam in altero. Ad illud, quod ſubditur ex D. Thoma, dicendum eſt ipſum procedere dumtaxat ſpectato quodam ordine congruentiæ per ordinem ad vtilitatem præcisè eius, qui infectus eſt labè peccati, quique tenetur reſtituere, non autem ſpectato onere iuſtitiæ, quantum eſt ex parte eiuſdem, vel dicas, ea procedere, quando nullo creditore diligentius vrgente ad ſolutionem eſt quodamodo in libertate, ſeu optione debitoris reſtituendi; non autem diligentius præ vrgente creditore ex contractu, vel vtroque ſimul; cęteroqui, vt benè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 3. n. 17. in reſponſ. 2. in fine* contrà ius naturę eſſet conſuetudo, Iudicum, qui in ſimili caſu iubent pro rata talibus creditoribus reſtitui, & tenerentur ipſi de ſuo ſupplere, quod nemo dicet.

Soluuntur rationes pro cõtraria ſẽtentia.

Non deſumitur ratio reſtitutionis per pręlationẽ ex maiori delicto.

Ad argumentum pro ſecunda opinione dicendum eſt onus reſtitutionis non conſurgere potius ex maiori inuoluntarietate ex parte perſonæ læſæ, quam ex maiori voluntarietate lædentis, vt ſupra ex mente D. Thomæ latius probauimus, cum etenim iniuſtitia ſit ad alterum lęſio alterius magis attendenda eſt, ex qua ratione rectè deducitur, quod potius eſſet reſtituendum debitum ex delicto, quam debitum ex contractu, cum in illo ſit omnimoda inuoluntarietas reſpectu perſonæ læſæ, non ſic in iſto, quod tamen non ità verum eſt, vt probatum eſt in ratione aſſertionis. Hinc ſit

Soluuntur aliæ rationes oppoſitæ.

Aſſertio VII. Inter debita merè perſonalia non eſt ex neceſſitate in reſtitutione ſeruandus aliquis ordo prioris, & poſterioris. *Silueſter verb. reſtitutio 6. q. 5. D. Antoninus part. 2. tit. 2. c. 7. §. 3., Leſſius lib. 2. c. 15. dub. 6. n. 44.* 7

Inter debita merè perſonalia nõ eſt ſeruandus ordo prioris, & poſterioris.

Pro clariori notitia aduertendum eſt debita certa eſſe in duplici quodamodo differentia; alia ſcilicèt realia, & hypothecaria, alia perſonalia, & chirographaria; realia ſunt ea, per quæ creditor directè habet ius ad rem, vt contingit in debitis hypothecarijs, reſpectu quorum creditor habet ſibi, vel ſpecialitèr, vel generalitèr obligatas res ſui debitoris; perſonalia verò ſunt illa, per quæ creditor directè habet ius, ſeu actionem contrà perſonam debitricem, & mediatè ad bona ipſius; Nunc agimus de his debitis perſonalibus ad inuicem compenſatis; in ſubſequentibus de realibus, ſeu hypothecarijs tam in ordine ad ſe, quàm in ordine ad bona perſonalia, ſeu hypothecaria.

Debita in multiplici differẽtia.

Probatur iam aſſertio *ex l. prima §. contrario ff. de ſeparat. bon.*, vbi legitur *Licet alicui adijcipiendo ſibi creditorem creditoris ſui deteriorem facere conditionem*, quem textum explicantes *Silueſter q. illa 5. & Petrus de Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. fin. in fin.* dicunt licitum eſſe debitori propter cumulum creditorum deteriorem facere partem priorum creditorum, quod etiam expreſsè docet *Baldus in l. pro debito C. de bon. auct. Iud. poſid.* Vlterius probatur ratione, quia, ſi ex iuſtitia, vel neceſſitate aliqua eſſet ſeruandus ordo in reſtitutione quoad huiuſmodi debita perſonalia, creditori poſteriori petenti, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium præter iuris ordinem reſtitueretur debitum, quinimmo incongrua eſſet Iudicum praxis communitèr recepta, ſecundum quam pluribus creditoribus non priuilegiatis, nec habentibus hypothecam, quantumuis prioribus, & poſterioribus in tempore agentibus aduerſus debitorem adiudicant, quando hic non eſt omnibus ſoluendo, quod reſtitutio fiat omnibus pro rata, quandòquidem ratione ordinis prioritatis eſſet integre debitum perſoluendum primis, & anterioribus, vnde adiudicantes vnicuique pro rata læderent anteriores, & ſic tenerentur de ſuo ſupplere; ſed hæc ſunt contrà communem ſenſum, ergo &c.

Probationes pro aſſertione.

Dices primo obſtare textum *in reg. qui prior eſt tempore ff. de reg. iur.*, in quo priores in tempore quoad creditum præferuntur, & textus ipſe loquitur non reſtrictiuè ad certa, & determinata creditorum genera, ſed indefinitè ad omnia in ſuo genere, adeò vt, ſicuti inter hypothecaria, quæ priora ſunt tempore ſunt prius ſoluenda, ità inter perſonalia, & chirographaria ſint etiam eadem in tempore priora præferenda quoad reſtitutionem, ſeu ſolutionem; nec incongruè hic ordo prioritatis, & poſterioritatis ſtatuitur, quandòquidem omnis æquitas poſtulat, vt qui diutius re ſua caruit, citius eandem recuperet, & vt primus creditor non fraudetur propter debita poſteriora. Sed contrà, quia illa regula, vt bene notat *Silueſter d. verb. reſtitutio 6. qu. 5. propè fin.*, *ArchiDiaconus arg. c. relatum de teſtam. in fin.*, *Baldus in d. l. pro debito C. de bon. aut. Iud. poſ.*, *Leſſius d. lib. 2. c. 15. dub. 6. n. 44.* procedit dumtaxat quoad debita realia priuilegiata, & hypothecaria, in quibus certè ordo ſeruandus eſt, prout ex multis *leg. C. qui pot. in pign.* probat *Leſſius loc. cit.*, non autem quoad debita ſimplicitèr perſonalia, quod etiam argumento à poſteriori euincitur, nam ſi fiat ex debitis hypothecarijs ſolutio poſteriori creditori omiſſo anteriori, hic poteſt reuocare ſolutum; quod non contingit, ſi ex debitis præciſè perſonalibus fiat ſolutio poſteriori diligentius petenti omiſſo priori; non enim hic poteſt reuocare ſolutum per textum *in l. quod autem §. 2. & 3. ff. quæ in fraud. credit.*; Neque maiorem vim faciunt ea, quæ ad confirmationem præfatæ regulæ adducuntur in inſtantia, quandòquidem, quod creditor diutius caruerit re ſua imputandum eſt ipſius culpæ, quod prius non egerit ad ſolutionem, & cum non egerit, intelligitur aſſenſum præbuiſſe dilationi ſolutionis; minus vim facit, quod creditor prior videatur fraudari propter credita poſteriora; minus, inquam, quia debitor contrahendo poſteriora debita vſus eſt iure ſuo, & creditor anterior debebat ſibi conſulere per præuentionem in exigendo ſuo credito, cum non haberet aliquam hypothecam in rebus ſui debitoris, & directè ſolum haberet obligatam perſonam.

Explicatur regula, quæ dicitur, quod prior in tempore potior ſit in iure.

In debitis pure perſonalibus ſolutio facta poſteriori debitori nō poteſt reuocari.

Dices ſecundo, prioritas temporis confert prælationem canonicis in ordine ad conſeſſum in capitulo, & in ordine ſubſcribendi inſtrumentis actuum capitularium, item in habentibus gratias expectatiuas in eadem Eccleſia, prout notat *gloſa in d. reg. qui prior*, vbi aſſerit hunc ordinem ſeruandum etiam eſſe inter plures creditores, quando vendũtur bona debitoris ad ſatisfaciendum ipſis, ergo &c. Sed contrà, quia quoad allegata in inſtantia eſt ſpecialis diſpoſitio in iure, quæ diſpoſitio non eſt quoad credita perſonalia eiuſdem rationis, pro quibus propterea non eſt facienda extenſio.

Soluitur alia inſtātia.

Dices tertio ex eo, quod quis vni creditori prius ſe obligat, obligat ſe ad non ponendum impedimentum ſolutioni debiti, quod contrahit, ergo obligat ſe ad non contrahenda debita cum alijs creditoribus, niſi ſaluo iure prioris; hocque in praxi illuſtrari poteſt exemplis, primo in eo, qui cum duabus contraxit ſponſalia, qui ratione conſenſus antecedentèr præſtiti tenetur contrahere matrimonium cum prima, cui promiſit. Secundo in eo, qui duabus eandem operam perſonalem obligauit, ſeu locauit; tenetur enim ipſam exhibere ei, cui prius obligauit, ſeu locauit. Sed contrà, quia hæc inſtantia nimis probat; probat enim, quod debitor contracto vno debito non poſſit aliud contrahere ad ſibi ſubueniendum, etiam ſi bona habeat, quibus poſſit vtrique ſatiſfacere; poſſet enim contingere, quod à ſuo ſtatu decideret, nec poſſet poſtea vtrique ſatisfacere, & ſic per ſecundum debitum contractum poneret quodamodo impedimentum ad ſatisfaciendum primo, & tamen

Noua inſtātia proponitur, & diſſoluitur.

Digitized by Google

men nullus eſt, qui dubitet, quin debitor contracto vno debito poſſit alia contrahere ad ſibi conſulendum; nec poteſt arbitrari, quod ipſe debitor in contractione primi debiti voluerit ſe, ſuaque bona obligare creditori, ita vt voluerit in concurſu aliorum creditorum ipſum cæteris præferri; hoc etenim eſſet ſibi præiuditium inferre, quatenus conſtitueret in ſtatu, quo alij ſubſequentèr difficilius crederent pecunias, ne abſolutè excluderentur à primo. Adde, quod ad inducendam hanc obligationem non ſufficit, quod debitor intenderit velle primo creditori ſatisfacere ante alios, ſed debuit conueniſſe, nec ex illa intentione præſumpta potuit ipſe primus creditor acquiſiuiſſe ius prælationis aduerſus alios ſecundos creditores, cum tale ius, nec inducatur à iure, nec ex conuentione contrahentium. Ad illud, quod ſubditur de ſponſalibus cum duabus contractis dicendum eſt eſſe diſparem rationem, ſiquidem, qui primo contraxit ſponſalia cum vna iam ſe, ſeu ſuam perſonam determinatè, & in particulari obligauit cum eadem, nec obligatio illa potuit ſupra aliud cadere, quam ſupra ipſam perſonam contrahentis, quam propterea non poterit alteri obligare; qui vero contraxit debitum cum primo non obligauit determinatè aliqua bona, ſeu non potius hæc, quam illa, adeoq; &c. Idem dic de obligante eandem operam perſonalem pluribus.

Excitātur nonnulla dubia circa aſſertionem.

Circa hanc aſſertionem modo cōſurgit duplex difficultas; quarum prima eſt, an non ſolum liceat debitori ſoluere creditori poſteriori prius, quam anteriori in tempore, quando ipſe poſterior prius petit; ſed etiam nemine ex creditoribus petente poſſit licitè ex propria libertate prius ſoluere poſteriori, quam anteriori. Secunda eſt, an quandoque inter creditores purè chirographarios, ſeu perſonales detur priuilegium prolationis inter vnum, & alterum.

Nonnullæ conſiderationes, tā ex parte debitoris, quàm ex parte creditoris.

In ordine ad primam, duæ conſiderationes habendæ ſunt; altera ex parte debitoris; altera ex parte creditorum; ex parte debitoris, quatenus perſeueret in eodem ſtatu, in quo probabilitèr ſperet poſſe vtriſque, ſeu omnibus creditoribus ſatisfacere, vel quatenus nouit, ſe à proprio ſtatu decidere, itā vt præuideat, quod non poterit omnibus ſatisfacere; Ex parte creditorum, quatenus vnus ex illis, quantumuis poſterior ſit cæteris omnibus pauperior, vel quatenus omnes ſint in ſtatu, quo vnus potius non indigeat, quam alij. Secundum primam conſiderationem ex parte debitoris, dico primo, quod, ſi ſit in ſtatu, quo ſperet ſe poſſe omnibus ſatisfacere, poſſit licitè ſatisfacere poſteriori, quantumuis non petenti, dummodo tamen prior etiam non petat. Ratio ex eo deducitur, quia non tenetur priori ſatisfacere, nec ex iure prælationis, quod habeat à iure, nec ex conuentione partium, nec ex aliqua fraude, quæ præſumatur aduerſus eundem priorem creditorem, ergo, ſi ſatisfaciat poſteriori non petenti, dummodo etiam prior non petat, non illicitè ſatisfaciet. Antecedens quoad primam, & ſecundam partem patet ex præcedentibus; quoad tertiam ſic euincitur, quia non poteſt talis ſolutio eſſe in fraudem creditorum anteriorum, cum ſit animus, & ſpes omnibus perſoluendi, nec ius naturæ exigat, vt potius vni, quam alteri perſoluatur. Dico ſecundo, quod, ſi ipſe debitor labatur à proprio ſtatu, & vergat in decoctionem, itā vt præuideat non poſſe omnibus ſatisfacere nemine petente ex creditoribus ſolutionem non poſſit vni pro libertate integrè ſatisfacere, ſed tenetur vnicuique ſatisfacere pro rata *Nauarrus c. 17. nu. 52., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 15. dub. 5. n. 40.*, Ratio ex eo deducitur, quia in tali hypotheſi vni integrè ſatisfaciendo præſumitur hoc præſtare in fraudem cæterorum creditorum, præcipuè cum ille, cui pro integro ſatisfacit, ſit par in iure cum alijs, nec diligentia in petendo eum fecerit potiorem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa, qui in hac hypotheſi recepit ſolutionem pro integro, non teneatur in conſcientia reſtituere id, quod recepit, quia non recepit rem alteri obligatā, *l. quod autem §. 2., & 3. ff. quæ in fraud. credit.*, ergo licitè ei facta eſt ſolutio pro integro; quod enim iniuſtè recepit, tenetur reſtituere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum cæteri creditores habeant tantum ius in perſonam debitoris directè, non autem directè in res determinatas, illicitè quidem peragit debitor ſic pro integro vni ſatisfaciendo, non iniuſtè autem agit ille, qui recepit pro integro recipiendo ſuum creditum, & ſicuti, ſi ipſe præueniret alios in petendo diligentia ipſum faceret potiorem per ea, quæ ſupra diximus, ita ex eo, quod cæteros præuenerit in recipiendo, prior ſolutio ipſum facit tutiorem; vndè conſurgit quidem, quod ipſe debitor incongruè egerit ſic perſoluendo, non quod creditor incongruè receperit id, quod ipſi pro integro fuit perſolutum. Iuxtà ſecundam conſiderationem dico ex rigore iuſtitiæ non eſſe priùs ſatisfaciendum pauperi omiſſis ditioribus, niſi pauper ſit in extrema, vel graui neceſſitate. Conſentit *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. fin. n. 46., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur.*

8 Si debitor ſit in ſtatu, quo poſſit omnibus ſatisfacere poteſt licitè priùs ſatisfacere poſteriori.

9 Si non poteſt omnibus, tenetur ſingulis ad ratam.

10 De rigorē iuſtitiæ non eſt prius ſatiſfaciēdum creditoribus pauperibus.

Digitized by Google

iur. c. 15. dub. 7. n. 46., Ratio ex eo deducitur, quia nec ius poſitiuum, nec priuatæ conuentiones, quinimmo, ſi extremam, & grauem neceſſitatem excipias, nec lex charitatis obligat ad ſoluendum prius creditori poſteriori pauperi, ſeu non pollenti tot diuitijs, quot alij pollent, ergo ex neceſſitate non eſt prius eidem facienda ſolutio. Antecedens, quoad primã, & ſecundam partem ſecundum ſe patet, quoad tertiam ſic euincitur, quia charitas quidem exiſtente illa extrema, & graui neceſſitate imperat iuſtitiæ, non autem extra hos caſus; extra quos iuſtitia præferenda eſt charitati. Dixi *ex rigore iuſtitiæ*,

11 Ex quadã æquitate poteſt prius ſatisfieri pauperioribus.

nam ex quadam pietate poſſet ſolui pauperiori, iuxta quem ſenſum arbitror intelligendum eſſe *D. Thomam opuſc. 73, c. 18.*, dum dicit, *quia plus læſus eſt pauper ablatione ſuorum, & plus indiget*, & *Siluestrum verb. reſtitut. 6. in fine*, dum dicit *talem excuſari iure poli, non iure fori*, & *Petrum à Nauarra loc. cit.*, dum dicit, *Quamuis enim magis pium ſit, ſed neſcio, an magis iuſtum; priuare etenim diuitem ſuo iure, ne alter damnificetur, vel vt alteri benefacias iuſtitia non patitur.* Verum tamen eſt, quod, cum ex præactis inter debita perſonalia non detur aliquis ordo, non eſſet damnandus debitor, ſi nemine ex creditoribus petente, nec præueniente pauperiori, ſatisfaceret, ſi etenim, quãdo diligentia non facit aliquẽ potiorem, poteſt alteri, quantumuis non pauperiori ſatisfacere, non video, cur in ſimili hypotheſi non poſſit pauperiori ſatisfacere, maximè cum pro eodem militet titulus pietatis.

12 Dantur aliqua debita chirographaria, quæ habent prælationem.

In ordine ad ſecundam dicendum eſt, inter debita merè perſonalia, ſeu chirographaria dari aliqua, quæ quantumuis non habeant tacitam, nec expreſſam hypothecam, habent tamen perſonale priuilegium prelationis, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 15. dub. 4.* Inter hæc numeratur primo debitum, quod habet ſponſus de futuro erga ſponſam ratione dotis eidem traditæ non ſecuto matrimonio, vt docet *Gloſa in l. eos C. qui pot. in pign. habeant*. Se-

13 Debitum ſponſi de futuro ratione dotis erga ſponſam.

cundo debitum, quod habet nummularius ratione pecuniæ apud ſe depoſitæ, ratione cuius depoſitus non recepit vſuras, per textum *in l. ſi hominem §. fin. ff. depoſiti.* Tertio, debitum ex pecunia depoſita in ſocietate mercatorum ad negotiationem, quãtumuis talis pecunia extans commixta eſſet cum alijs pecunijs eorundem mercatorum; quod ea ratione euincitur, quia quantumuis per commixtionem pecunia ipſa confundatur; ex quo tamen communi conſenſu commiſcetur, ſingulæ partes fiunt communes, per textum *in §. ſi duorum Inſtit. de rer. diuiſ.*, & *l. Marcellus §. Pomponius ff. de rei vendic.*, ſed hoc debitum præfertur ratione dominij, quod potius eſt hypotheca in tali pecunia.

Aſſertio VIII. Inter debita hypothecaria, ſeu realia regularitèr loquendo ſeruandus eſt talis ordo, vt priùs ſoluantur ea, quæ priora ſunt tempore *Silueſter verb. reſtitutio 6. q. 5.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 15. dub. 4. n. 22.*, & quoad hoc videtur habere locum, textus *in reg., qui prior de reg. iur. in 6.* 14

14 Inter debita hypothecaria ſeruandus eſt ordo prioris, & poſterioris.

Expreſsè euincitur *ex l. 2., 4., 5., 6., 7., & 8., C. qui potior. in pig. hab.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem, cum hypotheca afficiat principalitèr res ipſas, & nonniſi indirectè perſonam debitoris per ea, quæ ſupra notauimus, res ipſæ, vtpotè per hypothecam obligatæ intelliguntur debitæ ei, qui prius eas habet hypotheca ſibi deuictas.

Dixi *regularitèr loquendo*, nam multi extant caſus, in quibus ex ſpeciali ratione, & iure præferendi ſunt habentes ſpecialem, ſeu generalem hypothecam poſteriorem. Vt autem clarius, & diſtinctius hac in re procedamus ſecernenda ſunt ea, in quibus habens priorem hypothecam præfertur ab ijs, in quibus non præfertur de quibus latè egimus *tom. 4. ſub tit. Contractus XI. prænot. 15. per totum*, quæ ſatis eſſẽt ad vniuerſas difficultates, quæ in hac aſſertione continentur, enucleandas. Nihilominùs in gratiam lectorum præſentis voluminis, quibus fortaſſis non competet copia præcedentium placet nonnulla in quibus habens hypothecam priorem præfertur poſterioribus, & nonnulla in quibus non præfertur ex ibi dictis referre.

Et quidem loquendo ſecundum regulam generalem poſitam in aſſertione de ijs, qui ſunt præferendi, vbi ſpecialis ratio non obſtat, primo eſt præferendus creditor habens hypothecam tacitam anteriorem, cuicunque habenti etiam expreſſam poſteriorem, prout docent *Dinus in reg. qui prior de reg. iur. in 6.*, *Baldus*, & *Salicetus in l. ſi generalitèr C. qui potior. in pig. hab.*, *Neguſantius de pign. memb. 2. part. 5. nu. 14.*, prout colligitur *ex l. 2. ff. qui pot. in pign. hab.*, vbi ſic legitur, *qui generalitèr bona debitoris pignori accepit eo potior eſt, cui poſtea prædium ex ijs bonis pign. dat.* 15

15 Creditor habens tacitam hypothecã anteriorẽ præfertur poſteriori habenti expreſsã.

Secundo præferendus eſt non ſolum ille, qui habet priorem tacitam hypothecam habenti poſteriorem expreſſam, ſed etiam ille, qui cauſam habet à priori per textum *in l. ſi generalitèr C. qui potior. in pig. hab.*, vbi ſic legitur *Si ab illo priore tempore tu comparaſti, non oportet te ab eo, qui poſtea credidit, inquietari*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem, qui ab alio 16

16 Item, qui habet cauſam ab anteriori habente tacitam.

Digitized by Google

alio priore cauſam accepit in illius iura, & locum ſuccedit.

17 Et non ſolũ quoad bona præſentia, ſed etiam quo ad futura.

Tertio præferendus eſt, qui priorem tacitam hypothecam habet non ſolum in bonis præſentibus debitoris, ſed etiam in bonis poſtea quæſitis per textum *in l. Titius in princip., & ibi Bartolus, & Baldus ff. qui pot. in pign. hab.*, & ità docent *Neguſ. de pign. part. 5. memb. 2. n. 5. in fin., Baldus in l. hac edictali §. his illud col. vlt. verſ. vt ſi qui C. de ſecundis nuptijs, Bartolus in l. is qui ff. de iur. fiſci*, quod ea ratione euincitur, quia hypotheca generalis extenditur ad bona etiam futura.

18 Et non ſolum pro ſorte, ſed etiam pro fructibus.

Quarto præferendus eſt habens hypothecam tacitam generalem non ſolum pro ſorte principali, ſed etiam pro omnibus fructibus rei per textum *in l. Lucius Titius ff. qui pot. in pig. hab.*, & ita docent *Socin. Sen. conſ. 41. nu. 2. verſ. ſi ergo concludendum eſt lib. 4., Pariſius conſ. 102. nu. 8. lib. 3.*, & rectà quidem ratione in hoc proceditur, quandoquidem fructus ſequuntur naturam ſui principalis.

19 Etiam ſi poſterior mutuauerit pecuniam ad merces emendas.

Quinto præferendus eſt habens hypothecam tacitam priorem habenti poſteriorem expreſſam ex eo, quod mutuauerit pecuniam pro mercibus comparandis *Paulus de Caſtro in l. ſi cum dotem §. vlt. n. 5. ff. ſolut. matrim., & ibi Romanus n. 25., Alexander nu. 5., Neguſantius de pign. part. 5. memb. 2. verſ. 4. n. 3.* Hoc procedit in ſuppoſitione, qua conuentum fuerit per mutuatorem de expreſſa hypotheca in re aliqua diſtincta ab ipſis mercibus emptis; ſi etenim mutuans expreſsè conuenerit cum mutuatario, vt merces pecunia mutuata emptæ per ſe ſint ei obligatæ non videtur habens tacitam hypothecam generalem ei preferendus, prout docet *Mantica de tac. & ambig. conuent. lib. 11. tit. 22. n. 27., Neguſantius loc. cit. n. 3., Aretin. in l. qui Romæ §. callimachus n. 4., & Iaſon n. 2. ff. de verb. oblig.* cuius limitationis ea ratio videtur eſſe, quia ex quo mutuans mutuauit ad eum præciſè finem emendi merces, eaſdemque voluit ſibi eſſe obligatas voluit, quaſi quod proprio nomine emerentur, & ſic habet dominium quodamodo in illis.

20 Niſi mutuatarius cõuenerit, vt merces illa pecunia emptę eſſent mutuanti ſpecialitèr obligatæ.

21 Non præfertur habens priorẽ hypothecã locatori domus pro inuectis, & illatis.

Loquendo verò de caſibus exceptis primo non præfertur habens hypothecam tacitam generalem locatori domus, quamuis poſteriori quoad inuecta, & illata pro penſione domus locatæ per ea, quæ docuimus *tom. 4. ſub tit. Contractus X. de loc. & conduct. diſq. §. 4. & §. 7.*, & docent *Bartolus in l. interdum in princip. ff. qui pot. in pign. hab., Aretinus in l. ſi quis rem ad fin. verſ. habet etiam expreſſa ff. de acq. poſſeſ.*

Non præfertur ſecundo habenti poſteriorem hypothecam ex eo, quod pecuniam mutuauerit ad nauem armandam, vel reficiendam per textum *in l. interdum ff. qui pot. in pign. habeantur*, & ibi *Gloſa, Bartolus, Azon, & Salicetus*; quod etiam alij extendunt, quando pecunia eſt mutuata, & inſumpta ad refectionem cuiuſcunque ædificij *Bartolus in d. l. interdum ff. qui potior. in pign. hab. textus, & Gloſa in l. creditor qui ob reſtitutionem ff. ſi cert. pet.*

22 Nec mutuanti pecuniã ad nauim armandam, vel reficiẽdam.

Non prefertur tertio hypothecę, quam habet vxor in bonis mariti ratione ſuæ dotis per ea, quæ docuimus *tom. 4. ſub tit. Contract. XI. de pign. & hypoth. prænot. 5. per omnes ferè ſect.*, quod adeò verum eſt, vt etiam concurrente eo, qui pecunia mutuauit ad refectionem nauis, vel ædificij pro eadem dote vxor ſit præferenda per ea, quæ docent *Salicetus in l. quo iure C. qui potior. in pign. hab. & alij*, & nos tradidimus *tom. 4. ſub tit. Contractus XI. de pig. & hypoth. prænot. 10. n. 8.* Hic tamen aduertendum eſt primo, quod, ſi alter habuerit hypothecam expreſſam priorem non ſit eidem præferenda vxor pro ſua dote habens hypothecam tacitam per ea, quæ docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 4 n. 27.*, & nos latè tradidimus *tom. 4. ſub tit. Contractus XI. de pignor. & hypoth. prænot. 5. ſect. 4. nu. 32.*, quia licet iura, quandòque in fauorem alicuius generis perſonarum derogent diſpoſitioni iuris communis, regularitèr tamen non derogant expreſſis hominum conuentionibus, niſi exprimant, cum facilius lex tollat, quod ſuum eſt, quam, quod eſt hominis.

23 Nec quoad bona dotalia vxoris in bonis mariti.

24 Niſi anterior haberet expreſſam hypothecam.

Non præfertur quarto habens priorem tacitam hypothecam pupillo in ordine ad rem emptam pecunia eiuſdem pupilli, & hoc ex ſpeciali priuilegio ſtatus pupillaris per textum *in l. idemque, & ibi Gloſa, & Bartolus ff. qui pot. in pign. hab.*, vbi in titulo ſic legitur *In re empta per Tutorem pecunia pupilli præfertur pupillus anterioribus creditoribus, quatenus ex eius pecunia ſit ſolutum.*

25 Nec quoad bona empta ex pecunia pupilli.

Alias plures exceptiones ſecundum quas habens priorem hypothecam tacitam non præfertur habenti, vel tacitam, vel expreſſam poſteriorem vide *tom. 4. ſub tit. Contractus XI. prænot. 5. ſect. 4. & ſeqq. per totum, & ſub eodem tit. prænot. 11., & ſeqq.* non enim vacat repetendo, quæ iam actitata ſunt, diutius immorari.

Digitized by Google

PRÆNOTIO IX.

Quonam loco facienda ſit reſtitutio.

SVMMARIVM.

Reſtitutio ex delicto facienda eſt in loco, in quo Dominus fuiſſet eam habiturus, ſi non fuiſſet ablata. 1.

Si fur alio migrauerit cum re furtiua tenetur remittere ad dominum ſuis ſumptibus. 2.

Si Dominus fuiſſet rem alio aſportaturus ſine expenſis tenetur fur eam remittere proprijs ſumptibus; ſi Dominus cum minoribus, tenetur fur etiam proprijs remittere detracto eo, quod Dominus expendiſſet. 3.

Reſtitutio ratione rei acceptæ facienda eſt in loco, in quo eſt. 4.

Depoſitum regularitèr reſtituendum eſt in loco contractus. 5.

Depoſitum, ſi fuerit ſublatum, & à fure alio translatum, non eſt remittendum ad Dominum expenſis depoſitarij, ſi non fuerit in culpa. 6.

Commodatum reſtituendum eſt in loco, in quo eſt traditum. 7.

Reſtitutio ex contractu facienda in alia re ab accepta facienda eſt in loco, in quo accepta eſt, & ad æſtimationem illius loci. 8.

Legatum, hæreditas, & donatio ſoluenda ſunt in loco, in quo res erat, quando fuit legata, relicta. 9.

HIC etiam conſiderandum eſt, an debitum ſit ex delicto, an ex contractu, an ex donatione, legato, vel teſtamento; rurſus, ſi debitum eſt ex contractu, vel eſt ex contractu, qui ſolum ſit in vtilitatẽ recipiẽtis, ſeu detinentis rem, vel ſolũ in vtilitatẽ tradẽtis, vel in vtilitatem vtriuſq; Rurſus debitum poteſt eſſe præciſè ex re accepta. Iuxta has omnes conſiderationes examinandus eſt præſens titulus, quonam ſcilicet in loco ex quocunque titulo debitum proueniat ſit onus reſtituendi.

1 *Reſtitutio ex delicto facienda eſt in loco, in quo dominus fuiſſet habiturus.*

Aſſertio I. Reſtitutio, quæ oritur ex delicto, facienda eſt in loco, in quo Dominus talem rem poſſeſſurus erat, ſi non fuiſſet ablata, adeout, ſi Dominus alio commigrarit, & illuc fuiſſet rem adſportaturus, teneatur iniuſtus detentor illuc rem ablatam proprijs expenſis deferre. *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5. circa ſolutionem tertij arg., Medina C. de reb. reſtit. q. 2. dub. 3., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 15. dub. 8. nu. 48., Coarruuias ad reg. peccatum prima parte n. 9., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1., & alij magis communitèr*. Hæc aſſertio æquè intelligenda eſt, ſiue debitor ex delicto poſt rem ablatam alio commigrauerit deferens rem ad locum, ad quem ſe tranſtulit remanente creditore in eodem loco, in quo abſtulit ille rem ſuam; ſiue creditor alio commigrauerit, quo rem ſuum fuiſſet adſportaturus, ſi non fuiſſet ablata remanente fure, ſeu debitore in eodem loco furti.

Rationes pro aſſertione.

Ratio ex eo deducitur, quia, qui tenetur ex delicto rem reſtituere tenetur ſeruare omnino indemnem creditorem, nec ſolum rem reſtituere, ſed ita reſtituere, vt ex illa ablatione dominus nullum damnũ patiatur; non enim onus reſtitutionis oritur ſolum ex eo, quod quis ex alterius iniuria aliquid acquiſierit, ſed etiam ex eo, quod alteri damnificauerit ſine ſuo lucro; ſed niſi faciat reſtitutionem in loco, in quo Dominus rem ablatam poſſeſſurus erat, non ſeruat ipſum omnino indemnem, quandoquidem teneretur pati damnum translationis, & expenſas pro illa ſoluere cum ſuis incommodis. Confirmatur, quia iniuſtus acceptor rei alienæ, qui eandem conſumpſit, tenetur rem, ſeu æquiualens ſoluere ſecundum valorem, quem res habitura fuiſſet pro tempore reſtitutionis, ſi dominus fuiſſet illam ad illud tempus conſeruaturus per ea, quæ latius ſupra docuimus, ergo etiam tenebitur idem iniuſtus acceptor eandem rem reſtituere in loco, in quo dominus fuiſſet habiturus, ſi non fuiſſet ablata, quandoquidem ad ius eiuſdem creditoris pertinet non ſolum habere rem ſecundum valorem, quem res fuiſſet habitura, ſed etiam ſecundum commoditatem, & non cum damnis proprijs, cum hoc non minus ad damnum conferat, quam, ſi res redderetur ſecundum minorem valorem.

2 *Fur, qui rem furtiuam alio tranſtulit, tenetur eã ad dominum remittere ſuis ſumptibus.*

Hinc fit, vt ſi iniuſtus acceptor, ſeu debitor poſt rem ablatam alio commigrauerit, & ſecus rem detulerit, teneatur ſuis expenſis ad creditorem rem ablatam mittere, prout docet *Medina C. de reb. reſtit. qu. 2. dub. 3. verſ. aliter diſtinguendum eſt*, & ratio euidens videtur, quia culpa furis, & iniuſti detentoris creditori non debet nocere; noceret autem, ſi in recuperatione rei ſuæ teneretur in aſportatione expenſas facere.

3 *Si Dominus fuiſſet alio transłaturus ſine expenſis, tenetur fur remittere ſuis expenſis; ſi vero Dominus expendere debuiſſet, ſed minus, tenetur fur remittere ſuis expenſis detracto illo minori.*

Fit ſecundo, quod, ſi non iniuſtus acceptor, ſed dominus alio commigrauerit, & fuiſſet rem ſecum aſportaturus, ſi non fuiſſet ablata, teneatur idem iniuſtus acceptor proprijs expenſis eam ad Dominum deferre, ſi dominus alio commigrãdo fuiſſet ſine expenſis rem illam exportaturus; ſi vero, & ipſe fuiſſet exportaturus, ſed cum expenſis minoribus tamen, teneatur ſolummodo iniuſtus acceptor deferre deducendo expenſas, quos Dominus feciſſet in talis rei translatione, & ſolummodo

modo illas faciendo, quas ille non feciſſet *Medina loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia tenetur quidem iniuſtus acceptor indemnem ſeruare Dominum ob iniuſtam acceptionem, non autem tenetur ipſum ditiorem conſtituere, ergo ex eo, quod tenetur indemnem ſeruare, tenetur omnes expenſas, quas ipſe non feciſſet, contribuere, quia non tenetur ditiorem facere, non tenetur expenſas retribuere, quas ipſe feciſſet.

Ex his facile erit reſpondere ad ea, quæ poſſunt obijci, quod ſcilicèt non teneatur ad amplius, quam ad rei ablatæ, ſeu damni illati compẽſationem, & quod non debeat imputari debitori, quod creditor in alium locum commigrauerit; Facile, inquam, erit reſpondere, & quidem ad primum dicendum eſt, obligationem reſtitutionis non ſolum conſurgere, vt ſupra dicebam, ex acceptione, qua acceptor conſecutus eſt lucrum, ſed etiã ex damno, quod alteri intulit etiam ſine proprio lucro, vt patet in damnificante per combuſtionem, & vaſtationem; & ſic illud amplius, quod teneretur in hac hypotheſi retribuere, eſſet ratione damni, quod intulit ſine proprio lucro, quatenus in cauſa eſt, quod Dominus, ſi ipſe non transferret proprijs expenſis, eſſet in rei translatione ex ipſius cauſa eſſet inſumpturus plura, quæ ſine tali cauſa non inſumpſiſſet. Ad ſecundum dicendum eſt, quod, quamuis non ſit imputandum debitori, quod creditor in alium locum commigrauerit, ſit tamen eidem imputandum, quod commigrauerit ſine re ſua, & quod poſtea teneatur rem iniuſtè per ipſum detentam cum diſpendio in locum, in quo ſe detinet, deferre, vnde in hoc tanquam damnificator, tenetur æqualitatem per proprias expenſas conſtituere.

Soluuntur nonnullæ rationes oppoſitæ.

4 *Ratione rei acceptæ reſtitutio facienda eſt in loco, in quo res eſt.*

Aſſertio II. Reſtitutio, quæ oritur præciſè ratione rei acceptæ, facienda eſt in loco, in quo ipſa res eſt *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 8. n. 51.*

Ratio ex eo deducitur, quia qui tenetur præciſè ratione rei acceptæ nullam iniuriam intulit Domino rei, ergo ratione rei acceptæ tenetur quidem rem ipſam Domino reſtituere, quia tamen nullam intulit iniuriam, nõ tenetur cum proprio damno in expenſis pro traſportatione faciendis. Hæc intellige procedere, niſi debitor ex re accepta fiat propter moram culpabilem debitor ex delicto; tunc etenim à tempore moræ culpabilis eodem modo tenebitur, quo debitor ex delicto.

Non negauerim tamen, quod teneatur ad rei cuſtodiam monito interim Domino, vt ſignificet quomodo intendat ſibi rem tranſmitti, vel mittat qui nomine ſuo recipiat. Solum hic remanet ambigendum, quid præſtare deberet debitor, ſi eſſet interim alio commigraturus. Qua in re dicendum eſt, quod ſolummodo teneatur, ſi commode poſſit, deponere apud perſonam fidam, & idoneam in illo loco, à quo eſt diſceſſurus, & interim monere Dominum de tali depoſito per ſe ipſum facto; Quod, ſi perſona fida, & idonea ibi non adſit, apud quam tuto poſſit deponere, poterit ſecum adſportare, & expenſas pro tali aſportatione à Domino repetere, prout habetur *in l. 2. ff. de neg. geſt.*

Cuſtodiēda tamē res eſt, & Dominus monēdus

Aſſertio III. Reſtitutio, quæ fieri debet ex contractu, per quem non fuerit translatum dominium, ſed res eadem ſit Domino tradenda, & contractus fuerit in vtilitatem tradentis, cuiuſmodi eſt depoſitum, regularitèr loquendo facienda eſt in loco contractus, ſeu vbi res ipſa eſt tradita, & ſi Dominus ab illo loco receſſerit non amplius rediturus, non tenetur depoſitarius ſuis expenſis ad illum locum mittere. *Medina C. de reb. reſtitut. q. 2. dub. 3. verſ. itaque in huiuſmodi reſtitutionibus, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 15. dub. 8. n. 54.*

5 *Depoſitū regulariter reſtituendum eſt in loco cõtractus.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia qui tenetur reſtituere rem determinatam exiſtentem in ſua ſpecie ex contractu non tenetur reſtituere, quando aliter expreſsè conuentum non eſt, in loco quodamodo abſtracto ad arbitrium creditoris, vel debitoris; ſi enim fieret ad arbitrium debitoris, facile contingeret fieri cum damno creditoris; ſi ad arbitrium creditoris, cum damno debitoris, ergo qui tenetur ſoluere ex contractu, tenetur ex natura contractus ſoluere in loco determinato, ſed nullus determinatus locus melius aſſignari poteſt, quam ille, in quo res fuit tradita, & recepta, ergo ibi eſt reſtituenda regularitèr loquendo. Subſumpta minor probatur, quia nullus alius determinatus locus eſt magis conformis æqualitati contractus, & indemnitati contrahentium, quam ille locus, in quo res fuit tradita, & accepta; hæcque præſumitur mens implicita contrahentium in celebratione contractus.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, cum contractus ille depoſiti intelligatur cedere præciſè in vtilitatem deponentis, ęquitas non videtur exigere, vt depoſitarius, cum nihil commodi ex depoſitio percipiat, ſuis expenſis teneatur ad Dominum remittere, ne ex beneficio, quod præſtat cuſtodię, damnum teneatur ſuſtinere. Hæc intellige, ſi ipſe deponens,

Si Dominus alio abierit, nõ tenetur depoſitarius ſuis expenſis ad illum remittere.

nens, ſeu creditor ex illo depoſito alio commigrauerit; Si vero ipſe depoſitarius ab illo loco contractus receſſerit; tunc procedendum eſt juxta ſuperius dicta; vel etenim in receſſu potuit rem Domino reſtituere, vel deponere apud perſonam tutam,& idoneam,à qua Dominus admonitus poſſet eum recipere, & ſic reſtituendo, vel deponendo ſufficientèr muneri ſuo ſatisfacit; vel non potuit Domino reſtituere, nec in loco tuto deponere, & tunc non ſolum non tenetur remittere proprijs expenſis, ſed etiam poteſt exigere expenſas,quas fecit ipſe ſecum transferendo rem depoſitam ad locum, ad quem tranſijt, quia optimè geſſit negotium ipſius Domini, ſeu deponentis.

6 Si depoſitum fuerit ſublatum, & à fure alio tranſlatum, non eſt remittendũ ad dominum expenſis depoſitarij, ſi hic non fuerit in culpa.

Si hic inquiras, quid eſſet agendum, ſi à depoſitario res ſurriperetur, & ad alium locum per furem deferretur, cuius ſcilicèt expenſis eſſet depoſitum ad Dominum remittendum; tunc reſpondendum erit cum diſtinctione; vel etenim res ſurrepta fuit, & tranſlata exiſtente culpa lata, & dolo depoſitarij, vel ſine tali culpa; ſi ex culpa lata eiuſdem, certè res eſt remittenda ad Dominum expenſis depoſitarj, cum talis culpa ipſum afficiat, & æquiparetur dolo; ſi ſine tali culpa, expenſis Domini eſt ad ipſum transferenda, quandoquidem vitium, & incommodum, quod obuenit depoſito ſine culpa depoſitarij, non eſt ei imputandum, ſed auctori. Aduerte tamen, quod, ſi depoſitarius non gratis, ſed pretio rem depoſitam cuſtodiendam aſſumpſerit, tunc teneatur nedum de culpa lata, ſed etiam de leui per ea, quæ alibi ſparſim probauimus; tunc etenim contractus non eſſet præciſè in vtilitatem deponentis, ſed vtriuſque, & depoſitarius ipſe intelligeretur ſpecialitèr conductus ad rem ipſam cuſtodiendam.

7 Commodatum reſtituendũ eſt in loco in quo eſt traditum, & ſi commodatarius alio ob ſuum commodum tranſtulerit, debet remittere ſuis expẽſis.

Aſſertio IV. Reſtitutio, quæ fieri debet ex contractu, per quem res eadem eſt reſtituenda Domino, & contractus fuit præciſè in vtilitatem recipientis, facienda eſt etiam in loco, in quo eſt tradita, & recepta; quod ſi recipiens in ſuum commodum alio commigrauerit, & rem ſecum detulerit, probabilius debet remittere ad Dominum ſuis expenſis. Videtur conſentire in omnibus *Leſſius loco cit. nu. 54.* Prima pars liquet ex prima parte probationis præcedentis aſſertionis.

Probatur ſecunda pars, quia æquum non eſt, vt Dominus ex beneficio, quod præſtitit erga commodatarium damna patiatur expenſarum in reductione rei commodatæ, ergo, ſi commodatarius rem ſibi commodatam alio ſecum detulerit, tenebitur proprijs expenſis illam ad Dominum remittere; ſic ſi commodatum equum habuerit, & eo vſus fuerit ad alio commigrandum, debet à loco, ad quem tranſijt ad commodantem remittere ſine ipſius diſpendio, & per conſequens proprijs impenſis. Quod, ſi ſupponas, quod non ipſe commodatarius alio commigrarit, ſecumque res commodatas detulerit, ſed commodans, tunc non incongruè arbitrarer cum eodem *Leſſio loco cit. n. 51.*, quod commodatarius non teneatur ad Dominum rem proprijs impenſis remittere, quandòquidem commodatum ex genere ſuo, vbi aliud conuentum non fuerit, non exigit, vt commodatarius teneatur ad ea incommoda, quibus ipſe cauſam non dedit; & Dominus debet ſibi imputare, quod ante diſceſſum commodatum non exegerit. Quod, ſi vlterius ſupponas, quod Dominus ante diſceſſum exegerit, & commodatarius fuerit in mora ad reſtituendum; tunc adhuc diſtinguendum videtur, vel etenim commodatum datum fuit ad certum, & determinatum tempus, quod nondum lapſum fuerit, vel datum fuit ad arbitrium commodantis ea adiecta conditione, vt ad nutum ipſius ſit reſtituendum; Iuxta primum ſenſum abſolutè ſentio non teneri commodatarium ad commodantem remittere proprijs expenſis, quia ex quo commodans liberè conceſſit ad illud tempus, non poteſt ante illud reuocare, & commodatarius ex vi conuentionis jus habet rem detinendi vſq; ad tempus præfinitum; vndè commodans debet ſibi imputare, quod alio commigrauerit; Neq; obeſſe poteſt, quod beneficium non debeat cedere in damnum benefacientis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illud damnum non prouenit ex culpa beneficiarij, ſed ex propria cauſa, & ſpontè ſe conſtituit in periculo illius damni concedendo rem ad tale tempus. Iuxta ſecundum ſenſum tenendum eſt, commodatarium, teneri ſuis expenſis rem commodatam ad Dominum alio commigrantem remittere, quia cum Domino legitimè petenti rem ſuam non reſtituat, conſtituitur moroſus, & culpabilis debitor, qui propterea ratione culpæ, ſeu moræ obligatur ad damna indè Domino prouenientia; & ex beneficio, quod gratioſè recepit, non debet eſſe noxius conferenti.

Si commodans alio tranſierit, non tenetur commodans ſuis ſumptibus ad illum remittere.

Nonnullæ conſiderationes circa factum

8 Reſtitutio ex contractu, quo non eadẽ res, ſed alia eſt reſtituenda facienda eſt in loco, in quo fuit recepta, & ad æſtimationem illius loci.

Aſſertio V. Reſtitutio, quæ fieri debet ex contractu, per quem res eadem non eſt reſtituenda, ſed alia ab ipſa congruentius fieri debet in loco, in quo res eſt recepta, & ſecundum æſtimationem, quam res reddenda habet in tali loco. Conſentit in omnibus *Leſſius d. l. 2. de iuſt., & iur. c. 15. dub. 8. n. 56.* Hæc procedunt in mutuo in re permutata, vendita &c.

Ra-

Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia vbi aliud conuentum expreſsè non eſt, ratio non poſtulat, vt res reſtituatur in loco, in quo vel creditor, vel debitor voluerit, ſi etenim fiat ad exigentiam creditoris, poteſt eſſe cum damno debitoris, ſi ad exigentiam debitoris cum damno creditoris, adeòque non ſaluaretur ęqualitas ad contractum requiſita, ergo debet ſtatui locus, in quo æquius, quam poſſit, ſaluetur talis æqualitas, quod conformius ſaluari nequit, niſi ſtatuendo locum, in quo ratione contractus præcedentis res fuit accepta; cum etenim valor, & æſtimabilitas rerum varietur vt plurimum in varietate locorum, niſi locus acceptionis, & reſtitutionis idem ſit, ſæpe continget rem in loco maioris valoris acceptam in loco minoris valoris reſtitui, & è contra cum damno vnius, vel alterius.

9 Legatum, hæreditas, & donatio cauſa mortis ſoluenda ſunt in loco, vbi res erat, quando fuit legata, relicta, vel donata.

Aſſertio VI. Solutio ratione donationis, legati, & inſtitutionis teſtamentariæ facienda eſt in loco, vbi erant res, cum fuerint donatæ, legatæ, ſeu relictæ ex teſtamento, niſi aliud fuerit diſpoſitum per donatorem, legantem, ſeu teſtatorem. *Leſſius loco quo ſup. n. 19.*

Ratio ex eo deducitur, quia, qui gratis donat, vel legat, non præſumitur, nec ſe, nec ſuum hæredem velle ad quid amplius obligare, quam ad rem donatam, vel legatam, ergo, nec ipſe, nec ipſius hæres tenetur proprijs expenſis illam ad donatarium, vel legatarium remittere, ſed tenebitur ipſe donatarius, vel legatarius, ſi velit, ſuo ſumptu illam auferre; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod legatarius teneatur de manu hæredis rem legatam accipere, non autem poſſit per ſe ipſum recipere; Non obeſſe, inquam, poteſt, quia immò proptèr hoc, quod tenetur de manu hæredis recipere, tenetur ad hæredem accedere, ab eoque petere executionem legati. Quod, ſi ſupponas, quod hęres ante ſolutionem legati, alio ſe transferat, & ſecum rem legatam transportet; tunc tenebitur ipſe hæres remittere rem ſuis expenſis, non ad locum, in quo degit legatarius, maximè, ſi ſit diſtantior, ſed ad locum, in quo prius erat, quando fuit relictum legatum. Verum tamen eſt, quod, ſi legatarius eſſet in loco propinquiori, æquius eſſet, vt ad ipſum remitteretur in tali loco, in quo eſt, non ad locum relicti legati, niſi legatarius ea re indigeret in loco, in quo fuit relictum.

Legatarius debet recipere de manu hæredis legatum.

✠✠✠
✠✠

PRÆNOTIO X.

Explicantur nonnulla de reſtitutione in integrum.

SVMMARIVM.

Quid ſit reſtitutio in integrum. 1.
Reſtitutio in integrum, vel poteſt eſſe per officium Iudicis, vel per exceptionem. 2.
Reſtitutio in integrum aduerſus præſcriptionem conceditur minoribus, alijsq; gaudentibus priuilegio minorum. 3.
Etiam, ſi præſcriptio fuerit quadragenaria. 4.
Conceditur etiam maioribus, ſed cum certis conditionibus. 5.
Reſtitutio contra contractus initos cum læſione conceditur minoribus 25. annorum. 6.
Enumerantur contractus, in quibus minoribus conceditur. 7.
Minoribus conceditur ad quatuor annos poſt completum 25. annum. 8.
Conceditur etiam Eccleſijs, alijſq; locis pijs. 9.
Conceditur etiam Communitatibus Oppidorum. 10.
Non conceditur minoribus, ſi maiores effecti contractus ratificauerint, vel in minori ætate iuramento firmauerint. 11.
Si fuerint fraude inducti, poſſunt petere iuramenti relaxationem. 12.
Reſtitutio conceditur non ſolum quoad rem, ſed etiam quoad fructus, ſi fuerit gratuito alienata, ſi vero contractu oneroſo etiam quoad fructus, ſi emptor non fuiſſet pecuniam implicaturus in contractus lucratorios. 13.

INcongruum penitùs foret, ſi agentes de reſtitutione ſecundum ſe, & ſimplicitèr, omitteremus ea inquirere, quæ ſpectant ad reſtitutionem in integrum; circa quam propterea nonnulla vniuerſaliora attingimus. 1

1 Quid ſit reſtitutio in integrum, & aduerſus quæ detur.

Reſtitutio in integrum eſt quoddam remedium, quod quandoque relinquitur priori Domino, qui in re ſua fuit læſus, vt actoritate Iudicis poſſit reſtitui in dominium, & poſſeſſionem rei, in qua læſus eſt. Hæç reſtitutio, vel poteſt eſſe aduerſus præſcriptionem, vel aduerſus contractus cum læſione initos; & quando eſt aduerſus contractus non habet locum, quando contractus fuit omnino irritus, vt habetur in textu *in l. in cauſæ cognitione ff. de minoribus*; tunc etenim læſus vtitur communi auxilio, & mero iure, nec prætor debet ſe interponere, vbi manifeſtè probatur contractum non valere. Circa hanc reſtitutionem in integrum inquiretur primo, quibuſnam, & quomodo concedatur aduerſus præſcriptionem. Secundo quibuſnam, & quomodo aduerſus con-

Rationes dubitandi.

Digitized by Google

tractus, in quibus interuenit læſio. Tertio, quænam excludant hanc in integrum reſtitutionem. Quarto, an in reſtitutione in integrum comprehendantur etiam fructus præcepti. Pro clariori notitia.

Aduerte primo, duplex quodamodo eſ-
2 ſe medium reſtitutionis in integrum, alterum per implorationem officij Iudicis citata parte, quando iam res, de cuius reſtitutione agitur, eſt in alterum translata, alterum per exceptionem aduerſus eũ, qui petit rem ſibi tradi, allegando, ſeu opponendo ſe læſum eſſe ex illo contractu, prout latè docet *Gomez tom. 2. c. 14. n. 8.*, & colligitur *ex c. 71. de reg. iur. in 6.*, vbi dicitur, *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus*, quod idem habetur *in reg. 156. ff. de reg. iur.*, vbi ſic legitur, *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis, quis dixerit*. Porrò medium per exceptionem ſemper durat quouſque res tradita non eſt; medium autem per implorationem Iudicis, quando iam res tradita eſt, non durat niſi ad certum, & determinatũ tempus, de quo infra, quo elapſo non amplius conceditur.

Reſtitutio in integrũ vel poteſt eſse per implorationem officij Iudicis, vel per exceptionem.

Aduerte ſecundò, non concedi aduerſus contractum reſtitutionem in integrũ, niſi contigerit læſio ex eodem contractu conſiderato valore rei ſecundum ſe pro tempore, pro quo initus eſt contractus, nec ſufficit, quod læſio contingat conſiderato tempore poſt eundem contractũ; vndè, ſi ſecundum prudens iuditium quis tradiderit rem tali pretio, quod iuſtum pro eo tempore ex vſu fori fuerit iudicatum, non competit venditori remedium reſtitutionis in integrum, ſi poſtea ex interuallo res vendita, & tradita venditori augmentum acquiſierit in valore; vel alter ſe præſentet, qui pro illa multo plus offerat, quam emptor tradiderit, & hoc colligitur expreſsè *ex l. verum §. ſciendum ff. de minor.*, & latè probat *Gomez d. l. 2. c. 14.* His pro notitia ſuppoſitis ſit,

Requiritur læſio pro tempore, pro quo initus eſt cõtractus.

Aſſertio I. Reſtitutio in integrum aduerſus præſcriptionem conceditur nedum
3 minoribus, & Eccleſijs, alijſque gaudentibus priuilegio minorum, ſed etiam maioribus cum aliquo diſcrimine, & attentis nonnullis conditionibus. *Gloſa in auth. quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 6. dub. 18. num. 52., Coaruuias ad reg. poſſeſſor part. 3. §. 3. nu. 3., Panormitanus in c. 1. de præſumpt., & in c. auditis eod. tit.*

Reſtitutio in integrũ contra præſcriptionem cõceditur minorib., & gaudẽtibus priuilegio minorum.

Prima pars colligitur *ex l. fin. c. de tem. in integr. reſtit.*, vbi dicitur, quod aduerſus res præſcriptas concedatur in integrum reſtitutio per quatuor annos, poſtquam ſciuerint completam eſſe præſcriptionem, prout docet etiam *Coaruuias ad reg. poſſeſſor 3. part. §. 3. n. 3.*

Secunda pars colligitur *ex c. 1., & 2. de in integr. reſtiut. in 6.*, in quibus expreſsè priuilegium minorum conceditur Eccleſijs, prout etiam docet *Panormitanus in c. 1. de præſcript., & c. auditis eod. tit.*

Hæc in integrum reſtitutio aduerſus præſcriptionem in fauorem minorum, & Eccleſiarum extenditur etiam primo, quãtumuis præſcriptio fuerit quadragenaria, 4 prout docet *Gloſa, & DD. communitèr in auth. quas actiones verb. excluduntur C. de Sacroſ. Eccl.*, Secundò, quamuis præſcriptio ipſis ſcientibus, & reſiſtere valentibus facta fuerit præſcriptio *Coaruuias loc. cit. cum alijs communius*.

Etiam ſi præſcriptio fuerit quadragenaria.

Tertia pars colligitur *ex l. 1. §. fin. ff. ex quibus cauſ. maior.* Hic tamen duo ſunt aduertenda, quod in ordine ad maiores 5 ad hunc effectum integræ reſtitutionis duo requirantur, primo, quod præſcriptio inter præſentes facta fuerit præcisè ad annos decem, & inter abſentes ad annos viginti, prout docent omnes DD. præallegatis, ſecundo, quod probent, quod cũ probabili ſua ignorantia, & ſine ſua negligentia præſcriptio fuerit peracta, vt ex communi docet *Coaruuias loco cit.* Cæterũ poſitis his duabus conditionibus etiam ipſis maioribus conceditur actio ad reſtitutionem in integrum poſt quatuor annos, poſtquam ſciuerint completam eſſe eandem præſcriptionem, per textum *in l. fin. C. de temp. in integr. reſtit.*

Conceditur etiam maioribus ſed cum certis cõditionibus.

Aſſertio II. Reſtitutio in integrum aduerſus contractus initos cum læſione etiã pluribus conceditur, prout communitèr docent omnes iuris interpretes. Enumerantur perſonæ, quibus conceditur.

Primo, minoribus 25. annorum, ſi fortè 6 ex contractu minus prudentèr inito damnum aliquod paſſi fuerint per textum *in l. 3. & 5. C. de in integ. reſtit.*, quod etiam priuilegium eiſdem competit, quantumuis contraxerint de conſenſu tutoris, vel curatoris, & auctoritate Iudicis, vt patet *ex l. 1. & ſeq. ff. de minor.*

Contra cõtractus initos cũ læſione conceditur minoribus 25. annorum.

Si autem hic quæras, quandonam, & in quonam contractu concedatur hoc priuilegium minoribus? Dicam primo concedi in contractu venditionis, quando ſcilicèt minoris iuſto pretio rem vendidit, tunc etenim poteſt recurrere ad remediũ reſtitutionis in integrum, & recuperare rem, quantumuis in alias manus ab illis emptoris deuenerit, prout docet *Gomez* 7 *tom. 2. c. 14. n. 7.* Secundo in mutuo paſſiuo, quatenus minor acceperit pecuniam mutuam, & illam amiſerit, vel malè conſumpſerit; tunc etenim per exceptionem poteſt vti beneficio reſtitutionis in integrum

Enumerãtur contractus, in quibus minoribus cõceditur.

grum, & ſolum ſoluere id, in quo fortè factus fuerit locupletior, prout videtur colligi *ex l.2.C.de filiofamilias.* Congruentius tamen crediderim, ſi mutuatarius fuerit filius familias ſub poteſtate patris viuentis poſſe vti beneficio Senatus Conſulti Macedoniani aduerſus mutuantem iuxtà textum *in l. 1.& 2.C.& ff.ad Macedon.* Tertio in ſolutione pecuniæ ſibi factæ à debitore ſine auctoritate tutoris, vel curatoris, niſi conſtaret pecuniam illam ſic ſolutam conuerſam eſſe in vtilitatem eiuſdem minoris, prout videtur colligi *ex §. at ex contrario Inſtit. quib. alien. licet.* Quarto in donatione rei notabilis ſine legitima cauſa per textum *in l. 1. C. ſi aduerſus donationem.* Quinto ex quaſi contractu, vt ſi damnoſam hæreditatem ſibi teſtamento delatam acceptarit etiam accedente auctoritate tutoris, tunc etenim poteſt in integrum reſtitui, vel ſi lucroſam repudiauit. Alios plures caſus, in quibus minoribus conceditur beneficium reſtitutionis in integrum, vide penes *Gomez d. tom.2.c.14.*

8 Conceditur ad annos quatuor poſt completũ 25. annũ.

Hoc priuilegium reſtitutionis in integrum conceditur minoribus ad annos quatuor poſtquam compleuerint terminum minoritatis, prout expreſsè habetur *in l.fin.C.de temp.in integ. reſtitut.*

9 Conceditur etiam Eccleſijs, alijſq; locis pijs.

Secundo conceditur Eccleſiæ, alijſque locis pijs; quandòquidem in fauorabilibus computantur pro minoribus *c.1.& 2. de reſtitut.in integ.lib.6.*, Si autem inquiras ad quodnam tempus extendatur hoc priuilegium quoad Eccleſias, & loca pia, dicam extendi ad quadriennium poſt cognitam perfectè læſionem, licet *Coaruuias lib.1.variar.c.3.num.10., & ſeqq.* extendat etiam vltra quadriennium, quando interceſſit enormis læſio. Hoc priuilegium, quod conceditur Eccleſijs, & locis pijs in ſuis contractibus, non extenditur ad Eccleſiaſticos quoad contractus priuatos, quos ſuo nomine peragunt, prout docet *Coaruuias loc.cit.c.4.num.3.*

10 Etiã communitatibus, & alijs.

Tertio conceditur communitatibus cuiuſcunque terræ, ſeu oppidi, quæ computantur pro minoribus, & pupillis per textum *in l.4. C. quib.ex cauſ.maior.in integ. reſtit.* Quarto ſupremis Princip. quoad bona Principatus alienata. Quinto viduis, prout videtur colligi *ex l. vnica C. quando Imperator.* Sexto Monaſterijs Religioſorum, & Monialium ex eodem textu. Septimo rudibus, prout refert *Molina tract. 2. diſp.574.*

11 Non cõceditur minoribus, ſi maiores effecti cõfirmauerint, vel iuramẽto in minori ætate firmauerint.

Aſſertio III. Reſtitutio in integrum ceſſat quoad minores aduerſus contractus per eoſdem initos in minori ætate, ſi maiores effecti eoſdem ratificauerint, vel etiam in minori ætate eoſdem iuramento confirmauerint. Conſentit in vniuerſum *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 17. dub. 9. num.65.*

Prima pars clarè liquet *ex l.1.& 2. C. ſi maior factus ratum habuerit*, quia tunc perindè, ac ſi factus eſſet contractus in maiori ætate, habetur; ratificatio etenim perinde ſe habet, ac ſi ratificans de nouo contractum conſtitueret.

12 Si fuerint fraude inducti poſſunt petere iuramẽti relaxationem.

Secunda verò pars deducitur *ex auth. ſacramenta puberum C. ſi aduerſus venditionem, & ex l.1.C.eod.* Si tamen minor fuerit inductus fraude, vel metu ad contrahendum, & in tali contractu fuerit læſus, poterit petere relaxationem iuramenti, & de nouo agere ad remedium reſtitutionis in integrum; Inter cauſas etenim ſufficientes ad relaxandum iuramentum non ſolum numeratur fraus, & dolus, ſed etiam metus, quinimmo etiam impubertas.

13 Conceditur etiam quoad fructus, ſi res fuerit gratuito alienata.

Aſſertio IV. Reſtitutio in integrum aduerſus contractus, ſeu quaſi contractus quoad habentes ius ad tale remedium competit etiam quoad fructus rei perceptos, ſi res fuerit alienata contractu gratuito; ſi verò contractu oneroſo, competit etiam quoad fructus, ſi emptor non fuiſſet pecuniam, quam in illo contractu expendit, in contractus lucratorios implicaturus, ſecus, ſi fuiſſet certo moralitèr in huiuſmodi contractus implicaturus. Quoad primam conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt.& iur. c.17.dub.10.n.70.* quoad ſecundam *Coaruuias lib. 1. var. c. 3. nu. 1., & alij plures apud ipſum.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi contractus gratuiti, ſeu quaſi contractus minor, ſeu Eccleſia nedum intelliguntur læſi in re alienata, ſed etiam in fructibus eiuſdem, ergo poſſunt velle vti tali beneficio nedum in ordine ad rem ipſam, ſed etiam in ordine ad fructus eiuſdem rei. Hoc contingeret in caſu, quo minor, vel Eccleſia prædium aliquod titulo donationis in alium tranſtuliſſet, qui propterea poſſent remedio reſtitutionis in integrum, & prædium, & fructus reuocare deductis tamen expenſis, quæ in percipiendis huiuſmodi fructibus factæ fuiſſent, vel fuerint à donatario.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ex ipſa vi nominis reſtitutio in integrum eſt poſitio læſi in eo ſtatu, in quo fuiſſet, ſi non contraxiſſet; ſed ſi non contraxiſſet non ſolum rem habuiſſet, ſed etiam fructus ab eadem percepiſſet, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod, ſi læſus fructus rei non perceperit, perceperit tamen fructus pretij ſoluti, ſeu percipere potuerit, quos, ſi non perceperit, debet ſuæ incuriæ imputare; non enim

æquum

Digitized by Google

æquum eſt, vt emptor, & fructus pecuniæ amittat, & fructus rei non percipiat; ſicuti æquum non eſt, vt venditor, & fructus rei venditæ, & fructus pretij percepti habeat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quotieſcunque emptor rei non fuiſſet pecuniam ſuam in negotiationem, & ad lucrum aliter implicaturus non poteſt dici, quod priuetur aliquo fructu ſibi debito, adeòque ratione eiuſdem nequit aliquid ſibi retinere; quod, ſi deinde ſequatur, quod venditor, qui vult in integrum reſtitui, gauiſus fuerit commodo pecuniæ ex illa venditione receptæ, qui propterea non videtur poſſe gaudere fructibus rei venditæ ſimul, hoc non tribuit ius emptori retinendi fructus rei emptæ, quandòquidem commodum emptoris nō confert ius venditori ex illo commodo aliquid recipiendi, vt videre eſt in mutuo, quod ex eo præcisè, quod conferat commoditatem mutuatario, non tribuit ius mutuanti aliquid percipiendi ſupra ſortem, niſi aliquod lucrum eidem ceſſet, vel damnum emergat, & in depoſito, ex quo ſi depoſitarius aliquid commodi, & vtilitatis aliquid perceperit non propterea ius habet deponens aliquam compenſationem exigendi, niſi fortè res depoſita ex illo vſu depoſitarij facta fuerit quoquo modo deterior. Deindè, vel venditor, qui petit reſtitutionem in integrum, ex illo pretio percepto aliquam vtilitatem conſecutus eſt, vel nullam; ſi aliquā, hæc cedit ipſius induſtriæ, & conditioni, cum ex genere ſuo pecunia non pariat pecuniam, vel fructus; ſi nullam; quomodo ex vtilitate pecuniæ reſpectu venditoris poteſt emptor compenſationem exigere; ſi ille nullam percepit. Tandem emptor ipſe debet ſibi imputare, quod contractum inierit cum læſione reſpectu illius, cui nouit competere beneficium illius reſtitutionis. Ad rem noſtram confirmandam plurimum conferre poſſunt iura, & præcipuè *in l. quod ſi minor §. reſtitutio ff. de minor.* cum alijs concordantibus, quæ adducit *Coaruuias lib. 1. var. c. 3. num. 1.*

Soluitur inſtantia, & magis roboratur aſſertio.

DISQVISITIONES I.

A prima ad quintam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An redditus ex locatione rei alienæ ſint Domino reſtituendi.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Sententia Nauarri non concedentis ius ad illos reditus Domino rei. 2.
Si res aliena apta ſecundum ſe fructificare fuerit locata, fructus percepti ſunt reſtituendi Domino. 3.
Si non fuerit apta fructificare, fructus regulariter non ſunt Domino reſtituendi. 4.
Excipe, niſi Dominus pro lucro fuiſſet locaturus. 5.

Diſquiſitio I. Titius emptione, vel fortè etiam actione furtiua acquiſierat à Caio rem aliquam pretio æſtimabilem, quæ eiuſdem Caij non erat, ſed alterius Domini. Eandem rem Titius locauit, & ex tali locatione fructus percepit, & deindè vendicatione per verum Dominum res illa fuit recuperata. Orta hic fuit controuerſia, an Dominus in illa rei vendicatione ius habuerit exigendi reditus, quas Titius ex illa locatione percepit. 1

Status diſquiſitionis expoſitus.

Nauarrus *in man. c. 17. nu. 25.* abſolutè ſuſtinet Dominum in vendicatione rei ſuæ non habere ius aliquod ad exigendos illos reditus, quos ex illa locatione Titius acquiſierat. Hoc exemplificat in eo, qui torquem aureum a non Domino emptū ſæpius locauit, quem aſſerit non teneri verſus Dominum pro pretio locationis, aſſeritque, quod nec vſurarius, nec latro teneantur reſtituere id, quod lucrati ſunt ex re furtiua, vel vſurarie acquiſita per negotiationem, & ſi Dominus intenderet fructus illos negotiationis per furem, vel vſurarium exercitæ acquirere, vſuram committeret per textum *in c. plerique, & c. fin. 14. q. 3.* ſecundum Scotum *in 4. diſt. 15. qu. 2.* nec excuſari poſſet, niſi ratione alicuius lucri ceſſantis, aut damni emergentis. Pro ſolutione 2

Sententia Nauarri non cōcedentis ius ad illos redditus.

Aduertendum eſt, an res illa, quæ à non Domino fuit acquiſita, vel titulo oneroſo, puta per emptionem, vel merè lucra-

Nonnullæ conſiderationes circa factū.

lucratiuo, puta per actionem furtiuam, aut donationem fuerit talis, vt ex ſe apta ſit parere fructus naturales, & ciuiles, quos Dominus percepiſſet, ſi res ab eodē non fuiſſet ſublata, cuiuſmodi eſt domus, equus, & alia, quæ locari ſolent, & ex quibus regularitèr fructus percipiuntur, an verò talis, vt ſecundum ſe apta non ſit fructus parere, nec locari cum fructu, ſed ad ſummum ex induſtria illa vtentis, & negotiantis. Rurſus conſiderandum eſt, an fructus ex locatione ſint merè induſtriales, an verò naturales, an mixti, & quidem idem *Nauarrus loc. cit.* videtur ſentire implicitè eſſe merè induſtriales, cum aſſerat cedere præcisè ipſi locanti, nullo modo Domino, quod idem videtur ſentire *Silueſter verb. fructus in princip.* dum dicit fructus induſtriales ſolum eſſe eos, qui ex negotiatione, vel ex artificio, non ex re proueniunt, ſeu ex hominis prouiſione, ſeu induſtria procedunt, cuiuſmodi eſt penſio domus, ſeu ſimilium, quod probat per textum *in l. ſi naues ff. de rei vendit. l. domum C. eod.*

3 Res aliena fructifera locata fructus parit Domino.

Reſpondeo primò, ſi locatio rei alienæ fuerit ex bonis, quæ ex genere ſuo ſunt apta fructificare, & ex locatione fructus producere, huiuſmodi fructus ſunt Domino reſtituendi; Hoc contingeret, ſi domus aliena, equus, ſeu vinea locarentur, *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 1. nu. 49., Paludanus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 5. Mercatus c. 14. verſ. à certa.* Ratio ex eo deducitur, quia illi fructus, qui ex tali locatione percipiuntur, non ſunt fructus merè induſtriales, ſed ciuiles, vel naturales qui ſemper, & ex genere ſuo cedunt Domino rei; Neque arbitrandum eſt, fructus, prout præcisè ſunt ex locatione eſſe merè induſtriales, vt videtur ſentire *Nauarrus loc. cit.* Non, inquam, arbitrandum eſt, quandòquidem fructus illi non proueniunt præcisè ex induſtria, ſed ex re ipſa, quæ ex genere ſuo ſuppoſitis ſimilibus contractibus gignit intereſſe, ſeu fructus ſaltem ciuiles.

Non ſunt fructus merè induſtriales

Quòd, ſi vrgeas, quod huiuſmodi fructus ità percipiantur, ſicuti percipiuntur fructus per negotiationem depoſitarij ex pecunia apud ſe depoſita, qui ſicuti cedunt eidem depoſitario negotianti, ità & illi videntur cedere debere emptori, vel furi locanti; ſtatim impugnaberis, quia in primis pecunia ex genere ſuo, & ſecundum ſe non eſt apta pecuniam gignere; domus autem, equus, & vinea, vel naturalitèr, vel ciuilitèr ex communi conſenſu, & praxi fructus gignunt. Deindè, ex quo deponens pecuniam ſuam depoſuit, præſumitur, quod ceſſerit cuicunque intereſſe, nec voluerit ex illa lucrum acquirere per negotiationem; vndè nec ratione rei, nec ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis habet ius ad exigendum intereſſe, vel fructus; Dominus verò domus, equi, vel vineæ, ex quo ſpontè, nec domum, nec equum, nec vineam tradiderit non videtur ceſſiſſe iuri ſuo ad exigendos fructus, quos res illa, vel naturalitèr, vel ciuilitèr poteſt parere, vel compenſationem lucri, quod ceſſarit, vel damni, quod emerſerit ex illa detentione rei ſuæ.

Excipe, niſi Dominus non fuiſſet fructus percepturus.

Quod, ſi vlterius ſupponas, quod Dominus nullos fructus fuiſſet percepturus ex illa re, cum ipſam non fuiſſet locaturus, nec ipſa vſurus; videris ſupponere rem metaphyſicam; cum nemo præſumatur rem ſuam negligere, ex qua, vel lucrum, vel commodum ex communi vſu fori poteſt acquirere, & per conſequens non cedere iuri ſuo. Quod, ſi perſiſtas in ſuppoſitione, & re vera putes Dominum nullos fructus, nec commodum fuiſſe percepturum; tunc re vera admitterem, non teneri locatorem ad fructus Domino erogandos, niſi fortaſſis ex illa locatione res facta fuerit deterior per ea, quæ alibi diximus; atq; ità ſentiunt *Couarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 6. n. 4., Ioannes Medina C. de reb. reſtituen. q. 6., Silueſter verb. reſtitutio 3. num. 9. in princ., Petrus à Nauarra lib. 4. c. 1. n. 44.*

4 Res aliena nō nata fructificare locata regularitèr nō parit fructus Domino.

Reſpondeo ſecundo, ſi locatio rei alienæ fuerit ex bonis, quæ ex genere ſuo, & ex vſu fori non ſunt nata fructificare, cuiuſmodi ſunt gemmæ, torques aurei, annuli, & ſimilia, probabilius fructus ex illa locatione percepti non ſunt Domino reſtituendi, niſi Dominus ipſe fuiſſet pro lucro locaturus, vel niſi ex illa detentione Dominus fuerit coactus in ordine ad aliquam functionem, ſeu pompam res ſimiles ab alijs conducere conuento pretio, eoque ſoluto. In hoc ſenſu exiſtimo præcisè locutum *Nauarrum in man. c. 17. n. 25.*, cui adhærere videtur *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 12. dub. 5. n. 26.*, dum ait detentorem rei alienæ non magis peccare in vſu rei, quam in detentione eiuſdem, quādo ex ipſo vſu non fit deterior, & exemplificat in vſu gemmæ, annuli, torquis aurei, & ſimilibus. Ratio ex eo deducitur, quia Dominus ex illa locatione non magis damnificatur, quam ex detentione, quandòquidem, nec damnificatur in re ipſa, cum non fiat deterior, nec in lucro, cum nullum lucrum fuiſſet ex illa percepturus, nec ratione damni, cum nullum eidem emanare ſupponatur, ergo Dominus non habet aliud ius, quam ad repetendam rem ipſam.

Dixi, niſi Dominus ipſe fuiſſet pro lucro locaturus, vel niſi ex illa detentione fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſet coactus rem ſimilem in ordine ad
5 functionem aliquam cum intereſſe con-
ducere, quia in duobus his caſibus mili-
tat pro Domino ratio lucri ceſſantis, &
damni emergentis compenſanda per de-
tentorem, & locatorem. Adde etiam
alium caſum, in quo Dominus poteſt
exigere compenſationem, & eſt, quando
Dominus ad aliquod ſuum negotium lu-
cratorium peragendum, vel damnum ſibi
imminens vitandum fuiſſet rem illam
venditurus, & cum non habuerit, coactus
fuit pecuniam accipere cum intereſſe;
tunc etenim poſſet exigere compenſatio-
nem illius intereſſe, ad quod ſe non obli-
gaſſet, ſi non fuiſſet priuatus re ſua.

Excipe, niſi Dominus ipſe fuiſſet pro lucro locaturus.

§. II.

An in dubio, quod res ſit aliena poſſit detentor eam detinere, vel alienare.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in terminis particularibus. 1.

In tali dubio detentor poteſt eam detinere cum animo dimittendi, ſi poſtea nouerit eſſe alienam. 2.

Non poteſt tamen accipere, ſi alter bona fide poſſideat. 3.

Si dubium ſit æquale, & fuerit res detenta cum animo dimittendi facta diligenti inquiſitione, & non conſtante &c. res eſt diuidenda inter vtrumque. 4.

Si accepit cum animo non dimittendi, peccauit, non tamen tenetur reſtituere, niſi pro rata dubij. 5.

Si bona fide acceperit, & poſtea ſuperuenerit dubium facta debita diligentia poteſt detinere. 6.

Si ſuperueniẽte dubio alienauerit facta congrua diligentia, non tenetur Domino comparenti reſtituere, niſi ex illa factus fuerit locupletior. 7.

Secus, ſi alienauerit non facta illa diligentia. 8.

Si vnus incæperit bona fide poſſidere, & alter in dubio ab illo acceperit, tenetur hic illi reſtituere. 9.

1 DIſquiſitio II. Caius dubitans, an
res eſſet ſua, vel aliena tandem ac-
cepit, ſibique applicuit; vel fortè etiam,
cum eam bona fide apud ſe detineret, in-
cæpit dubitare, an eſſet aliena, & perſe-
uerante dubio apud ſe detinuit animo
non dimittendi, niſi expreſsè conſtiterit
de alienitate. Quæſitum fuit, vtrum legi-
timè, & iuſtè potuerit detinere, accipere,
& alienare.

Expoſitio diſquiſitionis.

Reſpondeo primò, Caius in dubio, vtrũ 2
res illa ſit ſua, an verò aliena, poteſt eam
accipere regulariter loquendo, cum ani-
mo dimittendi, ſi poſt diligentem inquiſi-
tionem nouerit eſſe alienam. Conſentit
Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 4. n. 24.,
Ioannes Medina C. de reb. reſtituend. qu. 10.
verſ. aliter tamen. Hoc poteſt in multis ca-
ſibus contingere, primo, quando dubitans
rem illam, de qua dubitat, an ſit aliena,
inuenit, vel in atrio propriæ domus, vel
propè propriam domum, & anceps eſt,
an fuerit ab aliquo alio ibi inconſideratè
relicta, vel a ſe ipſo, vel ab aliquo propriȩ
domus. Secundò, quando accipit de manu
furis, vel per viam donationis, emptio-
nis, ſeu permutationis. Tertio, quando
rem illam de manu alicuius accipit con-
ſentientis, cum ſciat rem illam non eſſe
ſuam, & ipſe accipiens dubitat, an ſit ſua,
vel aliena. Quartò, quando res illa ma-
net in aliquo loco indiferenti, & plures
habentes æquale dubium, an ſit ſua, vel
aliena concurrunt, & alter ex his, nempè
Caius æquè dubitans præuenit, & acci-
pit. Probatur iam reſponſio, quia in
his omnibus caſibus Caius ſic accipiendo
non lædit Dominum, quinimmò bene ge-
rit ipſius negotium, cum in præparatio-
ne animi ſit diſpoſitus, vbi de vero Do-
mino conſtiterit eam dimittere, & verò
Domino reſtituere, cum aliter nunquam
fortè eſſet reſtituenda, ergo iuſtè poterit
ſic accipere.

In tali dubio poteſt detinere cũ animo dimittendi cogita veritate.

Caſus, in quibus poteſt detinere.

Dixi, *regulariter loquendo*, nam in vno 3
præcipuè caſu non poteſt iuſtè accipere,
puta, ſi alter bona fide rem illam poſſe-
derit, & tunc tenetur eidem reſtituere,
quia in dubio poſſeſſio illi fauet, qua non
eſt ſpoliandus, niſi certò, & legitimè de
alterius dominio conſtiterit, vt eſt in
confeſſo apud omnes, & in vſu apud om-
nia Tribunalia.

Non poteſt tamẽ accipere, ſi alter bona fide poſſideat.

Reſpondeo ſecundò, ſi Caius accepe- 4
rit rem illam cum illo dubio, & animo
dimittendi, ſi innotuerit de vero Domi-
no, & facta diligenti inquiſitione, non
conſtiterit certo de iure alterius, nec de
proprio probabilius eſt diuidenda inter
vtrumque, ſi vtriuſq; eſt æquale dubium
*Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 6. dub. 3. nu. 10.
verſ. ratio eſt, & c. 14. dub. 4. nu. 25.*, *Lugus
tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 7. de praſcript.
ſect. 3. nu. 21. verſ. infertur 2. prope finem.*,
Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5., *Sotus lib. 4. de
iuſt. qu. 7. art. 1. circa tertium argumentum*,
Ioannes Medina C. de reſtitutione qu. 17., *&
nos ipſi tom. 1. ſub tit. Contractus I. de con-
tract. vt ſic pranot. 2. num. 16. verſ. dubium
tertium eſt.* Ratio ex eo deducitur, quia

Facta diligenti inquiſitione & nõ conſtante certo de Domino res eſt diuidenda.

in

in æquali merito æquale debet eſſe ius, ergo, cum in hac hypotheſi æquale dubium ſit pro vtroque, vtrique res erit diuidenda ſecundũ rationem dubij. Quod, ſi dicas, potius eſſe ius eius, qui accepit, cum cæperit per illam acceptionem poſſidere, qui propterea ratione poſſeſſionis videtur præferendus; ſtatim impugnaberis, quia, cum rem illam acceperit cum dubio, non poteſt dici ſimplicitèr poſſidere, ſed ad ſummum detinere, nam aliud eſt poſſidere, aliud detinere *l. officium in fin. ff. de rei vend. l. 3. §. fin. ff. de acquir. poſſeſ.* ratione autem ſimplicis detentionis non acquirit ius poſſeſſionis; & ſi vlterius vrgeas, quod cum ille, qui accepit, prius occupauerit, videatur præferendus, tum quia prior in tempore potior eſt iure *reg. qui potior de reg. iuris in 6.*, tum quia cum res illa nullius determinatè ſit, videtur fieri primo occupantis per textũ in *l. 1. ff. acq. rer. dominio §. feræ Inſtit. de rerum diuiſ.*, adhuc etiã impugnaberis, nam licet prior ſit tempore in occupatione, quia tamen illa occupatio nullum ius veræ poſſeſſionis transfert in ipſum occupantem, non tribuit eidem occupanti vllum priuilegium prælationis; Minus obeſſe poteſt id, quod ſubditur, ſeu ſuppoſitum, in quo fundatur inſtantia, quod ſcilicèt res illa computetur, ac ſi nullius eſſet, ac proindè fiat primo occupantis; Minus, inquam, obeſſe poteſt, nam non poteſt res illa dici eſſe abſolutè nullius, cum alter dubitans ratione dubij, quod aliqua innitatur ratione, ius habeat, quod in alium non diſtrahatur, niſi certò conſtet de illius iure.

Soluuntur nonnullæ inſtãtiæ oppoſitæ.

5 **Si acceperit cũ animo nõ dimittendi peccauit, non tamẽ tenetur reſtituere, ſed diuidere.**

Reſpondeo tertiò, ſi Caius in illo dubio rem acceperit cum animo non dimittendi, ſed potius ſibi ſimplicitèr applicandi, peccat quidem grauitèr, non tamen tenetur ſtatim reſtituere, ſed facta inquiſitione, & non conſtante de potiori iure alicuius, ſed perſeuerante æquali dubio diuidenda eſt pro qualitate dubij. *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 6. dub. 3. n. 10., & lib. eod. 2. c. 14. dub. 4. nu. 25.*, & licet *Lugus tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 7. de praeſcript. ſect. 3. nu. 21.* videatur redarguere inconſequentiæ eundem Leſſium, eo quod *d. c. 6. nu. 10.* dixerit *Si dubitem, an res ſit mea, vel aliena, inique eam mihi arrogo, cum non ſit melior mea conditio, quam alterius; in hoc caſu, ſi dubium verſetur inter duos, quorum neuter bona fide poſſidebat res eſt diuidenda, quia par eſt ius vtriuſque*, & ſic arguat *Si iniqua eſt mea arrogatio, ergo ex ea nullum ius acquiro ad diuiſionem*; immerito tamen arguit, quandòquidem aduertere debuiſſet Lugus, Leſſium non docuiſſe rem eſſe diuidendam præcisè ex eo, quod alter poſſeſſionem vſurpauerit, in quo ſenſu certè ſubſiſteret inconſequentia allegata, ſed ex eo, quod æquale dubium habeat in ipſa re cum alio, ex quo oritur æquale ius, quod non extinguitur per occupationem factam cum tali dubio, ſed remanet in ſuo robore.

Probatur iam prima pars reſponſionis, quia illa acceptio cum illo animo non dimittendi, ſed retinendi eſt iniqua vſurpatio; vndè merito dicit *Leſſius mox citatus Si dubitem, an res ſit mea, vel aliena, iniquè eam mihi arrogo*, cum per illam intendatur continuata detentio etiam, ſi apparuerit de alienitate rei, ergo eſt ſecundum ſe peccaminoſa, vtpotè læſiua iuris alieni certi, ſi apparuerit de vero Domino, vel dubij, ſi res remaneat in æquilibrio dubietatis.

Militat æquale ius reſpectu vtriuſq;

Probatur item ſecunda pars, quia ſtante æquali dubio pro vtraque parte ille, qui accepit, & rem detinet, habet ius præmittendi diligentem inquiſitionem ad inquirendam veritatẽ, an res ſit ſua, an verò aliena, nec alius, cum quo adeſt æquale dubium, habet potius ius, vt apud ſe detineatur, quam penes primum acceptorem, & detinentem, ergo poteſt illam detinere quouſque facta illa inquiſitione dignoſcatur, an ſit ſua, vel aliena. Quod, ſi per acta illa inquiſitione adhuc res perſeueret in dubio, diuidenda tunc eſt æqualitèr inter vtrumque pro ratione dubij iuxta rationem ſuperius adductam, quia cum æquale ſit ius vtriuſque, æqualem debet ſortiri effectum.

6 **Si bona fide acceperit, & poſtea dubium ſuperuenerit, poteſt iuſtè detinere.**

Reſpondeo quartò, ſi detinens rem ſupra quam cadit dubium ab initio bona fide habuerit, vel acceperit, & poſtea incipiat dubitare, an ſit aliena, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio poſt debitam inquiſitionem non tenetur reſtituere, ſed poterit ſibi retinere tanquam iuſtus poſſeſſor. Ità expreſsè docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus 1. de contract. vt ſic prænot. 2. nu. 13. dub. 1.*, & docent *Ioannes Medina C. de reb. reſtit. q. 10., Silueſter verb. reſtitutio 3. q. 7. dict. tertium, Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. c. 14. dub. 4. n. 23.* Ratio ex eo deducitur, quia ex quo incæpit poſſidere cum bona fide, eandem bonam fidem transmittit in continuatione poſſeſſionis, eo quia vulgatis iuribus notum eſt conſtitutum in legitima poſſeſſione non eſſe ipſa priuandum propter dubietatem poſtea cõſurgentem eo, quia melior eſt conditio poſſidentis; vndè iure merito dici poteſt incipientem poſſidere cum dubio non habere bonam fidem practicè, perſeuerantem verò in poſſeſſione accedente dubietate, quamuis non habeat bonam fidem ſpeculatiuè, habere bonam fidem practicè propter fundamẽtum iuris, quod poſ-

Haberet bonã fidẽ practice.

poſſeſſor in dubio ſit in poſſeſſione manutenendus.

Ex quibus duo ad hanc rem pertinentia deduci poſſunt; primum, quod, ſi incæperit poſſidere in dubio non poſſit eandem rem ſibi arrogare, ſed teneatur pro ratione dubij cum altero diuidere, vt docui *eodem tom. 1. ſub eodem tit. eadem prænot. nu. 13.*, quia qui in inceptione dubius eſt, nec habet bonam, nec malam fidem, ſed quaſi hæret in medio; ad poſſeſſionem autem requiritur determinatè bona fides; vndè quoad hoc locum ſibi vindicant ea, quæ ſupra dicta ſunt, quod ſcilicèt iſte non ſit poſſeſſor, ſed merus detentor, cui propterea iura poſſeſſionis nequeunt ſuffragari. Secundum eſt, quod, ſi in dubio incæperit detinere, & poſtea facta diligenti inquiſitione dubium illud depoſuerit; & cum ratione probabili crediderit rem illam eſſe ſuam, tunc ſuperueniente illa prudenti credulitate, & mutato priori iudicio dubio non teneatur rem illam dimittere, cum incipiat legitimè poſſidere. Hoc ſentire expreſsè videntur *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 6. dub. 16. n. 49. verſ. dico tertio, Coaruuias reg. poſſeſſor §. 12., Bonacina de contract. diſp. 1. q. 3. punct. vlt. §. 2. prop. 2. n. 1. verſ. quarto conſtat*, & nos etiam tradidimus *tom. 1. loc. cit. n. 14. & ſeqq.*, vbi alia ſcitu digniſſima circa hoc explicuimus. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo dubium depoſuit, incipit poſſeſſio cum bona fide, in qua eſt manutenendus, vndè dicunt DD. præallegati, quod ab eo tempore tantum depoſitionis dubij incipiendum ſit tempus præſcriptionis, & non in antea.

Si in dubio cæperit poſſidere, non poteſt rē illam detinere.

Alia illatio ad prædicta.

7

Incæpta poſſeſſione per bonam fidē ſuperueniēte dubio, ſi detinens facta debita diligentia alienauerit, nec ex illa factus fuerit locupletior Domino comparēte non tenetur reſtituere.

Reſpondeo quinto, ſi Caius, qui incæpit poſſidere bona fide ſuperueniente poſteà dubio diligentem inquiſitionem habuerit, nec ius certum alicuius apparuerit, non tenetur poſtea Domino comparente reſtituere, ſi rem illam vendiderit, nec ex ea venditione factus fuerit locupletior. Conſentit in vniuerſum *Leſſius d. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 4. nu. 23.* Ratio ex eo deducitur, quia neque tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, cum illa acquiſierit, & poſſederit bona fide, nec ratione rei acceptæ, cum amplius res illa non extet, ergo in tantum tenebitur, in quantum ex re illa factus fuerit locupletior, cum ex re aliena nequeat quis diteſcere.

8

Secus, ſi alienauerit nō facta illa cōgrua diligentia.

Reſpondeo ſextò, ſi Caius incæperit poſſidere bona fide, & poſtea ſuperueniente dubio per venditionem alienauerit, vel alio modo non facta prius diligenti inquiſitione, tenetur vero Domino comparenti ius ſuum legitimè exhibenti non ſolum rem reſtituere, ſed etiam fructus conſumptos ex eo tempore, quo cæpit dubitare de alienitate rei *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 14. dub. 4. num. 23. in reſponſ. ad inſtantiam.* Ratio ex eo deducitur, quia ex quo non præſtitit illam inquiſitionem, iam conſtitutus intelligitur in dolo in illa alienatione, & per conſequens in mala fide; poſſeſſor autem malę fidei, tanquam iniuſtus acceptor erga verum Dominum tenetur non ſolum ad rem, ſed etiam ad fructus eiuſdem acceptos. Deinde ex lege iuſtitiæ tenebatur illam inquiſitionem præmittere, & per conſequens omiſſio illius eſt contrà iuſtitiam, quæ obligat ad quodcunque damnum verſus illum, verſus quem tenebatur talem actum iuſtitiæ exercere.

9

Si vnus incæperit bona fide poſſidere, & alter in dubio, an res eſſet ſua ab illo acceperit, tenetur hic illi reſtituere.

Reſpondeo ſeptimo, ſi alter incæperit bone fide poſſidere rem illam, & Caius ab eodem acceperit, cum non eſſet certus, ſed dubius, an res illa eſſet ſua, an verò poſſidentis, tenetur eandem ipſi poſſidenti reſtituere. Hoc nos expreſsè docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contract. vt ſic Prænot. 2. dub. 3. n. 16.* & tradit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 4. n. 25. verſ. ex dictis ſequitur.* Ratio ex eo deducitur, quia dubitans non debet, nec poteſt iuſtè rem ab eo extrahere, qui non dubitat, & actu per bonam fidem poſſidet ex regula generali, quia ipſe eſt in pacifica poſſeſſione, qua non debet ſpoliari propter dubium alterius, nec poteſt dici ſimpliciter detentor, ſed verus poſſeſſor propter adminiculum iuris ſuffragantis cuicunque per bonam fidem detinenti rem tanquam ſuam, & ſi per conteſtationem litis poſſeſſor non eſt priuandus re, quam poſſidet, niſi cauſa terminata per textum *in c. laudabilem, vt lit. pend.* à fortiori per dubium conſurgens poſſidens non eſt ſpoliandus iure poſſeſſionis, niſi iudicetur legitimè non poſſediſſe, & contra ipſum lis non terminetur. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra diximus, quod ſi ſcilicèt ipſe detinens fuerit ab initio poſſeſſionis poſſeſſor bonæ fidei non poteſt ſua poſſeſſione ſpoliari ex dubio in fauorem alterius ſuperuenienti, ergo nec alter ſimilitèr bonæ fidei poſſeſſor ex dubio alteri ſuperuenienti.

§. III.

An acceptum ob cauſam, ad quam quis tenebatur, debeat reſtitui.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis exponitur. 1.

Si

Digitized by Google

Si opus fuerit aliunde debitum ex iuſtitia, & pro eodem fuerit pretium acceptum, hoc eſt reſtituendum. 2.

Iudex tenetur reſtituere pretium, quod pro ſententia iuſta recepit. 3.

Etiam teſtis id, quod recepit pro teſtimonio iuſto ferendo. 4.

Stipendiati pro opere non poſſunt aliquid ſupra conuentum recipere pro eodem opere. 5.

Commodatarij, & depoſitarij non poſſunt aliquid recipere pro reſtituendo commodato &c. 6.

Vxor tenetur reſtituere pecuniam, quam recepit pro debito reddendo, quod nolebat reddere. 7.

Datum ad effectum, ne quis furetur, vel detrahat, eſt reſtituendum. 8.

Etiam ſi deſiſtat à tali furto, vel detractione in gratiam erogantis illud. 9.

Datum pro opere debito ex iuſtitia, non tanquam pretium, ſed vt quid antidorale non eſt reſtituendum. 10.

Si opus ſit proximo debitum ex charitate, & pro illo pretium fuerit acceptum eſt reſtituendum. 11.

Si opus illud, pro quo pretium receptum eſt, cedat in vtilitatem ſolum recipientis, de rigore iuris eſt reſtituendum, ſecus ex præſumptione. 12.

Poteſt recipiens illud detinere, donec ille, qui dedit, repetat. 13.

1 *Facti ſeries expoſita.* DIſquiſitio III. Ex aliquo iuſto, & honeſto titulo tenebatur Antonius aliquod opus exercere, vel omittere. Nihilominùs ad eundem excitandum ad illud opus, vel ad omiſſionem operis Caius contulit aliquam pecuniæ quantitatem, vel rem aliquam pretio æſtimabilem. Orta hic fuit controuerſia, an Antonius, ſi opus illud exercuerit, vel omiſſerit actum, quem omittere aliunde tenebatur, teneatur id, quod recepit, collatori reſtituere? Pro ſolutione

Nonnulla notabilia ad factū. Aduerte primò, an illud opus, ſeu omiſſio operis ſint aliundè debita ex titulo iuſtitiæ, an verò ſint debita proximo ex titulo præcisè charitatis, an tandem ſit debitum ex aliquo præcepto, quatenus ſit exercendum, vel omittendum, executio tamen, vel omiſſio cedat ſolummodo in commodum eius, qui recepit quantitatem illam pecuniæ, vel rem pretio æſtimabilem, vel in honorem Dei.

Aduerte ſecundò, an illud, quod confertur pro executione operis, vel eiuſdem omiſſione, conferatur ſolummodo, tanquam quid gratuitum ex mera liberalitate conferentis, vel tanquam quid antidorale ad inducendam quaſi ex obligatione antidorali perſonam ad operādum, vel ad deſiſtendum ab opere, ſine vllo pacto tamen, & conuentione expreſſa, vel tandem tanquam pretium illius operis, vel omiſſionis eiuſdem præcedente pacto, & expreſſa conuentione, vel de illo exercendo, vel de illo omittendo. His ſic prænotatis.

Reſpondeo primò, ſi opus illud, ſeu omiſſio operis, pro quibus confertur pecunia illa, ſeu res pretio æſtimabilis tanquam pretium, ſint aliundè debita ex iuſtitia, non ſunt meritoria illius pretij, ſeu illius pecuniæ, ſeu rei pretio æſtimabilis, adeòque, ſi fuerit accepta, eſt reſtituenda. *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 2., Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 3., Medina C. de reſtitutione qu. 26., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. ſect. 9. n. 63. & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quia per illam acceptionem pecuniæ, tanquam pretij pro opere exercendo, vel omittēdo, cuius executio, vel omiſſio eſt aliundè debita ex iuſtitia violatur æqualitas ad eandem iuſtitiam requiſita, quandòquidem ille, qui aliundè ex iuſtitia tenetur opus illud exercere, vel omittere recipiendo aliquid pretio æſtimabile tanquam pretium illius operis, ſeu omiſſionis plus haberet, quam habere debeat, cum illud, quod recipit, ſit indebitum cum pro opere ex iuſtitia debito nihil debeatur, ergo illud non poteſt recipere, & ſi receperit, tenetur reſtituere. 2 *Si opus fuerit aliūdè debitū ex iuſtitia nō eſt meritorium pretij.*

Ex hac reſponſione plura poſſunt inferri ſcitu digniſſima, & primo, quod Iudex teneatur reſtituere id pretio æſtimabile, quod recepit pro iuſta ſententia ferenda, prout notant *Medina C. de reb. reſtituend. q. 25. verſ. iam de eo, quod querebatur, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 9. n. 72.* Intellige, ſi illud, quod datum, & acceptum eſt ſit vltrà præſcriptum à iure pro ſalario eiuſdem ſententiæ. Ratio euidentèr ex eo deducitur, quia illud, quod confertur, & accipitur ſupra id, quod iura præſcribunt pro ſalario nòn eſt aliquo titulo debitum, nec ad aliud poteſt referri, niſi ad auertendam iniuriam, quam timet à Iudice, ad quod plurimum facit id, quod habet *D. Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium* relatus *in c. non ſane 14. q. 5.*, quod ſcilicèt ſententia iuſta à Iudice lata non ſit venalis. 3 *Iudex tenetur reſtituere pretium, quod pro ſententia iuſta recepit.*

Secundò, quod teſtis non poſſit aliquid accipere pro teſtimonio iuſto ferendo, & ſi acceperit, teneatur illud reſtituere. Conſentiunt *Leſſius, & Medina loc. cit.* propter eandem rationem adductam ab Auguſtino, quia ſicuti ſententia iuſta Iudicis venalis non eſt, ità nec teſtimonium veritatis; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod teſtis non teneatur ex iuſtitia ferre teſtimonium veritatis; Non, in- 4 *Etiā teſtis id, quod recepit pro teſtimonio iuſto ferendo.*

Digitized by Google

inquam, obeſſe poteſt, quia, ſi à Iudice in ius vocetur, & legitimè interrogetur, tenetur veritatem ſimplicitèr fateri; Deindè dato etiam, quod non teneatur ex iuſtitia in iudicio ſiſtere, ſi tamen velit teſtari, tenetur veritatem deponere; ex quo ad ſummum poteris deducere, quod, ſi teſtimonium ferendum in fauorem perſonæ, cui aſſiſtit veritas, ſit illi quodamodo graue, vel pro damno, vel pro periculo, poſſit aliquid ſolum exigere ad ratam pro damno, & periculo, non pro ipſa veritate, quam fatetur.

5 Stipẽdiati non poſſunt aliquid recipere ſupra conuentũ pro opere.

Tertiò, quod ſtipendiati pro operibus, ad quæ fuerunt conducti, non poſſint aliquid recipere ſupra conuentum ſtipendium, prout habetur *c. militare 23. q. 1. &* *c. iubemus* 1. *q.* 1., & vlterius euincitur ex illo *Lucæ* 3. vbi D. Io: Baptiſta ad milites ait *Eſtote contenti ſtipendijs veſtris, neminem concutiatis*, quem textum explicans Auguſtinus ait *Non de his tantum militantibus ſcriptura loquitur, qui armata militia detinentur, ſed quiſquis militiæ ſuæ cingulo vtitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur*.

6 Commodatarij, & depoſitarij nõ poſſunt aliquid accipere pro reſtituendo cõmodato, & depoſito.

Quartò, quod detinentes alienum titulo commodati, depoſiti, & ſimilium non poſſint aliquid accipere pro reſtituendis huiuſmodi rebus, & ſi acceperint, teneantur acceptum reſtituere, prout habetur *ex l. 2. & l. vlt. ff. de condit. ob turpem cauſam*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem omni iure reclamante tenetur ex iuſtitia detinens illa reſtituere. Verum tamen eſt, hæc, quæ hic dicuntur, intelligi, quando ipſa redditio nihil habet laboris, aut moleſtiæ, ſi enim ſit coniunctus aliquis labor, aut moleſtia præcipuè, ſi contractus fuerit in gratiam præcisè Domini, vt euenit, vt plurimum in depoſito, tunc ipſe detinens, ſeu depoſitarius poteſt aliquid exigere pro ratione laboris, & moleſtiæ.

7 Vxor, quę recepit pecuniã pro debito reddendo marito, quod aliter nolebat reddere, tenetur reſtituere.

Quinto, quod vxor, quæ non vult marito petenti debitum coniugale perſoluere, niſi pro pecunia, teneatur pecuniam illam receptam reſtituere, prout docet *Medina loco cit. verſ. tertio de his, qui alienum, & cum eo alij communitèr*, quia ad tale debitum, ſi moderatè petatur, tenetur eadem vxor ex onere iuſtitiæ, & per conſequens id, quod accipit pro eodem, eſt indebitum.

8 Datum ad effectum, ne quis furetur, vel detrahat, eſt reſtituendum.

Sexto, quod datum ad effectum, ne recipiens furetur, vel ne detrahat, eſſe reſtituendum, prout colligit *Leſſius d. l. 2. de iuſt., & iur. c.* 14. *dub.* 9. *n.* 66. *verſ. quarto, neque etiam, vt fureris* ex textu *in l. 2. ff. de condict. ob turpem cauſam*, vbi legitur *Iulianus dicit, ſi dedero tibi, ne hominem occidas condici poſſe*, ideſt repeti, & ratio clara eſt, quia huiuſmodi omiſſiones ſunt debitæ ex iuſtitia.

Hic ſolum oritur difficultas, an ſaltem ille, qui recipit pecuniam, vel aliud pretio æſtimabile, ne furetur, vel detrahat, poſſit illud retinere ex eo, quod abſtineat ab huiuſmodi operibus noxijs in gratiam erogantis talem pecuniam, vel rem pretio æſtimabilem, quandoquidem licet huiuſmodi omiſſiones ſint debitæ, non tamen ſunt debitæ in gratiam eiuſdem erogantis. Sotus *lib. 4. de iuſt. q. 7. art.* 2. arbitratur in hac hypotheſi accipientem poſſe aliquid detinere. Nihilominùs alij communius, & tutius apud *Leſſium d. l. 2. de iuſt. c.* 14. *dub.* 9. *num.* 67. *in reſponſ. ad inſtantiam*, ſuſtinent, nec ex eo titulo accipientem poſſe aliquid detinere. Ratio ex eo deducitur, quia quando aliquid, vtpotè ex iuſtitia alitèr debitum non poteſt cadere ſub commercio, ſeu ſub venditione, nec videtur ſub illa cadere poſſe obſequium, quo fit in gratiam alicuius; cæteroqui, ſi ego v. g. in gratiam tui aliquid mutuauero Franciſco, poſſem ex illo mutuo aliquid à te accipere ſine labe vſuræ, & ſi prælatus contulerit alteri beneficium Eccleſiaſticum in gratiam alterius poſſet ſine labe ſimoniæ, ab eo, in cuius gratiam contulit, exigere, quæ non videntur dicenda.

9 Nec accipiens poteſt detinere ea intentione, quod receperit, vt deſiſteret ab huiuſmodi operibus in gratiã erogantis.

Reſpondeo ſecundo, ſi quid pecuniæ, vel alterius rei pretio æſtimabilis non tanquam pretium operis debiti ex iuſtitia, vel omiſſionis eiuſdem conferatur, ſed tãquam quid antidorale ad excitandum animum ad operandum id, quod ex iuſtitia debet fieri, vel ad omittendum id, quod ex iuſtitia debet omitti, regularitèr loquendo non eſt reſtituendum. In hoc videtur conſentire *Leſſius d. l. 2. de iuſt. c. 14. dub. 9.*, dum ſparſim in commemoratis caſibus in præcedenti reſponſione excipit, *niſi conferatur inſtar muneris liberalis, & niſi quid ex liberalitate ob hanc cauſam eſſet datum*. Ratio ex eo deducitur, quia illud, quod præcisè ſub illa conſideratione confertur, non habet rationem pretij, & datur liberalitèr, cum ex vi illius non obligetur recipiens ad operandum, vel ad omittendum opus, ergo non eſt, cur non poſſit recipi, & retineri. Confirmatur primo, quia, ſi quis ad excitandum animum alterius ex antidorali obligatione preſtet obſequia pretio æſtimabilia in fauorem mutuantis nullo poſito onere ad mutuandum, & mutuans indè moueatur ad mutuandum, non dicitur hic vſurarius, nec tenetur illud, quod recepit, reſtituere per ea, quæ docuimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. Prænot.* 25. *n.* 4., ergo &c. Confirmatur ſecundo, quia licitum eſt allicere aliquem muneribus ad opera exercenda, ad quæ tenetur, vel ad

10 Datũ pro opere ex iuſtitia debito, non tanquam pretium eiuſdem, ſed tanquã quid antidorale, non eſt reſtituendum.

Digitized by Google

ad omittenda; quæ tenetur omittere, quia ex vno capite non ponit onus, ex alio magis auget motiuum eliciendi opus, vel omittendi.

Exceptio ad prædicta.

Dixi, *regularitèr loquendo*, proptèr nonnullos caſus, in quibus ex diſpoſitione iuris communis, vel municipalis non licet aliquid exigere proptèr præſumptionem violatæ iuſtitiæ, vel violandæ in huiuſmodi acceptionibus, vt præcipuè contingit in honorarijs Iudicum, aliorumq; officialium, de quibus in ſequenti diſquiſitione.

11 Si opus ſit debitum ex charitate, & pro illo pretiũ receptum, eſt reſtituendum.

Reſpondeo tertio, ſi opus illud, ſeu omiſſio operis ſit proximo debitum ex charitate, & pro illo aliquid receptum fuerit tanquam pretium, eſt conferenti reſtituendum *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 14. dub. 9. n. 69., Medina C. de reb. reſtitut. q. 25.*, Ratio ex eo deducitur quia, ſi præſcindas à laboribus, & ſumptibus, exercitiũ huiuſmodi operum cõmuni hominum iudicio non eſt pretio æſtimabile, cum illud, quod quis gratis ex aliquo debito facere, vel omittere tenetur, non ſit venale; nec *in l. 2. ff. de condict. ob turp. cauſam*, habetur, quod repeti poſſit id, quod datum eſt alteri, vt indicet furem, à quo poſſit repetere rem ſuam, eo quia ex lege charitatis teneatur eundem furem manifeſtare; ſic *in l. quod euitandi C. de condict. ob turpem cauſam*, decernitur, quod ſit reſtituendum id, quod elector militum accepit à milite inexperto, vt eum excuſaret à tirocinio, cum ex legibus militaribus, quæ potiùs pertinent ad fortitudinem, teneatur ad benè eligendum, & hoc euincitur ex alijs ſimilibus, quæ latè refert, & proſequitur *Nauarrus in man. c. 17. n. 33. verſ. ſed contra moderationem*.

Circa hanc reſponſionem nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi; quarum prima eſt illa, quam excitat *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 14. dub. 9. n. 70.*, an ſcilicet ea, quæ dicta ſunt, ſint præcisè intelligenda, quando opus, ſeu omiſſio operis, pro quibus datum fuit illud pretium, cedit in vtilitatem conferentis, vel aliorum ab ipſo recipiente, an vero etiam, quando illud opus cedit præcisè in commodum recipientis, vel in honorem Dei; & ipſe reſoluit, quod quando opus, vel omiſſio operis cedit tantum in vtile recipientis, ſeu in honorem Dei non ſit neceſſario illud, quod pro illo receptum eſt, reſtituendum, rationemq; adducit ex eo, quia cenſetur illud eſſe liberalitèr datum, quia dans non emit à recipiente actiones, vel omiſſiones liberas illi ſoli commodas, vel Deo honorificas. Ex aduerſo *Nauarrus in man. d. c. 17. n. 33. verſ. ſed contra moderationem*, videtur ſentire eſſe etiam reſtituendum id, quod receptum eſt pro opere, vel omiſſione operis, quod cedit tantum in commodum recipientis, vel in honorem Dei; cum aſſerat, quod turpitudo conſiſtat in eo, quod accipit mercedem pro eo, quod ſine mercede tenetur facere, vel omittere, hocque videtur euincere ex textu *in d. l. 2. ff. de condict. ob turp. cauſam*, vbi habetur poſſe repeti id, quod datum eſt alicui, ne ſacrilegium faciat, & tamen omiſſio ſacrilegij cedit ſolum in commodum non elicientis, & in honorem Dei. Ego arbitror vtramque hanc opinionem poſſe ſic conciliari, quod illa Leſſij procedat ſolummodo ex præſumptione, quatenus ſcilicèt præſumatur conferens illam pecuniam, ſeu rem pretio æſtimabilem conferre titulo meræ liberalitatis, ſeu ad ſummum antidoralis obligationis; illa verò Nauarri procedat abſolutè, quatenus ſupponat dari tanquam pretium illius operis, vel omiſſionis; ſecundũ quam conciliationem rationes pro vtraq; rectè procedunt.

12 Si opus illud, pro quo receptũ eſt pretiũ, cedat tantum in vtilitatem recipientis, poteſt ex præſũptione pretiũ illud detineri, nõ de rigore iuris.

Secunda ratio dubitandi eſt, an illud, quod receptum eſt pro huiuſmodi operibus, ſeu omiſſionibus, puta, vt recipiens fiat Chriſtianus, vt confiteatur in Paſchate, vt non fornicetur, vt non blaſphemet, ſit immediatè reſtituendum, vel retineri poſſit donec petatur in iudicio; Sentiendum eſt, poſſe illum, qui recepit, retinere, donec ille, qui dedit, repetat *Sotus lib. 4. q. 7. art. 1., Nauarrus in man. d. c. 17. n. 33., Medina C. de reb. reſtituend. q. 25. col. 10., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 14. dub. 9. n. 71.*, Ratio ex eo deducitur, quia qui recepit poteſt receptum tenere ex quodam dantis conſenſu, donec repetierit ſaltem extra iudicium; pro quo aduertendum eſt, quod textus *in d. l. 2. ff. de condict. ob turp. cauſ.*, non prohibeat tranſlationem dominij rei datæ, ne maleficium fiat, ſed tantum concedit condictionem, quæ eſt actio perſonalis, vt benè notat *Nauarrus loc. cit. ex rub. de condict. indebit.*

13 Poteſt recipiens illud detinere donec alter repetat.

§. IV.

An, honorarium acceptum à Iudicibus, vel alijs officialibus pro ſententia, vel alijs actibus Iudicialibus, vel reſcriptis iuſtitiæ, vel gratiæ, ſit reſtituendum.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Quod veniat nomine honorarij. 2.
Iudex ſæcularis ordinarius non poteſt quid recipere

Digitized by Google

cipere pro ſententia ferenda, ſi habeat ſtipẽdium à publico, vel ſi non habeat ſupra taxatum à Principe. 3.

De iure communi Iudex Eccleſiaſticus ordinarius non poteſt exigere ſportulas. 4.

Nec etiam, ſi ſpontè offeratur à collitigantibus. 5.

Excipe, niſi eſſent eſculenta, & poculenta modica. 6.

Iudices ordinarij nequeunt huiuſmodi ſportulas recipere, ſiue procedant in cauſis criminalibus, ſiue ciuilibus. 7.

Poſſunt tamen aliquid recipere, vt prius vnam cauſam expediant, quam alteram, quando liberum eſt eiſdem expedire, quam volunt. 8.

Iudex delegatus, qui non habet ſalarium à publico, poteſt honorarium, ſeu ſportulas recipere. 9.

De iure municipali Mediolani nequeunt Iudices, ſiue ordinarij, ſiue delegati aliquid recipere pro cauſis criminalibus ſub pœnis grauibus. 10.

Intellige, ſi ſalarium non habeant. Ibid.

Taxa, quando ſalarium non habent. 11.

Pro examinibus reorum ſpontè ſe conſtituentium. 12.

Pro examine teſtium ad offenſam nihil. 13.

Pro examine teſtium ad defenſam. 14.

Pro ordinationibus ſuper relaxationibus carceratorum. 15.

Pro relationibus non definitiuis, & definitiuis. 16.

Pro præſentatione gratiarum, & caſſatione condemnationum. 17.

Iudices ordinarij in Statu Mediolanenſi, ſiue in cauſis ciuilibus, ſiue criminalibus nequeunt honorarium accipere, ſi habeant ſalarium. 18.

Si fuerint Iudices delegati, poſſunt ſalarium ſententiarum ad rationẽ vnius pro centenario à qualibet partium accipere, ita tamen non excedat ſummam ducentorum aureorum. 19.

Stante conſuetudine legitimè præſcripta poſſunt Iudices ſæculares ſpontè oblata iuſtè recipere. 20.

Intellige etiam quoad Iudices Eccleſiaſticos, ſi conſuetudo ortum non habuerit ab exactione. 21.

Si iura prohibeant ſub nullitate, conſuetudo non legitimat receptionem. 22.

1 *Factũ expoſitũ in caſu particulari.*

DIſquiſitio IV. Occaſione eorum, quę dicta ſunt in præcedenti paragrapho de Iudice, qui tenetur reſtituere id, quod recepit pro iuſta ſententia ferenda, aliquid innuimus de honorarijs, an ſcilicèt poſſit Iudex illa acquirere, & retinere, an verò non poſſit. Quia tamen hæc materia tam crebro in foro verſatur, & diuerſas adeo, & ſibi obuiantes habet opiniones, vt eorundem Iudicum, officialium anxios ſollicitet animos, conſcientias torqueat, & DD. in conſulendo fatiget ingenia, placet ex profeſſo in pręſenti eandem ſecundum omnes circunſtantias, iura, ſiue communia, ſiue municipalia examinare, diſcutere, & reſolutiuè declarare. Pro quo

2 *Quid veniat nomine honorarij.*

Aduerte primo hic nomine honorarij venire quodcunque pretio æſtimabile, quod ſit ſupra id, quod eſt, vel à iure, vel à Principe taxatum in ordine ad aliquam ſententiam, reſcriptum, vel miniſterium, ſiue dicatur ſportula, ſiue munus, ſiue alia appellatione noncupetur. De huiuſmodi honorario, ſeu ſportulis non accipiendis extat non ſolum ius commune *in l. plebiſcito ff. de officio præſid. & l. ſolet §. fin. ff. de offic. proconſul.*, ſed etiam iura municipalia, vt Romæ *per conſtitution. Pauli V. conſt. 71. de reformatione Curiæ*, & Mediolani *in Nouiſs. Conſtit. lib. 2. ſub tit. de ſportulis*, tum in ordinibus Excel. Senatus *in taxa honorarij in cauſis criminalibus debita Iudicibus, qui de publico ſalarium non habent edita ſub die 17. Auguſti 1553.* ad quæ vos remitto. Huiuſmodi conſtitutiones ſcilicèt Pontificia, & nouiſſima Mediolani, & ordines Excellentiſs. Mediolani Senatus afficiunt nedum Iudices, ſed etiam Notarios, ſcribas, commentarienſes quoad eorum reſpectiuè miniſteria, vt videre eſt in eiſdem, & quidem ſub pænis grauibus, vt in ipſis.

Nonnullæ conſiderationes circa huiuſmodi honoraria.

Aduerte ſecundo, titulum, vel procedere poſſe in ordine ad Iudices Eccleſiaſticos, vel in ordine ad ſæculares. Rurſus, ſiue Iudex fuerit Eccleſiaſticus, ſiue ſæcularis, vel eſt Iudex ordinarius, vel delegatus. Rurſus, ſi Iudex eſt ordinarius, vel habet congruum ſalarium, ſeu prouiſiones à publico, ſiue a Principe, vel huiuſmodi prouiſiones, ſeu ſalarium non habet.

Aduerte tertio id, quod confertur, vltrà præſcriptum à iure, vel taxatum à Principe, vel conferri titulo gratuitæ, & liberalis donationis, vel antidoralitèr ad inducendum Iudicem, ſeu alium Officialem ad fauendum conferenti, vel tandem tanquam conuentum. Rurſus, vel illud, quod confertur, confertur iuxtà conſuetudinem inductam ſciente Principe, & non contradicente, vel nulla extante conſuetudine.

Aduerte quartò, an iura, quæ prohibent huiuſmodi ſportulas, ſeu honoraria, ſiue ſit commune, ſiue municipale prohibeant irritando, ſeu reddendo inhabiles recipientes ad recipiendum; an verò præciſè interdicendo ſub pæna. His pro notitia ſuppoſitis.

Reſpon-

Digitized by Google

3 De iure communi Iudex ordinarius nõ poteſt recipere aliquid pro ſentẽtia ferẽda quãdo habet ſtipẽdiũ à publico.

Reſpondeo primo, de iure communi Iudex ordinarius ſæcularis non poteſt iuſtè exigere honorarium à partibus colligantibus pro ſententia ferenda, ſi habeat ſtipendium à publico, vel à Principe ſibi ſtatutum pro tali munere, vel ſi non habeat, accipiat vltrà id, quod eſt à Principe taxatum *Silueſter verb. Iudex primo nu. 13. qu. 8., Roſella eod. verb. & alij magis communitèr*. Expreſsè euincitur *ex l. plebiſcito ff. de offic. Præſid., & l. ſolent ff. de offic. proconſ. not. Gloſ. in l. 3. C. de condict. ob turp. cauſ. & l. 1. C. de pen. Iud.* Nec incongrua ratione hoc iura ſtatuunt, quandòquidem ex vno capite officio Iudicis ſufficientèr prouiſum ſupponitur, vel per ſalarium à publico, vel a Principe præſcriptum, vel per taxam vt ſupra; ex alio per illa honoraria, ſportulas, ſeu quocunque nomine noncupentur, ingeritur non leuis ſuſpicio, quod Iudex illis muneribus allici poſſit ad iudicandum non ſeruatis iuſtitiæ legibus.

Intellige etiã quo ad alios actus iudiciarios.

Hæc, quæ diximus in ordine ad ſententiam ferendam, ęquè intelligenda ſunt in ordine ad alios actus iudiciales, ad quos Iudex tenetur ex vi proprij muneris, cum ratio, quæ pro primo caſu militat, militet etiam pro ſecundo, niſi alitèr in iure ſit diſpoſitum.

4 Nec Iudex Eccleſiaſticus ordinarius.

Reſpondeo ſecundo, etiam de iure communi Iudex Eccleſiaſticus ordinarius non poteſt exigere ſportulas, ſeu honorarium, vltrà &c. Conſentiunt *Silueſter d. verb. Iudex primo n. 13. q. 8. Gloſa in c. non licet 11. q. 3., Panormitanus, & Ioannes Andreas in c. cum ab omni de vit. & honeſt. cler.* Expreſsè colligitur *ex d. c. cum ab omni*, quod licet videatur loqui de Iudice tantũ delegato, nihilominus propter eandem, quinimmò fortiorem rationem trahitur etiam ad ordinarium, cum ideo ſit beneficiatus, vt iuſtitiam reddat, *Gloſa in d. c. non licet 11. q. 3.*

Hic ſolum oritur difficultas, an per huiuſmodi iura, ſiue ciuilia, ſiue canonica ità interdicatur acceptio ſportularum, ſeu honorarij, vt intelligatur interdicta, quantumuis ſportulæ, ſeu honoraria intelligantur ſponte oblata, & quantumuis conſiſtant in eſculentis, & poculentis. In ordine ad primũ abſolutè arbitror interdici, quantumuis fuerint a collitigantibus ſpontè oblata. Hoc videntur expreſsè ſentire *Silueſter loc. cit., Gloſa in c. ſtatutum de reſcriptis in 6. & alij*, dum excipiunt pręcisè eſculenta, & poculenta, ſi fuerint ſpontè oblata in ea moderatione, de qua infra; ſi etenim omnia eſſent excipienda, quæ ſunt ſpontè oblata, fruſtrà, & incongruè ſpeciatim illa exciperentur. Ratio ex eo deducitur, quia iura interdicentia huiuſmodi acceptiones pręcipuè innituntur præſumptionibus, ne Iudices alliciantur ad iudicandum non ſeruato iuris ordine, & iuſtitiæ legibus, ſed hoc æquè militat in ordine ad huiuſmodi ſpontè oblata, vt per ſe patet, adeòque; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt in præcedenti paragrapho in ſecunda reſponſione, quod ſcilicèt poſſit accipi pro opere, quantumuis alitèr debito, & neceſſario pecunia, ſeu aliud pretio æſtimabile, ſi conferatur titulo liberali, & gratuito donationis; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, vt in limitatione ibi diximus, excipiendus eſt caſus honorarij, ſeu ſportularum reſpectu Iudicum propter præſumptiones violatæ iuſtitiæ, ſeu violandæ, quæ militant in hoc ſpeciali caſu.

5 Nec etiã, ſi ſpontè offerantur à collitigantibus.

6 Excipe niſi eſſent eſculenta, & poculenta modica.

In ordine ad ſecundum mitius procedendo arbitror acceptionem huiuſmodi eſculentorum, ſeu poculentorum, ſeu commeſtibilium, & potabilium ex mera liberalitate oblatorum non interdici, dummodo talia ſint, quæ diebus paucis poſſint conſumi. Ità expreſsè *Silueſter verb. Iudex primo q. 8., Gloſa in c. ſtatutum de reſcript. in 6. & in l. plebis ſcito ff. de offic. Præſid.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi commeſtibilia, & potabilia in illa quantitate non ſunt talia, vt præſumantur poſſe allicere Iudicem ad declinandum à regulis veræ iuſtitiæ, & huiuſmodi eſculenta, & poculenta dicuntur xenia moderata, quæ *ex diſtinct. 18. de eulogijs* ab omnibus recipi non prohibentur. Quænam autẽ debeat eſſe quantitas huiuſmodi eſculentorum, vt cenſeantur paucis diebus poſſe conſumi, hoc boni, & prudentis viri arbitrio remittendum eſt *Gloſa in d. c. ſtatutum de reſcriptis in 6.* qui penſata qualitate dantis, & accipientis iudicet *Gulielmus in c. & ſi quæſtiones de ſimonia*.

Arbitrio boni, & prudentis viri.

7 Intellige, ſiue procedant in cauſis criminalib., ſiue ciuilibus.

Reſpondeo tertiò, ea quæ dicta ſunt in duabus præcedentibus reſponſionibus intelligenda ſunt de Iudicibus ordinarijs, ſiue procedentibus in cauſis criminalibus, ſiue ciuilibus. Ità ſentire videntur *Silueſter loc. cit. & alij omnes de hac materia agentes* dum loquuntur de Iudicibus ordinarij indefinitè ſine vlla exceptione. Ratio ex eo deducitur, quia fundamenta, quibus huiuſmodi iura interdicentia nituntur, æquè militant aduerſus Iudices, ſiue in criminalibus, ſiue in ciuilibus cauſis procedentes, æquè etenim poteſt eſſe præſumptio fraudium, & iuſtitiæ violatæ, ſeu violandæ in vtriſque Iudicibus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in cauſis præcipuè criminalibus poſſent militare rationes iuſtificantes huiuſmodi acceptiones, quæ non poſſunt iuſtificare in ciuilibus, ſiquidem plura militant in cri-

Digitized by Google

criminalibus arbitria, quæ non vigent in ciuilibus; propter quæ arbitria in fauorem alterius applicanda videntur Iudices poſſe aliquid iuſtè exigere, & retinere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt benè notat *Tamerus* 2. 2. *diſp*. 4. *q*. 6. *dub*. 10. *n*. 299., *Diana part*. 3. *tract*. 5. *reſolut*. 55. *& alij communitèr*, non ſolum iura poſitiua id prohibent, vt etiam fatetur *Leſſius lib*. 2. *de iuſtit*. *c*. 14. *dub*. 9. *nu*. 64. *in edit*. *Pariſienſ*. *anno* 1618., ſed etiam ius naturale, cum iuſtitia exigat, vt pro pecunia in iudicijs Iudex non inclinet in vnam potius partem, quam in alteram, nec quod libertas in iudicando vendatur. Deindè dato etiam, quod iure poſitiuo tantum prohibeatur hæc acceptio ſufficit ad præſens inſtitutum.

Hic oritur difficultas, an ſaltem Iudex poſſit aliquid accipere, vel retinere non pro ipſa ſententia formalitèr, ſed vt illius cauſam expediat ante aliam, quæ tamen ſimul cum illa ad ipſum delata eſt. Monet & quidem merito *Paulus Laiman in Theologia mor*. *lib*. 3. *ſect*. 5. *tract*. 4. *c*. 4. *n*. 9. cauendum eſſe, ne præpropera hæc expeditio cauſæ propter pecuniam ſit coniuncta cum alterius iniuſto damno; cæterum ſuppoſito, quod cauſæ, ſeu litigantes æquali iure gaudeant, vt ſit in Iudicis poteſtate vnam potius prius expedire, quam aliam, non incongruè arbitrarer poſſe aliquid recipere titulo muneris liberalis, vt citius vna cauſa expediatur, quam alia, *Diana part*. 3. *tract*. 5. *reſol*. 45. cui adhærere videntur *Leſſius lib*. 2. *de inſt*. *c*. 14. *dub*. 9. *nu*. 84., *Molina de iuſt*. *tom*. 1. *tract*. 2. *diſp*. 88. *nu*. 6. dum aſſerunt, quod poſſit Iudex aliquid accipere titulo liberalis donationis, vt maiorem, quam ſolet, quamque tenetur adhibere, adhibeat diligentiam in cauſa. Ratio ex eo deducitur, quia in ea re alijs iniuriam non infert, nec tunc militant præſumptiones fraudium, quæ militant in caſibus præcedentibus, cum non accipiat, niſi pro celeriori expeditione. Tutius tamen crederem, ſi ab huiuſmodi acceptionibus declinaret propter periculum, ne cum motiuo accelerationis ob munus acceptũ ſubingrediatur etiam præſumptio fauoris in meritis cauſæ.

8 **Poſſunt tamen aliquid accipere pro celeriori expeditione vnius cauſæ, & quo modo.**

Reſpondeo quartò, Iudex delegatus, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue ſæcularis, qui non habet ſalarium, nec congruas prouiſiones pro huiuſmodi iudicijs ſibi commiſſis poteſt exigere ſportulas, ſeu honoraria, & retinere *Panormitanus* apud *Silueſtrum d. verb. Iudex primo q*. 7. *& alij*. Hoc videtur colligi *ex auth. de iud*. §. *nos autem labor*, & notat *Gloſa in c*. *cum ab omni de vita*, *& honeſt*. *Cleric*., vbi etiam ponitur limitatio, ſeu moderatio eorum, quæ poteſt exigere, quod ſcilicèt non habeat, niſi duos aureos in principio, etiam ſi ſit à Principe, & duos in fine, quando cauſa excedit centum aureos, quos ſi non excedat, nihil poteſt accipere. Ratio ex eo deducitur, quia æquum non eſt, vt, vbi aliter non habeat pro exercitio iuriſdictionis ſibi delegatæ in fauorem aliorum, onus, & laborem gratis ſuſcipiat, ſine aliqua mercede. Nec audiendi hic ſunt aliqui, qui hoc verum aſſerunt quoad Iudicem delegatum ſæcularem, non ſic quoad Eccleſiaſticum, qui gratis debet iudicare, in cuius fauorem, nec videtur poſſe militare conſuetudo, vt notare videtur *Panormit*. *in c*. *cum ab omni de vit*. *& honeſt*. *Cleric*. cum talis cõſuetudo valeat in foro ſęculari, nõ vero in foro Eccleſiaſtico per textũ *in d*. *c*. *cum ab omni*; Non, inquam, audiendi ſunt, quia allegatus textus, in quo fundatur Panormitanus, non eſt ità in rigore ſumendus, vt excludat quamcunq; congruam, & limitatam mercedem laborum in cauſæ cognitione, & expeditione eiuſdem, cum regularitèr inde iacturam patiatur alicuius honeſti exercitij.

9 **Iudex delegatus poteſt ſportulas recipere.**

Reſpondeo quintò, de iure municipali totius huius dominij Mediolanenſis nequeunt Iudices, ſiue ordinarij, ſiue delegati in tractandis, ſeu terminandis cauſis criminalibus ab alterutra ex partibus, ſeu agentibus pro eis aliquid accipere, nec in magna, nec etiam in minima quantitate directè, nec per indirectum, nec ſub colore ſportularum, aut honorarij, aut alio velamine ſub pæna priuationis omnium officiorum, & aureorum mille fiſco applicandorum, & in ſubſidium pænæ corporalis ad arbitrium Principis, vel Senatus; quæ diſpoſitio extenditur etiam ad Notarios, ſcribas, commentarienſes, & alios, qui officia exercent, aut munera ſuſtinent, ſi quid plus accipiant, quam in ſpecialibus ordinibus contineatur. Hæc omnia expreſsè habentur *in Nouij*. *Conſtit*. *Mediol*. *lib*. 2. *ſub tit*. *de ſportulis*, vbi etiam inhibetur Iudicibus ordinarijs, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus, ne ſalarium accipere poſſint, quod intelligendum eſt, quando de publico ſalarium habent.

10 **De iure municipali Mediolani nequeunt Iudices, ſiue ordinarij, ſiue delegati, nec quid modicum recipere pro cauſis criminalibus ſub pæna.**

Extenditur etiam ad Notarios, ſcribas &c.

Si verò ſalarium non habeant, tunc poſſunt accipere iuxtà taxam honorarij editam per Excellentiſſimum Mediolani Senatum *ſub die* 17. *Auguſti* 1553. *pro iudicibus in cauſis criminalibus*, quam taxam placet per extenſum hic apponere.

11 **Taxa quãdo ſalariũ non habent.**

Pro examinibus reorum; *ſi ſpontè ſe conſtituerint*, *& tractetur de pæna capitali habeant vſque ad aureum vnum pro ſingulo*, *ſi vero non ſit capitalis vſque ad dimidium vnius aurei*, *& hoc ſemel tantum etiam*, *ſi ſæpius exa-*

12 **Pro examinibus reorum, ſi ſpontè ſe conſtituerint.**

12 *Pro examinibus reorum, ſi ſponte ſe conſtituerint.*

examinarentur; At ſi ſponte non ſe conſtituerint, ſed detenti fuerint, nihil debeatur, & tamen quanto citius fieri poterit, examinentur.

Pro examine teſtium ad offenſam nihil conſequi poſſint.

13 *Pro examine teſtiũ ad offenſam nihil.*

Pro examine teſtium ad defenſam, ſi delictum ſit capitale, & teſtes non ſint ſupra tres ſuper duobus, vel tribus capitulis non computato tamen capitulo vocis, & fama habeant vſque ad dimidium vnius aurei, ſi verò maior ſit numerus teſtium, vel capitulorum vſque ad ſex habeant vſque ad aureum vnum, abinde verò ſupra non excedant aureos duos. Et ſi delictum non ſit capitale, pœna tamen ſit corporalis, habeant dimidium eius, quod ſupra dictum fuit ſingula ſingulis congrue referendo; vbi autem pœna ſit pecuniaria tantum in omni caſu non habeant vltra dimidium vnius aurei.

14 *Pro examine teſtium ad defenſam.*

15 *Pro ordinationibus ſuper relaxationibus carceratorũ.*

Pro ordinationibus, quæ fiunt ſuper relaxationibus carceratorum ſub fideiuſſione præcedente relatione ſtatus cauſæ, & ex ordine Senatus, cum contenti eſſe debeant mercede ſibi conſtituta pro ipſa relatione, & de qua infra, nihil accipere poſſint.

Pro huiuſmodi autem ordinationibus, quas aliter per Iudices fieri continget, vbi cauſa capitalis, accipere poſſint ſolidos quinquaginta, vbi autem capitalis non ſit, ſolidos vigintiquinque; in quibus tamen computetur id, quod habuerint pro viſione ſcripturarum.

16 *Pro relationibus non definitiuis.*

Pro relationibus non definitiuis, quæ fiunt de ſtatu cauſæ ad Senatum, ſiue fiant in ſcriptis, ſiue verbo, vbi delictum ſit capitale, accipere non poſſint vltra aureum vnum, vbi vero non ſit capitale, eius dimidium non excedant.

Pro definitiuis.

Pro relationibus definitiuis cum voto, ſiue fiant in ſcriptis, ſiue verbo, vt ſupra, quatenus delictum ſit capitale, & feratur ſententia abſolutoria, non excedant aureos duos, & vbi non ſit capitale, vſque ad aureum vnum conſequantur. Modo tamen in vtroque caſu non præceſſerit relatio ſtatus cauſæ, quo in caſu dimidium tantum eius, quod tanto taxatum fuit, congruè referendo, conſequi poſſint.

17 *Pro præſentatione gratiarum.*

Pro præſentatione gratiarum, & caſſatione condemnationum, ſi gratiæ ſint tales, in quibus requiratur approbatio Senatus, habere poſſint vſq; ad aureum vnum; ſi vero conceſſæ fuerint per litteras miſſiuas locumtenentis noſtri, vt ſit in delictis leuioribus deſcendentibus à proclamationibus accipere non poſſint vltrà dimidium vnius aurei.

Exceptio quoad nihil habẽtes, ſed laboribus viuentes.

Præmiſſa tamen locum non habeant in perſonis nihil proprij habentibus, ſed quotidianis laboribus ſibi victum quærentibus, à quibus vltrà dimidium eius, quod taxatum fuit congruè referendo, conſequi non poſſint; à miſerabilibus autem nihil penitus conſequi poſſint. Et quod vltrà prædicta non poſſint aliquid percipere etiam à ſponte dantibus ſub pœna aureorum centum Cameræ noſtræ applicandorum, & amotionis, vel ſuſpenſionis ab officio arbitrio Senatus, nec in exequendis his ordinibus interponatur dilatio ſub eadem pœna. Additiones, & declarationes ad taxas habuit idem Senatus Excellentiſs. *ſub die 20. Auguſti 1569.*

Reſpondeo ſextò, ex eodem iure municipali totius huius Mediolani dominij nequeunt Iudices ordinarij, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus ſalarium accipere. Intellige, ſi non habeant à publico; ſi vero ordinarij non ſint, ſed delegati cum auctoritate decidendi, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus cauſis, quarum cognitio alias ad ipſos non ſpectat, poſſunt ſalarium ſententiarum ad rationem vnius pro ſingulò centenario à qualibet partium accipere; ità tamen, vt quantacunque fuerit cauſæ æſtimatio ſumma ducentorum aureorum excedi non poſſit; computatis etiam ſemper pecunijs pro ſcripturis, & motiuis habitis. Hæc omnia colliguntur *Nouiſ. Conſtit. Mediol. lib. 2. ſub tit. de ſportulis.*

18 Iudices ordinarij in Statu Mediolanenſi nequeunt ſalarium recipere.

19 Quã ſummam poſſint accipere Iudices delegati.

Reſpondeo ſeptimò, ſtante conſuetudine legitimè præſcripta ſciente Superiore, & non contradicente Iudices ſæculares ſponte oblata poſſunt iuſtè recipere *Panormitanus in d. c. cum ab omni de vit. & honeſt. Cler., Silueſter verb. Iudex primo n. 15. q. 10.*, hocque videtur colligi *ex auth. de iudicijs §. ne autem in gloſ.*, nec difficilis videtur huius reſponſionis probatio, quandòquidem de iure naturæ non videtur prohibita huiuſmodi ſponte oblatorum acceptio, & omne interdictum eſt dumtaxat de iure poſitiuo; per conſuetudinem autem præſcribitur contrà legem ciuilem ſciente Principe, & non contradicente ſpacio decem annorum iuxta *Panormitanum in c. vlt. de conſuetudin. nu. 11., Angelum in verb. conſuetudo nu. 8., Silueſtrum eod. verb. n. 6., Nauarrum lib. 1. conſ. 1. tit. de conſuet.*, cum ius ciuile ad introducendam conſuetudinem requirat longum tempus, longum autem tempus eſt ſpacium 10. annorum *rub. C. de præſcrip. long. temp.*; Iuxtà alios, & quidem verius, etiam minore tempore, prout docet *Sotus lib. 1. de iuſt. q. 7. art. 2.*, & tali, vt agatur paſſim contra eandem legem ſciente Principe, & non inſultante *Gloſ. in c. 1. de tregua, & pace*; dum etenim Princeps ſcit ſuam legem non ſeruari, & tacet, cenſetur conſentire, vt non ſeruetur, & ſic permittens conſuetudinem implicitè detrahit ſuæ legi vim obligandi; Neque obeſſe poteſt, ſi adducatur textus *in c. vlt. de conſuet.*, vbi dicitur, quod *licet longeuæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt vſque adeo valitura, vt vel iuri poſitiuo*

20 Stante cõſuetudine legitimè præſcripta ſciente Superiore, & non contradicente ſpõte oblata recipere poſſunt.

Digitized by Google

debeat praiudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia allegatus textus procedit ad ſummum de conſuetudine ſecundum ſe ſumpta, non de conſuetudine fundata in implicita permiſſione legislatoris, ſeu Principis, prout notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 6. dub. 14. n. 45. verſ. reſpondeo hoc intelligendum*.

21 *Intellige etiam quo ad Eccleſiaſticos, ſi conſuetudo ortum nô habuerit ab exactione.*

Reſpondeo octauò, Iudices Eccleſiaſtici, ſiue ordinarij fuerint, ſiue delegati poſſunt ex conſuetudine legitima accipere ſportulas, ſeu honoraria ſpontè oblata ſine onere reſtitutionis, ſi conſuetudo ortum non habuerit ab exactione, ſecus, ſi ortum habuerit ab exactione *Cardinal. in clement. ſtatutum de elect.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illa acceptio ſpontè oblatorum non fuit ab initio contrà ius naturale, nec contrà bonos mores, cum procedat ex titulo meræ liberalitatis, & contrà ius poſitiuum poteſt eſſe præſcriptio, & vigere ius conſuetudinis, etiam ſi fuerit Eccleſiaſticum, vt notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 6. n. 46.*; Nec obeſſe poteſt, quod contrà Eccleſiam non procedat præſcriptio, niſi quadraginta annis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hoc ſolum procedit de bonis immobilibus, ſeu iuribus Eccleſiæ; obligatio autem ſubditorum ad legem ſeruandam non poteſt cenſeri inter bona, vel iura Eccleſiæ. Neque vlterius obeſſe poteſt textus *in d. c. cum ab omni de vit. & honeſt. Cleric.*, vbi videtur expreſsè damnari quæcunque conſuetudo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt bene notat *Gulielmus in ſpecul.* ibi reprobatur ſolum conſuetudo, quando fit pactum à Iudice cum partibus, vel vt notat, *Petrus de Ancharano*, ibi reprobatur ſolum conſuetudo præterita, non futura. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia cum illa conſuetudo incæperit ab exactione, videtur eſſe expreſsè contrà honeſtatem Clericorum, & contrà mentem legislatoris *in d. c. cum ab omni de vita, & hon. Cleric. & c. ex multis primo q. 3.*

Solutiones obiectorum.

22 *Si iura prohibeât ſub inhabilitate, conſuetudo nô legitimat receptionê.*

Reſpondeo nono, ſi iura prohibentia Iudicibus huiuſmodi honoraria, ſportulas, ſeu munera expreſsè eoſdem Iudices reddant inhabiles ad dominium eorundem capeſcendum, vt videntur præſtitiſſe *in l. plebiſcito ff. de offic. Præſid.*, & *l. ſolet. §. fin. ff. de offic. procon ſ.*, nec ex conſuetudine poſſunt Iudices illa acquirere, & retinere *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 9. nu. 72. in fine*. Ratio ex eo deducitur, quia ad hoc, vt valeat præſcriptio, requiritur, vt præſcribens ſit capax poſſeſſionis ciuilis ſuo nomine *c. ſi diligenti de præſcript.*, nec etenim ſine poſſeſſione ſtare poteſt præſcriptio; quomodo autem poſſunt poſſidere, ſi ipſo iure redduntur incapaces ad acquirendum?

§. V.

An acceptum ob cauſam honeſtam licet non neceſſariam ſit reſtituendum.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Quibus titulis poſſit conferri illa pecunia. 2.
Opus, ob quod datur illa pecunia, vel eſt neceſſarium ſimpliciter ad ſalutem, vel ſecundum quid. 3.
Si pecunia data ſit per modum diſpoſitionis, vel ad remouendum obſtaculum, nec eſt iniuſta acceptio, nec iniqua collatio. 4.
Si collata fuerit per modum conuentionis expreſſæ conditionatæ non eſt iniuſta collatio, nec iniqua non reſtitutio. 5.
Si pecunia data ſit cum expreſſa conuentione, vt opus exerceatur propter illam, non poteſt detineri. 6.

Diſquiſitio V. Contulit Antonius Franciſco nummos aliquos, ſeu rem pretio æſtimabilem, vt actus honeſtos eliceret, puta, vt Sacramenta frequentaret, pias preces funderet, aliaq; huiuſmodi exerceret. Mediante tali pecunia Franciſcus huiuſmodi actus honeſtos elicuit. Dubitatum hic fuit, an iuſtè illam pecuniam, ſeu rem pretio æſtimabilem acquiſierit, & poſſit iuſtè detinere. 1 *Exponitur ſtatus diſquiſitionis.*

Nonnulli arbitrantur hanc quæſtionem ex ſuis terminis deſtrui, cum inuoluat repugnantiam in eiſdem, eo enim ipſo, quo huiuſmodi opera eliciuntur ob pretium amittunt honeſtatem, quam cæteroqui haberent. Nihilominùs ex diuerſo titulo, quo pecunia, ſeu res pretio æſtimabilis conferri poteſt, depurari poteſt à quacunque labè electio operis, vel non depurari. Pro quo

Aduerte huiuſmodi collationem pecuniæ, ſeu rei pretio æſtimabilis, vel poſſe eſſe per modum diſpoſitionis, quatenus ſcilicèt conferens intendat alterum diſponere, & inclinare, vt opus, quod ab eodem offerente intenditur, exerceat, vel remouere obſtaculum, quod obſiſtere poſſit illius operis executioni; vel poſſe eſſe per viam cauſæ finalis, ſeu per modum conuentionis expreſſæ. Hæc autem expreſſa conuentio adhuc dupliciter poteſt concipi, vel quatenus abſolutè obliget vtrumque, nempè promittentem pecuniam ad eam erogandam, & promiſſarium ad adim- 2 *Quibus titulis poſſit conferri illa pecunia.*

Digitized by Google

adimplenda conuenta; vel quatenus non obliget, niſi conditionatè, ea ſcilicèt ratione, vt ſi opus eliciat, teneatur alter promiſſam ſolutionem adimplere, non teneatur verò, ſi alter opus non eliciat.

3 Aduerte ſecundò, opus, ob quod confertur illa pecunia, vel eſſe neceſſarium ad ſalutem ſimplicitèr, vel non neceſſarium ſimplicitèr, ſed tantum ad melius eſſe; qua operum diſtinctione ſuppoſita *Hoſtienſis in c. dilectus 2. de ſimon. n. 1.* aſſerit, quod, ſi quis eroget alteri pecuniam, vt baptiſmum recipiat, vel alios actus ſimplicitèr neceſſarios ad ſalutem eliciat, non vitietur actus, nec propriè committatur ſimonia, vitietur verò, & committatur, ſi eroget in ordine ad alios actus, qui non ita ſint neceſſarij. Sed cum *Suarez lib. 4. de ſimonia c. 16. nu. 1.* latè quoad hunc effectum exemptionis, vel nõ exemptionis à noxa hanc opinionem confutauimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimon. prænot. 20. n. 2.* ad quem locum vos remitto; non enim vacat iam dicta repetere. Quibus poſitis

Opus, ob quod datur illa pecunia, vel poteſt eſſe neceſſariũ ſimplicitèr ad ſalutem, vel tantũ ad melius eſſe.

4 Reſpondeo primò, ſi illa pecunia collata fuerit per modum diſpoſitionis, vel ad remouendum obſtaculum, ſeu impedimentum, nec iniuſta eſt acceptio, nec iniqua collatio. *Abbas in c. cum in Eccleſia de ſimonia, & ibi Felinus, Turrecremata in c. quam pio 23. q. 4., Suarez lib. 4. c. 16. n. 2., Ioannes Medina C. de reb. reſtit. q. 27. in dub. circa quartum argumentum verſ. ideo præfatis non obſtantibus*, & nos ipſi commendauimus *d. tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimon. prænot. 20. n. 3.* Ratio ex eo deducitur primò, quià illa erogatio pecuniæ eſt opus ſummæ charitatis, nec vllam præſefert labem, nec infert iniuriam operibus ſacris, & ſpiritualibus. Antecedens probatur, quia talis erogatio eſt ex motiuo gratuitæ donationis, & beneficæ liberalitatis, quinimmo tali pacto allicere ad actus virtutum ſupernaturalium, & ad vitiorum fugam eſt opus maximè commendabile, tum apud Deum, tum apud homines; vt expreſsè docuit *Gloſa in d. c. quam pio, & in c. debet 23. q. 4.*, & cum non inuoluat pactum, nec inuoluit emptionem, nec venditionem. Vide, quæ latius docuimus *d. tom. 3. d. prænot. 20. aſſert. 2. per totum.*

Si pecunia collata fuerit per modũ diſpoſitionis, vel ad remouendũ obſtaculũ, nec eſt iniuſta acceptio, nec iniqua collatio.

5 Reſpondeo ſecundò, ſi illa pecunia, ſeu res pretio æſtimabilis collata fuerit per modum conuentionis expreſſæ conditionatæ non inducit aliquam iniuſtitiam, nec recipiens tenetur eandem reſtituere. *Suarez lib. 4. de ſimon. c. 16. n. 14., & nos ipſi d. tom. 3. ſub eod. tit. prænot. 20. n. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia illa conditio expreſſa iuxtà hunc ſenſum concepta non extrahit ſolutionem, nec promiſſionem à pura ratione gratuitæ donationis, ergo nullam contrahit labem iniuſtitiæ, & purificata conditione non ſubiacebit oneri reſtitutionis. Antecedens probatur, quia talis conditio, nec vim, nec iniuriam, nec obligationem infert illi, cui fit ſolutio; vel promiſſio, quandòquidem ipſe poteſt annuere, ſi velit, & non annuere, ſi nolit, quinimmo eſt mera excitatio voluntatis eiuſdem ad complectendum bonum ſibi vtile, quæ certè excitatio licita eſt; quis enim diceret, quod parentes excitantes voluntatem filiorum ad exercitium virtutum per exhibitionem, ſeu promiſſionem bonorum in aliquam labem incurrerent? Certè licet precibus, & etiam minis ad idem exercitium allicere, & excitare, & Deus ipſe non ſolum minis amouet à malo, ſed præmijs etiam temporalibus excitat ad bonum. Confirmatur, quia non eſt damnabile legatum, quod quis alteri legauit ſub conditione, ſi Religionem ingreſſus fuerit, & profeſſus, vt de communi DD. conſenſu teſtatur *Suarez lib. 4. de ſimonia c. 16. n. 14.*; vndè, ſi legatarius ingreſſus fuerit, & profeſſus Religionem, acquirat legatum, non acquirat, ſi ingreſſus non fuerit, nec profeſſus.

Nec etiã, ſi data ſit per modũ conuẽtionis expreſſæ conditionatæ.

Non egreditur ratiõe gratuitæ donationis.

Dices non eſt licitum per modum conditionis expreſſæ, quinimmò, nec tacitæ pecuniam conferre, vt beneficia Eccleſiaſtica conferantur, & vt ſpiritualia dentur, vt nos docuimus *ſub tit. de ſimonia d. tom. 3. ſparſim per omnes prænotiones, & diſquiſitiones*, & docet etiam *Medina C. de reb. reſtit. q. 27. in 4. dub. circa quartum argumentum verſ. 2. modo poteſt*, ergo neque erit licitum per modum talis conditionis aliquid alteri erogare; vt opus ſupernaturale, & ſpirituale exerceat. Sed contrà, quia, vt bene notat *Medina C. de rebus reſtituend. q. 27. circa dubium in 4 arg. verſ. & pro his, & ſimilibus*, quoad actus ſpirituales ſoli operanti proficuos diſpar omnino eſt ratio, ac quoad actus ſpirituales, qui cedunt in vtilitatem conferentis pecuniam, ſeu res pretio æſtimabiles pro ipſis, quandòquidem in ordine ad primos non eſt præſumptio emptionis, ſed ad ſummum vis ſuauis conciliatiuæ, & allectiuæ ad operandum vtilitèr in fauorem eiuſdem operantis; in ordine verò ad ſecundos eſt manifeſta præſumptio collationis pro recipiendis rebus ſpiritualibus, ſeu beneficijs, adeòque &c.

Proponitur inſtãtia, & diſſoluitur.

Reſpondeo tertiò, ſi illa pecunia, ſeu res pretio æſtimabilis fuerit collata, ſeu promiſſa cum expreſſa conuentione ex vtraque parte firmata, adeò vt illa collatio pecuniæ ſit ratio formalis inductiua ope-

6 Si pecunia data ſit cũ expreſſa conuẽtione, vt opus illud propter pecuniam exerceatur, illicita eſt collatio, & iniqua detentio.

operis honeſti ſpiritualis, & illud opus ſit ratio finalis collationis pecuniæ, nec poteſt iuſtè recipi, nec retineri. Conſentiunt *Bonifacius in cap. quam pio 23. qu. 4.*, *Valentia diſp. 6. quæſt. 16. punct. 2. dub. 3.*, *Panormitanus in c. cum dilectus 2. de ſimon. nu. 7.*, *D. Antoninus 2. part. tit. primo c. 1. §. 18.*, *Silueſter verb. Religio 2. quæſt. 2.*, *Medina Cod. de reb. reſtit. quæſt. 27. in fin.* Deducitur *ex cap. vlt. de pactis cap. quæſitum de rerum permut. & cap quam pio 23. quæſt. 4.*, per quæ iura damnantur quæcunque pactiones, ſeu conuentiones rerum pretio æſtimabilium pro ſpiritualibus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, per huiuſmodi iura damnari ſolum conuentiones, quibus qui dat, ſeu promittit aliquod pretio æſtimabile, recipit loco eiuſdem quid ſpirituale, per quod propriè fit, vel commutatio, vel venditio per huiuſmodi, & alia iura prohibita; in caſu autem præſenti dans, ſeu promittens pecuniam, ſeu aliud pretio æſtimabile nihil recipit, cum totum id, quod reſultat ex opere, redundet in ſolam vtilitatem eiuſdem operantis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi iura indefinite prohibent quamcunque pactionem oneroſam cum ſolutione, ſeu promiſſione precij non diſtingnendo, an opus, pro quo illud pretium ſoluitur, ſeu promittitur, ſit in vtilitatem alterius, an eiuſdem operantis, & quidem congrua ratione id prohiberi decuit, ſiquidem ſemper verificatur, quod cum obligatione ciuili detur temporale pro ſpirituali, ex quo ſemper infertur iniuria, ſeu irreuerentia rei ſpirituali eandem appretiando, & comparando cum re temporali, ad quod reſpexerunt huiuſmodi iura.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Argumenta, quæ poſſunt obeſſe huic reſponſioni, & præcedentibus cum eorum reſpectiuè ſolutionibus vide *d. tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. prænot. 20.*

§. VI.

An acceptum ob turpem cauſam ſit reſtituendum.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus iuxtà duos caſus. 1.
Quantumuis promiſſio facta fæminæ pro vſu ſui corporis ſit illicita, promiſſum opere completo eſt conferendum. 2.
Opinio aſſerens pecuniam illam ex ſolo titulo fidelitatis erogandam eſſe. 3.
Probabilius prouenit ex titulo iuſtitiæ. 4.
Et ex contractu innominato. 5.
Promiſſio facta Iudici pro iniqua ſententia non tenet, nec promiſſum pro ea eſt conferendum. 6.
Aſſignatur prima ratio, ob quam eſt ſoluendum promiſſum ob vſum corporis illicitum, non ob ſententiam iniuſtam. 7.
Aſſignatur alia ratio talis diuerſitatis. 8.
Acceptum à fæmina ob vſum turpem ſui corporis non eſt reſtituendum. 9.
Intellige, ſiue fæmina ſit publicè proſtituta, ſiue habita, vt honeſta. 10.
Acceptum à Iudice ob iniuſtam ſententiam datore non repetente non eſt reſtituendum, ſecus ipſo repetente. 11.

Disquiſitio VI. In duobus potiſſimum caſibus locum habet præſens titulus. Primo, in caſu quo fæmina ob ſui corporis vſum in actibus fornicarijs aliquid pretio ęſtimabile reciperet, tanquam pretium eiuſdem vſus fornicarij. Secundo, in caſu quo Iudex ob iniquam, & iniuſtam ſententiam aliquid reciperet tanquam mercedem eiuſdem ſententiæ. De quibus quæritur, an illud receptum poſſit iuſtè retineri, an vero ſit reſtituendum. 1

Duo caſus, ſecundum quos poteſt titulus diſcuti.

Circa vtrumque caſum duo poſſunt controuerti; primum, an, ſi quid promiſſum fuerit pro aliqua ex his actionibus, & completa actione nondum ſolutum poſſit ex iuſtitia exigi; ſecundum, an, ſi fuerit antecedentèr ſolutum completa eadem actione ſit reſtituendum.

Articuli examinandi.

Reſpondeo primò, quantumuis promiſſio facta fæminæ de pecunia, vel re pretio ęſtimabili conferenda pro vſu corporis eiuſdem ſit illicita, opere tamen completo promiſſum eſt de iure conferendum *Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 2. n. 1.*, *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 7.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 18. dub. 3. n. 17. & 18.* Ratio primę partis ex eo deducitur, quia huiuſmodi promiſſio eſt de opere, ſeu pro opere ex genere ſuo turpi, & malo, & ſecundum ſe inductiua ad peccatum, ergo ex ſe erit illicita, & peccaminoſa; verum tamen eſt, quod ante perpetrationem delicti talis promiſſio non obliget ad eiuſdẽ executionem, cum nemo ad delictum poſſit obligari; non tamen ex hoc ſequitur, quod quantum eſt ex parte promittentis non ſit peccaminoſa, cum quantum eſt ex affectu ipſius ſit prouocatiua ad exercendum opus ex genere ſuo iniquum. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ille vſus, quem vxor, ſeu fæmina impudica fornicario conceſſit, eſt ſecundum communem hominum ęſtimationem pretio æſtimabilis; vnde in iure habetur, quod turpiter faciat fæmina, quod ſit meretrix, non turpiter accipiat, quod ſit meretrix. 2

Promiſſio eſt illicita, promiſſum tamẽ opere cõpleto eſt conferendum.

Vſus eſt pretio æſtimabilis

So-

Digitized by Google

3 *Opinio aſſerẽs titulum cohoneſtãtẽ talem traditionem pecuniæ eſſe ex fidelitate.*

Solum hic remanet explicandum, quonam titulo patrato opere obligari poſſit promiſſor ad ſoluendum promiſſum, cum promiſſio ipſa ſit ex ſe inualida? Medina *C. de reb. reſtituen. q. 28.* arbitratur promiſſorem titulo fidelitatis obligari ad ſoluendum promiſſum poſt operis complementum; vnde aſſerit, quod, quando promiſſio completur, non debeat compleri ob turpem cauſam commiſſam, ſed ob fidelitatem proximo ſeruandam, & hoc modo adimpletio promiſſionis licita eſt, eſto, quod promiſſio fuerit turpis, vtpotè inductiua ad peccandum. Quod, ſi dicas *ex D. Iſidoro relato in c. in male promiſſis 22. q. 4. In male promiſsis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum*; ſtatim reſpondet *idem Medina loc. cit.* dictum D. Iſidori intelligendum, quando promiſſio eſt de ipſo opere turpi ſecundum ſe, & ex obiecto, qualis non eſt promiſſio, de qua hic agitur, quia licet ſit turpitudo in cauſa, non tamen in eo, quod agendum promittitur poſt cauſam ſubſecutam. Sed non libentèr acquieſcerem huic Medinæ opinioni, quandòquidem in foro contentioſo fornicator cogitur tradere pretium promiſſum turpitudinis, prout habetur *in l. 4. ff. de condit. ob turp. cauſ.*, vbi etiam dicitur, quod licet fæmina turpiter faciat meretricando, ſed non turpiter facit accipiendo; vnde etiam ex communi praxi habetur, quod fornicator, etiam ſi nullam pręmiſerit promiſſionem, poſſit cogi ad ſoluẽdum pretium turpitudinis. Quomodo autem poſſet ſic obligari, ſi non ex iuſtitia, ſed tantum ex titulo donationis, & fidelitatis teneretur pretium illud conferre? & quomodo etiam titulo fidelitatis, ſi cogi poteſt nulla præmiſſa promiſſione? Procedit vlterius Medina probando talem obligationem non poſſe procedere ex titulo iuſtitiæ, quia in contractu iuſtitiæ attendi debet æqualitas dati ad acceptum; quænam autem æqualitas poteſt eſſe inter pecuniam, ſeu pretium, & rem illam turpem, quæ nullius

Reijcitur hæc opinio.

pretij eſt, cum ex D. Auguſtino peccatum dicatur nihil; Sed huic etiam Medinę argumento facile ſic occurro aſſerens, quod in illo actu turpi duo poſſint conſiderari, & malitia ſcilicèt actus, quæ eſt formale peccati, quod ex D. Auguſtino conſiſtit formalitèr in negatiuo, & entitas eiuſdem actus, in qua conſiſtit vtilitas, & delectabilitas, & ſic id, quod datur in pretium, non eſt pro puro nihilo, ſed pro illa vtilitate, & delectabilitate, quæ ſecundum communem hominum æſtimationem eſt pretio æſtimabilis; nec referre poteſt, quod illa malitia, quæ eſt in actu ſit connexa cum illa vtilitate, & delectabilitate, & per conſequens, ſicuti eadem malitia eſt inuendibilis, ità ratione eiuſdem totus actus ſit inuendibilis; Non, inquam, referre poteſt, quia quantumuis ſecundum ſe ſit connexa, poteſt tamen illa vtilitas, & delectabilitas ſeorſim conſiderari, vt probat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 18. dub. 3. n. 19.* Deinde dici poteſt cum *Petro à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. nu. 117.* ratione illius connexionis inferri ſolummodo eſſe inuendibilem illum actum licitè, non autem eſſe inuendibilem iuſtè, adeò vt ſit iniuſtum illum vendere ratione vtilitatis, & delectabilitatis; nõn enim ſic vendens iniuriam vlli facit accipiendo, & retinendo pecuniam pro opere vtili, & delectabili ſui corporis.

4 *Probabilius prouenit ex titulo iuſtitiæ.*

Alij dicunt promiſſorem obligari titulo iuſtitię, atque ità ſentire videtur *D. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 32. in corpore, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. dub. 3. nu. 18., Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione c. 4. n. 117. & ſeqq. & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quia talis obligatio oritur ex titulo oneroſo, & quidem de re ſecundum ſe pretio æſtimabili, ergo oritur ex onere iuſtitiæ. Antecedens ſecundum primam partem ex eo patet, quia eſt conuentio, vel expreſſa, vel implicita de pretio, & de aliquo conferendo pro eodem pretio; quoad ſecundam vero ex eo euincitur, quia entitas illa actus, per quam vſus corporis confertur, conferens vtilitatem, & delectabilitatem eſt ſecundum communem æſtimationem pretio dignus, ſicuti ſunt alij actus, per quos confertur delectabilitas alijs per exercitium actionum externarum. Solum hic oritur difficultas in explicando, an talis titulus proueniat ex contractu venditionis, quatenus meretrix vendat vſum ſui corporis, vel ex contractu locationis, quatenus fæmina pro illo pretio locet fornicario ſuum corpus ad illum vſum, vel ex contractu innominato *Do, vt facias*. Arbitror

5 *Et ex cõtractu innominato*

probabilius prouenire ex contractu innominato *Do, vt facias*. Ratio ex eo deducitur, quia ex huiuſmodi contractu non conceditur aliqua determinata actio, ſed tantum communis pręſcriptis verbis, quę conceditur omnibus contractibus innominatis, ergo obligatio ſoluendi illud pretium reſpectu adulteri, & ius exigendi illud ex parte fæminæ ſe proſtituentis proueniunt ex contractu innominato.

6 *Promiſſio facta Iudici pro iniqua ſẽtẽtia non tenet, nec promiſſũ eſt adimplendum completo opere.*

Reſpondeo ſecundò, nedum promiſſio facta iudici pro iniqua ſententia ferenda eſt illicita, & inualida, ſed etiam opere completo promiſſum non eſt ex iuſtitia adimplendum. *Caietanus 2. 2. q. 32. art. 7., Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 2., Medina C. de reb. reſtituen. q. 20. verſ. ad primam.* Pro-

Digitized by Google

Probant aliqui, quia non poteſt aliquid accipi, quantumuis promiſſum pro ſententia iuſta ferenda, ergo multo minus pro iniuſta. Conſequentia probatur *ex D. Auguſtino epiſt. 54. ad Macedon.*, vbi habet *Sceleratius accipi pecuniam pro ſententia iniuſta, quam pro iuſta, pro teſtimonio falſo, quam pro teſtimonio vero.* Sed huic probationi reſiſtit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 8. n. 53. in reſponſione ad inſtantiam* aſſerens, obligationem non ſequi magnitudinem ſceleris, ſed damnum per iniuriam datum, ſed Iudex accipiendo pro ſententia iniuſta nullam infert iniuriam danti, ſicuti Iudex accipiendo pro iuſta ſententia. Adderem ego aliam diſparitatem fundatam in eo, quod Iudex ad ferendam ſententiam iuſtam ex officio tenetur, non ſic autem ad ferendam ſententiam iniuſtam, adeòque pro illa ferenda nihil poteſt accipere, poteſt autem accipere pro iſta pronuntianda.

Reijcitur nonnullorum probatio.

Probant alij aſſignando triplex dationum, ſeu promiſſionum iniuſtarum genus, altera, quæ ſit mala ſolummodo ex parte recipientis, quatenus ſcilicèt aliquid detur, vel promittitur alteri pro opere, quod debet neceſſario exercere, vel à quo debet abſtinere; altera, quæ ſit mala ex parte vtriuſque tam dantis, quàm accipientis, non quidem, quia actio, pro qua munus offertur, non ſit natura ſua pretio æſtimabilis, ſed quia habet annexam iniuriam contrà iuſtitiam, hocque exemplificatur in offerente munus Iudici, vt iniuſtam in ſui fauorem proferat ſententiam, aut aſſaſino, vt hominem interficiat; altera, quæ etiam ſit mala ex parte vtriuſque, non quia actio, quæ emitur, ſit iniurioſa, ſed quia non eſt pretio æſtimabilis, & hoc exemplificatur in datione ſimoniaca. Qua ſuppoſita actionum iniuſtarum acceptione inferunt, propter actionem iniurioſam contrà iuſtitiam, quæ eſt in promiſſione, ſeu datione propter iniuſtam ſententiam in Iudice, non poſſe exigi promiſſum, nec datum retineri. Sed adhuc remanet explicandum, cur poſſit promiſſum exigi, & datum retineri pro actu meretricio, & non poſſit exigi, & retineri pro iniuſta ſententia? cum æquè videatur iniurioſum dare, & accipere pro iniuſta ſententia, & dare, & accipere pro actu meretricio, cum non minus videatur habere annexam iniuriam acceptio propter actũ meretricium, ac habeat acceptio propter iniuſtam ſententiam. Dicatur quæſo, cur acceptio propter iniuſtam ſententiam habeat annexam talem iniuriam, & non acceptio propter actum fornicarium, ſeu meretricium? Si dicas, hoc eſſe, quia pro iniuſta ſententia exigatur ex turpi cauſa, iam videtur exigi etiam ex turpi cauſa, quando exigitur ob actum meretricium; ſi vlterius repetas, quia vſus meretricius eſt vtilis, ſeu delectabilis promittenti, ſeu conferenti pecuniam, ſeu rem pretio æſtimabilem, etiam vide ex iniuſta ſententia conferentem pecuniam acquirere vtilitatem; ſi tandem dicas, quia fęmina per actum meretricium proſtituit ſuum corpus, etiam ego dico, quod Iudex vendens iniuſtam ſententiam, ſe ipſum proſtituat.

Reijcitur aliorum probatio.

Quamobrem alia via procedendum exiſtimo primo, quæ promittuntur, vel dantur propter iniuſtam ſententiam promittuntur, ſeu accipiuntur ob cauſam, ob quam iura vetant promitti, & accipi, cum ſint contrà publicam iuſtitiam; quæ verò promittuntur, & dantur ob actum meretricium promittuntur, & accipiuntur, ob cauſam, ob quam iura non vetant accipi, quin potius cogunt ad dandum, ergo &c. Hoc argumento, ſeu ratione vtuntur *Caietanus 2. 2. q. 32. art. 7.*, *Medina C. de reb. reſtituend. q. 20. verſ. ad primum*; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſur. prænot. 10. nu. 2. verſ. probatur eadem 2. pars*, nempè Iudicem ferentem ſententiam iniuſtam licet exerceat opus iniquum, quia tamen eſt ipſi grauoſum, & ementi vtile, exercere opus pretio ęſtimabile; vnde ibi diximus eſſe vſuram exigere talem ſententiam pro mutuo; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia mutuans ibi propriè committit vſuram, nam propter mutuum acquirit vtilitatem aliquam ex illa ſententia iniuſta ſupra ſortem, hoc tamen non confert aliquod ius ipſi mutuatario, ſeu Iudici, cum a iure interdicatur aliquid accipere, & materia ſit inuendibilis. 7

Aſſignatur prima ratio, ob quam debeat promiſſũ ſolui ob vſũ corporis, non vero ob iniuſtã ſententiã.

Dices, hanc probationem habere ſolummodo locum in ijs, quæ ſunt mala, quia prohibita, non tamen in ijs, quæ ſunt prohibita, quia mala; æquè autem eſt prohibitum, quia malum tradere corpus ad vſum meretricium, ac vendere iniuſtitiã, ſeu iniuſtam ſententiam; vndè ex hoc inferendum eſt, quod vel in vtroque hoc caſu poſſit aliquid exigi, & ſic ſi pro vſu meretricio, etiam pro iniuſta ſententia, vel in neutro. Sed contrà; fateor, quod tam vſus meretricius, quàm iniuſta ſententia ſint ab intrinſeco mala, & prohibita, quia mala, non mala quia prohibita, nego tamen, quod acceptio pro huiuſmodi actibus ſit ab intrinſeco mala, vndè ſicuti dicitur in iure, quod fæmina turpitèr facit meretricando, non recipiendo, ita ſtando in iure præcisè naturæ

Soluitur inſtantia cõtrà prædictam rationem.

curæ poteſt dici, quod turpitèr faciat Iudex ferendo iniuſtam ſententiam, non recipiendo promiſſum pro iniuſta ſententia; Hoc tamen inter huiuſmodi actus intercedit diſcrimen, quod acceptio pro actu meretricio non prohibetur a iure, quin potius permittitur, & pro eodem conceditur ex communi praxi actio, pro iniuſta vero ſententia abſolutè prohibetur, nec actio conceditur, quin potius exceptio aduerſus ipſum accipientem, & quidem talis prohibitio iuri naturali cōgruit, cum eadem acceptio ſit contrà publicam iuſtitiam, propter quam reus, ſeu Iudex eſt nedum rei acceptæ amiſſione puniendus, ſed etiam acrius mulctandus.

8 *Aſſignatur alia ratio talis diuerſitatis.* Secundò alia via ad probationem reſponſionis cum *Caietano 2. 2. q. 32. art. 7. verſ. alitèr ergo dicitur* procedo, & quidem ſuppono actum in ordine ad malitiam poſſe dupliciter conſiderari, primo prout eſt imperatus ab alio, puta meretricium à vitio luxuriæ; ſecundo in ſe ipſo; Hic autem, dum agitur de acceptione agitur de tali actu ſecundum ſe; Quo ſuppoſito cum eodem ſic arguo. Actus dandi, accipiendi, & vendendi eſt ſecundum ſe inualidus, quando res data, empta, vel vendita eſt indebita materia talis actus, tunc non eſt inualidus, quando res data, empta, & vendita nō eſt repugnans materia tali actui, ſed in vſu meretricio res vendita pro illo pretio eſt actus venereus, qui licet ſit malus, prout imperatus à luxuria, eſt tamen materia vendibilis; in emptione verò ſententiæ iniuſtæ materia eſt ipſa iniuſtitia, quæ ſecundum ſe eſt inuendibilis, ergo &c.

9 *Acceptū à fæmina ob vſum turpē ſui corporis nō eſt reſtituendū opere cōpleto.* Reſpondeo tertiò. Acceptum à fæmina pro turpi vſu ſui corporis opere completo non eſt ex iuſtitia reſtituendum, *D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7., & q. 62. art. 5. ad ſecundum, & ibi Caietanus, Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 2., D. Antoninus 2. part. tit. 2. cap. 5. in princip., Angelus verb. concuſio num. 2., & verb. reſtitutio §. turpe, Nauarrus in man. c. 17. num. 30., & 36., Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. cap. 14. dub. 8. à nu. 52. ad 62.* Ratio ex eo deducitur, primo, quia ſi promiſſum ob huiuſmodi vſum eodem vſu conſummato poteſt exigi, vt probauimus in prima reſponſione, ergo acceptum pro eodem vſu ipſo completo poterit retineri. Secundo, ſi non poteſt retinere dicatur, quo iure teneatur reſtituere? Non iure naturæ; quia, ſi hoc vigeret, reſtitutio facienda eſſet ei, qui contulit, quod non eſt dicendum, quia in accipiendo nulla huic facta eſt iniuria, libentèr enim, & libere dedit pro opere, quod meretrix facere non tenebatur, & opus illud ſecundum ſe communi hominum æſtimatione dignum pretio reputatur; Non iure poſitiuo; nam aſſignentur huiuſmodi iura poſitiua, quæ vetant hiuſmodi retentionem; ſi adducatur textus *in l. generalitèr ff. de verb. oblig.*, vbi dicitur *generalitèr nouimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti, veluti, ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe facturum promittat, ſed ex officio Prætoris continetur ex huiuſmodi obligationibus actionem denegari.* Rurſus textus *in l. pacta C. de pactis*, vbi ſic legitur *Pacta, quæ contrà leges, conſtitutioneſque, vel contrà bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris eſt.* *Explicantur nonnulla iura, vt non oppoſita reſponſioni.* Rurſus textus *in l. 2. C. de donat. inter vir. & vxor.*, vbi dicitur *iubetur reſtitui ancilla militi, quam ipſe donauerat concubinæ*. Si, inquam, huiuſmodi textus adducantur; facile erit reſpondere, ſi dicatur in eo ſenſu intelligendos eſſe, vt huiuſmodi ſtipulationes, & pacta non obligent ciuilitèr ad executionem operis, & per conſequens ante opus patratum illa pacta, illaſque ſtipulationes haberi pro inualidis; non tamen reddant irritam ipſam acceptionem rei, nec faciant accipientem inhabilem ad accipiendum, & retinendum poſt opus patratum, quod videtur colligi *ex l. 8. C. de condict. ob turp. cauſ.* Ad illud, quod dicitur *ex l. 2. C. de donat. inter vir. & vxor.* dicendum eſt, hoc ſpecialitèr decerni in ordine ad milites, quod non eſt extendendum ad alios.

Hic ſolum oritur ratio dubitandi, an ea, quæ dicta ſunt in hac, & in prima reſponſione, intelligenda ſint ſolummodo de reis fæminis publicè proſtitutis, an verò etiam de alijs fæminis, quæ cætero qui reputantur honeſtæ, ſiue ſint nuptæ, ſiue viduæ, ſiue adhuc nubiles? Sotus *lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 1. ſub verſ. ad ſecundum argumentum* refert nonnullorum opinionem, qui aſſerunt huiuſmodi fæminas, nec poſſe exigere, nec retinere promiſſum, aut datum, tum quia à iure permiſſæ non ſunt, ſicuti meretrices, tum quia aduerſus illas de iure agitur, aut de ſtupro, aut de adulterio, neque in iuditio audiuntur. Nihilominùs contraria opinio communior, & tutior docet, etiam huiuſmodi fæminas poſſe exigere, & retinere, atque ità ſentit *idem met Sotus, & alij*. Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi actus etiam in huiuſmodi fæminis ſunt pretio æſtimabiliores, & maiorem afferunt delectabilitatem; ad quod facit etiam textus expreſſus *in l. idem ff. de condict. ob turp. cauſ.*, vbi ei, qui aliquid ob ſtuprum obtulit, denegatur repetio; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ pro contraria ſententia afferebantur, quandòquidem ex eo, quod à iure non permit- 10 *Intellige, ſiue fæmina recipiens ſit publicè proſtituta, ſiue habita pro honeſta.*

tan-

tantur, ſolum inferri poteſt, quod in iudicio eis non concedatur actio, non autem, quod non poſſint extra iudicium petere, & acceptum iuſtè retinere. Quod, ſi deinde ſubdatur, quod ob huiuſmodi flagitia non ſolum repellantur ab actione, ſed vlterius acriter puniantur; ſtatim reſpondebo, quod licet ſint puniendæ, non tollatur tamen, quin iure naturæ poſſint oblatum, & acceptum iuſtè detinere, quod, ſi in iudicio illo ſpoliaretur, hoc eſſet in pœnam commiſſi criminis, non quia iniuſtè, & inualidè acquiſierint. Quod, ſi vlterius vrgeas, hac ratione etiā poſſe iuſtè exigi, quod promiſſum eſt ob iniuſtam ſententiam, ſi non in foro contentioſo, ſaltem in foro conſcientiæ, nam quamuis ſit Iudex ſic iniuſtè iudicans de iure acriter punibilis, non tollitur tamen, quin promiſſum poſſit petere, & iuſtè acquirere; ſtatim impugnaberis, quia quoad Iudicem ſic iudicantem iura non ſolum inducunt punibilitatem, ſed etiam probabilius irritant acceptionem, vtpotè repugnantem publicæ iuſtitiæ, quod non militat in acceptione pro actu fornicario, quem dumtaxat puniunt; Deindè materia illius actus venerei eſt ſecundum communem æſtimationem vendibilis, & pretio æſtimabilis, non ſic eſt materia vendibilis iniuſtitia; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod iura non irritant illam acceptionem, ſed potius confirment, vt videre eſt *in l. 3. ff. de condit. ob turp. cauſam*, vbi dicitur, *vbi dantis, & accipientis turpitudo verſatur non poſſe repeti dicimus, veluti ſi pecunia detur, vt malè iudicetur*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis in hoc textu iam conuentum ſupponitur ſolutum, & cum libera voluntate dantis pecuniam illam, ſeu rem pretio æſtimabilem tranſlatam in Iudicem recipientem; in caſu autem, de quo hic loquimur, & ſuperius locuti fuimus, non ſupponitur promiſſum ſolutum, nec traditum, & per conſequens, nec liberam voluntatem eius, qui conuenit de tali pretio, & propterea in primo caſu ius retinendi fundatur in voluntate eius, qui dedit; in ſecundo autem non poteſt in tali voluntate fundari. Deindè dici poteſt, quod in allegato textu dicatur ſolummodo, quod non poſſit repeti in pœnam conferentis, eo quod, cum contulerit ob delictum, iura ipſum priuant poteſtate repetendi; non autem dicatur, quod recipiens iuſtè illam acquiſierit, cum vt infrà dicemus, teneatur pauperibus, vel in cauſas pias erogare.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Reſpondeo quartò. Acceptum à Iudice ob iniuſtam ſententiam non repetente datore probabilius non eſt reſtituendum. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo dator non repetit ex propriæ voluntatis arbitrio, intelligitur conſentire, & velle, vt remaneat penes accipientem omni meliori modo, quo poteſt in ipſum deuenire, & permanere, adeò vt, ſi non poteſt permanere titulo oneroſo, permaneat titulo gratuito, & liberali, & ſi non titulo iuſtitiæ, ſaltem titulo gratitudinis, & fidelitatis, ſicque detentio totam vim accipit à libera voluntate eius, qui contulit Dixi, *datore non repetente*, quia, ſi ipſe repeteret, iam non poſſet præſumi de ipſius libera voluntate. Sed, cui in hoc caſu acceptum eſſet reſtituendum, dicam in ſubſequentibus.

II *Acceptū ob iniuſtā ſententiam datore repetēte eſt reſtituendum, ſecus eodē non repetente.*

---

§. VII.

An accepta per tranſactionem ſuper crimen ſint reſtituenda.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Sententia aſſerens acceptum pro remiſſione iniuriæ, & ceſſatione à querela eſſe reſtituendum. 2.
Iniuriatus pro remiſſione ex corde facienda non poteſt aliquid exigere, nec exactum retinere. 3.
Iniurioſus pro remiſſione iniuriæ, quæ ſecum affert incommoda temporalia, poteſt ratione eorundem aliquid exigere, & retinere. 4.
Iniuriatus, quamuis teneatur ex corde remittere iniurianti, non tamen ſemper tenetur remittere, actioni iniuriarum cedendo. 5.
Et hoc etiam præcisè ad exigendam propriam ſatisfactionem pro iniuria. 6.
Licitum eſt iniuriato aliquid exigere, & acceptum retinere pro ceſſatione ab actione iniuriarum, qua iuſtè auctoritate publica poteſt vexare iniuriantem pro ſui ſatisfactione. 7.
Cur poſſit exigere pro iniuria, cum hæc conſiſtat in bonis famæ incompenſabilibus. 8.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 9.

DIſquiſitio VII. Iniuriam Antonius acceperat à Franciſco, ob quam ipſum criminalitèr apud Iudicem maleficiorum accuſauerat. Franciſcus, ne iudicium criminale aduerſus ſe ipſum conteſtatum proſequeretur, & reduceretur ad terminum, opera amicorum communium conuenit de certa pecuniæ quantitate eroganda, & de facto de pecunia conuenta partem erogauit, & de reliqua promiſit, & ſic Antonius querelæ ceſſit. Poſt aliquid temporis Antonius agebat ad conſecutionem reliqui conuenti, aduer-

I *Factū expoſitū in ſuis terminis.*

Digitized by Google

aduerſus quem excipiebat Franciſcus de obligatione ob iniuriam, quam paſſus eſt. Quæritur iam hic quid iuris?

2 **Sententia aſſerens exactum pro remiſſione iniuriæ eſſe reſtituendum.**

Contendunt nonnulli illud ſic exactū pro remiſſione iniuriæ, & ceſſatione à querela eſſe abſolutè reſtituendum; ad quod multis argumentis mouentur; & primò, quia iniuriam paſſus videtur quidem poſſe tranſigere ante accuſationem, non ſic autem ſaltem vniuerſalitèr loquendo poſt accuſationem; Ratio diſcriminis ea eſt, quia antequam cauſa ad publicam Iudicis cognitionem deuenerit, nulli fit præiudicium, ſi partes inter ſe conueniant, & componant; poſtquam autem res per accuſationem fuerit ad Iudicem delata, videtur inferri pręiudicium publicæ iuſtitiæ, cum ſit iam ius Iudici acquiſitum in ea cauſa cognoſcendi, & definiendi vſque ad definitiuam ſententiam. Secundò, quia iniuriam paſſus aliunde tenetur iniuriam acceptam remittere iuxtà illud Euangelij, *niſi dimiſeritis, Pater veſter non dimittet vobis* Eccleſiaſtici 18. *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur*, & ad hoc confirmandum agglomerantur innumerę SS. PP. auctoritates D. Auguſtini in enchiridio: *Qui roganti peccati ſui veniam, & petenti ex corde non dimittit, nullo modo exiſtimet à Domino ſua peccata dimitti* D. Gregorij: *Quod à Deò compuncti petimus, hoc ipſum primo proximis faciamus.* D. Chriſoſtomi: *Chriſtus docuit, vt prius remittamus debitoribus noſtris, & ità dimitti nobis debita oremus.* D. Bernardi: *Venia Dei peccatori non datur, cuius cor rancore, inuidia, aut liuore afficitur,* & poſtea ſubdit. *Si igitur vis, vt tibi à Deo peccata remittantur, omnis rancor, & diſcordia à corde tuo euellatur.* Caſſiani collat. 9. *Quiſquis ergo in ſe delinquenti fratri non ex corde dimiſerit, non indulgentiam, ſed condemnationem deprecatione ſua ſibimet impetrabit*, quæ omnia pleniſſimam vim habent in Chriſti Domini præcepto Matth. 5. *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.*

Ipſius fundamenta.

Nonnullæ conſiderationes circa factū.

Vt clarius hac in re procedamus, aduertendum eſt, an iniuria, ob quam lata eſt accuſatio, ſeu querela importat ſolummodo læſionem quoad bona irreparabilia per bona fortunæ abſque vllo damno in bonis temporalibus, an verò talis iniuria ſit connexa cum damnis temporalibus, & pretio æſtimabilibus. Iuxta primum ſenſum certum eſt, quod vnuſquiſque iniuriatus teneatur ex lege euangelica, & charitatis iniuriam ſibi illatam remittere. Iuxtà ſecundum verò certius eſt, non teneri cedere iuri ſuo in ordine ad reparationem illorum damnorum conſequendam. Rurſus, ſiue iniuria ſumatur primo modo, ſiue ſecundo dupliciter poteſt ſe habere iniuriatus in ordine ad condonationem, vel præcisè remittendo ex corde, vel etiam cedendo actioni contrà iniuriantem habitæ. Quibus ſuppoſitis

Reſpondeo primò, iniuriatus pro remiſſione ex corde facienda non poteſt aliquid exigere, nec acceptum retinere, niſi fortaſſis gratis fuerit collatum. *Medina C. de reb. reſtituend. q. 29. verſ. erat ſecundum*, & conſonat cum ijs, quæ ſupra dicta ſunt dum de acceptis pro opere debito. Ratio ex eo deducitur, quia nihil poteſt accipi pro opere aliunde debito, nec acceptum poteſt retineri, quod intelligendum eſt, ſiue illud opus fuerit debitum ex iuſtitia, ſiue ex charitate, ſiue ex obedientia *Couarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 3., Medina C. de reſtit. q. 26., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14 dub. 9. nn. 63. & n. 69. & nos etiam ſupra latè docuimus*, ſed remittere ex corde iniuriam, quæ non eſt connexa cum damnis temporalibus, eſt opus debitum à Deo imperatum, prout colligitur ex allegatis ſcripturæ teſtimonijs, & SS. PP. auctoritatibus, & vlterius euincitur ex præcepto Diuino: *Diliges proximum tuum ſicut te ipsum*, ideſt præſta erga proximum tuum, quod cuperes pręſtari erga te ipſum, ergò &c. 3

Iniuriatus pro remiſſione ex corde facienda nō poteſt aliquid exigere, nec exactū retinere.

Reſpondeo ſecundo, iniuriatus pro iniuria, quæ ſecum trahit incommoda, & damna temporalia, poteſt aliquid exigere in compenſationem damnorum temporalium, atque acceptum iuſtè retinere. *Medina C. de reb. reſtituend. q. 29. vers. ſit ſecundum, & verſ. erat ſecundum*, & in hoc arbitror omnes conuenire. Ratio ex eo deducitur, quia ex iure iuſtitiæ poteſt quiſque ſuam indemnitatem procurare, & damnum, quod iniuſtè paſſus eſt implorato Iudicis officio velle reparari, quinimmo non ſolum in Sacris Scripturis, vt videre eſt in libris Moyſi, traditæ ſunt leges de damnis per Iudices reparandis, ſed etiam in iure canonico, & ciuili, vt habetur *in c. ſi quis contriſtatus 90. diſt. in textu, & gloſ. & in c. ſi illic 23. q. 3.*, nec alicubi reperitur, quod Deus præceperit condonationem gratuitam pro huiuſmodi damnis, ſicuti reperitur præcepiſſe liberam remiſſionem ex corde pro iniurijs, ergo &c. 4

Iniuriatus pro damnis temporalibus poteſt aliquid exigere, & iuſtè retinere.

Reſpondeo tertiò, iniuriatus, quamuis teneatur ex corde remittere iniurianti, non tamen ſemper tenetur remittere ceſſando ab actione iniuriarum, ſeu actioni cedendo, ſed iuſtè poteſt contrà iniuriantem agere, non ſolum, vt debita ſibi fiat ſatisfactio, ſed etiam, vt iniurians 5

Iniuriatus, quāuis teneatur ex corde remittere iniurianti non tamē ſemper tenetur remittere actioni iniuriarū cedēdo

condignam pænam ſuſtineat. Ità expreſsè ſentit *D. Thomas 2. 2. qu. 108. art. 1. in corpore, Medina C. de rebus reſtituendis q.29. verſ. ſit tertium dictum.* Pro cuius reſponſionis intelligentia nota ex *D. Thoma loc. cit.*, quod *in vendicatione conſiderandus ſit vindicantis animus*. Si enim *eius intentio feratur principalitèr in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat eſt omninò illicita, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod charitati repugnat, qua omnes homines debemus diligere; nec aliquis excuſatur, ſi malum intendat illius, qui ſibi iniuſtè intulit malum, ſicuti non excuſatur aliquis per hoc, quod odit ſe odientem; Non enim debet homo in alium peccare propter hoc, quod prius ille peccauit in ipſum, hoc eſt enim vinci à malo, quod Apoſtolus prohibet ad Roman. 13. dicens noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Si verò intentio vindicantis feratur principalitèr ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pænam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem poteſt eſſe vindicatio licita alijs debitis circunſtantijs ſeruatis.* Quibus ex mente S.D. ſuppoſitis patet, quod iniuriam paſſus teneatur ceſſare ab actione, quando præciſè eius animus, & intentio fertur in damnum, ſeu malum lædentis propter rationes, quas ipſe adducit validas; Non teneatur verò ab actione iniuriarum ceſſare, quando eadem actio ex ipſius læſi intentione dirigeretur ad bonū aliquod, puta ad emendationem, coercitionem, ad iuſtitiæ conſeruationem. Hoc idem quoad ius non ceſſandi ab actione iniuriarum habet *D. Auguſtinus in epiſt. ad Vincentium*, vbi poſt aliqua ſic habet. *Non omnis, qui parcit, amicus eſt, nec omnis, qui verberat, inimicus eſt. Meliora ſunt vulnera amici, quam fraudulenta oſcula inimici. Melius eſt cum ſeueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Vtilius deſipienti panis tollitur, qui de cibo ſecurus iuſtitiam negligebat, quam eſurienti frangitur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat*, quod idem videtur haberi *in c. de occidendis 23. q. 5*, vbi dicitur *Iuſtè ſæpè homines peruerſos occidi poſſe, & ſanctius eſſe eos punire, quam parcere.* Ex quibus omnibus habes nedum neceſſarium non eſſe ab huiuſmodi actione iniuriarum ceſſare, ſed quandòque licitum eſſe, & expediens in tali actione iniuriarum perſeuerare, & hoc quando actio dirigitur ad aliquod bonum particulare.

Explicatur mens D Thomæ.

Et D. Auguſtini.

6 Hic ſolum remanet difficultas, an præciſè ad exigendam propriam ſatisfactionem pro iniuria ſibi illata poſſit iuſtè iniuriatus non ceſſare ab actione iniuriarum. Arbitror affirmatiuè reſpondendum eſſe; nec in hoc arbitror diſſentiri D.Thomam, qui licet inter cæteras cauſas, ob quas læſus poteſt non ceſſare ab actione, non enumeret ſatisfactionem læſi, hæc tamen in aliqua illarum videtur implicitè includi, cum non intendat in tali actione malum peccantis, ſed bonum proprium, nempè reparationem iniuriæ ſibi iniuſtæ illatæ; & ad hoc faciunt ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſur. prænot. 10. n. 2. verſ. probatur 2. pars*, & ea, quæ docent *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 20. dub. 7. & alij.* Neque obeſſe poteſt dictum *Apoſtoli ad Roman. 12. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hoc non eſt vinci a malo, neque intendere alteri malum, ſed intendere bonum ſibi debitum.

Et hoc etiā præciſè ad exigendam propriam ſatisfactionē pro iniuria.

7 Reſpondeo quartò, licitum eſt iniuriato aliquid exigere, & acceptum retinere pro ceſſatione ab actione iniuriarum, qua iuſtè auctoritate publica poteſt vexare iniuriantem pro ſui ſatisfactione *Conradus de contract. qu. 37., Angelus verb. vſura 1. num. 3., Medina C. de reb. per vſur. acquiſ. q. 1. §. lucrum, Molina tract. 2. de iuſt. q. 307., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 20 dub. 7. nu. 48., & nos etiam docuimus tom. 1. ſub tit. Contractus III. prænot. 20. n. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia condonatiò iniuriæ per ceſſationem ab actione iniuriarum eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, vnde loc. cit. diximus, quod non poteſt mutuator mutuare cum onere, vt mutuatarius condonet iniuriam, ob quam poteſt eundem mutuatorem iuſtè vexare in iudicio auctoritate publica ad habēdam congruam ſatisfactionem, non alia ratione, niſi quia illa condonatio eſt quid pretio æſtimabile, & ſic ex mutuo aliquid pretio æſtimabile exigeretur ſupra ſortem, quod manifeſtè redolet vſuram; Nec ambigendum eſt illam condonationem eſſe pretio æſtimabilem, quandòquidem ex vna parte eximit iniuriantem grauibus incommodis, quibus de iure ſubeſſe meretur; ex altera iniuriatus priuat ſe iure exigendi debitam ſatisfactionem, quod quandòq; homines pluris faciunt, quam quodcunque aliud bonum pretio æſtimabile, & licet hæc ſatisfactio non eſſet debita ante ſententiam, ius tamen ad illam exigendam de iure competit ipſi iniuriam paſſo, quo, dum ſe priuat, priuat ſe iure, quod ex communi hominum æſtimatione eſt pretio dignum.

Poteſt iniuriatus iuſtè aliquid exigere, & retinere pro ceſſatione ab actione iniuriarū.

Illa cōdonatio eſt pretio æſtimabilis.

Quod, ſi dicas illam iniuriam, vt plurimum conſiſtere in læſione famæ, & honoris, & quandòque etiam bonorum corporis, bona autem famæ, & honoris, & bona corporis non ſunt pretio æſtimabilia,

Digitized by Google

lia, ergo remiſſio talis iniuriæ non eſt remiſſio rei, ſeu iuris pretio æſtimabilis;

8 Cur poſſit aliquid exigere, cum iniuria, vt pluri mũ conſiſtat in bonis famæ incõpenſabilibus per pecuniã.

ſtatim impugnaberis, quia in primis, vt bene aſſerit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 20. dub. 7. nu. 49.*, quamuis fama & honor, & bona corporis non ſint compenſabilia per pretium, onus tamen, & obligatio reſtituendi huiuſmodi bona, vtpotè, quod maximam moleſtiam importat, pro qua tollenda quicunque ſumptus facere eligeret, eſt pretio æſtimabile, pro cuius propterea remiſſione iuſtè eſt pretium exigibile. Dici etiam poteſt, quod, quamuis compenſatio per pretium rei temporalis ex natura ſua non debeatur ratione iniuriæ illatæ in bonis famæ, & corporis, debeatur tamen ex iuſtitia in pænam per ſententiam Iudicis condemnantis ad cõpenſationem per talia bona, vndè cedens tali iuri inquirendi per Iudicem talem compenſationem eſt mercede, ſeu pretio dignus, vtpotè, qui cedit iuri, per quod iuſtè poſſet conſequi pretium.

Ex quibus omnibus habes, Antonium in caſu expoſitæ diſquiſitionis non ſolum poſſe iuſtè retinere partem pretij ſoluti, ſed etiam in foro ſaltem conſcientiæ exigere alteram partem conuentam, dummodo hæc fuerit rationabilis propter rationes mox adductas; & hæc omnia

Corrollariũ ad ſupradicta.

intelliguntur in ordine ad perſonam læſam per iniuriam. Quod, ſi ſupponas perſonam non læſam per iniuriam criminalitèr agere aduerſus delinquentem, non quidem in ordine ab bonum priuatum proprium, ſed in ordine ad bonum priuatum ipſius delinquentis, puta ad ipſius emendationem, & coercitionem, vel in ordine ab bonum commune Reipublicæ, puta ad tollenda noxia, & perturbationem eiuſdem, & ad honorem Dei; tunc videtur dicendum non poſſe aliquid exigere, nec acceptum retinere, prout docet *Medina C. de reb. reſtit. q. 29. verſ. erat ſecundum*, cum non ſua, ſed Reipublicæ interſit criminoſos publicè punire, ac proindè in caſu tali, non quod ſuum eſt, ſed quod alienum videretur exigere, & habere, quam opinionem non improbabilem iudico, ſed vide, quæ alibi diximus.

Ad rationes, quæ ex aduerſo in principio diſquiſitionis afferebantur, dicen-

9 Soluuntur rationes oppoſitæ.

dum eſt iniuriatum, quamuis non poſſit transfigere, quando delictum iam delatum ad Iudicem pro eo, quod pertinet ad publicam iuſtitiam, poſſe tamen transfigere ſuper eo, quod pertinet ad propriam ſatisfactionem, cum hoc ſit ius ipſi debitum; vndè Iudex ſuppoſita tali ceſſione iuris facta per iniuriatum procederet ex officio, non ad inſtantiam eiuſdem. Dici etiam poſſet cum *Medina loc. cit. verſ. reſpondetur non eſt in præſentiarum*; non poſſe, quidem tranſigi ſuper delicto publico per perſonam priuatam, bene tamen ſuper delicto priuato.

---

§. VIII.

An accepta per Ludum ſint reſtituenda.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo ſenſu ſit accipendus titulus. 1.

De iure naturæ huiuſmodi ludi non ſunt illiciti ſecundum ſe, niſi ex aliqua circunſtantia deturpentur. 2.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 3.

Ludi alearum quoad laicos, quamuis fuerint vetiti, modo tamen ludentes non contrahunt noxam, niſi ob circunſtantias. 4.

Circunſtantiæ, ex quibus hi ludi deturpantur. 5.

Iure canonico Clericis vetitus eſt ludus alearum. 6.

Extenditur ad clericos etiam in minoribus. 7.

Et ad conuerſos Religioſos. 8.

Non grauitèr peccant ludentes ſemel, aut bis. 9.

Non item, ſi ad modicum tempus, & ſi crebrò, recreationis cauſa. 10.

Contra huiuſmodi iura poteſt eſſe præſcriptio. 11.

Ad cõtrahendas pænas prærequiritur monitio, non ſic ad contrahendam culpam. 12.

Iura, quæ vetant clericis, à fortiori vetant Religioſis. 13.

Religioſi non excuſantur à culpa ratione conſuetudinis. 14.

Laici, & Clerici ſæculares non tenentur ea reſtituere, quæ ludis alearum acquiſierunt. 15.

Etiam ſi non excuſarentur ratione conſuetudinis. 16.

Non extante conſuetudine conceditur actio ad repetitionem. 17.

Victor, ſi lucrum diſtribuerit pauperibus, poteſt victi actionem eludere. 18.

Victus, qui non ſoluit, non tenetur in conſcientia ſoluere. 19.

Religioſis victor tenetur reſtituere, quæ ludo vetito perdiderunt etiam ante ſententiã. 20.

Religioſi etiam tenentur reſtituere victis, quæ in ludo lucrati ſunt. 21.

Religioſi inter ſe ludentes ludis vetitis in magna quantitate, ſiue extet conſuetudo, ſiue non extet, grauitèr peccant. 22.

Et probabilius facienda eſt reſtitutio. 23.

Diſquiſitio VIII. Ludus multiplex eſſe poteſt, tum ex parte finis, tum ex

Digitized by Google

ex parte modi; ex parte finis, vel poteſt eſſe ad deuotionem, ſeu pietatem excitandam, vel ad corpus, ſeu ingenium exercendum, vel ad delectationem dandam, ſeu capiendam, vel tandem ad lucrum acquirendum; ex parte modi alius eſt ludus à iure non vetitus, alius à iure prohibitus, qualis eſt ludus torneamentorum, ſimilitèr & alearum, alius eſt, qui fortunæ potius, quam induſtriæ innititur, alius è contra, qui potius induſtriæ, quam fortunæ. Omiſſis ludis, qui iure non vetante exercentur, vel ad pietatem, vel ad exercitium ingenij, vel ad delectationem honeſtam, & licitam difficultatem reduco ad ludos, qui cauſa lucri fiunt, præcipuè cum aleis, & taxillis, circa quos duo inquiram; primum, an huiuſmodi ludi liciti ſint, ſecundum, an ex illis acquiſitum detineri poſſit, an verò ſit reſtituendum?

1 Explicatur, in quo ſenſu ſit accipienda diſquiſitio.

Et in ordine ad diuerſas perſonas.

In ordine ad diuerſa perſonarum genera prima pars diſquiſitionis poteſt examinari; vel etenim ludens eſt perſona mere laicalis, vel eccleſiaſtica, ſed ſæcularis, vel Religioſa, & quidem in ordine ad perſonas laicales extat manifeſtus textus prohibens *in l. alearum vſus ff. de aleat.*, in ordine vero ad Eccleſiaſticos, & Religioſos extant textus in iur. canon. *in c. clericus 2. & auth. de ſanct. Epiſcop. §. interdicimus de vit. & honeſt. Cler.*, ſed an intelligantur huiuſmodi ludi interdicti etiam iure naturæ, non ità conſtans eſt apud DD.

2 De iure naturæ nō sūt illiciti ſecundum ſe, ſed ad ſummum ex circunſtantia.

Reſpondeo primò, ſiſtendo præciſè in iure naturæ huiuſmodi ludi non ſunt illiciti ſecundum ſe, niſi ex aliqua circunſtantia, vel perſonarum, vel loci &c. deturpentur. *Medina C. de reb. reſtituen. q. 22. verſ. His non obſtantibus, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 26. dub. 1. n. 3. & alij magis communitèr*, Ratio ex eo deducitur, quia nec ex ſe, nec ex obiecto, nec ex fine elucet aliqua turpitudo in huiuſmodi ludis, ſi excipias alias circunſtantias deprauantes, & iura poſitiua, ergo ex natura ſua non ſunt illiciti. Antecedens probatur, quia ea, quæ conſiderari poſſunt in ludo, ſunt res, quæ in eodem exponuntur, fortunæ, vel modus ipſe ludendi, vel finis lucri, ad quem dirigitur ludus; atque nullo ex his poteſt ipſe met ludus deprauari; non ex rebus, quæ exponuntur fortunæ, quandòquidem, ſicuti liberum eſt vnicuique res ſuas alteri abſolutè donare, ita etiam liberum videtur eaſdem in alterum transferre ſub aliqua conditione, ſiue eadem omninò fortuita ſit, ſiue induſtrialis, ſiue mixta. Deindè ſorti exponere bona licitum eſſe ex pluribus euincitur, & præcipuè in ſorte diuiſoria, vt cum agitur de hæreditate diuidenda, alijſque rebus, quæ finita ſocietate diuidi ſolent, ſuper quibus licitum eſſe ſortiri docet expreſsè *D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 8.*; Non ex modo, quia ſi ratione iſtius ludus eſſet ex ſe, & ex natura ſua malus ob nullam cauſam poſſet licitè exerceri, etiam nec cauſa recreationis, quandòquidem, vt habet *Ariſtoteles 3. ethic.*, quæ de ſe habent malitiam, per nullum bonum finem poſſunt à malitia denudari; Non ex fine lucrandi, quia hoc ratione non ſolum eſſet illicitus ludus alearum, ſed etiam quicunque alius, quinimmo etiam ars negotiatoria, quæ ſecundum ſe ordinatur ad lucrum.

Rationes pro reſpō ſione.

Neque aduerſus ea, quę in hac reſponſione dicta ſunt, obſtare poteſt primo, quod per pręfatos ludos nutriatur otium iure diuino, & naturali vitandum; ſecundo, quod in ijs fiat regularitèr diſtractio prodigalis; tertio, quod ſicuti contra ius naturæ videtur eſſe perſonam ſuam exponere, aut famam ſine neceſſitate, aut publica vtilitate periculo, ità videatur contrà idem ius eidem periculo exponere vitæ inſtrumenta, qualia ſunt bona temporalia, quæ in ludis alearum exponuntur; quarto, quod non liceat iure diuino prohibente concupiſcere res alienas, adeòque nec ludere fortunæ aleis, per quas certè concupiſcitur alienum; Non, inquam, obſtare poſſunt; non primum, quia otium, quod iure diuino prohibetur, 3 illud ſolummodo eſt, quo homo ea, ad quæ tenetur, negligit exercere; non enim præceptum operandi obligat ſemper, & ad ſemper, ac proindè illud tempus, quo ab operando poteſt ceſſare, poterit in ludo inſumere; non ſecundum, quia in huiuſmodi ludis non eſt prodigalis diſtractio propriè loquendo cum ludens æquè ſubſit periculo amittendi, ac ſpei lucrandi. Quod, ſi Ariſtotiles damnet aleatores tanquam prodigos, qui res ſuas, vt non oportet, expendunt; hoc intelligendum eſt, non quia ludant, & res ſuas expendant, ſed quia accipiunt, vndè non oportet, puta ab amicis, aut ab alijs indigentibus, quibus ipſi potius dare debuiſſent ea, quæ in ludis inſummunt, quam accipere, quæ ludis exponunt; Non tertium, quia idem non eſt iudicium de expoſitione periculo vitæ ſuæ, ſuæque famæ, ac de expoſitione rerum ſuarum periculo in ludo, nam in primis vitæ ſuæ, ſuique corporis non eſt Dominus, ſicuti eſt rerum ſuarum, adeòque de illis non poteſt pro libertate diſponere, ſicuti de iſtis. Quod, ſi dicas hominem eſſe etiam Dominum ſuæ famæ, nec tamen illam poſſe periculo exponere, tunc reſpondebo iuxta ſuperius dicta

3 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Digitized by Google

dicta poſſe hominem etiam ad bonum finem etiam ſuam famam prodigere, puta ne ab hominibus æſtimetur, dummodo non ingeratur ſcandalum alijs pernitioſum. Deinde in ordine ad famam videtur eſſe ſpecialis ratio, quandòquidem profuſio famæ, nec poteſt eſſe proficua profundenti regularitèr loquendo, nec alteri, expoſitio vero pecuniæ, aliarumque rerum pretio æſtimabilium in ludo poteſt eſſe proficua ipſi exponenti, ſi victoriam reportarit, vel colludenti, ſi exponens fuerit victus, vnde ſicuti iſti poteſt abſolutè donare, ità poteſt velle illi concedere ſuppoſita aliqua conditione eueniente. Non quartum, quia præceptum non concupiſcendi res alienas non extenditur ad hunc caſum; quandòquidem præceptum nonum decalogi prohibet ſolum, ne concupiſcantur res alienæ per media illicita, & inuito, & non conſentiente Domino, non autem, vt non concupiſcantur per media ex genere ſuo licita, & conſentiente Domino, vt euenit in caſu ludi.

4 **Laici ludẽtes aleis modo nõ cõtrahunt noxam læthalẽ, niſi ex circunſtantijs illicitis.**

Reſpondeo ſecundo, quamuis ludi alearum etiam quoad laicos fuerint in iure ciuili interdicti, modo tamen ſecluſis circunſtantijs laici ludentes non contraherent noxam. Quod autem huiuſmodi ludi fuerint interdicti in iure ciuili manifeſtè apparet *ex l. 1. & 3. C. de aleatorib.* Conſentiunt in hanc reſponſionem *Regius in ſuis reſolut. caſ. 23. n. 2., Homobonus de examin. Eccleſ. part. 2. tract. 9. c. 24. q. 23., Salas tract. de ludo dub. 3. n. 5., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 26. dub. 1., Filliutius tom. 2. tract. 37. c. 4. n. 58. & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi ludi non interdicuntur iure naturæ, ſed dumtaxat per iura poſitiua, vt patet, tum ex dictis in præcedenti reſponſione, tum ex iuribus mox allegatis; ſed iuribus poſitiuis poteſt derogari per contrariam conſuetudinem, vt ſupra probauimus, & de hac conſuetudine contraria legitimè præſcripta his temporibus manifeſtè conſtat, cum ludi palam fiant ſcientibus principibus, & non contradicentibus, ergo &c.

5 **Circunſtantiæ, ex quibus deturpantur huiuſmodi ludi.**

Dixi, *ſecluſis circunſtantijs*. nam vt plurimum ratione iſtarum huiuſmodi ludi deprauantur; vt docent *Suarez tract. de charit. diſp. 10. ſect. 4. nu. 2., Coninch. de act. supernat. diſp. 18. dub. 13. n. 217., Bellochius part. 2. q. 4. n. 429.*; ſic primo deprauantur ratione minoritatis in ludente. Secundo ratione blaſphemiarum, & rixarum, quæ inde excitantur; vel ratione fraudium, quæ crebrò committuntur. Tertiò ratione furtorum, quæ in ordine ad ludos fiunt. Quarto ratione ornamentorum vxorum, quæ à maritis in ludis diſperduntur, & ſimilium. Quamobrem non incongruè docent *Gabriel in 4. diſt. 13. qu. 13. dub. 6., Silueſter verb. Ludus qu. 15., Nauarrus in man. c. 20. n. 15., Comitolus lib. 3. q. 7., Zanardus in direct. Theolog. part. 2. præcep. 3. c. 28., Ioannes della Crux in direct. conſcient. part. 1. præcept. 7. art. 5. dub. 13. concl. 4. in fin., Sanchez in opere morali tom. 1. lib. 1. c. 7. nu. 391.* vix excuſari à graui noxa, qui domos expoſitas habent ad ludendum, quia huiuſmodi domos expoſitas habere ad ludendum eſt præbere moralitèr occaſionem peccandi propter huiuſmodi circunſtantias, quæ regularitèr conſequuntur ad ludos.

6 **Iure canonico clericis vetitus eſt ludus alearum.**

Reſpondeo tertiò, iure canonico Clericis prohibitus eſt ludus alearum, & taxillorum. Hæc prohibitio expreſsè habetur in can. 41. Apoſtolico, vbi ſic legitur *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati vacans, aut deſinat, aut deponatur*; quod idem extenſiuè apponitur in canon. ſequenti, vbi ſic legitur *Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector ſimilia faciens, aut deſinat, aut ſeparetur*, ideſt excommunicetur, *ſimilitèr, & laici.* Secundo *in c. clerici de vit. & honeſt. Cleric.*, vbi ſic *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec eiſdem interſint*. Tertio *in c. inter dilectos de exceſ. prælat.*, vbi clericus ad beneficium promotus deponitur, eo quia erat publicus aleator, & vſurarius. Tandem *in Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de reform.*, vbi ſic ſtatuit, *vt quæ alias à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choræis, aleis, luſibus, nec non ſæcularibus negotijs fugiendis ſancita fuerunt eadem impoſterum eiſdem pœnis, vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis obſeruentur.* **Iura ſic vetantia.**

Circa huiuſmodi iura, & prohibitiones plurima contingunt in præſenti dubitari; & primò, an huiuſmodi iura comprehendant ſolummodò Clericos in ſacris conſtitutos, vel beneficiarios, an verò etiam Clericos in minoribus. Sanchez *Opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 28. nu. 8.*

7 **Extenditur etiam ad Clericos in minoribus.**

arbitratur comprehendere ſolummodò Clericos in ſacris conſtitutos, & beneficiarios, non autem Clericos in minoribus; Sed merito ipſum impugnat *Alcozer tract. de ludo c. 11.*, quandòquidem hæc prohibitio in ordine ad Clericos etiam in minoribus ſolum conſtitutos habetur *in can. 42. alleg. Apoſt.* Ibi *Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector ſimilia faciens, aut deſinat, aut ſeparetur ſcilicèt excommunicatione*. Sed, an hæc iura comprehendant etiam Religioſos non clericos; negat idem *Salas tract. de ludo dub. 24. nu. 8.* affirmat *Sanchez*, qui tamen præciſè refundit prohibitionem

in

Digitized by Google

in ſtatum Religioſi, quatenus huiuſmodi
8 ludi ſint tali ſtatui indecentes, ſed ego etiam arbitror comprehendi in iure prohibente, quod deduco *ex d. can. 42.* vbi prohibitio etiam, & pœnæ extenduntur ad laicos, & conſequenter à fortiori ad conuerſos Religioſos.

Et ad cõuerſos Religioſos.

Secundo dubitari poteſt, an Clerici ſic ludentes peccent læthalitèr contrà huiu-
9 ſmodi iura non ſolum, ſi crebrò, & frequenter ludãt, ſed etiam ſolum ſemel, atq; iterum abſque ſcandalo, & quid, ſi ſæpè non lucri cauſa, & recreationis gratia? Dico igitur primo, non grauitèr peccare Clericos ſic ludentes ſemel, atque iterum tantum *Sanchez opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 28. nu. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 26. dub. 1. n. 5. & alij magis communitèr*. Colligitur ex allegatis textibus, & primo *ex can. 41. Apoſtol.* Ibi *Aleæ, atque ebrietati vacans*, quæ particula non vnum, vel alterum actum denotat, ſed continuationem, & frequentiã. Secundo *ex can. 42.* Ibi *Et ſimilia faciens*, quæ particula refertur ad præcedentia, quæ important continuationem; Tertio *ex c. inter dilectos de exceſ. prælat.*, vbi Clericus deponitur, quia erat *publicus aleator;* non dicitur autem publicus aleator, qui ſemel tantum, atque iterum ludit. Quarto *ex Concil. Trid.*, vbi ſolum innouantur prohibitiones, & antiqua iura ſecundum modum, & ordinem antiquum, nec quid noui conſtituitur. Confirmatur, quia finis huiuſmodi iuriũ prohibentium fuit, ne Clerici, qui vacare debent Deo ex vi proprij muneris, diſtrahantur ad ſæcularia negotia, vt innuiſſe videtur *idem Concilium Trident. d. ſeſſ. 22. c. 1. de reform.* Ibi, *nec non ſæcularibus negotijs fugiendis*, vel vt alij ſtatuunt, quia hoc videtur eſſe contra vitam, & honeſtatem Clericorum, ſed per ludum ſemel, & iterum dumtaxat huiuſmodi fines non fruſtrantur, vt per ſe patet, ergo &c. Dico
10 ſecundo etiam non grauitèr peccare Clericos ſic ludentes ad breue tempus, & ſi crebrò recreationis gratia id præſtent *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 26. dub. 1. n. 5., Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 1. n. 10.*, quod idem videntur innuiſſe *Silueſter verb. ludus q. 4. & D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 23. §. 2.* dum aſſerunt, quod ex frequentatione actuum aggrauetur quidem culpa, non autem tranſeat de veniali in mortalem, quod tamen, an verum ſit, dicam inferius. Ratio ex eo deducitur, quia per hoc, nec videntur diſtrahi à diuinis, nec videtur eſſe contrà vitam, & honeſtatem Clericorum, cum præſtent ad breue tempus per diem, & recreationis cauſa, quod non videtur vitio imputandum, præcipuè, ſi hoc præſtent congruis recreationis horis; nec delictum tranſit in graue ex modo ludendi præcisè, quandoquidem, ſi hoc eſſet, intelligeretur etiam vetitus talis ludus ſemel atque iterum, quod non videtur dicendum. Sed, an attentis allegatis iuribus prohibentibus præcisè intelligantur grauitèr peccare Clerici, ſi crebro, & ad longum tempus ludant etiam animo lucrandi videntur negare *Silueſter verb. Ludus q. 4., & D. Antoninus part. 2. tit. 1. c. 23. § 2.* dum ſuppoſito eo, quod mox diximus, quod ſcilicèt non peccant grauitèr, ſi ſemel, aut bis ſic ludunt, inferunt, quod nec grauitèr peccant, ſi ſæpius ludant, quia licet continuatio aggrauet peccatum, non tamen, vt innuebamus, trãſferti de veniali in mortale; ſi abſit ſcandalum. Verum ego arbitror ſtantibus huiuſmodi iuribus (ex ſuppoſitione, quod remaneant in ſuo robore) peccare læthalitèr. Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi iura intelliguntur obligare ad obſeruantiam ſub tali onere, dum prohibent ſub grauiſſimis pœnis, quæ, vt æquę ſint, debent eſſe proportionatæ delicto. Neque obeſſe poteſt argumentum *à Silueſtro, & D. Antonino* adductum, quia in frequentatione actuum militat id, quod iura intendunt prohibere, non autem in vno præcisè, vel alio actu iterato; vnde ex pluribus actibus frequentatis, & iteratis reſultat vnum quid, in quo grauitas peccati conſiſtit, quæ non conſiſtit in vno, vel altero actu ſecundum ſe ea proportionali ratione, qua alibi diximus, quod, quamuis modica furta ſecundum ſe ſumpta non inducant noxam læthalem, ſimul tamen ſumpta, ſi peruenerint ad quantitatem notabilem, talem inferant noxam.

Non grauitèr peccant Clerici ludentes ſemel, vel bis.

Non itẽ ſi ad modicum tempus, vel ſi crebro, recreationis cauſa.

Grauitèr tamẽ peccat, ſi crebro ludat ob lucrũ.

Tertio dubitari poteſt, an contra huiuſmodi canones poſſit eſſe præſcriptio conſuetudinaria, & an ratione eiuſdem intelligantur modo Clerici ſic ludentes excuſari à graui noxa? Cum huiuſmodi prohibitio intelligatur ſolummodo inducta ex iure poſitiuo videtur congruè potuiſſe legitimo tempore per contrariam conſuetudinem contrà eandem præſcribi, & ſupra latè diximus per decennium poſſe præſcribi contra legem, & iura Eccleſiaſtica etiam; vnde non video, cur etiam non potuerit currere præſcriptio contrà huiuſmodi iura. Quod, ſi dicas, quòd hæc iura fuerunt innouata per *Concil. Trid. d. ſeſſ. 22. c. 1. de reformatione;* erit immediatè reſponſio, quod vel concilium in hac parte non fuerit acceptatum, cum adhuc perſeuerauerint huiuſmodi ludi ſcientibus Eccleſiæ Prælatis, & non contradicentibus, vel per ſubſequentem contrariam conſuetudinẽ fuerit idem concilio obrogatum. Verum tamen eſt, 11

Côtrà huiuſmodi iura poteſt eſſe præſcriptio côſuetudinaria.

Digitized by Google

eſt, quod pluribus in locis hæc conſuetudo non viget, vel quia locorum ordinarij per decreta Sinodalia obſtiterunt, vel per pænas, vel quia Eccleſiaſticorum pietas ſacris canonibus ſedulo obtemperauit, quibus propterea in locis grauitèr peccarent Clerici, ſi crebro huiuſmodi ludis incumberent. Aduertendum eſt vlterius, quod ea, quæ dicta ſunt, intelligi debent ſecluſo ſcandalo, à quo vix immunes eſſe poſſe videntur ratione ſtatus Clerici frequenter ludentes.

12 **Ad incurrẽdas pænas requiritur monitio, non ſic ad cõtrahẽdam noxã læthalem.**

Quarto, dubitari poteſt, an ad contrahendam noxam læthalem, & pænas iuris requiratur, quod Clerici ludentes prius moneantur, & non corrigantur, an verò ad vtrumque præciſè ſufficiat continuatio in ludo? Et quidem in ordine ad pænas arbitror abſolutè prærequiri, vt prius moneãtur, quod non ſolum deduco ex eo, quod ad incurrendas huiuſmodi pænas requiratur regularitèr contumacia, vt in excommunicatione, ſed etiam, quia huiuſmodi iura dicunt, *aut deſinat*. In ordine verò ad peccatum arbitror ſuppoſita illa continuatione incurri etiam idem peccatum ſine tali monitione, quia ad incurrendam hanc noxam ſufficit exercitium actionis, pro quo fit tranſgreſſio legis prohibentis; vndè pænæ ſubſequuntur ad delictum iam poſitum, & facilius incurritur delictum, quam pænæ, quæ exigunt, vt plurimum, vel declarationem, vel alias præuentiones à iure requiſitas, quas regularitèr non exigit delictum.

13 **Iura, quæ prohibent Clericis, à fortiori prohibent Religioſis.**

Reſpondeo quartò, iura canonica, quę Clericis prohibent ludum alearum, à fortiori prohibent Religioſis, & non ſolum colligitur ex allegatis iuribus pro Clericis, quæ extenduntur etiam ad Religioſos, ſed etiam *ex c. Epiſcopus diſt. 35.*, & quidem congruentiori ratione hoc decernitur, quandòquidem non congruunt huiuſmodi ludi docentiæ talis ſtatus, cui ex vi profeſſionis conuenit magna perfectio.

Hic oritur difficultas, an Religioſi ſtante conſuetudine in ſuo ordine inducta ſcientibus Prælatis, & non contradicentibus excuſari poſſint à noxa, ſi ludunt? Si ſiſteremus præciſè in iure prohibente, quatenus Religioſi dumtaxat peccarent, dum agerent contrà huiuſmodi iura poſitiua, non renuerem concedere, quod ſtante conſuetudine Religioſi ludentes non contraherent grauem noxam, ſi ſcandalum abeſſet propter rationes adductas in ſuperiori reſponſione de Clericis. Sed ſolertioni indagine inquirendum eſt, an iure naturæ ratione talis ſtatus Religioſi huiuſmodi ludi vetentur præcipuè in ordine ad lucrum. Pro quo aduertendum eſt dominium rerum ex vi profeſſionis nullo modo competere ſingulis religioſis; quinimmo, nec ius eiſdem vtendi independentèr à voluntate ſuperioris, cum in hoc paupertas Religioſa eſſentialitèr conſiſtat; nec aduerſus ea, quæ ſunt contra ſubſtantiam votorum ſolemnium, in quibus conſiſtit profeſſio, poteſt eſſe præſcriptio, cum repugnet eſſe ſtatum Religioſum ſine ijs, quæ ſunt de ipſius ſubſtantia; & licet ſuperior poſſit nonnulla concedere ad vſum ſingulorum Religioſorum, non tamen poteſt concedere ad ludos, alioſque vſus profanos, prout docuiſſe videntur *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 177.*, *Nauarrus comment. 2. de Regular. n. 15. & 18.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 4. dub. 5. num. 33.*; Nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandòquidem ea, quæ habent ſinguli Religioſi etiam ex facultate ſuperioris, ſunt nemine diſcrepante quoad dominium Monaſterij; Superior autem non eſt bonorum Monaſterij abſolutè Dominus, ſed ſimplex diſpenſator, & adminiſtrator, & quidem ad normam eorum, quæ præſcribunt inſtituta ordinis, & decreta, & ſanctiones Concil. & Pontif. ſed adminiſtratores ſimplices, & diſpenſatores non poſſunt adminiſtrare, & diſpenſare, vt ea, quæ ſunt Monaſterij expendantur extra cauſas licitas, & honeſtas, cæteroqui patrimonium Chriſti profunderetur in res illicitas, & profanas.

14 **Religioſi etiã ſtante conſuetudine grauitèr peccant.**

Hinc abſolutè arbitror, etiam ſtante conſuetudine Religioſos ludentes ludis vetitis alearum, & taxillorum cauſa lucri grauitèr peccare, quantumuis hoc præſtent Superioribus videntibus, & non contradicentibus. Quod, ſi hæc verificantur etiam ſuperioribus ſcientibus, quid erit dum fiunt remotioribus in abditis, vt paſſim contingit, ipſis omnino ignorantibus? An præſumetur eorum voluntas, & conceſſio? Abhominabile adeo hoc vitium eſt, vt Religioſum ſtatum, & perfectionem euertat, ſanctitatem comminuat, vota diſrumpat. Oh quam grauibus pænis apud ſupremum Dei tribunal obnoxij erunt nedum Religioſi ludentes, ſed ſuperiores etiam ſcientes, & corruptelam hanc non reſecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, ſed etiam in Religionis euerſionem.

15 **Nec laici, nec clerici tenentur reſtituere, quę ludo acquiſierũt.**

Reſpondeo quinto, Laici, quinimmo, & Clerici etiam ſæculares non tenentur modo ea, quæ huiuſmodi ludis acquiſierunt, reſtituere. *Medina C. de reb. reſtit. q. 2. in reſol. 2. partis, Alexander Alenſis 4. part. q. 86. memb. 3. art. 6., Adrianus in 4. tract. de reſtitut. §. quia in ſuperioribus, Sotus lib. 4.*

de

Digitized by Google

de iuſt.q.5. art.2. Ratio ex eo deducitur, quia obligatio reſtituendi, nec oritur ex iure naturæ, nec ex vi legum poſitiuarum, ergo ex nulla ratione facienda eſt reſtitutio. Antecedens quoad primam partem patet ex prima reſponſione in hac diſquiſitione; quoad ſecundam etiam patet ex ſupradictis, quia huiuſmodi leges intelliguntur per contrariam conſuetudinem abolitæ, adeòque nullam vim amplius habent obligandi.

Dixi, *modo*, prout ſcilicèt ſupponuntur iura interdicentia huiuſmodi ludos per contrariam conſuetudinem abolita; ſi etenim non intelligantur abolita, ſed remanere in pleno ſuo robore, & in viridi obſeruantia, videtur eſſe longè diuerſa ratio, quandòquidem, ſicuti pro iniuſta ſententia non poteſt aliquid recipi, nec retineri, quia eſt contra leges, ita nec videtur aliquid poſſe recipi, vel retineri pro ludo, ſeu in ludo lucrari, cum etiam ludi ſint per poſitiuas leges prohibiti. Nihilominùs his minimè obſtantibus ſentiendum eſt, poſſe ſic acquiſita retineri, nec

16 Etiam ſi non excuſarentur ratione conſuetudinis.

eſſe ex neceſſitate reſtituenda *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 26. dub. 3. n. 17., Medina C. de reb. reſtit. q. 22. in reſolut. poſterioris partis quæſtionis, Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 4. n. 2. & 3.* Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis, vel iure naturæ, vel iure poſitiuo prohiberetur hic contractus fortunæ aleæ, non tamen intelligitur irritatus, nec impedita dominij translatio, vt videre eſt quoad ius naturæ in matrimonio contracto poſt votum caſtitatis, vel poſt ſponſalia cum alia inita, vel in venditione rei, quam quis Deo vouit, in venditione rei in loco ſacro, & huiuſmodi; quoad ius vero poſitiuum ex eo euincitur, quia, quantumuis iure poſitiuo concedantur actiones victis ad repetendum ſolutum victoribus vſque ad quinquaginta annos, vt apparet ex *l. alearum vſus C. de aleat.* non tamen ibi inducitur irritatio, quinimmò, ſi victus non agat in iudicio ad repetendum ſolutum, nec victor tenetur reſtituere, nec victus poteſt vti tacita compenſatione *Caſtro l. 2. ff. de leg. pœnal. c. 2., Medina C. de reb. reſtit. q. 22. in reſolut. poſter. part. quæſt. verſ. 3. eſto lex, Adrianus 4. qu. de ludo §. ſed oritur ex his, Sotus lib. 4. de iuſt. qu. 5. art. 2., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 26. dub. 3. n. 22.,* & hoc, quia illa repetitio, quæ in huiuſmodi iuribus conceditur eſt in pœnam, quæ non conceditur ante Iudicis ſententiam, prout habetur *in c. fraternitas 12. q. 2.*

Ex his duæ modo oriuntur difficultates. Prima eſt, an, vbi re vera non eſt lex per contrariam cõſuetudinem abrogata, concedatur hæc actio ad repetitionem. Secunda eſt, an qui ludo vetito perdidit, & adhuc non ſoluit, quamuis non poſſit in iudicio per actionem conueniri ad ſoluendum, teneatur tamen in foro conſcientiæ ſoluere.

In ordine ad primam abſolutè ſentiendum eſt, concedi verè in iudicio hanc actionem, adeò vt poſſit cogi victor ad reſtituendum per Iudicem victo rem victam. Expreſsè colligitur *ex d. l. alearum C. de aleatoribus*, vbi ſic legitur, *Nulli liceat in publicis, vel priuatis domibus, vel locis ludere neque in genere, neque in ſpecie, & ſi contra factum fuerit nulla ſequatur condemnatio* (idest vt explicat Leſſius loc. cit. victus non cogatur ſoluere) *ſed ſolutum reddatur., & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum hæredibus &c. non obſtante quinquaginta annorum præſcriptione*, vbi notant DD., quod hæc lex in ea parte, qua iubet ſolutum reddi, ſit pœnalis, ac proinde non obliget ad id præſtandum, niſi poſt Iudicis condemnationem. 17 Conſuetudine non extante cõceditur actio ad repetitionẽ ſoluti.

Dependentèr ab hac prima difficultate alia ſuboritur, an ſi ille, qui lucratus fuit in ludo, totum lucrum pauperibus diſtribuerit, & poſtea a victo, vel eius hæredibus agatur in iudicio contrà ipſum ad repetendum ſolutum, poſſit exceptione coram eodem Iudice elidere actionem victi agentis ad repetitionem? Ratio dubitandi conſurgit ex conſtitutione Greca *in l. alearum vſus C. de Relig. & ſumpt. fun. & alea luſ. & aleatoribus.* Quæ, vt refert *Medina C. de reb. reſtit. q. 22. in reſol. poſterioris part. quæſt. verſ. 3. eſto lex,* Epiſcopo, & officialibus ſuis concedit, vt a lucrantibus lucrum accipiant, & pauperibus diſtribuant, ex quo iure Petrus de Palude apud eundem *Medinã loc. cit.* docet, quod, ſi lucrator lucrum pauperibus erogauerit, poſſit coram Iudice excipere contrà agentem de tali diſtributione; quod non immerito dictum crediderim, quandòquidem, cum ex vna parte ſtante iure naturæ lucrator dominium acquiſierit, & ex alia iura poſitiua ſint præciſè pœnalia, non videtur incongruum, quod, ſi ante actionem intentatam pauperibus erogauerit, ſufficientèr ſatisfecerit, præcipuè cum victus ius amiſerit, nec habeat actionem, niſi in pœnam, quæ ceſſare videtur, dum ſecundum diſpoſitionem iuris res eſt erogata in fauorem pauperum. 18 Victor, ſi lucrũ dederit pauperibus elidit actionem victi.

In ordine ad ſecundam *Medina C. de reb. reſtit. q. 22. in reſol. poſter. part. quæſt. corrol. 2., Caſtro l. 2. ff. de leg. pæn.* exiſtimant perdentem teneri in conſcientia ſoluere non obſtante actione, quam habet ad repetendum, cum naturæ conſentaneum ſit promiſſionem de re attento præciſè eiuſdem na-

Digitized by Google

19 Victus, qui non ſoluit, nõ tenetur in foro conſcientiæ ſoluere.

naturæ iure factam adimpleri. Nihilominùs abſolutè ſentiendum exiſtimo, non teneri etiam in foro conſcientiæ ſoluere *Adrianus 4. qu. de ludo §. ſed oritur ex his, Coarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 4. n. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 26. dub. 4. n. 24. verſ. reſpondeo tamen*. Potior probatio noſtræ aſſertionis erit aduerſantium argumentum eludere, quo aſſerunt de iure naturæ contractum luſorium tenere, nec interdici, ex quo propterea videtur oriri obligatio naturalis, & in foro conſcientiæ ad adimplenda conuenta; Soluitur autem ſic, quia ius naturæ dupliciter poteſt conſiderari; primò, prout eſt præciſè, & ſtrictè obligatorium, qua ratione præualet cuicunque iuri poſitiuo; ſecundo, quatenus eſt præciſè permiſſorium, & ſic poteſt per ius poſitiuum moderari ea proportionali ratione, qua rerum cõmunitas eſt de iure naturæ, quia tamen non eſt cum obligatione ſtricta, ſed dumtaxat cũ permiſſione, non eſt, nec fuit prohibita diuiſio per ius gentium; cum igitur ius naturæ contractum luſorium ſolummodò permittat, non eſt, cur non poſſit corrigi per ius poſitiuum, per quod re vera fuit correctus; Quo ſtante dicendum eſt, quod ſicuti victus ad agendum admittitur, ità à fortiori ad excipiendum ſit admittendus per textum *in c. qui ad agendum de reg. iur. in 6.*, & in hoc etiam valet regula, quod turpius eicitur, quam non admittitur hoſpes.

20 Reſtituẽda ſunt Religioſis, quæ ludo vetito amiſerunt etiã ante ſententiam.

Reſpondeo ſextò, Religioſis, ſi ludo vetito luſerint, ſunt reſtituenda bona, quæ in eodem amiſerunt etiam ante Iudicis ſententiam. Conſentit cum ijs, quæ ſupra diximus. Ratio autem ea eſt, quia ratione ſtatus proprij ex vi profeſſionis nequeunt Religioſi ea ludis exponere, ſicuti nequeunt ea conferre pro actu meretricio, ergo victores tenentur eiſdem, vel Religioni bona ſic acquiſita reſtituere, vtpotè quæ fuerunt acquiſita ab eo, qui de eis non poterat diſponere, vndè colluſor in ludo victor debet ſibi imputare, quod non præcauerit abſtinendo à ludo cum perſona, quæ incapax erat ad transferendum dominium rei, ſeu pecuniæ expoſitæ.

Dices, ſi Religioſus ludens victor fuerit in tali ludo, poteſt lucrum victoriæ ſibi retinere, cum proueniat ab alea fortunæ, ergo, ſi fuerit victus ab altero, poterit hic alter lucrum ab ipſo acquiſitum retinere, nec tenebitur Religioſo, ſeu Religioni reſtituere; videtur etenim incongruum, quod in contractu omninò fortuito victor acquirat, & victus non poſſit perdere, quia non ſeruaretur debita æqualitas. Sed contrà, quamuis nonnulli aſſerant, quod victor poſſit retinere, & victus non amittere, eo quia poteſt vnuſquiſque prodeſſe, non obeſſe Religioni eo modo, quo minores, & pupilli poſſunt alios ſibi obligare in contractibus, non ſe illis, arbitror tamen probabilius eſſe Religioſum victorem non poſſe lucra victoriæ ſibi retinere, quia non eſſet in huiuſmodi ludo par conditio in iure lucrandi quoad vtrumque ludentem, cum vnus ſua exponeret periculo, & non alter, vt congruè videtur notaſſe *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 26. dub. 5. n. 32.* 21

21 EtiamReligioſi tenentur reſtituere victis.

Excipe, niſi quid medicũ ex poſuiſſent recreationis cauſa

Limitarem tamen hanc, & reſponſionem quartam in hypotheſi, qua Religioſi quid modicum, & moderatum ludis exponerent recreationis cauſa, & Superior eiſdem conceſſerit aliquam ſummam ad vſus licitos, & honeſtos; tunc etenim, cum ille ludus non referatur ad vitium, ſed ad honeſtam, & congruam recreationem, nec quid conſiderabile exponatur, non videtur ex parte materiæ aliqua turpitudo, nec onus reſtitutionis, nec ex parte modi, ſi abſit ſcandalum.

22 Religioſi inter ſe ludentes ludis vetitis in magna quantitate grauitèr peccant.

Maior difficultas eſt, an grauitèr peccent Religioſi ludentes inter ſe ludis vetitis in magna quantitate, ſiue extet conſuetudo in tali Religione, ſiue non extet? Non extante tali conſuetudine grauitèr peccare non videtur poſſe eſſe dubium, prout notat *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 2. dub. 2. n. 21.*, quia quoad hos plenam vim habent iura *in c. Clericus 2. & auth. de ſacroſanct. Eccleſ. §. interdicimus de vita, & honeſt. Clericor.*, vnde, ſi quis auderet in huiuſmodi Religionibus tales ludos inducere, non ſolum ipſe, ſed etiam Superiores id ſcientes, & non impedientes, nedum conniuentes grauiſſimæ noxæ ſubijcerentur; Extante verò tali conſuetudine adhuc non eximerem à tali culpa, tum quia talis conſuetudo extante tali ſtatu videtur potius corruptela, quam conſuetudo; tum quia per eoſdem eſt maxima euerſio à diuinis, quibus ex vi proprij ſtatus vacare debent Religioſi, quam auerſionem expurgare nequit à noxa illa ludendi conſuetudo; tum quia vix videtur poſſe eſſe immunis à ſcandalis &c.

Sed, an peccent etiam ratione materiæ expoſitæ, & an teneantur victores ad reſtitutionem maior videtur ratio dubitandi, quandòquidem dominium rerum expoſitarum non eſt apud eoſdem exponentes, nec acquiritur a victoribus, ſed remanet penes Monaſterium, quod eodem dominio gaudet, ſiue penes vnum, ſiue penes alterum Religioſum, ſeu penes victum, ſeu penes victorem permaneat res ipſa; vnde dominium non tranſit ab vno in alterum, ſed ad ſummum vſus, cuius

Digitized by Google

vterque eſt capax ex expreſſo, vel tacito ſuperioris conſenſu. Iuxta hunc ſenſum ratione materiæ non videntur quidem Religioſi peccare, nec teneri ad reſtitutionem; quia tamen nec vſus eorum, quæ neceſſaria non ſunt ad victum, intelligitur Religioſis conceſſus, niſi ex facultate ſuperiorum, ideo non videtur poſſe in ludo ab vno, cui conceſſus in alterum, cui non eſt conceſſus transferri, nec præſumitur ſuperior talem translationem per ludum concedere, niſi conſtet de ipſius voluntate, & conceſſione. Sed de hoc alibi latior occurret ſermo.

23 Et probabilius facienda eſt reſtitutio.

Vtinam exitialis hæc corruptela è Religioſorum cætibus ſemel proſcriberetur, & Prælati pro paſtorali ſuo munere totis viribus contenderent ad hanc labem eruendam, ne diu graſſans eo vſque deueniat, vt diuinum cultum penitus euertat, & animos ad cæleſtia euocatos trahat in extremum ruinæ ſpiritualis exitum.

---

§. IX.

An acquiſita à filio familias per ludum ſint reſtituenda.

SVMMARIVM.

Facti expoſitio. 1.
Conſiderabilia circa factum. 2.
Filius familias, ſi ludo expoſuerit caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, & perdiderit, non ſunt ei reſtituenda. 3.
Niſi ludus fuerit vetitus. 4.
Item, niſi ratione ætatis eorum non habuerit adminiſtrationem. 5.
Filius familias regulariter non poteſt ludo exponere bona aduentitia abſque Prioris conſenſu, & ſi perdiderit, pater poteſt ea repetere. 6.
Filius naturaliter in ea hypotheſi obligatur de euictione. 7.
De iure communi poſitiuo non obligatur ciuiliter ad illam euictionem. 8.
De iure municipali Mediolani nullo modo obligatur. 9.
Degens in aula Principis, vel in vniuerſitate cauſa ſtudiorum poteſt quid modicum in ludo licito exponere. 10.
Si de ſumma aſſignata à Patre pro victu partius viuendo aliquid reſeruaret, poſſet illud exponere. 11.
Si filius ex illo modico, quod expoſuit magnam quantitatem fuerit lucratus, poteſt eandem ludum illum continuando exponere. 12.
Etiam cum eodem colluſore in alio ludo. 13.
Etiam cum alio colluſore. 14.
Intellige, niſi Pater exegerit à filio illud lucrum, & prohibuerit exponi. Ibid.
Si Pater aſſignarit nonnaginta pro victu filij degẽtis in vniuerſitate ſciens ſufficere octuaginta, & filius partius viuendo inſumpſerit dumtaxat ſeptuaginta, poteſt illa viginti inſumere in ludis honeſtis. 15.
Filius viuens, ſiue in domo, ſiue extra domum Patris, ſi aliquid proprio labore, & induſtria acquiſierit, poteſt illud moderatum, ſeu in moderata quantitate ludo exponere. 16.
Si filius expoſuerit ludo bona paterna, & ex illis lucratus, fuerit, tenetur lucrum reſtituere victo, ſi hic fuerit ignarus alienitatis rei. 17.
Si colluſor fuerit conſcius, quod illa bona à filio familias expoſita ſint Patris, & non alienabilia per filium, hic probabilius tenetur ea reſtituere, quæ lucratus eſt, niſi ex alijs adminiculis ſit præſumptio donationis. 18.
Si ex Patris voluntate poſſit determinatam quantitatem ſingulis annis exponere, & totam vnico ludo expoſuerit, non tenetur colluſor victor eandem reſtituere. 19.
Si filius familias amiſſa illa taxata quantitate aliam, cum alio luſore amiſerit, poteſt Pater à ſecundo luſore illam quantitatem repetere. 20.
Si filius familias quid aliud ſupra ſummam taxatam à Patre expoſuerit, & amiſerit, tenetur victor ſolum exceſſum reſtituere. 21.
Quoad pecuniam taxatam à Patre filio pro ludo eodem modo de filio diſcurrendum eſt in ordine ad ludos vetitos, ac de alijs. 22.

Diſquiſitio IX. Expoſuit filius familias ſub poteſtate Patris conſtitutus ludo plurima bona, quæ poſtea amiſit. Quæſitum hic fuit, an ſic exponendo inſcio patre peccauerit, & an victor repetente, vel eodem filio, vel Patre teneatur ſic lucrata reſtituere? 1 Facti expoſitio.

Plurima circa propoſitum titulum ſunt conſideranda. Primum ratione materiæ, quam ludo exponit, an ſcilicèt bona, quæ exponit, ſint bona paterna, pleno iure pertinentia ad Patrem, tam quoad dominium, quàm quoad vſumfructum, & adminiſtrationem, an vero ſint bona pleno iure pertinentia ad eundem filium, cuiuſmodi ſunt bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, an vero ſint bona, quæ quoad dominium pertineant ad filium, & quoad vſumfructum ad Patrem, cuiuſmodi ſunt omnia acquiſita à filio, vel per hęreditatẽ, vel per induſtriam, vel etiam per ludos; quæ dicuntur bona aduentitia, an tandem bona, quæ pleno iure pertinent ad Patrẽ, tam quoad proprietatem, quàm quoad vſumfructum, ſed quoquomodo intelliguntur

2 Nonnulla cõſiderãda circa factum.

Digitized by Google

guntur aſſignata filio, qualia ſunt bona profectitia. Secundum ratione qualitatis, & conditionis eiuſdem filij, an ſcilicèt fuerit pubertatē ingreſſus, an verò adhuc impubes, an talis, vt ratione proprij ſtatus conueniant eidem congruæ recreationes, quales conſiſtunt in ludis, & quales alijs filijs ſimilis conditionis regularitèr conceduntur, an talis, vt ratione ſui ſtatus tales recreationes non competant; an viuat in domo paterna, vel extra domum paternam, vel in curia Principis, vel in ſcholis cauſa ſtudiorum. Tertium ratione ſubiectionis ad Patrem ludat, ſeu luſerit Patre ſciente, & non repugnante, an vero patre contradicente. Quartum ratione modi, an ſcilicèt illa bona exponat, ſeu expoſuerit ludo vetito, & à iure interdicto, an vero ludo non prohibito, ſed licito, & honeſto. Quibus pro notitia ſuppoſitis

Reſpondeo primo, filius familias, ſi ludo expoſuerit bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, eaque amiſerit, nec grauitèr peccauit, nec talia bona ſunt eidem reſtituenda, niſi ludus fuerit vetitus, vel niſi

3 ratione ætatis eorum non habuerit administrationem. *Silueſter verb. ludus qu. 11., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 26. dub. 5. n. 34., & alij communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quia filius familias, quoad huiuſmodi bona, non computatur, vt talis, ſed eſt ſui iuris, ac ſi eſſet plenè emancipatus à Patre, & alter quicunque Reipublicæ ciuis; ſed Reipublicæ ciues, quiq; ſunt emancipati a Patre poſſunt ſua bona ludis non vetitis exponere, ſicuti alijs commertijs fortuitis, & ſi illa amiſerint, non habent ius amplius repetendi, ergo idem dicendum eſt de filio familias in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia.

Filius familias, ſi amiſerit caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia non ſunt ei reſtituenda.

Dixi primo, *niſi ludus fuerit vetitus*, quia tunc iuxta ſuperius dicta, ſicuti quicunque

4 alius poteſt eludere actionem agentis per exceptionem, quando nondum perſoluit id, quod in ludo amiſit, & per actionem in iuditio repetere id, quod iam ſoluit, ita hoc poteſt præſtare filius familias in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia per actionem repetitionis, quando iam ſoluit, vel per exceptionē, quando adhuc non ſoluit.

Niſi ludus fuerit vetitus.

Dixi ſecundo, *vel niſi ratione ætatis eorum*

5 *non habuerit adminiſtrationem*, quia tunc ratione indeliberationis, & iuditij non perfecti non poteſt de ſuis bonis diſponere, & per conſequens, nec ea ludis exponere, & tunc Pater in ordine ad talia bona computatur, vt tutor, & curator eiuſdem filij, & ſicuti prodigus, & demens ratione prodigalitis, & imperfecti iudicij non poteſt bona ſua alienare, & ſi alienauerit, ſunt eidem reſtituenda, quantumuis ſit plenè dominus illorum bonorum, vt ſunt vulgatiſſima iura., ita filius familias, qui defectu ætatis non conſecutus fuerit plenum iudicium, nec adminiſtrationem bonorum ſuorum caſtrenſium, ſeu quaſi caſtrenſium non poterit eadem ludo alienare, & ſi alienauerit, erunt eidē omni iure reclamante reſtituenda; vndè merito omnia iura clamant minores, & pupillos non ſe obligare in præiuditialibus alijs, quamuis in fauorabilibus poſſint alios ſibi obligare *Inſtit. de auct. tut. Inſtit. de inutil. ſtipulat. §. pupillus cum alijs concordantibus*.

Vel niſi eorum ratione ætatis non habuerit adminiſtrationē.

Reſpondeo ſecundo, filius familias regularitèr loquendo non poteſt exponere ludo bona ſua aduentitia abſque conſenſu 6
Patris, quod ſi expoſuerit, & perdiderit, pater poteſt eadem repetere. Conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 26. dub. 5. n. 35., & alij communitèr*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia filius familias quoad eadem bona, nec habet adminiſtrationem, nec vſumfructum, cum vtrumque maneat apud Patrem, quouſque ipſe vixerit, ſed dumtaxat dominium directum, ergo obſtante vſufructu, & adminiſtratione Patris non poterit ipſe filius ſine conſenſu Patris de illis diſponere, nec ludis exponere, ſecus præiuditium Patri inferret quoad vſumfructum, & adminiſtrationem. Ratio ſecundæ partis, quæ eſt contra *Molinam tract. 2. de iuſt., & iur. diſput. 519.* ex eodem ferè principio deducitur, quia Pater ius habet in re illa ratione vſuſfructus, & adminiſtrationis, ne cōtra ipſius voluntatem alienetur, ergo, ſi fuerit alienata, poterit ratione iuris, quod habet eandem reuocare, cum non ſit ſuo iure inuitus ſpoliandus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum filius familias habuerit dominium in re illa, potuerit illud in colluſorem transferre, & ratione eiuſdem poſſit victor iure retentionis nolle rem illam dimittere, potiſſimum cū ratio dominij ſit fortior, quam ratio adminiſtrationis, & vſusfructus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illud dominium rei aduentitiæ, quod dicitur eſſe in filio, ſit alligatum Patri ratione adminiſtrationis, & vſuſfructus, non potuit per eundem filium transferri in præiuditium eiuſdem Patris, & cum Pater habeat vſumfructum, & adminiſtrationem in re illa quouſque vixerit in ordine ad talem vſumfructum vtique poteſt illam reuocare.

Non poteſt exponere bona aduētitia

Obſtante vſufructu Patris.

Sed hic oritur difficultas, an Patre reuocante rem illam, quam victor in ludo acquiſierat a filio familias, vel ipſe filius teneatur de euictione ex rebus ſuis, quam primum commodè poſſit, vel dominium

eiuſdem rei, quod erat in filio ante ludum, remaneat in victore poſt ludum, quatenus retineat ius in eadem re, quod prius habebat filius, adeò vt mortuo Patre non ipſe filius in eadem re debeat ſuccedere, ſed ipſe victor ratione iuris acquiſiti ex ludo? Hæc difficultas examinari poteſt, vel ſiſtendo in iure naturali, quoad obligationem purè naturalem indè conſurgentem, vel ex iure poſitiuo communi quoad obligationes etiam ciuiles, vel ex iure municipali. Siſtendo in iure merè naturali arbitror filium familias ex illo contractu fortuito obligari naturalitèr, adeoque facta reuocatione illius rei amiſſæ per Patrem obligari naturalitèr de euictione erga ſuum victorem, cui rem illam tradiderat. In hanc partem aſſertionis noſtræ arbitror propendere quotquot ſu-

7 **Filius naturalitèr in ea hypotheſi obligatur de euictione.**

ſtinent filios familias in contractibus priuata auctoritate initis obligari naturalitèr, *Nauarrus lib. 4. conſ. de Sponſal. conſ. 39. nu. 11.*, *Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 38. n. 21.*, *Antonius Gomez de reſtit. min. nu. 1.*, *Lopez 1. part. c. 124*, *Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 224.*, *Corduba in ſumma q. 155.*, Ratio ex eo deducitur, quia filius familias ex ſuis contractibus obligatur naturalitèr, quod multis euincitur, & primo, quia fideiuſſores minorum, & filiorum familias pro eorum contractibus obligantur ciuilitèr *l. fin. ff. de iure iur.*, *& l. Marcellus ff. fideiuſſoribus*, ergo ex ijdem minores, & filij familias obligantur ſaltem naturalitèr, nam deficiente principali obligatione non poteſt ſubſiſtere acceſſoria, ergo, vt ſubſiſtat acceſſoria, debet principalis ſaltem naturalitèr obligari *l. cum lex ff. de fideiuſ., & mandat.*, *& l. naturalitèr ff.* de cō-dit. indeb. Secundo liquet *ex l. ſi pupillus ff. ad leg. falcid.*, vbi dicitur pupillum ex mutuo accepto obligari naturalitèr. Tertio deducitur *ex l. 1. ff. de nouat.*, vbi dicitur pupillum ex promiſſione naturalitèr obligari, & ex alijs pluribus concordantibus, ergo, cum remaneat ex illo ludo obligatus naturalitèr verſus ſuum victorem re amiſſa per parentem reuocata naturaliter tenebitur de illa euictione. Loquendo vero de iure poſitiuo communi arbitror non obligari ciuilitèr ad illam euictionem, ſi

8 **De iure communi poſitiuo non obligatur ciuilitèr ad illam euictionem.**

Pater rem amiſſam reuocauerit. Eſt contra *Leſſium lib. 2. de iuſt., & iur. c. 26. dub. 5. n. 35.* Ratio ex eo deducitur, quod habetur *Inſtit. de auctor. tut. initio*, *& §. pupillus Inſtit. de inut. ſtipul.*, vbi dicitur, quod minores, & filij familias poſſint validè contrahere in ſuum commodum, non tamen in ſuum incommodum, & meliorem ſuam facere conditionem, deteriorem vero non; Quis autem non videt exponentem ſe periculo ludi, & in eodem amittentem contrahere in ſui incommodum? & deteriorem ſui facere conditionem. Loquendo vero de iure municipali Mediolan. certum eſt non poſſe eos contrahere, & ſi contraxerint, contractum nullius roboris eſſe, & per conſequens nullo modo obligari.

9 **Ex Statuto Mediolani nullo modo obligatur.**

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam in multis caſibus poſſunt filij familias bona illa ludo exponere; & primo in caſu, quo filius familias à Patre, vel in aula Principis, vel in Vniuerſitate cauſa ſtudiorum ſuſtentaretur aſſignata in ſingulos annos pro tali ſuſtentatione certa, & determinata quantitate; tunc etenim filius ibidem degens poſſet aliquam particulam ſummæ aſſignatæ in ludo aliquo honeſto inſumere,

10 **Filius familias ex voluntate Patris degens in aula Principis, vel in vniuerſitate cauſa ſtudiorū poteſt quid modicum in ludo honeſto exponere.**

puta quatuor, vel quinque pro centenario *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 5. art. 2.*, *Nauarrus in manual. c. 20. n. 12.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 26. dub. 5. num. 37.*, *Diana parte 7. tract. 9. reſol. 5. verſ. 3.*, *quod filius familias*. Ratio non ſolum fundatur in præſumpta Patris voluntate, ſed etiam in naturali æquitate, & conuenientia, ſecundum quam ad conuenientem victum, & vitam proprio ſtatui pertinet etiam congrua, & honeſta recreatio ætati, & ſtatui non indecora, quæ alijs perſonis ſimilis conditionis regularitèr conceditur.

Secundo in caſu, quo Pater filio degenti in vniuerſitate cauſa ſtudiorum aſſignaret certam, & determinatam ſummam pro ſuis alimentis, alijſque neceſſarijs ad ſui congruam ſuſtentationem ea conditione, & pacto, vt eadem contentus eſſe debeat in ſingulos annos, & filius parcius viuendo aliquid ex illa ſumma ſibi reſer-

11 **Filius in vniuerſitate viuens poteſt aliquid de ſibi aſſignatis pro victu parcius viuendo reſeruare, & ludo honeſto exponere.**

uaret; tunc etenim idem filius poſſet illud reſeruatum ludo non prohibito exponere, & ſi amitteret, nec ipſe, nec eius Pater poſſet à victore repetere *Diana d. p. 7. tract. 9. reſol. 5. verſ. quarto*, *quod quando Pater*. Ratio ex eo deſumitur, quia quando Pater aſſignauit in ſingulos annos illam certam, & determinatam ſummam ea adiecta conditione, & pacto, vt filius eadem contentus eſſe debeat, videtur ea contuliſſe ſub plena diſpoſitione, & libera eiuſdem filij, vt pro ſuo victu, alijſq; congruis pro arbitratu ſuo, & voluntate diſponeret.

Circa hunc caſum oritur difficultas, an ſi filius illud ſibi reſeruatum ludo expoſuerit, & ex illo lucrum aliquod magnum perceperit, poſſit lucrum illud magnum ludo exponere? Videtur abſolutè negandum, quia lucra per ludum a filio acquiſita computantur inter bona aduentitia, quorum adminiſtratio, & vſusfructus pertinet ad Patrem, & cum ſint in magna quantitate non videntur cadere ſub præſumptam voluntatem eiuſdem Patris tacitè concedentis. Nihilominus ad clarius expli-

Digitized by Google

explicandam hanc difficultatem nonnulla videntur conſideranda, & primo, an poſſit illa lucra magna ſic acquiſita in eodem ludo exponere, continuando ſcilicèt primum ludum, ex quo illam quantitatem acquiſiuit. Secundo, an alio ludo ex interuallo, & diſcontinuato à primo exponere poſſit totam illam quantitatem. Tertio, an poſſit ſolum cum eodem à quo lucratus eſt, exponere, an vero etiam cum alijs, à quibus non acquiſiuit. In ordine ad primum conſiderabile iam poſitum arbitror, poſſe filium totam illam quantitatem, quantumuis magnam in eodem ludo continuato exponere. *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 4. dub. 3. n. 23., & 24., Diana p. 7. tract. 9. reſol. 7. verſ. vtrũ vero.* Ratio ex eo deducitur, quia, ex quo ludus ille adhuc perfectus non eſt, abſolutè illa quantitas non eſt lucrum acquiſitum Patri quoad vſumfructum, & adminiſtrationem, tum quia lucrum illud ſolum eſt, quod abſoluto ludo remanet, prout *ex Silueſtro, Angelo, Nauarro, alijſque pluribus*, quos congerit, aſſerit *Sanchez in Opuſ. tom. 1. lib. 1. c. 8. n. 1.*, tum quia æquum non videtur, quod colluſores perſeuerante eodem ludo deſtituantur ſpe recuperandi amiſſum. In ordine ad ſecundum conſiderabile maior eſt difficultas, quia abſoluto eodem ludo iam illud lucrum eſt perfectè acquiſitum, quod propterea cedit Patri quoad vſumfructum, & adminiſtrationem, contra cuius propterea voluntatem, vel eodem inſcio non videtur filius poſſe de eodem diſponere, prout expreſsè ſentit *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 4. dub. 3. n. 24.* Nihilominùs probabilius exiſtimo, poſſe totum illud lucrum etiam interrupto primo ludo cum eodem colluſore, à quo prius acquiſierat, exponere, quod, ſi perdiderit, non poterit amplius, nec ipſe, nec Pater illud repetere *Hurtadus de iuſt. diſp. 8. diffic. 8., Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 4 n. 37., Siluius in 2. 2. D. Thomæ q. 168. art. 3., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 7. verſ. ſed ego prorſus.* Rationem ex eo deduco, quia, cum filius omninò ſponte illud lucrum expoſuerit, non habet ius, ſi amiſerit in alio ludo, illud repetendi, niſi, quatenus ratione vſusfructus, & adminiſtrationis illud erat obligatum Patri, ſed ratione vſusfructus, & adminiſtrationis, nec ipſe, nec eius Pater ex æquitate rationis poteſt illud repetere, ergo &c. Minor probatur, tum quia non videtur, quod Pater poſſit eſſe rationabilitèr inuitus, quod filius ea, quæ acquiſiuit ab vno colluſore, iterum cum eodem exponat ludo, & ſi amiſerit, fiat compenſatio ab eodem colluſore illius, quod prius amiſerat cum eo, quod in vltimo hoc ludo lucratus fuit; ſicuti enim ratione ludi habiti cum filio ab eodem colluſore Pater ſentit illud commodum lucri, ita non debet dedignari de illo incommodo amiſſionis eiuſdem lucri; tum quia, ſicut ipſe Pater ex illo ludo filij nihil amiſit, nam, ſi filius perdidiſſet, Pater non teneretur illud ſoluere, quod perdidit, ita ex illo ludo, nihil videtur lucrari cum abſoluto iure, niſi quatenus ab eodem filio exegerit, & filio prohibuerit iteratam expoſitionem; tum quia, cum aliud Pater non expreſſerit, videtur illum vſumfructũ, qui cæteroqui ad ſe pertineret, eidem filio condonare, potiſſimum cum regularitèr parentes non exigant à filijs ea, quæ ludis fuerunt conſecuti. In ordine ad tertium conſiderabile arbitror etiam probabile, quod nedum cum eo, à quo illud lucrum acquiſierat, poſſit exponere, ſed etiam cũ alijs quibuſcunque *Bannes 2. 2. q. 32. art. 7. fol. 1179. §. reſpondetur, Sanchez in opuſ. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 8. n. 2., & 3., Diana p. 7. tract. 9. reſol. 7. verſ. immo videtur.* Hoc potiſſimum euincunt duæ vltimæ rationes, quæ fuerunt mox adductæ in probatione eorum, quæ dicta ſunt circa ſecundum conſiderabile, præcipuè cum regularitèr Patres non curent de lucris filiorum acquiſitis in ludis, qui propterea cenſentur tacitè illis condonare.

12 Si magnã quantitatem ex illo modico, quod expoſuit, acquiſierit, poteſt ipſam illum ludũ continuãdo exponere.

13 Etiam cũ eodẽ colluſore in alio ludo non continuato.

Intellige, niſi Pater exegerit lucrum, & prohibuerit illud exponi.

14 Etiam cũ alio colluſore.

Tertio in caſu, quo Pater filio familias degenti in vniuerſitate cauſa ſtudiorum, vel in aula Principis ratione negotiorum pro ſua ſuſtentatione mitteret nonaginta, cum cæteroqui ſciret ſufficere octuaginta; tunc etenim filius non ſolum poſſet exponere ludo illa decem ſupra octuaginta neceſſaria ad congruam ſui ſuſtentationem, ſed etiam, ſi parcius viuendo aliquid ſibi ſubtraxerit, illud, quod ſubtraxit, *Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 31. ſect. 2. §. 1. n. 20., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 5. verſ. quinto, quando Pater.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, cum Pater non ignoret ſufficientes eſſe ad congruam ſuſtentationem octuaginta, & nihilominùs remittat nonaginta, tacite videtur remittere illum exceſſum, vt filius illum expendat ad ſuum beneplacitum in congruas etiam recreationes, ergo poterit filius ex præſumpta voluntate Patris illum etiam ludo congruo, & honeſto exponere. Ratio ſecundæ partis deſumitur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, quia ſcilicèt parentes taxando illam quantitatem pro ſuſtentatione filij, illamque ipſi tradendo ad illum effectum videntur ſolummodo velle, quod filius nil amplius poſſit exigere, cæterum non videntur velle, quod, ſi filius parcius viuendo aliquid de illa ſumma reſeruauerit, teneatur illud reſtituere, ſed poſſit illud ſibi retinere, de

15 Si Pater aſſignarit nonaginta pro filio degenti in vniuerſitate ſciens ſufficere octuaginta, poteſt hic inſumere decem, & id quod ſubtraheret ex ſuo decẽti victu

eoque

Digitized by Google

eoque pro ſua libertate diſponere. Hinc rem extendendo infert *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 4. dub. 2. n. 7.*, quod, ſi filius familias de ſumma ſibi taxata, & miſſa à Patre pro congrua ſua ſuſtentatione magnam quantitatem in ludis exponat, ità tamen, vt ex reliquo ſuſtentetur, nec aliud à Patre exigat pro tali ſuſtentatione, non teneatur ad reſtitutionē pro ea parte, quia parentes taxantes talem ſummam pro congrua filij ſuſtentatione videntur contuliſſe cum pleno iure in eundem filium, vt tali taxa ſit contentus, nec aliud poſſit exigere; cæterum diſponat pro ſui libertate.

16
Acquiſitū propriâ induſtria poteſt illud in moderata quâtitate ludo exponere.

Quartò in caſu, quo extrà domum paternam degens aliquid ſuo labore, & induſtria acquireret, tunc etenim, vt aſſerit *Diana d. part. 7. tract. 9. reſol. 5. verſ. ex his infertur*, poſſet illud, ſi eſſet moderatum, vel in moderata quantitate exponere, quinimmo, etiam ſi in domo paterna degeret, & quid amplius ſuo labore, opera, & induſtria acquireret, quam expendat Pater in eius alimentis, poſſet de illo moderatè diſponere, & etiam ludere. Hæc omnia fundantur in naturali æquitate, & interpretatiua, & præſumpta rationabilitèr voluntate Patris. Quid autem eſſet dicendum, ſi expreſsè conſtaret de voluntate formali patris, vt filius nil penitus ludo exponeret? Quidquid alij docuerint, arbitror probabilius eſſe, poſſe adhuc filium ludere moderatè, quantum eius ætas, & perſonæ qualitas poſtulat, & ſi amiſerit, nec ipſum, nec eius Patrem poſſe repetere amiſſum. Conueniunt in hoc *Salas tract. de ludo dub. 10. n. 1.*, *Ledeſma in ſumma tom. 2. tract. 31. cap. 2. concl. 8.*, *Alcozer tract. de ludo cap. 14.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi ludi, ſi ſint moderati, & congrui eiuſdem filij ætati, & qualitati pertinent ad congruum ſtatum ipſius, cui non dedecent honeſtæ, & conſuetæ recreationes; pater autem tenetur alere filium ſecundum congruum ipſius ſtatum, & conferre ea, quæ tali ſtatui conueniunt, vndè eſſet irrationabilitèr inuitus, quod moderatè filius exponat in ludis.

Etiam ſi Pater non annueret.

17
Si filius expoſuerit bona Patris per ipſū inalienabilia, & à colluſore vicerit, tenetur lucrū reſtituere, ſi ille erat neſcius bonorum paternorū.

Hic nonnullæ ſuboriuntur difficultates, quas expono, & currenti calamo diluo. Prima eſt, an, ſi filius familias ludo expoſuerit bona paterna, quæ alienare non poterat, & ex illis lucratus fuerit non modica, poſſet illa ſibi retinere, nec reſtituere victo? Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim ille, à quo lucratus eſt, ignorans erat, quod filius eadem bona non poſſet alienare, vel conſcius erat impotentiæ eiuſdem ad alienandum; Si erat ignarus; ſentiendum eſt, quod filius familias non potuit iuſtè lucrari, & propterea totum lucrum tenetur reſtituere *Lopez 2. part. inſtruct. conſcient. c. 16. §. porro circa ea*, *Sanchez lib. 7. moral. c. 19. n. 86.*, *Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 4. n. 36.* Ratio in eo fundatur, quia ius retinendi, & non reſtituendi, nec poteſt habere vim ex contractu, nec ex donatione; non ex contractu, qui cum ſit fortuitus exigit æqualem vtriuſque contrahentis conditionem, ne manifeſta inuoluatur iniuſtitia; non eſt autem æqualis conditio, vbi alter poteſt acquirere, & non perdere, alter vero poteſt perdere, & non acquirere; tum quia, ſi filius familias amitteret, poſſet amiſſum recuperare, cum id, quod perdidit, non eſſet ſub ſuo dominio, & poteſtate, ergo non eſt, cur ſi alter colluſor cum ipſo perdiderit, non poſſit perditum repetere. Non ex donatione, quia donatio debet eſſe omninò libera, & voluntaria; non poteſt autem eſſe libertas, & voluntarietas, vbi non eſt cognitio. Si alter colluſor erat conſcius, quod filius familias non poſſet alienare, nonnulli arbitrantur non teneri filium reſtituere id, quod ab eodem acquiſiuit; atque ità ſentire videntur *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 4. dub. 2. num. 13.*, *Nauarrus in man. c. 19. n. 11.*, *Angelus verb. ludus nu. 8.*, *Silueſter eod. verb. q. 17.*, *Diana part. 7. tract. 9. reſol. 8.*, qui tamen probabiliorem exiſtimat contrariam ſententiam. 18
Mouentur potiſſimum ex motiuo præſumptæ donationis; nam ex eo, quod alter colluſor optimè nouerit filium familias non poſſe bona, quæ exponit, alienare, & nihilominùs cum ipſo voluit ludere, intelligitur libere voluiſſe concedere eidem, quæ fortè ex ludo acquiſierit; nec in hoc vlla interuenit iniuſtitia; nam ſcienti, & conſentienti nulla fit iniuria. Nauarrus videtur vltrà titulum donationis recognoſcere etiam aliquod ius non reſtituendi ex contractu, quod deducit *ex §. pupillus Inſtit. de inutil. ſtipul.*, vbi dicitur, quod contractus factus cum minore, aut Eccleſia valet in alterius præiudicium, non autem in præiudicium minoris, aut Eccleſiæ. Nihilominùs non ità facilè præſumerem de donatione, niſi aliæ concurrerent circumſtantiæ, & adminicula, quæ animum donandi in colluſore manifeſtè indicarent, vt ſi colluſor eſſet maximè coniunctus cum eodem filio familias non ſolum ſanguine, ſed etiam amicitia, beneuolentia, & familiaritate, & in moderata quantitate ludat, quam quantitatem alij ſimilis conditionis ſoleant libere conferre ità coniunctis, vel libere abſolutè, vel ſuppoſita conditione victoriæ in ludo. Ratio autem ex eo

Si colluſor fuerit conſcius, quod illa bona ſint Patris, & non alienabilia, & amiſerit cum filio poteſt amiſſū repetere.

deſu-

Digitized by Google

Intellige, niſi ex alijs adminiculis præſumatur donare.

deſumitur; quia non eſt præſumendum de donatione, vbi interuenit propriè contractus, & vbi clare non liquet de voluntate donantis; Neque dicas de tali voluntate conſtare ex eo, quod colluſor nouerit ſe ex illo contractu nihil poſſe acquirere, & nihilominùs res ſuas expoſuit, quod incongruè præſtitiſſet, niſi animum habuiſſet libere transferendi in eundem filium ſuppoſita conditione victoriæ in eodem; Contrà enim impugnaberis, quia illa expoſitio rei ſuæ per colluſorem cum filio familias indiferens eſt, vt coniungatur, vel cum illo animo donandi, vel cum animo ſumendi cum eodem filio præciſè recreationem ex illo ludo; ſtante autem illa indiferentia potius præſumendum eſt pro ſecundo animo, quam pro primo, cum nemo præſumatur facilè res ſuas donare. Ad illud, quod ſubdebatur *ex §. pupillus Inſtit. de inutil. ſtipul.* dicendum eſt, per illum textum ſolum indicari, quod in fauorabilibus minores, & Eccleſias alios ſibi obligent, quando aliundè, quam ex minoritate non prouenit iniuſtitia contractus, ſecus autem, quando aliunde, quam ex tali titulo apparet iniuſtitia, vt in caſu noſtro, in quo elucet manifeſtè ex inæqualitate vtriuſque contrahentis.

Secunda eſt, an, ſi filius familias ex expreſſa, vel tacita voluntate Patris habeat facultatem exponendi ſingulis annis tot, & non plura honeſtæ recreationis cauſa, & totam illam quantitatem ſemel in vnico ſolum ludo expoſuerit cum animo non amplius ludendi, ſi illam expoſuerit, & de facto amiſerit, teneatur victor illam reſtituere, an verò poſſit ſine alia inquiſitione retinere? Nonnulli apud *Sanchez in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 7. n. 6.* arbitrantur victorem in ea hypotheſi nō poſſe retinere totam illam quantitatem, quam in illo ludo acquiſiuit, qui ea ratione mouentur, quia totum ius, quod habet filius eam quantitatem exponendi fundatur, vel in expreſſa, vel in præſumpta voluntate Patris; voluntas autem
19 Patris non eſt, vt vnico iactu, vel vnico ludo tota illa quantitas exponatur, ſed vt ex illa ſucceſſiuè filius per totum annum recreetur. Nihilominùs alij arbitrantur inter quos *Sanchez in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 7. nu. 7., Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 32. ſect. 2. §. 1. n. 22., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 10.* victorem poſſe retinere totam illam ſummam, quia ex vna parte Pater illam ſummam, vel tacitè, vel expreſſè contulit pro ludo; ex alia ipſe filius poteſt cedere iuri ſuo ad congruam illam recreationem pro reliquo illius anni; & ſicuti ipſe filius familias ex bonis ſibi remiſſis, & taxatis à Patre, quando eſt abſens cauſa ſtudiorum, ad congruam ipſius ſuſtentationem poteſt cedere illi congruæ ſuſtentationi parcius viuendo, illudque, cui parcit, ſibi retinendo, vel exponendo in ludis, ità non video, cur non poſſit congruæ illi recreationi ſucceſſiuæ cedere, & ſic ſubtractum ſibi retinere, vel vnico ludo abſumere?

Si ex Patris volūtate poſſit ſingulis annis certā quantitatē exponere, & totā vnico ludo expoſuerit, & amiſerit, non tenetur victor eam reſtituere.

Tertia difficultas eſt, an, ſi filius familias habens taxatam certam quantitatem à Patre, qua poſſit per annum recreationem ſumere in ludis honeſtis, eandem ſemel in ludo expoſuerit, & amiſerit, & poſtea cum alijs ex conſuetudine, quam habebat, luſerit, & aliud à taxata ſumma perdiderit, poſſit, qui ſecundo lucratus eſt, lucrum illud retinere, & non reſtituere? Cum diſtinctione reſpondendum eſt; vel etenim ille, cum quo filius familias poſt amiſſionem totius illius ſummæ ſecundo luſit, & perdidit, conſcius erat, vel de facili poterat certiorari de priori illa amiſſione, vel penitus ignarus, nec de facili certiorabilis; Iuxtà primum membrum diſtinctionis arbitror eum, qui ſecundo vicit, teneri reſtituere, eo quia optimè nouerat eum non poſſe amplius ludere, nec habere ius ad aliquid vlterius exponendum ludo, vndè debet ſibi imputare, quod luſerit cum eo, à quo ſciebat non poſſe acquirere; niſi fortaſſis nouerit eundem filium familias illud, quod de nouo exponit, ſubtraxiſſe à congrua ſui ſuſtentatione parcius viuendo, quia ex 20
præactis illud poteſt exponere; Iuxtà ſecundum membrum diſtinctionis ſentiunt *Sanchez, & Cardinalis de Lugo loc. cit.* poſſe victorem illud lucrum ſibi retinere, eo quia melior eſt conditio poſſidentis, & *Diana d. reſol. 10. verſ. dicendum eſt igitur* arbitratur durum nimis eſſe in illo dubio obligare victorem ad reſtituendum, quia cæteroqui, ſi vnum tantum aureum lucratus fuiſſet, teneretur illum reſtituere ob dubium, quod fortè prius totam ſummam taxatam amiſiſſet. Nihilominùs probabilius arbitror agente Patre ad cōſecutionem illius lucri, & probante antecedentèr totam illam ſummam taxatam filium amiſiſſe, teneri victorem reſtituere, niſi forte lucrum, quod acquiſiuit ſit ex ijs, quæ filius parcius viuendo ſubtraxit à congrua ſui ſuſtentatione. Rationem ex eo deduco, quia re vera illud, quod filius familias ſecundo expoſuit ludo poſt amiſſionem totius ſummæ taxatæ, non erat ſub dominio, & ſub poteſtate eiuſdem filij, ſed abſolutè ſub poteſtate Patris, & reſpectu filij erat æs alienū, nec poterat illud habere ex præſumpta volun-

Si filius familias amiſerit totā quātitatem à Patre taxatam in vno ludo, & deindè aliā amiſerit poteſt Pater illā quantitatē ſecundo amiſſam repetere.

Digitized by Google

voluntate Patris, cum eius voluntas expreſſa eſſet contraria, ergo colluſor non potuit iuſtè illud acquirere, cum ſemper tranſierit cum titulo alienitatis rei; nec obeſſe poteſt, quod ipſe colluſor acquiſierit cum bona fide arbitrans eſſe ex bonis, quæ filius poterat ludo exponere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia etiam ſi in alio contractu quis rem bona fide emerit à non Domino conſtante de alienitate rei eandem tenetur vero Domino reſtituere, & ignorantia alienitatis rei ipſum quidem excuſat à peccato, non tamen eximit ab onere reſtitutionis, ergo etiam in contractu fortuito fortunę aleæ, quantumuis colluſor bona fide acquiſierit conſtante de alienitate rei, & de negatione poteſtatis in ludente ad transferendum tenebitur victor Domino, ſeu Patri agenti reſtituere, nec ipſum excuſabit dubium, ſeu ignorantia, vndè debet proprio infortunio imputare, quod cum illa ignorantia contraxerit, ſicuti debet ſibi, & proprio infortunio imputare emptor, quod rem emerit à non Domino, nec vim aliquam facit argumentum adductum pro contraria ſententia, quod ſcilicèt in dubio melior ſit conditio poſſidentis; non, inquam, vim aliquam facit in primis, quia hac ratione etiam emptor bonæ fidei non teneretur reſtituere, quia diceretur poſſidens. Deindè, quia ſic acquirens non dicitur propriè poſſidens, ſed ad ſummum detinens, & vtique contrà voluntatem Domini.

21 Quarta difficultas eſt, an, ſi filius familias habens taxatam à Patre certam, & determinatam quantitatem, quam poſſit ludo exponere, & non aliud, & vltrà illam quid aliud expoſuerit, & perdiderit, teneatur victor totam illam quantitatem reſtituere, quam lucratus eſt, an verò ſolum exceſſum ſupra illam quantitatem, quam poterat ludere? Arbitror probabilius eſſe teneri ſolum exceſſum reſtituere *Sanchez in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 7. n. 7., Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 32. ſect. 2. §. 1. num. 23., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 10. verſ. nota tamen hic obiter*, quidquid ex aduerſo ſenſerint *Alcozer lib. de ludo c. 10. Medina C. de reb. reſtituen. q. 10.* volentes totum contractum reddi vitioſum. Ratio ex eo deducitur, quia conſenſus, & voluntas ludentium eſt abſolutè ad transferendum, & acquirendum ſecundum quod contigerit in tali ludo, & in quantum extenditur eorum poteſtas, ergo ſecundum eam quantitatem, ad quã poteſtas extenditur, intelliguntur abſolutè transferre, quod, ſi in parte excedente valide non transferant, nec acquirant, hoc eſt defectu poteſtatis, ſicque in ordine ad id, ad quod eſt poteſtas, aliquid non deeſt, quo minus tenere non debeat traslatio, & acquiſitio, cum voluntas non deſit, nec poteſtas, & in hoc valet regula, quod vtile per inutile non vitietur per textum *in l. actus ff. de reg. iur.*

Si quid amiſerit filius ſupra taxã tenetur victor ſolũ exceſſum reſtituere.

Reſpondeo tertiò, ſi filius familias, vel ea, quæ ex tacito, ſeu expreſſo conſenſu Patris habuit ad congruam ſui recreationem, vel alia quoquo iure ſibi competentia ludo vetito a iure expoſuerit, & amiſerit; tunc de eodem diſcurrendum erit eo modo, quo ſupra diximus de alijs omnibus, qui in huiuſmodi ludis amiſerint; vel etenim huiuſmodi iura prohibentia intelliguntur abolita per contrariam conſuetudinem, & ſic non poterit ipſe filius familias, nec eius Pater ea repetere, ſicuti non poteſt repetere ea, quæ ludo honeſto expoſuit, in eoque amiſit, cum in ordine ad ea, vel ex proprio iure, vel ex præſumpta voluntate Patris ius habeat exponendi; vel huiuſmodi iura vetant dumtaxat, & non irritant, concedunt tamen repetitionem, & tunc amiſſum poterit repetere in iudicio per actionem, non autem per compenſationem tacitam extrà iudicium per ea, quæ ſupra commendauimus; vndè, ſi luſerit, & amiſerit, non tamen adhuc ſoluerit, non poterit cogi ad ſolutionem, quia actionem poterit elidere per exceptionem. 22

Quoad pecuniã cõceſſam à Patre filio pro ludis in ordine ad ludos vetitos eodem modo diſcurrẽdum eſt de filio familias, ac de alijs.

Ex quibus omnibus poteris deducere, quod ea, quæ dicta fuerunt in præcedentibus, ſiue quoad poſſe exponere ludis, ſiue quoad non poſſe, intelligenda ſint, ſiue de bonis profectitijs, ſiue de aduentitijs, ſiue de ijs, quæ pleno iure pertinent ad eundem Patrem ſubintelligendo iuxtà præſumptiones, ſecundum quas intelligatur Pater tacite conſentire, vel non conſentire. Quod, ſi ſupponatur, quod Pater dicat mere ſe non intendere, quod filius ludat, hoc intelligendum erit quoad ludos immoderatos, & in nimia quantitate non autem quoad moderatos, & in congrua quantitate propriæ ætati, & conditioni conuenientes, nec Pater intelligitur poſſe eſſe quoad hoc irrationabilitèr inuitus, vt ſupra *Sanchez in opuſcul. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 7. n. 5., Hurtadus de iuſt. diſp. 8. difficul. 8. Diana d. reſol. 10.*

Corrollaria ad ſupradicta.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

An ſint reſtituenda vxori ea, quæ per ludum amiſit inſcio, aut inuito marito.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.

Inſcio marito, & inuito regularitèr vxor non poteſt bona eiuſdem mariti exponere, nec bona dotalia, & ſi amiſerit, tenetur victor reſtituere. 2.

Excipiuntur nonnulli caſus, & exponuntur. 3.

Bona propria patrimonialia, & paraphernalia de iure communi poteſt exponere. 4.

Secus de iure municipali in aliquibus regionibus. 5.

1 *Factum expoſitū.* DIſquiſitio X. Vxor recreationibus dedita plurima ludis expoſuit, quæ etiam amiſit, & hæc vtique inſcio, & inuito marito. Quæſitum hic fuit, an victores in ludo teneantur eadem bona ſic lucrata, vel eidem vxori, vel marito reſtituere, ſiue ipſo iure, ſiue iure actionis tantum in iudicio per ſententiam. Pro ſolutione

Diuerſa bona de quibus poteſt procedere titulus. Aduerto bona, quæ potuit vxor exponere in ludis, vel eſſe bona propria mariti, cuiuſmodi ſunt bona patrimonialia eiuſdem, vel bona communia vtriſque, qualia ſunt bona, quæ communi ſocietatis nomine poſſidentèr, vel bona dotalia eiuſdem vxoris, quæ quoad proprietatem ad ipſam pertinent, quoad vſumfructum verò, & adminiſtrationem ad maritum, vel tandem bona paraphernalia, vel patrimonialia eiuſdem vxoris, quæ data non fuerunt in dotem marito, ſed quoad plenum ius eidem vxori reſeruata. Quoad hæc omnia in præſenti dirimendus eſt titulus propoſitus.

2 *Nequit bona mariti, nec dotalia exponere ludo inuito marito.* Reſpondeo primò, regularitèr loquendo vxor inſcio, & inuito marito non poteſt bona propria eiuſdem mariti ludo exponere, nec item bona dotalia, & communia, & ſi expoſuerit, & perdiderit erunt à victore reſtituenda. Conueniunt in hoc ferè omnes; nec difficilis eſt probatio, quandòquidem quoad eadem bona, vel nec vxor habet dominium, nec vſumfructum, vel ſi habet dominium, non habet nec vſumfructum, nec adminiſtrationem, ergo eadem non poteſt alienare inſcio, & inuito marito, quandòquidem fieret inuito Domino, vel habente ius in illa re, adeòque nec ludo exponere.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam in multis caſibus ex præſumpta voluntate mariti, vel eadem ſaltem non rationabilitèr inuita poteſt aliqua bona vxor moderatè exponere; ſicuti enim ad honeſtam recreationem, & proprio ſtatui conuenientem poſſunt filij bona patris exponere, ità non eſt, cur nequeat vxor ſeruatis illis conditionibus ad congruam ſui recreationem ſimilia bona mariti, vel communia honeſto ludo exponere præcipuè, cum pro tempore conſtantis matrimonij vxor, vtpotè ſocia mariti videatur maiorem adminiſtrationem habere, ac habeant filij. Si autem inquiras quantam, ſeu quamnam quantitatem bonorum mariti, vel communium vxor exponere inconſulto marito; crederem non poſſe certam regulam præſcribi; opportunius talem quantitatem regulandam eſſe ad normam eorum, quam aliter vxores ſimilis conditionis, tam quoad ſtatum, quàm quoad facultates obſeruant, ſolentque in ſimilibus inſumere, prout docent *Dicaſtillus lib. 2. de iuſt. tract. 18. diſp. 5. dub. 9. n. 59. & ſeqq., Hurtadus de iuſt. diſp. 8. diffic. 8. Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 4. n. 34., Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 520., Nauarra de reſtit. lib. 2. c. 2. part. 2. dub. 6. n. 87.* 3 *Excipiuntur nonnulli caſus.*

Exponuntur eiſdē caſus. In particulari autem poteſt vxor ludo exponere, primo ea, quę maritus expreſsè ei concedat, vt eas pro libito expendat. Secundo ea, quæ maritus eidem vxori concedit, vt ornatior, & comptior procedit, ſi ipſa reſtrictius viuendo aliquid ſubtrahat, quod certè non eſt, cur nequeat exponere, poteſt enim illam pompam commutare in alias congruas, & honeſtas recreationes. Tertio ea, quæ maritus libere concedit, vt ludis exponat. Quarto ea, quæ ſua priuata induſtria, & labore acquirit poſt præſtita marito, & domui debita, & conſueta obſequia. Hæc omnia habet *Molina d. tract. 2. de iuſt. diſp. 520., Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 28. difficul. 3. nu. 3., Carpenſis in curſu Theolog. tom. 2. tract. 18. diſp. 8. ſect. 3. n. 20., Azorius part. 3. lib. 5. c. 26. q. 10.*

Reſpondeo ſecundò, Vxor bona patrimonialia ſua propria non data in dotem marito, & item paraphernalia poteſt ludo exponere, quantum eſt de iure communi *Hurtadus de iuſt. diſp. 8. difficul. 8., & alij communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quia de iure communi vxor quoad huiuſmodi bona habet plenum dominium, vſumfructum, & liberam adminiſtrationem independentèr à marito, ergo ſicut poteſt libere de illis diſponere, poterit etiā donare, vel ſimplicitèr, vel ſub conditione victoriæ in ludo reportatæ. Confirmatur, quia vxori, qua vxor eſt, non in- 4 *Bona patrimonialia nō data in dotē, & paraphernalia poteſt de iure communi exponere.*

Digitized by Google

interdicitur propriè ludus, niſi in quantum non habet bona, quæ poſſit libere exponere, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, habet bona per ſeipſum alienabilia independentèr à voluntate mariti, ergo &c.

5 Dixi, *quantum eſt de iure communi*, nam in aliquibus regionibus vrgent ſtatuta, ſeu iura municipalia ſecundum, quę contracto matrimonio intelligitur contracta ſocietas omnium bonorum inter maritum, & vxorem, in qua ſocietate intelliguntur comprehendi omnia bona, ex quocunque titulo proueniant, ſiue marito, ſiue eidem vxori, & propterea quæcunque bona, ſiue paraphernalia, ſiue patrimonialia vxoris, & quæcunque etiam bona mariti intelliguntur communia de quibus propterea idem dicendum eſſet, ac de cæteris bonis communibus.

Secus de iure municipali in aliquibus regionibus.

§. XI.

An acquiſita in ludo per fraudes, deceptiones, & ob maiorem peritiam ſint reſtituenda.

SVMMARIVM.

Exponitur factum ſecundum ſuas rationes dubitandi. 1.

Si deceptio fuerit primi generis non obligat ad reſtitutionem, ſecus verò. 2.

Si alter plura puncta accuſauerit, ac habeat, & hac ratione lucratus fuerit, cæteroqui amiſſurus tenetur nedum lucrum reſtituere, ſed aliud etiam æquiualens. 3.

Si quis fraudibus vſus fuerit chartas notando, vel quid ſimile efficiendo tenetur lucrum reſtituere, & id quod alter lucratus fuiſſet. 4.

Si quis ſe conſtituerit in loco, in quo data opera viderit alterius chartas tenetur lucrum reſtituere. 5.

Si quis ſecreto admonitus ab extante de ſtatu alterius ſponſionem acceptarit cæteroqui non acceptaturus tenetur lucrum reſtituere, ſi vero erat etiam non admonitus acceptaturus non tenetur, ſi verò anceps erat ante admonitionem tenetur ſolum pro parte reſtituere. 6.

Si aduerterit ex erronea punctorum numeratione quam decipi, & ipſe lucratus ex eo fuerit tenetur lucrum reſtituere. 7.

Non tamen tenetur vltra lucrum tantundem tradere. 8.

Si quis doloſè primam manum ſurripuerit, & inde lucrum acquiſierit tenetur, & lucrū, & tantundem reſtituere. 9.

Si quis chartas nouerit, non quia fraude ſignauerit, ſed ex nimia ſua peritia altero non cognoſcente tenetur reſtituere id, in quo lucratus eſt. 10.

Si alter ex colludentibus habeat longe maiorem peritiam non cognitam ab altero, & inde lucratus fuerit, tenetur illud reſtituere, quod lucratus eſt dempto aliquo pro ratione periculi. 11.

Si minus peritus nouerit maiorem peritiam alterius, & luſerit, & amiſerit non poteſt lucrum repetere. 12.

DIſquiſitio XI. Colluſores fraudibus, & deceptionibus in ludo ſe conuenerunt, ex quo decipientes conſecuti ſunt lucrum. Rurſus alter ex colludentibus nimium excedebat in arte ludendi alterum, cum quo ludebat, ratione cuius peritiæ victoriam cum pluribus bonis reportauit. Quæſitum hic fuit, an decipientes ratione deceptionum, & peritiores ratione peritiæ teneantur ad reſtitutionem eorum, quæ acquiſierunt. 1

Factum expoſitū.

In ordine ad deceptiones aduertendum eſt has poſſe eſſe in duplici quaſi differentia; alias quæ conſiſtunt in quibuſdam ſimulationibus, quæ præcisè tangunt artem ludentis abſque eo, quod tamen ſibi non vſurpet aliquid, quod ipſi non contingit in ludo; hocque in pluribus caſibus poteſt euenire; primo in caſu, quo ſciens ſe habere inferiores chartas, ſimulet ſe habere potiores, & augeat ſponſionem, vt alter perterritus recuſet acceptare ſponſionem, & relinquat ipſi, quod antecedentèr ad illam ſponſionem appoſitum erat; Secundo in caſu, quo ſciens ſe meliorem ludum habere metum ſimulet, & formidinem, vt aduerſarius audacior factus ſponſionem augeat, qua deinde acceptata per ſimulantem talem metum maius lucrum acquirat. Tertio in caſu, quo certo ſciens ſe meliorem ludum habere, & certo victoriam ſe reportaturum auget ſponſionem, vt quid magis lucretur. Quarto in caſu, quo numerando ſua puncta minora manifeſtat, quam habeat, vt alter inde allectus augeat iam expoſitum, quod acceptando, & vera puncta numerando plenè conſequatur. Quinto in caſu, quo taceat videns aduerſarium plures chartas accipere, quam deberet propter quem exceſſum amittat; alias, quæ non præcisè in ſimulatione animi conſiſtunt, ſed in vſurpatione alicuius, quod meliorem, & certiorem decipientis conſtituat conditionem, vt ſi v.g. maiora ſibi arroget puncta, quam habeat, ſi chartas ſignet, vt poſſit cognoſcere ſtatum aduerſarij, ex qua cognitione poteſt euitare pericula, ſi chartas, quæ ſibi contigerunt,

Deceptiones quomodo poſſint contingere.

Digitized by Google

gerunt, abſcondat, vel fraudulentèr mutet, & his ſimilia. Primæ conſiſtunt potius in artificio, quod legibus ludi videtur promiſſum. Secundæ verò in colluſione, & fraudibus noxijs, vtpotè, quæ tollunt æqualitatem conditionis, & conſtituunt arma inæqualia.

Cōſiderationes in ordine ad maiorem peritiam.

In ordine ad maiorem peritiam conſiderari poteſt, an illa maior peritia fuerit nota alteri colluſori, an vero ignota, & an magis peritus nouerit imperitiam alterius, an vero ignorauerit. Quibus pro notitia, & faciliori tituli diſcuſſione ſuppoſitis.

2 Si deceptio conſiſtat in quibuſdā ſimulationibus ſine vſurpatione alicuius ex parte decipientis non obligat decipientē ad reſtitutionem.

Reſpondeo primò, ſi deceptiones fuerint primi generis non vitiant contractum ludi, nec obligant victorem decipientem ad reſtitutionem lucri inde acquiſiti, ſecus verò, ſi fuerint deceptiones ſecundi generis. Quoad primam partem conſentiunt *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 3. n. 19., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 43., Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 31. ſect. 2. §. 3. n. 34., Hurtadus de contract. diſp. 8. diffic. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia illæ deceptiones impropriè dicuntur tales, & ſunt potius ludendi cautelæ, & artes ludi, quam fraudes, & ex eo, quod ſint in ludo permiſſæ, & regularitèr practicentur, non poſſunt aliquod vitium in ludum ipſum transferre, ergo non eſt, cur quiſque non poſſit eis vti, & quod ex eis lucratus fuerit, detinere. Confirmatur, quia in hac hypotheſi victoria tribuitur habenti meliorem ſortem in punctis non deceptioni, nam, ſi eſſet deceptio, & potiores chartas non haberet, decipiens non lucràretur, & deceptio non conſiſtit ad habendas ſortes meliores modo impropriò, ſed ad excitandum colluſorem, vel ad faciendam, vel acceptandam maiorem ſponſionem illo artificio ſimulationis, ergo cum meliora puncta conſecutus fuerint ſorte, non fraude aliqua non erit, cur lucrari non poſſit, & lucrum retinere.

Secus, ſi deceptio fuerit cū vſurpatione.

Quoad ſecundam partem conſentire videntur in caſibus particularibus quos vnuſquiſque adducit, qui tamen continentur ſub generali regula à nobis adducta *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 3. n. 22., Reginaldus in praxi tom. primo lib. 10. c. 25. n. 385., Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 4. n. 27., Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 517., Trullench. in decalogum tom. 2. lib. 7. c. 27. dub. 2. n. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia ſic decipiens tollit fraudulentèr, & contrà omnes iuſtitiæ leges æqualitatem conditionis ex iuſtitia requiſitam in huiuſmodi contractibus fortuitis, & pugnat cum armis longe ſuperioribus, & excedentibus arma decepti, ergo ille contractus erit omninò vitioſus, & nullius penitus roboris; & hæc inæqualitas non ex ipſa ſorte prouenit, ſed ex dolo decipientis.

3 Si per falſam accuſationem punctorū lucratus fuerit cæteroqui amiſſurus, & lucrū, & æquiualens tenetur reſtituere.

Hinc in particulari deduco primò, quod, ſi decipiens plura puncta accuſauerit, ac verè habuerit, qua colluſione lucratus fuerit cæteroqui non lucraturus colluſore non aduertente teneatur illud lucrum reſtituere, quinimmo, nec ſolum illud lucrum acquiſitum, ſed etiam aliud æquiualens, quod ipſe amiſiſſet, ſi alter deceptus excedebat in punctis *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 2. num. 22. & 27., Alcozer tract. de lud. c. 20. dub. 1., Diana part. 7. tract. 9. reſol 47.* Ratio eſt, quia ſic decipiens non ſolum iniuſtè, & contrà leges ludi acquirit illud lucrum, ſed etiam eſt cauſa iniuſta, cur alter colluſor non acquirat aliud æquiualens, ergo non ſolum tenetur reddere id, quod ſic acquiſiuit, ſed vlterius illud tradere, quod ipſe amiſiſſet, ſi fraudem in illa falſa accuſatione non commiſiſſet.

4 Si fraudibus chartas ſuffurando, vel ſignis notando tenetur non ſolum lucrū reſtituere, ſed etiam id, quod alter lucratus fuiſſet

Deduco ſecundò, quod, ſi decipiens vſus fuerit fraudibus, puta ſuffurando chartas, vel ſignis peculiaribus illicitis notando, aut arte quadam eas componendo, vel ſupponendo adulteratos tenetur non ſolum lucrum reſtituere, ſed quantum etiam dignoſcatur, quod alter acquiſiuiſſet, niſi illas fraudes commiſiſſet *Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 10. c. 29. num. 385., Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 4. n. 27., Trullench. in Decalogum tom. 2. lib. 7. c. 27. dub. 2. nu. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi deceptiones non permittuntur in ludis, & per has non ſolum iniuſtè acquiſiuit, ſed etiam fuit cauſa, ne alter acquireret, ergo non ſolum acquiſitum tenetur reſtituere, ſed etiam conferre id, quod perdidiſſet, ſi non decepiſſet. Ad taxandam autem quantitatem, quam perdidiſſet deceptor non eſt ita facile; vndè hoc relinquendum videtur conſcientiæ ipſius decipientis, qui ex quo habuit plenam fraudis notitiam, & forte eorum, quæ ex tali fraude conſecuta ſunt debet ſecundum æquitatem, & prudentem rationem iudicare. Quod, ſi non obſtantibus illis fraudibus certum non ſit, quod deceptus fuiſſet lucraturus, ſed tantum dubium; tunc dicerem, quod deceptor teneatur id, quod lucratus eſt à decepto reſtituere, quia quoad hoc videtur melior ipſius conditio, cum non ſit ſpoliandus re ſua ex alterius iniquitate, quæ in dubio nequit eidem ſuffragari, id autem, quod forte ipſe fuiſſet amiſſurus magis, vel minus pro qualitate dubij videtur teneri conferre, quamuis quoad hoc vltimum doceat *Hurtadus de contract. diſp. 8. diffic. 7.*,

Digitized by Google

quod deceptor ad nihilum teneatur, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

5 Si quis ſe conſtituerit in loco, in quo data opera viderit chartas alterius tenetur lucrum reſtituere.

Deduco tertiò, quod, ſi alter ex colluſoribus data opera ſe in loco conſtituerit, vbi chartas aduerſarij videre potuerit, & de facto viderit, ex qua viſione victoriam reportauerit, teneatur ad reſtitutionem eius, quod fuit lucratus *Trullench. in Decal. tom. 2. lib. 7. c. 28. dub. 2. nu. 4., Sanchez in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 12. nu. 9., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 50.*, quibus adhærere videtur *Cardin. de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 31. ſect. 2. §. 3. n. 37.* Ratio eſt, quia per talem inſpectionem potior conſtituitur conditio eiuſdem inſpicientis, ac ſi chartas ſignis aliquibus peculiaribus adnotaſſet ad eas cognoſcendas, ſed ex ſuperius probatis, quando chartas aliquibus notis obſignauit ad eas dignoſcendas, & ex illa obſignatione lucrum conſecutus eſt, tenetur ipſum reſtituere, ergo etiam tenebitur reſtituere, quando ſe in loco conſtituit, vbi chartas aduerſantis potuit conſpicere; & in hoc militat ratio fundamentalis, quia in hac hypotheſi non eſt æqualis conditio vtriuſque colludentis. Quod, ſi ſupponas, quod abſque fraude alterius colludentis chartas inſpexerit, ſed ex ſola negligentia eiuſdem colludentis; tunc arbitrarer, ſic inſpicientem non teneri ad reſtitutionem, prout docet *Trullench. loc. cit.*, quia victus debet imputare propriæ negligentiæ, quod congrua arte vſus non fuerit, ne alter videret, nec tunc lucrum imputatur fraudi videntis.

6 Quid ſentiendum ſit, quando fuit admonitus ab aſtante de ſtatu alterius.

Deduco quartò, quod, ſi alter ex colludentibus fuerit aliqua ſignificatione admonitus ab aliquo ex extantibus de ſtatu alterius colludentis, qui auctionem fecit, ſeu maiorem ſponſionem teneatur ad reſtitutionem, ſi ante monitionem decreuerat non acceptare; ſi verò ante talem ſignificationem decreuerat acceptare, vtique non tenetur; ſi vero ante talem ſignificationem anceps erat vtrum acceptaret, vel non teneatur ſolummodo ad partem non ad totum. Conſentiunt *Salvus in claui Regia lib. 9. c. 12. num. 23., Trullench. in Decalogum tom. 2. lib. 7. c. 27. dub. 2. n. 4., Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub 3. n. 31., Moliſſius in ſumma tom. 2. tract. 12. c. 21. n. 58.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia perinde eſt, ac ſi ipſe per fraudem videret alterius chartas, vtitur enim fraude detegentis ſtatum alterius; nec poteſt dici, quod in hoc caſu perinde ſit, ac ſi caſu videret ex præciſa negligentia alterius; non, inquam, poteſt dici, quia cum extantes tacere teneantur, nec ipſe, cuius ſortes manifeſtantur iuſtè timere potuerit de manifeſtatione non poteſt eius negligentiæ attribui, quod alter nouerit eius puncta; vnde iniuſtitiæ, qua ipſe colluſor vſus eſt ex perſona manifeſtantis illud lucrum eſt attribuendum. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia illa manifeſtatio non fuit cauſa, cur colluſor acceptauerit auctionem, ſeu maiorem ſponſionem, & vicerit, cum independentèr ab illa iam eſſet diſpoſitus ad acceptandum, & ſicuti ex ſuperius dictis, quando quis iam erat paratus ad aliquod opus, quantumuis iniurioſum alteri conſulens accedens ad nihil tenetur pro tali opere, quia non intelligitur cauſa efficax, & damnoſa, ita quando quis iam erat diſpoſitus ad acceptandum independentèr à monitione alterius eidem alteri non erit imputanda illa acceptatio; quia propter præcedentem diſpoſitionem ad acceptandum independentèr ab illa non intelligitur cauſa efficax eiuſdem acceptationis. Ratio tertiæ partis ex eo deſumitur, quia ſtante illa animi anxietate, & dubietate contingere poterat, quod forte acceptaſſet, ergo pro illa ratione ſecundum quam inclinari poterat ad acceptandum poterit aliquid retinere eius, quod acquiſiuit ex illa acceptatione.

7 Si aduerterit alterum omnia ſua puncta ex errore nō numerare, & ex eo ipſe vicerit, tenetur reſtituere lucrum.

Deduco quintò, quod, ſi colluſor aduerterit alterum non numerare omnia puncta, quæ habet, & ex eo non lucrari, cum cæteroqui fuiſſet lucraturus, & dependentèr ab illo errore ipſe acquiſierit teneatur illud lucrum reſtituere, niſi conſuetudo in tali loco obtinuerit, quod colluſores non teneatur monere de huiuſmodi errore *Azorius 3. part. lib. 5. c. 25. q. 3., Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 2. part. 2. lib. 5. c. 2.*, & quoad limitationem oppoſitam *Leſſius lib. 2. c. 16. dub. 3. n. 14., Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 28. ſect. 4. nu. 30., Marchantius in quaeſt. Paſtor. part. 1. c. 8. prop. 10. qu. 1. caſ. 5., Molina de iuſt. tom. 2. tract. 2. diſp. 517. in fin., Trullench. in Decal. tom. 2. lib. 7. diſp. 27. dub. 2. n. 5., & alij.* Ratio primæ partis eſt, quia ille colluſor accepit id, quod nullo titulo poterat accipere, & quidem cum plena ſcientia, nec ignorantia, ſeu ſolutio facta ex ignorantia, & ex inaduertentia poteſt eidem aliquod ius conferre; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſic acquirens, nec manifeſtans errorem alterius ipſum non fraudauerit, cum non teneatur eundem de ſua negligentia, & errore admonere, nec leges ludi hoc præcipiunt; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato etiam, quod non teneatur admonere non poteſt tamen ſiſtendo in natura rei accipere id, quod ſibi nullo titulo competit. An verò in hac hypotheſi teneatur non ſolum reſtituere id, quod ipſe acquiſiuit, ſed vlterius tradere tantundem, quod ipſe amiſiſſet, niſi

Digitized by Google

8

Non tamẽ tenetur tã tundẽ vltra lucrũ tradere decepto.

niſi ille error in numerando contigiſſet? Arbitror probabilius non teneri tantundem ſuper lucratum tradere. Ratio ex eo deducitur, quia tenentur quidem ludentes non damnificare ſuos colluſores acquirendo ab ijs id, quod nullo titulo poteſt ſibi competere, non tamen tenẽtur ipſorum partes agere tribuendo id, quod ex ſua in curia, & negligentia acquirere non ſtuduerunt, nec lex ludi videtur exigere, vt victus ex ſe tribuat, quod ex errore in ludo alter non exegit; nec in hoc currit paritas de eo, de quo dictum fuit in prima illatione, qui plura puncta accuſauerit, ac verè habuerit altero colluſore non aduertente, quem diximus teneri ad reſtitutionem non ſolum eius, quod acquiſiuit, ſed vlterius ad conferendum aliud æquiualens, quod ipſe amiſiſſet, ſi alter deceptus excedebat in punctis; Non, inquam currit paritas, quia in illo caſu, quod ipſe non amiſerit prouenit ex propria fraude dum accuſauit ſupra id, quod habebat; in caſu autem, de quo hic loquimur, quod ipſe non amiſerit prouenit ex in curia alterius non aduertentis, & rectè non numerantis, cuius partes ipſe agere non tenebatur. Quod, ſi vlterius vrgeas, quod in primo caſu non accuſantis puncta iuxta veritatem alter aduertere debebat, ac proinde perinde ſe habeat, ac ſi ſua puncta rectè non numerauerit, & per conſequens in vtroque caſu vtroque modo eſſe Phyloſophandum, reſpondebo, neutiquam eodem modo phyloſophandum eſſe, quandòquidem in primo caſu falſo accuſans puncta vere decipit poſitiuè, quod, ſi alter non aduerterit prouenit ex iniuſta fide manifeſtantis puncta, cui alter fidit. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ludentes, vbi aliud non exprimunt, præſumuntur ſe accomodare, & conſentire conſuetudinibus, quæ circa huiuſmodi ludos obſeruantur in tali loco, vbi fit ludus; ergo vbi conſuetudo talis loci obtinuerit, vt ſi alter colluſor videat errantem in numerandis ſignis, non moneat de errore, & nihilominùs obtineat lucrum perindè, ac ſi verè vicerit, & poterit tale lucrum retinere, nec talis conſuetudo pòteſt reprobari ex eo, quod ſit noxia alicui ex contrahentibus; nam, ſi quandòque vni noxia eſt, quando ex inaduertentia, & errore deficit poteſt in alio caſu eidem eſſe proficua, ſi alter ſimilitèr ex ſua incuria deficiat; Hac ratione nõ reprobant conſuetudinẽ illam in ludo *Alcozer tract. de ludo c. 20. dub. 3., Cardin. de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 31. sect. 2. §. 3. n. 36., Hurtadus de Mendoſa de controu. diſp. 8. difficult. 7.* ſecundum quam, ſi quis oblitus eſt numerare, vel apponere calculos, poſtquam diſtributæ ſunt chartę non poſſit poſtea numerare, vel apponere.

Ludentes ſupponuntur ſe accomodare loci conſuetudini.

9

Si quis doloſè manum primam ſurripuerit, & inde lucratus fuerit tenetur, & lucrum, & aliud æquale reſtituere.

Deduco ſextò, quod, ſi alter ex ludentibus doloſè ſibi primam manum ſurripuerit in ludo ſibi non competentem, ſed alteri, & ex illa doloſa ſubreptione lucrum reportauerit cæteroqui non conſecuturus teneatur nedum totum lucrum reſtituere, ſed etiam id, quod ipſe amiſiſſet, conferre, ſi vere fuiſſet amiſſurus, niſi illam manum doloſè vſurpaſſet. Conſentiunt *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 3. n. 14., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 45.* Ratio eſt, quia ex illa doloſa vſurpatione vere contigit, quod ipſe contra iuris ordinem lucrum fuerit conſecutus, & tantundem non amiſerit; ſuppono etenim, quod vterque æquale punctum ſortitus fuerit; & quod ille lucratus fuerit, & non amiſerit ob præcedentiam ſolummodo in manu doloſè vſurpata, ſine qua, nec lucratus fuiſſet, & amiſiſſet, ergo, & quod acquiſiuit, & quod perdidiſſet, ſi doloſè non egiſſet, tenetur conferre, ſiquidẽ, & iniuſtè acquiſiuit, & fuit cauſa iniuſta, cur alter non acquiſiuerit.

10

Si nouerit chartas non quia fraude obſignauit, ſed ex nimio ſuo ingenio altero non cognoſcẽte tenetur reſtituere id, quod ex tali cognitione lucratus eſt.

Deduco ſeptimò, quod, ſi quis nouerit chartas à ſe fraude non obſignatas, ſed ex nimio ſuo ingenio altero non cognoſcente, nec ſciente eius ingenium teneatur reſtituere id, quod ex vi talis cognitionis lucratus eſt *Sanchez in opuſ. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 12. n. 10.* Ratio eſt, quia in hac hypotheſi non eſt æqualis vtriuſque colludentis conditio, ſed alter pugnat inæqualibus armis, & longe ſuperioribus; Neque hoc atribuendum eſt præcisè conditioni cognoſcentis ex ſuo ingenio, quaſi quod ratione eiuſdem eximatur ab onere reſtitutionis; Non, inquam, atribuendum tali conditioni quoad hunc effectum, quia, vt infra latius oſtendam, hæc eadem conditio excellentioris ingenij, & facultatis incognoſcendo, ſi fuerit ignota alteri colludenti eſt ratio proptèr quam ſic cognòſcens teneatur id, quod acquiſiuit ratione ipſius, reſtituere, quia conſtituet inæquales colludentes in ludo. Hinc

11

Quod acquiſitũ eſt ex maiori peritia nõ cognita ab altero reſtituendum eſt dẽpto aliquo pro ratione periculi.

Reſpondeo ſecundò, ſi alter ex colludentibus habeat longe maiorem peritiam in ludo, quam habeat alter, illaque maior peritia ſit ignota alteri, & vi illius lucretur, tenetur ad reſtitutionem eius, quod lucratus eſt detracto aliquo pro ratione periculi, quod fortè habuit ipſe magis peritus. *Salonius 2. 2. q. 5. art. 6., Silueſter verbo ludus § 4., Fauſtus in ſpecul. confeſ. diſp. 32. q. 34. nu. 2., Machadus de perfecto confeſ. tom. 1. lib. 3. part. 5. tract. 7. documento 6. n. 5. Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 31. sect. 2. §. 4. n. 44. qui etiam teſtatur de communi.* Rationem ex eo deſumo, quia, cum verſe-

ſemur in contractu, in quo plurimum deſeruitur arti, & conditioni contrahentium, inæqualitas conſiderabilis inter eoſdem videtur ſortem conſtituere inæqualem, & propterea vitioſam; nec in ſola inæqualitate conditionis vitium conſiſtit, ſed etiam in negatione conſenſus in altero contrahente ignaro maioris peritiæ alterius, quæ ignorantia dat cauſam contractui, ſi etenim ignorans alterius excellentiorem peritiam noſceret vtique cum illo non luderet, niſi melio res conditiones in alijs ipſi concederentur per quas adæquaret peritiam alterius.

12 *Si minus peritus nouerit maiorem peritiam alterius, & amiſerit nõ poteſt lucrũ repetere.*

Reſpondeo tertiò, probabilius eſt, quod, ſi minus peritus fuerit conſcius maioris peritiæ alterius, vel per experimentum, vel quia monitus fuit ab ipſo peritiori, & nihilominùs ſe cum eodem expoſuerit ludo; & perdiderit non poſſit repetere amiſſum *Sanchez in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 8. dub. 13. n. 7., Dycaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 1. n. 8. & 12., Fauſtus in ſpecul. confeſ. diſp. 32. q. 3., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 31.* Ratio eſt, quia cum eidem expreſsè conſtet de inæqualitate conditionum, & nihilominùs vult ludere intelligitur cedere iuri ſuo, quod habebat ad æqualitatem ſeruandam in ludo; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ obijcit *Cardin. de Lugo tom. 2. de iuſt. diſp. 31. ſect. 2. n. 50.*; nempè ea, quæ dicuntur in probatione reſponſionis ſolum valere, quando res, quam exponit minus peritus eſt modici valoris, quia tunc ſupponitur donatio ſpontanea, non autem valere, quando res, quæ a minus perito fuit expoſita, & amiſſa, erat magni valoris, quia tunc non præſumitur libera donatio; hocque exemplificat in eo, qui vendit rem vitioſam eodem pretio, quo venderetur, ſi non eſſet vitioſa manifeſtato emptori vitio; tunc etenim emptor non cenſetur exceſſum pretij donare, ſed dare inuoluntarie mixtè ad habendam rem illam, quam aliter non poſſet habere; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia cum hic verſemur in contractu ex genere ſuo fortuito ad quem minus peritus non trahitur aliqua neceſſitate, ſed præcisè ex propriæ voluntatis arbitrio, ſi cognita maiori alterius peritia, ex qua præuidet, ſeu rationabiliter præuidere poteſt ſe amiſſurum, nihilominùs ſe exponat, intelligitur, & libere ſe, ſuaque bona exponere, & liberè cedere iuri ad æqualitatem, vel libere ludi delectationem ea iactura acquirere. Ad illud, in quo caſum exemplificat Lugus nonnulli aſſerunt, & quidem non præter rationem, quod, ſi venditor vitium manifeſtauerit rei venalis, & nihilominùs emptor voluerit acquirere eodem pretio, quo digna eſſet, ſi non eſſet vitioſa intelligatur libere remittere illum exceſſum, ratione cuius remiſſionis non habeat amplius regreſſum ad eundem exceſſum, quod tamen intelligendum eſt, quando emptor non ex neceſſitate trahitur ad emendum, ſed ex ſola voluntate, quia tunc non ſoluit, vt pretium rei, ſed illum exceſſum, tanquam quid antidorale ad inducendum animum venditoris ad tradendum. Sed hac etiam omiſſa reſponſione datoque aſſumpto Cardinalis de Lugo tanquam valde probabili negandum eſt id, quod ex illo infertur. Ratio diſparitatis eſt, quia in illo contractu venditionis rei vitioſæ etiam manifeſtato vitio obiectum contractus eſt res ipſa vendita, quæ certe ratione vitij habet inæqualitatem ad illud pretium ratione cuius vitiatur; obiectum verò illius contractus fortuiti ſuppoſita illa cognitione maioris peritiæ in altero colludente eſt oblectatio mediante illa iactura, quam ſponte facit ille minus peritus, pro qua oblectatione libere eligit exponere periculo illam ſummam, quam exponit. Dici etiam poſſet, quod in illa venditione rei vitioſæ venditur certò res determinata pro pretio inæquali, & excedente; in contractu autem illo fortuito non eſt certa inæqualitas rei ad rem, ſed ſolummodo inæqualitas in peritia, cui alter poteſt cedere, vel ex motiuo maioris fortunæ, quam ſperat, vel quia per illam expoſitionem rei ſuæ periculo intendit acquirere inſtructionem in ludo.

Verſamur in contractu ex genere ſuo fortuito.

Nec valet paritas de contractu venditionis rei vitioſæ.

---

§. XII.

An bona Eccleſiæ ab Eccleſiaſticis ablata ſint eiſdem reſtituenda.

SVMMARIVM.

Factum, & conſiderabilia circa ipſum. 1.

Si fuerit bona patrimonialia Parochi ſunt ipſi reſtituenda. 2.

Quid veniat nomine bonorum quaſi patrimonialium. 3.

Si fuerint bona Eccleſiæ ſublata à Parocho, & in ſpecie extent ſunt reſtituenda ipſi, ſi fuerit fidelis adminiſtrator, ſecus Eccleſiæ, ſi fuerit infidelis. 4.

Si bona ſublata à Parocho fuerint ex bonis beneficij, quæ ſpectent ad ipſius congruam ſuſtentationem ſunt ipſi reſtituenda. 5.

Quomodo computanda ſit congrua ſuſtentatio. 6.

Fructus beneficij ſuper excedentes congruam ſuſten-

Digitized by Google

ſuſtentationem quoad dominium pertinent ad beneficiarium, tenetur tamen eos expendere in vſus pauperum, vel Eccleſiæ. 7.

1 Factum, & conſiderabilia circa ipſum.

DIſquiſitio XII. Titius à Theone Parocho alicuius determinatæ Eccleſiæ abſtulit nonnulla bona, & dum ageretur de reſtitutione contendebat ea erogare, vel Eccleſiæ, vel pauperibus. Quæſitum hic fuit, an iuſtè potuerit hoc præſtare?

Conſiderandum hic eſt, an bona ſublata à Parocho ſint bona patrimonialia ipſius, an verò bona pertinentia ad Eccleſiam cuius eſt Parochus, & adminiſtrator, ſiue ſint bona mobilia pretioſa, ſiue immobilia; an verò ſint bona quidem Eccleſiæ, ſed deſtinata ad ipſius Parochi ſuſtentationem, qualia ſunt redditus, & fructus eiuſdem beneficij.

2 Si fuerit bona patrimonialia, ſeu quaſi patrimonialia ſunt ipſi, à quo ſublata ſunt reſtituenda.

Reſpondeo primò, ſi fuerint bona patrimonialia, ſeu quaſi patrimonialia ſunt à Titio reſtituenda eidem Theoni Parocho. In hoc omnes conſentiunt; nec difficilis eſt probatio quoad illa bona Parochus ille eſt abſolutè Dominus, ac alius quilibet non Eccleſiaſticus in ordine ad ſua bona patrimonialia, ergo, ſi quis ea abſtulerit tenebitur eidem reſtituere, ſicuti, ſi abſtuliſſet à laicis.

3 Quid veniat nomine bonorum, quaſi patrimonialium.

Dixi, *ſiue quaſi patrimonialia*, quorum nomine ea veniunt, quæ Eccleſiaſticus habet tanquam ſtipendium alicuius officij, vt lucra, quæ acquirit ex officio docendi grammaticam, aut, quia aduocatus eſt, ſacriſta, aut pulſat organa, aut cantat; hæc etenim pro labore dantur, ſiue clericis, ſiue laicis *Maior in 4. diſt. 24. q. 17., Sotus lib. 10. de iuſt. q. 4. art. 2. & 3. Coaruuias de teſt. c. 1. nu. 11., Diana part. 7. tract. 9. reſol. 16. in princip.*; item ea, quæ acquirit ex diſtributionibus, quæ dantur clericis quotidie, eo quod interſint diuinis officijs *Coaruuias loc. cit.*, & ſentiunt communitèr DD. per textum *in c. vlt. de cler. non reſid.*; item eleemoſinæ, quæ dantur pro celebratione Miſſarum, & Officijs Defunctorum; item ea, quæ habent ex Capellanijs, & anniuerſarijs *Alcozer tract. de ludo c. 38.* item penſiones ipſis collatæ ex iuſta cauſa præcipuè, ſi ſit onoroſa *Coaruuias de teſt. c. 1. n. 6., Gigas de penſionibus q. 52.*, & alia huiuſmodi; hæc etenim omnia computantur tanquam propria eiuſdem Eccleſiaſtici, quæ propterea, ſi ab ipſo auferantur ſunt eidem reſtituenda.

4 Si fuerint bona Eccleſię, quę à Parocho ſuerũt ſublata ſunt eidem reſtituenda, ſi fuerit fidelis adminiſtrator, ſecus, ſi infidelis.

Reſpondeo ſecundo, ſi bona ab eodem Parocho ſublata ſint bona Eccleſiaſtica immobilia, immo ea mobilia in ſpecie extantia, quamuis eorum propriè non ſit Dominus, ſi tamen fuerit fidelis adminiſtrator eidem ſunt reſtituenda; ſi vero fuerit infidelis, & non rectus ſunt reſtituenda Eccleſiæ, vel ſucceſſori. *D. Thomas in 4. diſt. 11. q. 1. art. 1. quæſtiuncula vlt. ad vlt. Ioſeph. difficult. 3., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. n. 13.*, Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia quantumuis illorum bonorum Parochus non ſit propriè, & in rigore Dominus, eſt tamen legitimus adminiſtrator, & per talem ablationem fuit læſus, ergo nedum ad compenſationem pro iniuria, ſed etiam ad eidem reſtituendam adminiſtrationem ipſi facienda eſt reſtitutio. Dixi, *ſi tamen fuerit fidelis adminiſtrator*; nam, ſi fuerit infidelis, & dilapidator æquum non eſt, vt res illa eidem reſtituatur, ne in præiudicium Eccleſiæ eandem diſſipet; vndè in ea hypotheſi eſt reddenda, vel Eccleſiæ, vel reſeruanda ſucceſſori, vt dicit *D. Thomas loc. cit.*

Soluitur inſtantia Nauarri.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ adducit *Nauarrus in man. c. 17. nu. 29.* ex textu *in c. cum dilectus de dol. & contum. & c. venerabili de offic. deleg. & c. fin. de accuſ. & c. peruenit de fideiuſ.*, vbi videtur innui huiuſmodi bona, ſi ſint mobilia eidem Parocho eſſe reſtituẽda tanquam diſpenſatori; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià procedit ex falſa ſuppoſitione, quod adminiſtratori infideli ſint bona, quæ adminiſtrati reſtituenda, quod falſum videtur, quia hoc eſſet dare gladium furioſo, & bona alterius dare dilapidatori. Procedunt igitur ſolummodo allegata iura quoad ea quarum Parochus eſt abſoluta Dominus in ordine, ad quæ non videtur ſpoliandus ob ſolam prodigalitatem, vel malam adminiſtrationem.

Quid ſentiendũ ſit in ordine ad fructus beneficij.

Quamobrem in hac re videndum eſt, an bona illa mobilia ſint bona præciſè Eccleſiæ, an verò ſint fructus beneficij, quo gaudet ipſemet Parochus; ſi etenim ſint bona præciſè Eccleſiæ ipſe Parochus eſt ad ſummum adminiſtrator, & diſpenſator, & propterea, ſi fuerit infidelis bene geritur negotium eiuſdem Eccleſiæ, ſi eidem non reſtituantur. Si verò fuerint fructus beneficij, tunc maximum eſt diſſidium inter DD., an fructus illi pleno iure, & quoad dominium pertineant ad ipſum beneficiarium, an verò eiſdem gaudeat ſolummodo tanquam pauper primo electus ad congruam ſui ſuſtentationem, & tanquam vſufructuarius ſolummodo in ordine ad eundem effectum. Pro quo

Aduerte huiuſmodi fructus beneficij, vel eſſe tales, vt præciſe ſufficiant ad congruam ſuſtentationem eiuſdem beneficiarij, vel tales, vt poſita etiam congrua ſuſtentatione eiuſdem ſuperſint. Iuxtà primum ſenſum nonnulli arbitrantur benefi-

Digitized by Google

neficiarium eſſe abſolutè Dominum eorundem; alij merum vſufructuarium, adeò vt non poſſit diſponere, niſi in ordine ad proprium vſum, & ſuſtentationem.

Variæ opiniones circa huiuſmodi fructus.

Iuxtà ſecundum alij dicunt eſſe quoad omnes abſolutè Dominum, licet quandòque peccet non erogando, quod ſuper eſt in vſus pauperum, vel Eccleſiæ, ſed in vſus non conuenientes, alij dicunt quoad nullos eſſe Dominos, ſed tantum vſufructuarios quoad illos fructus, qui neceſſarij ſunt quoad congruam ſui ſuſtentationem, & quoad reliquos excedentes dumtaxat adminiſtratores, & diſpenſatores; Alij tandem eſſe Dominos quoad neceſſarios propriæ ſuſtentationi, quoad reliquos vero tantum diſpenſatores. Quid ergo in hac rerum ſerie concludendum?

5 **Si fuerint bona beneficij pertinentia ad ipſius ſuſtentationem ſunt ipſi reſtituenda.**

Reſpondeo tertiò, ſi bona ablata à Parocho fuerint ex bonis beneficij, quæ pertinent ad ipſius congruam ſuſtentationem ſunt eidem reſtituenda. *Couaruuias in c. cum in officijs nu.2., Nauarrus de reddit. q. 1. mon.3., Sotus lib. 10. de iuſt.q.4. art. 3. concl.6., Leſſius lib.2.c.4.dub.6. n.39.* Ratio ex eo deducitur, quia illi fructus, prout pertinent ad ſuſtentationem beneficiarij, ſunt propriè ſub dominio eiuſdem, quia hæc pars eſt iuſta merces eorum, nam qui Eccleſiæ ſeruit iure poteſt ex bonis Eccleſiæ viuere, vnde computanda eſt tanquam inter bona quaſi patrimonialia, ergo, ſi ab eodem fuerint ſublata eidē tanquam propria erunt omni iure exigente reſtituenda; neque obeſſe poteſt *Concil. Trid. ſeſſ.25.c.1.,* vbi interdicit Eccleſiaſticis, ne redditibus quos ab Eccleſia percipiunt ditent parentes; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia concilium non loquitur de ijs, quæ neceſſaria ſunt ad congruam ſuſtentationem, ſed de ijs, quæ ſuſtentationi redundant; vnde ſi Eccleſiaſticus de ijs, quæ ſuæ ſuſtentationi congrua ſunt detraheret parcius viuendo non video, cur non poſſit de ſic ſubtractis libere diſponere, ſicuti poteſt diſponere de ſuis patrimonialibus; ſi enim poteſt in ſuos vſus conuertere, cur ſe ipſum fraudare non poterit parcius viuendo, & quod ſubtrahit à congrua ſuſtentatione in alterum pro libertate transferre?

Concil. Trident. loquitur de ijs, quę ſuperſunt ſuſtentationi.

6 **Quomodo cōputanda ſit congrua ſuſtentatio.**

Si autem hic inquiras quomodo computanda ſit congrua ſuſtentatio eiuſdem Parochi, ſeu beneficiarij, vt dignoſci poſſit quandonam ſubtrahat à congrua ſuſtentatione, ita vt poſſit de ſic ſubtracto pro libertate diſponere? Tunc dicam hoc eſſe attendendum ſecundum communem morem, & conſuetudinem attenta qualitate perſonæ, & beneficij, quo gaudet; nec tamen talem congruam ſuſtentationem conſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem intra infimum medium, & ſupremum, ac proinde, ſi velit, vti quod ad ſummum conuenientis ſuſtentationis gradum neceſſarium eſt poſſit de eo detrahere quantum ſibi placuerit parcius viuendo, & de eo pro libertate diſponere; vnde ſi hoc ab illo auferatur hoc erit eidem reſtituendum.

7 **Fructus beneficij ſuper excedentes ſunt ſub dominio beneficiarij expendendi tamen in vſus pauperum, vel Eccleſiæ.**

Reſpondeo quartò, fructus beneficij ſuper excedentes congruam beneficiarij ſuſtentationem pertinent quoad dominium ad eundem beneficiarium licet grauitèr peccet, ſi eos expendat in vſus profanos, & non in commodum pauperum, vel in vtilitatem Eccleſiæ *Sotus lib. 10. de iuſt. q.4. art.3. & 4., Adrianus in 4. tract. de reſtitutione §. pro clariori concl.2. & 4., Couaruuias cap. cum in officijs de teſtamentis, Franciſcus Sarmiento de reddit. part.2. c.1., Leſſius de iuſt. & iure lib.2. c.4. dub.6. nu.43.,* qui aſſerit hanc communem eſſe apud DD. ſui temporis. Eſt tamen contrà *Alexandrum Alenſem 3. part. q.36. art.2. n.5., Riccardum in 4. diſt. 45. q. 1. circa tertium principale, Henricum quodlibet 8. q.27. Maiorem in 4. diſt. 24. q. 6., Paludanum in 4. diſt. 24. q. 3. ſub finem, Thomam Valdenſem tom. 1. lib. 4. c. 42. & ſeqq.,* & contrà pleroſque Canoniſtas quos refert, & ſequitur *Nauarrus tract. 2. de red. monit. 7.* quorum tamen opinio eſt valde probabilis.

Prima pars probatur tum pluribus iuribus canonicis, tum etiam rationibus; & primo *ex c. vnico de cleric. non reſid.,* vbi dicitur, quod clerici, qui diuinis officijs non interſunt non fiant Domini quotidianarum diſtributionem, neque faciant eas ſuas, ergo, ſi interſint, faciunt illas ſuas, quod, ſi hoc verificatur in ordine ad quotidianas diſtributiones non video, cur nequeant verificari in ordine etiam ad beneficij prouentus, qui dantur pro oneribus beneficij, & pro muneribus Eccleſiaſticis eis adimpletis; Neque hic admittenda eſt interpretatio, quam ponit *Nauarrus loc. cit.,* quod ſcilicèt ea, quæ dicta ſunt, non ſint intelligenda de rigoroſo dominio, ſed de dominio improprio per fidelem adminiſtrationem; non, inquam admittenda eſt, quia eſt gratis omnino conficta, & omnino impropria, cum ratio dominij quid ſtrictius importet, quam ſimplex ratio adminiſtrationis, & verba ſunt in propria ſignificatione accipienda, & potius intelligenda in ſenſu naturali, quam in ficto *l. fin. C. de his qui vet. ætat. impetr.,* & in ſenſu Nauarri facienda eſſet interpretatio etiam Abbates, & Prælati Regulares poſſent dici Domini prouentuum Monaſterij, cum ſint illorum adminiſtratores, quod nemo dicet. Secundo hoc idem euincitur *ex Concil. Trid.*

Iura fundentia reſponſionem.

ſeſſ.

Digitized by Google

ſeſſ. 22. art. 3. de reformat., vbi idem ferè quaſi ſub eiſdem terminis ſtatuitur, quod idem ferè repetitur *ſeſſ. 23. c. 1. de reformat.*

Iura oppoſita, eorumq; explicatio.

Huiuſmodi iuribus alia opponunt aduerſarij; & primò textus *in c. quæ ſunt in cauſ. 12. q. 1. & 2.*, vbi bona Eccleſiæ dicuntur patrimonium Chriſti, Res Dei, bona pauperum, & Clericos eſſe tantum diſpenſatores, & Procuratores bonorum Eccleſiæ. Secundo textus *in c. vobis c. conceſſo de redit. & c. cognouimus, & c. mors eſt 12. q. 2.*, vbi præcipitur, quod fructus bonorum Eccleſiaſticorũ, & oblationes fidelium diuidãtur in quatuor partes, & vna tribuatur Epiſcopo, altera Clericis, tertia fabricæ, quarta pauperibus, & pleriſque in locis portio pauperum non eſt determinatè aſſignata, quæ propterea intelligenda eſt commixta cum portione Epiſcopi, & Clericorum, qui propterea tenentur, quæ ſuperſunt propriæ ſuſtentationi congruæ conferre ex iuſtitia pauperibus. Tertio textus *in c. relatum, & c. ad hæc de teſtamentis*, vbi interdicuntur Clerici teſtari de bonis Eccleſiaſticis. Quarto textus *in c. placuit 12. q. 3. & c. Sacerdos 12. q. 4.*, vbi dicitur bona acquiſita ex bonis Eccleſiaſticorum fieri, & pertinere ad Eccleſiam, ergo quia pecunia, qua fuerunt acquiſita, non pertinebat quoad dominium ad eoſdem Eccleſiaſticos, cæteroqui non eſſet, cur talia bona ipſis Eccleſiaſticis non acquirerentur. His tamen minimè obſtantibus ſtandum eſt in ſententia noſtra iam expoſita; quare ad primum dicendum eſt dici Patrimonium Chriſti, quia propter Chriſtum, & in honorem Chriſti ſunt collata; dicuntur etiam bona pauperum, quia quæ ſuperſunt ſpeciali iure Eccleſiaſtico ſunt eroganda in pauperes, per quod tamen nõ tollitur, quin dominium reſideat apud eoſdem Clericos, ſicuti, quantumuis bona fideicommiſſaria ſint transferenda in vocatos, non tollitur, quin ſint ſub dominio poſſidentis. Dici etiam poteſt per illos textus dici bona pauperũ denominatione antiqua deſumpta ex ijs, quæ ante erectionem beneficiorum fiebant; tunc etenim viuebatur in communi, & ſic dici poterant bona pauperum, ſicuti modo bona Monaſterij, in quo Monaci in communi viuunt, dicuntur bona Monachorum.

Qua ratione dicantur patrimoniũ Chriſti.

Soluuntur aliæ inſtantiæ à iuribus deductæ.

Ad ſecundum dicendum eſt, quod, ſicuti ex iure Eccleſiaſtico facienda erat ante erectionem beneficiorum diuiſio in quatuor illas partes, ita modo poſt erectionem eorundem beneficiorum, vbi non aſſignatur portio illa pauperum, eodem iure Eccleſiaſtico ſit onus quoad Epiſcopos, & Clericos erogandi id, quod ſuper abundat ex fructibus portionis ſibi aſſignatæ pauperibus, per quod non infertur negatio dominij quoad eoſdem Clericos, ſed onus ex iure Eccleſiaſtico erogandi in pauperes. Ad tertium dicendum eſt, ad ſummum ex illis textibus euinci, quod vſus dominij in certis actibus poteſt à iure impediri, & de facto impeditur, vt videre eſt in impubere; & quidem iuſta ratione actus teſtandi de fructibus beneficiorum debuit Eccleſiaſticis impediri, vt auocarentur à ſtudio accumulandi, & in vita excitarentur ad huiuſmodi fructus expendendos in vſus pios, & vtilitates pauperum. Sed modo vſus, & conſuetudo obtinuit, vt Eccleſiaſtici de huiuſmodi fructibus teſtentur. Ad quartum idem ferè, quod ſupra, reſpondendum eſt, quod ſcilicèt ex ſpeciali Eccleſiæ diſpoſitione potuerit ſtatui, vt ea immobilia, quæ comparata ſunt ex pecunia redituum Eccleſiaſticorum, cedant poſt obitum beneficiariorum Eccleſiæ, & hoc ad euertendos Eccleſiaſticos, ne opibus congerendis adinſtar ſæcularium nimium inhient.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Eadem prima pars etiam ratione euincitur, quia, ſi beneficiarij prouentus ſui beneficij, dum viuerent, in alias cauſas alienauerint à cauſis pijs, vel vſibus pauperum, non poſſunt ex iuſtitia cogi ad reſtitutionem, vel ad refundendos totidem in vſus pauperum, vel in cauſas pias, ergo, quia illorum propriè habent dominium. Antecedens probatur, quia ad hoc onus compenſationis, vel reſtitutionis non videntur induci, nec ex modo donationis, quo talia bona, ex quibus hauriuntur huiuſmodi prouentus, deuenerunt ad Eccleſiam, neque ex aliqua diſpoſitione Eccleſiæ; non ex modo donationis, quia quæcunque illa bona ſint, ſiue ſint decimæ, ſiue prædia, ſiue dominia, ſiue cenſus non intelliguntur tranſlata ſub illo onere, niſi expreſſerint illi, qui tranſtulerunt in eandem Eccleſiam illa bona; quinimmo, dum non expreſſerunt, videntur fidiſſe diſpoſitioni Prælatorum Eccleſiaſticorum, nec dubitaſſe, quin ipſi abunde eſſent diſpoſituri in vtilitatem Eccleſiæ, in redemptionem animarum ſuarum, vel vt ſeruorum Dei preces, & ſuffragia conſequerentur; Non ex diſpoſitione Eccleſiæ, quæ, quantumuis decreuerit, quod ſuperabundantia ad congruam ſuſtentationem beneficiariorum refunderentur in pauperes, vel in cauſas pias, nunquam tamen hoc decreuerunt ſub onere reſtitutionis, vel compenſationis, ſi in alias cauſas alienarentur; nec veriſimile eſt, quod tot ſolertes Pontifices, & Sacroſancta Concilia, qui, ſeu quæ in alijs minutioribus decreuerunt ſub onere reſtitutionis

Digitized by Google

omiſerint decernere in tam graui negotio, ſi ex natura rei, vel ex Eccleſiaſtico præcepto ad tale onus beneficiarij teneantur; quinimmo Eccleſia non reſcindit pacta, & conuentiones, ſeu donationes, quibus beneficiarij fructus redundantes alienant, ſeu profane expendunt, & donant, quod certe præſtare deberet, ſi ità inſumere eſſet contrà iuſtitiam, ſicuti præſtat in alijs. Hæc omnia confirmari videntur auctoritate *Angelici Doctoris 2.2. q. 185. art. 7.*, vbi habet hæc verba *De his autem, quæ ſunt ſpecialitèr ſuo vſui deputata videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de proprijs bonis, vt ſcilicèt propter immoderatum effectum & vſum, peccet quidem, ſi immoderata ſibi retineat, & alijs non ſubueniat, ſicuti requirit debitum charitatis.* Ex quibus verbis tria colligo ad rem noſtram maximè conducentia. Primum ex illis verbis *De his autem videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de proprijs bonis*, vbi decernitur eſſe æquale ius in ijs bonis, ſeu fructibus beneficij, quod eſt de bonis proprijs, nempè patrimonialibus, quod ſatis indicat dominium in beneficiario. Secundum ex vltimis illis verbis *Sicuti requirit debitum charitatis*, quę non important onus iuſtitiæ; charitas autem non obligat ad reſtitutionem. Tertium ex illis verbis *peccat quidem*, quæ particula *quidem* eſt relatiua, & importaret ſenſum mutilum, vt notat Sotus, niſi alia implicitè inuolueret, nempè, *ſed non tenetur ad reſtitutionem*.

Explicatur mens D Thomę circa hoc.

His rationibus alias opponit *Nauarrus tract. de redit. monit. 7.*, & primo contendit ex modo ipſo donationis, quo res deuenerunt ad Eccleſiam, obligari beneficiarios inſumentes ea, quæ ſuperfluunt ad congruam ſui ſuſtentationem in alios vſus à cauſis pijs, & vſibus pauperũ reſtituere nam veriſimile non eſt, quod fideles voluerint tot bona cõferre Eccleſijs, vt ex illis ſoli Eccleſiaſtici impinguarentur, & locupletarentur, ſed vt ex illis caperent neceſſaria ad congruam ſuſtentationem, de reliquis in ſuſtentationem pauperum refunderent, ergo ex ipſorum donantium præſumpta rationabilitèr voluntate nequeunt Eccleſiaſtici illa ſuperflua proprio ſtatui, & ſuſtentationi ſine læſione iuſtitiæ ex proprio arbitrio diſponere, adeòque, ſi talitèr diſpoſuerint, tenebuntur tantundem pauperibus, vel Eccleſiæ erogare. Secundò, quia non ſolum Canoniſtæ, ſed etiam canones ipſi ſtatuunt eam partem, quæ ſumptibus neceſſarijs ſupereſt, eſſe pauperum. Sed his rationibus etiam ex dictis facile occurro; ad primum etenim dico, quod, ex quo abſolutè tranſtulerint in Eccleſiam ſine vlla expreſſione illius oneris, non ſit illud onus ex iuſtitia imponendum; vnde præſumuntur intendiſſe quidem etiam vtilitatem pauperum, ſed ad normam eius, quod Eccleſiæ Prælati circa hoc diſpoſuerint, quorum fidei, & integritati diſpoſitionem commiſerunt; Eccleſia autem non diſpoſuit negationem alienationis in alios vſus ſub nullitate, ſed dumtaxat ſub graui onere peccati vt infrà. Ad ſecundum dicendum eſt, dici res pauperum iuxtà ſenſus explicatos in reſponſionibus ad iura ſuperius allegata.

Soluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ.

Secunda pars, quod ſcilicèt Eccleſiaſtici grauitèr peccent erogando ea, quæ ſuperſunt ad propriam ſuſteutationem, extrà cauſas pias, & pauperum ſubuentiones, ex eo euincitur, quia faciunt contrà diſtrictum Eccleſiæ pręceptum, quandòquidem *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 1.* omninò eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, cõſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, eis, vt pauperibus diſtribuant; hocque non ſolum ad Epiſcopos reſtringitur, ſed etiam ad quoſcunque Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, prout colligitur ex verbis ſubſequentibus eiuſdem Concilij. Hoc idem probant omnia iura ſuperius allegata, quæ aduerſus noſtram aſſertionem fuerunt oppoſita, quæ cum non inferant negationem dominij, inferunt ſaltem prohibitionem Eccleſiaſticam ſub peccato; & expreſsè euincit auctoritas D. Thomæ ſupra allegata in probatione ſecunda primæ partis huius reſponſionis.

Quare tenentur in pauperes erogare.

Ex quibus omnibus fas erit inferre, quod, ſi quis huiuſmodi prouentus beneficiorũ à beneficiarijs abſtulerint, non ſolum, qui pertinent ad eorum congruam ſuſtentationem, ſed etiam qui excedunt, teneantur ad reſtitutionem eiſdem Eccleſiaſticis beneficiarijs, ex quo dominium habent in illis, vt bene notat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 15.*, nec tali dominio priuandi ſunt ob præuiſam malam adminiſtrationem, ſicuti Dominus non eſt priuandus re ſua ob prodigalitatem, vel alium malum vſum.

Corrolariũ ad ſupradicta.

---

§. XIII

Vtrum res alteri debita poſſit reſtitui creditori creditoris.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.

Si

Digitized by Google

Si creditum creditoris ſui creditoris non ſit ita certum, ſicuti eſt creditum creditoris contrà ſuum debitorem non poteſt hic ſoluere creditori ſui creditoris, ità vt eximatur à debito. 2.

Si debitum debitoris fuerit manifeſtum, & creditum creditoris ſui creditoris occultum, ità vt probari non poſſit, debitor in foro externo non liberatur à debito. 3.

Si debitor ſoluat ad æqualitatem creditori ſui creditoris regularitèr liberatur à debito. 4.

Etiam ſi ſit debitor ex diuerſa cauſa. 5.

Et non ſolum quoad forum internum, ſed etiam quoad externum. 6.

Si fuerit debitor de re certa, & determinata in indiuiduo, non poteſt eam tradere creditori ſui creditoris in ſolutionem. 7.

1 Series diſquiſitionis expoſita.

DIſquiſitio XIII. Debitor erat Caius verſus Antonium de ſumma aureorum centum, vel de aliqua re pretio æſtimabili, vt centum. Sciens poſtea idem Caius Antonium ſuum creditorem eſſe debitorem Franciſci de totidem, eidem Franciſco tradidit id, quod debebat Antonio, & quidem in extinctionem crediti, quod ipſe Franciſcus habebat aduerſus eundem Antonium. Quæſitum hic fuit, an Caius per talem traditionem factam Franciſco eximatur ab onere reſtitutionis, quod habebat verſus eundem Antonium?

Conſiderabilia circa ipſam diſquiſitionem.

Pro elucidatione præſentis dubij plura ſunt conſideranda, & primò, an creditum creditoris mei creditoris ſit certum, ſicuti eſt certum creditum, quod habet aduerſus me meus creditor. Secundo, an creditum, quod habet creditor mei creditoris aduerſus ipſum, ſit ex eadem cauſa, qua eſt creditum, quod habet aduerſus me meus creditor. Tertiò, an creditum, quod habet creditor meus verſus me, ſit de re certa determinata in ſpecie, vt dicunt Iuriſtæ, vel in indiuiduo, vt loquuntur Theologi, an verò de re indeterminata in indiuiduo, licet determinata in ſpecie. Quartò, an ego ſoluerim creditori mei creditoris clam, & pro credito, pro quo ipſe creditor non poterat in iudicio ſuum debitorem conuenire, licet in foro conſcientiæ eſſet vere creditor, an verò palam, & pro onere, pro quo in iudicio poſſet ipſum conuenire, & ad quod haberet actionem ciuilem. Quintò, an titulus propoſitus procedat dumtaxat pro foro interno animæ, an verò etiam pro foro externo, ciuili, & contentioſo.

2 Non poteſt debitor ſoluere credito ri ſui creditoris, ſi creditũ illius non eſt ita certum, ſicuti eſt ſuũ debitum.

Reſpondeo primò, ſi creditum Franciſci aduerſus Antonium, non ſit ita certum, ſicuti eſt certum creditum, quod habet Antonius aduerſus Caium, non eximitur idem Caius per ſolutionem factam Franciſco ab onere debiti, quod habet verſus Antonium. Ratio ex eo deducitur, quia non eſt æqualis compenſatio debiti incerti pro credito certo, ergo per ſolutionem factam à Caio pro credito incerto, quod habebat Franciſcus contrà Antonium, non eximitur à debito certo, quod ipſa habet verſus eundem Antonium. Antecedens nõ vertitur in dubium; Quis enim negabit maioris valoris eſſe ius certum ad centum, quàm ius incertum etiam ad centum? Confirmatur, quia facta illa ſolutione pro iure incerto Franciſci aduerſus Antonium, ſi Antonius Caium conueniret pro debito ipſius certo, non poſſet Caius opponere ad eludendam eiuſdem Antonij actionem exceptionem, quod ipſe ex perſona Franciſci ſit creditor certus aduerſus ipſum agentem, ſiquidem non plus iuris poteſt habere aduerſus eundem Antonium, ac aduerſus ipſum haberet Franciſcus, cum non habeat, niſi actiones eiuſdem Franciſci per ceſſionem; liquidi autem ad illiquidum non ſit compenſatio, ergo &c. Sed, ſi inquiras, an ſaltem idem Caius in ea hypotheſi, qua ſoluerit Franciſco pro credito incerto, quod habebat verſus Antonium totam ſummam, de qua contendebat Franciſcus ſe eſſe creditorem nullo penitus detracto pro incertitudine talis iuris, poſſet ſaltem Caius detrahere à credito Antonij, quantum iudicio prudentum valere poteſt illud ius incertum, quod acquiſiuit à Franciſco. Videtur dicendum vtique poſſe aliquid detrahere pro ratione illius incertitudinis, quæ in fauorem eiuſdem Caij eſt aliquo pretio æſtimabilis, & ſicuti, ſi haberet aliquod creditum minus ſuo debito, poſſet de illo excipere, ità ſi habeat minus creditum in valore ratione dubij, ſeu incerti iuris, poteſt de illo excipere ad rationem incertitudinis. Nihilominùs arbitror quantum eſt in foro externo non poſſe excipere ad impediendam ſolutionem debiti, quod certo tenet, quia liquidum pro illiquido, certum pro incerto non poteſt retardari. Poterit tamen poſtea ſuper illo iure incerto aliquo modo conuenire.

Poteſt aliquid detrahere ratione incertitudinis.

3 Si debitũ debitoris fuerit manifeſtum, & creditũ creditoris ſui creditoris occultum, quod probari non poſſit, non liberatur debitor in foro externo.

Reſpondeo ſecundò, ſi debitum Caij fuerit manifeſtum, & quod iuridice probari poteſt, & ſoluerit Franciſco creditori ſui creditoris debitum occultum, pro quo in foro externo actio non datur, liberaretur in foro interno ab onere reſtitutionis erga ſuum immediatum debitorem, non autem in foro externo. Ratio pro liberatione in foro interno ea eſt, quia ſuppoſita veritate debiti Franciſci intelligitur perfecta æqualitas inter eundem Caium, qui eſt debitor Antonij, & Antonium,

nium, qui eſt debitor Franciſci, quandò-quidem in fauorem Antonij tantum poſuit idem Caius, quantum debebat eidem Antonio, ergo non eſt, cur in foro interno animæ non liberetur. Ratio ſecundę partis ex eo deducitur, quia in foro externo, ſicuti idem Antonius non poteſt agere contrà Franciſcum, nec idem Franciſcus in iuditio conueniri, ita nec videtur poſſe Antonius contrà Caium agere, nec Caius per eundem poſſe conueniri, quia aliam actionem, & obligationem non habet Caius, niſi eam, quam habebat Franciſcus, ergo in foro externo idem Caius non liberabitur à debito, quod certum, & manifeſtum habet cum eodem Antonio. Conſequentia probatur, quia debitum, contrà quod in foro externo datur actio, non poteſt in eodem foro extingui, & compenſari per creditum, contrà quod non datur actio, ſiquidem in hoc caſu, quem tenet actio, non poteſt eundem eludere per exceptionem, quæ ſufficiat ad eludendam eandem actionem.

Reſpondeo tertiò, regularitèr loquendo Caius debitor Antonij ſoluendo Franciſco creditori Antonij ad æqualitatem ſui debiti liberatur ab onere reſtitutionis erga ſuum creditorem *Medina C. de reb. reſtituen. q. 2. cauſa 5., Silueſter verb. ſolutio q. 4., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 16. dub. 5., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 24. & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia quando Caius ſoluit Franciſco id, quod eidem debet Antonius ipſius Caij creditor, vere conſtituit æqualitatem inter ſe ipſum, & Antonium creditorem ſuum, & ſi conueniatur ab eodem Antonio petente, quod eidem debet Caius, poteſt repellere eiuſdẽ petitionem petendo ab eodem Antonio, quod ipſe debebat Franciſco, cuius Caius ius acquiſiuit, ergo vere liberatur à debito, ſeu onere reſtitutionis.

4 Per ſolutionẽ factam creditori ſui creditoris ad æqualitatẽ regularitèr debitor liberatur.

Amplia primo reſponſionem, vt non ſolum procedat, quando Caius eſt debitor Antonij ex eadem cauſa, qua Antonius eſt debitor Franciſci, ſed etiam quando vterque eſt debitor ex diuerſa cauſa. Exemplum primi eſſe poteſt in eo, quod Caius ſit debitor Antonij ex eo, quod ab eodem Antonio domum conduxerit, quã domum Antonius conduxit à Franciſco. Exemplum ſecundi poteſt in eo conſiſtere, quod Caius ſit debitor Antonij ex mutuo; Antonius verò ſit debitor Franciſci ex titulo venditionis, ſeu emptionis; eadem enim ratio militat in vtroque caſu quidquid ex aduerſo dixerit *Bartolus in l. ſolutum §. ſolutum ff. de pignor. act.* volens, quod debitor ex diuerſa cauſa ſoluendo creditori ſui creditoris non liberetur ab onere reſtitutionis; ad quod afferendum poteſt multis rationibus moueri; primò, quia iniuſtum omninò videtur, quæ aliena ſunt ſine Domini conſenſu alienare. Secundò, quia, ſi quod debet Caius Antonio, poſſet eodem Antonio inuito ſoluere Franciſco, poſſet etiam Caius, ſi nihil deberet Antonio ſciens hunc eſſe debitorem Franciſci ab eodem Antonio tantum ſurripere, vt reſtitueret Franciſco, quod non videtur dicendum; Ratio noſtri aſſerti ex eo deducitur, quia ex quacunque cauſa ſit debitum vtriuſque, dummodo ſit verum, & reale ſemper agente Antonio aduerſus Caium ad conſecutionem ſui crediti, poſſet Caius opponere exceptionem, quod ipſe ſit creditor aduerſus eundem agentem ex cauſa Franciſci, cuius actionem per illam ſolutionem factam acquiſiuit; Nec obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, nam dicendum eſt, & quidem ad primum, quia hoc non eſt propriè inuito Domino alienare aliena, ſed tantum acquirere ius, quo poſſit alienam actionem eludere, vnde eſt potius reſtituere, quod debet, ſeu compenſare ius cum iure; Ad ſecundum dicendum eſt diſparem omninò eſſe rationem de eo, qui aufert à debitore, vt ſoluat creditori ipſius, & de eo, qui cum ſit debitor alterius, ſoluit creditori ipſius, vt eximatur à proprio debito per compenſationem crediti cum debito; nam in primo caſu ſui muneris non eſt tollere inæqualitatem, quæ eſt inter vnum, & alterum, cum hoc pertineat ad publicam poteſtatem, vel ad partes ipſas inter ſe; in ſecundo autem caſu ad quemcunque pertinet inæqualitatem, quæ eſt inter ipſum, & alterum, tollere, & conſequentèr per media licita conſtituere compenſationem, per quam opponitur creditum liquidum cum debito item liquido.

5 Etiam ſi ſit debitor ex diuerſa cauſa.

Rationes Bartoli ſuadentes oppoſitũ.

Solutio eadẽ.

Amplia ſecundò, procedere non ſolum quoad forum internum animæ, ſed etiam quoad iudiciale externum. Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quia per illam ſolutionem factam creditori creditoris ponitur perfectè æqualitas inter debitorem ſoluentem, & creditorem, in cuius exonus ponitur illa ſolutio; quoad ſecundam vero ex eo patet, quod ſupra diximus, quia, ſi creditor agat ad exigendam ſolutionem, debitor poteſt excipere de ſolutione facta creditori ipſius, & de iure ſibi competente ex perſona illius, cui facta fuit ſolutio.

6 Et nõ ſolũ quoad forum internum, ſed etiam quoad externum.

Reſpondeo quartò, ſi Caius fuerit debitor verſus Antonium de re certa, & determinata in indiuiduo, quæ non admittat functionem, probabilius non poteſt eam tradere Franciſco creditori Antonij. Conſentiunt *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit.*

Digitized by Google

reſtit. c. 2. nu. 29. Ioannes Medina C. de reb. reſtituen. q. 3. cauſa 5. verſ. his non obſtantibus. Rationem ex eo deduco, quia Caius per illam traditionem rei determinatæ in individuo magnam infert iniuriam ſuo creditori immediato, qui potuit quidem velle ſatisfacere Franciſco creditori non per illam rem, quæ non admittit functionem, ſed per pretium æquiualens debito, quod tenet verſus eundem Franciſcum, ergo ſic tradendo grauitèr peccat. Confirmatur, quia Antonius quoad rem illam determinatam in individuo exiſtentem penes Caium habet verum dominium, veramque poſſeſſionem, ergo non eſt ipſa ſpoliandus inuitus, niſi accedente Iudicis ſententia. Sed, an in hoc caſu traditionis rei determinatæ factæ per Caium Franciſco, quantumuis idem Caius peccet, eximatur ab onere reſtitutionis? Medina loc. cit. arbitratur eximi à tali onere, eamque reddit rationem, quia per talem traditionem non læditur æqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, ſed tantum iniuria quædam infertur ex eo, quod facta fuerit illa traditio inuito Domino. Sed ego arbitror teneri, quantum poteſt, rem illam à Franciſco repetere erogato æquiualenti, illamque Antonio reſtituere, quandòquidem non fuit in poteſtate eiuſdem Caij ſoluere debitum Antonij per rem determinatam ipſius contra illius voluntatem, neque ipſum ſpoliare dominio, & poſſeſſione, qua gaudebat.

7 Si debitor fuerit talis de re certa, & determinata in individuo nō poteſt eā tradere creditori ſui creditoris.

Et tenetur illam repetere.

---

§. XIV.

Cui facienda ſit reſtitutio eorum, quæ in iniuſta vrbis deprædatione ſublata ſunt, vel quæ acquiſita per multiplicatas vſuras à pluribus.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Triplex ſententia circa hoc factum proponitur. 2.
Triplex illa ſententia valde probabilis eſt, magis tamen commendatur ſecunda, quæ aſſerit bona illa eſſe expendenda in eleemoſinas pauperum illius loci. 3.
Si tamen omnes illius Ciuitatis eſſent damnificati, poſſent bona illa in commune bonum illius applicari. 4.

1 Exponitur facti ſeries.

DIſquiſitio XIV. Dux quidam exercitus iniuſto furore percitus Vrbis, vel oppidi deprędationem commiſit, ex qua plurima bona fuerunt ſublata, pluraq; damna illata, ità tamen, vt ignorentur Domini rerum ſublatarum, ſeu quibus damna fuerunt illata. Rurſus publicus vſurarius ex pluribus vſurarijs cōuentionibus diuitias plurimas cumulauit, & quidem à pluribus, quorum tamen ex actuum multiplicatione, quos in dies vſurariè exercebat, diſtinctam non habet notitiam. Quæſitum fuit in vtroque caſu, cui, ſeu quibus facienda ſit reſtitutio?

Triplicem in hac diſputatione inuenio ſententiam. Prima eſt *Caietani 2. 2. q. 62. ad tertium, & aliorum* apud *Petrum à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. nu. 64.* abſolutè docens reſtitutionem faciendam eſſe Ciuitati, ſeu oppido, in quibus facta eſt illa vaſtatio, ſeu commiſſæ illæ vſuræ, ſi ignorentur Domini damnificati. Secunda ſententia docet compenſationem illam, ſeu reſtitutionem faciendam eſſe pauperibus illius Ciuitatis, ſeu Oppidi; atque huius opinionis videtur eſſe *D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. quæſtiuncula vlt. ad tertium*, & hoc ad normam incertorum. Tertia ſententia docet per diſtinctionem, quod, ſi res ablatæ in illa deprædatione iniuſta fuerint in magna quantitate, tunc reſtitutio facienda ſit hominibus illius Ciuitatis, ſeu Oppidi, vel omnia in vſus eiuſdem Ciuitatis, ſeu Oppidi iuxtà arbitrium Rectorum expendenda; ſi verò res ablatæ fuerint modicæ, tunc reſtitutio etiam facienda eſt non pauperibus, ſed ſingularibus de Ciuitate, ſi veriſimilitèr poſſit excogitari, quod aliquo modo poſſit cedere in vtilitatem damnificatorum, vt ſi bona illa fuerint acquiſita per multiplicatas vſuras; tunc etenim, ſi Ciuitati conferantur, vt diminuantur onera Ciuibus, cedunt communi quodamodo bono; atque ità ſentire videtur in ſpecie *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. n. 66.* 2 Triplex ſententia circa hoc factū exponitur.

Reſpondeo omnes has tres opiniones eſſe valde probabiles, & quæcunque in praxi deducatur, deobligaret ab onere ſolutionis; magis tamen pia videtur ſecunda, quæ aſſerit diſtribuenda eſſe illa bona in pauperum illius loci eleemoſinas; hac etenim ratione conſulitur egeſtati pauperum, & bono ſpirituali eorum, quorum erant illa bona, quique ignorantur. 3 Tres illæ opiniones ſunt probabiles, magis tamen commendetur ſecunda.

Specialitèr quoad bona per multiplicatas vſuras acquiſita ab vſurario extant ſpeciales textus iuris Canonici, quibus euincitur, eroganda eſſe in vtilitatem pauperum, & præcipuè *in c. cum ſit de Iudæis, & c. quanquam de vſuris in 6.*

Non negauerim tamen, quod, ſi magna,

Digitized by Google

gna, & quidem diuerſarum rerum in ſpecie facienda eſſet reſtitutio ob ablata in vaſtatione ciuitatis, & oppidi, adeò vt veriſimilitèr coniectari poſſit, quod ferè omnes incolæ illius Ciuitatis, ſeu oppidi fuerint damnificati, eſſent congruentèr illa bona applicanda in commune bonum illius Ciuitatis, & Oppidi in eos vſus, ex quibus omnes, vel ferè omnes poſſent commodum reportare, prout ex Caietano docet *Petrus à Nauarra lib. 4. de*
4 *reſtit. c. 2. nu. 68.* Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi vehemens præſumptio eſt, quod omnes ferè fuerint damnificati; & ſic quoquo modo conſtat de Dominis, quibus propterea potius facienda eſt reſtitutio, quam pauperibus, nam pauperes in tantum præferuntur, in quantum, nec veriſimilitèr conſtat de Dominis, ergo, vbi veriſimilis habetur cognitio de Dominis, eiſdem facienda erit reſtitutio; ob hanc rationem meritò decernitur *in c. cum ſit de Iudæis*, quod bona, quæ Iudæi à Chriſtianis per vſuras acquirunt, ſint in vtilitatem pauperum Chriſtianorum ſpecialitèr eroganda, non in pauperes Iudæos, quia ſcilicèt illa bona acquiſita ſunt non a Iudæis, ſed à Chriſtianis, quibus propterea tanquam damnum paſſis ſunt reſtituenda.

Poſſent etiam applicari in commune bonum illius Ciuitatis.

§. XV.

Cui facienda ſit reſtitutio de bonis turpiter acquiſitis contrà iuſtitiam.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Accepta à Iudice vltrà ſtipendium prætextu officij ſunt reſtituenda ei, à quo ſunt accepta propter ſententiam iuſtam. 2.
Accepta à Iudice propter iniuſtam ſententiam cauſa adhuc non ſubſecuta ſunt reſtituenda danti. 3.
Accepta à Iudice propter iniuſtam ſententiam effectu ſubſecuto ſunt eroganda in pauperes. 4.

1 Diſquiſitio XV. In præcedentibus in ordine ad cauſas, ob quas bona turpiter acquiruntur, diſtinximus bona turpiter acquiſita contrà leges prohibentes actionem, & turpiter acquiſita ex actione ſecundum ſe turpi, à legibus tamen permiſſa. Hæc ſecunda, quæ explicuimus in acceptis à meretrice ob traditum vſum ſui corporis nedum poſſe detineri, quando ſunt tradita conſummato opere latè diximus ſupra, ſed etiam exigi quando fuerunt promiſſa, & non tradita, quæ propterea, cum non ſint reſtituenda, non relinquunt locum præſenti diſquiſitioni. Prima, quæ exemplificauimus in Iudice exigente, & detinente ob ſententiam, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, & diximus non poſſe iuſtè exigi, nec detineri, rationem tribuunt, & fundamentum præſentis difficultatis in inquirendo ſcilicèt, cuinam debeant reſtitui, an ei, à quo fuerunt accepta, an verò pauperibus.

Exponitur facti ſeries.

Reſpondeo primo, accepta à Iudice vltrà ſtipendium debitum prætextu officij ob iuſtam ſententiam latam ſunt reſtituẽda ei, à quo fuerunt accepta. *Corduba in ſumma q. 32. opin. 4. poſt dictum primum Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 139.* Procedit reſponſio in caſu, quo accipiens non excuſetur, vel legitima conſuetudine præſcripta, vel quia receperit titulo donationis omninò gratuitæ, & liberalis. Ratio ex eo deducitur, quia ſoluens pro illa ſententia non ſupponitur omninò voluntariè conferre, ſed inuoluntariè mixtè ad redimendam ſcilicèt propriam vexationem, ergo eidem erit reſtituendum ſolutum, tanquam ſi eſſet iniuſtè ab eodem ſoluente ablatum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod *in l. 2. C. de condit. ob turp. cauſ.*, dicatur, quod, *qui dedit aliquid Iudici, vt iuſtam ferret ſententiam, repetere non poſſit, quia ille etiam malè dedit*, & hoc quidem iuſtè decernitur, quia hoc eſt occaſio Iudicis corrumpendi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis, vt notat *Coarunias 2. part. relect. §. 3.* ille textus *in d. l. 2. C. de condit. ob turp. cauſ.* intelligendus eſt ſolummodo, quando Iudex ob opinionum probabilitatem poterat, & volebat pro parte contraria ſententiam ferre; tunc etenim per illam ſolutionem inclinando Iudicem ad ferendam ſententiam in proprium fauorem videtur quodamodo ipſum corrumpere, & delinquere. Sed in hoc nullum crimen agnoſcit *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 140.*, quandòquidem, cum ipſe ſoluens habeat etiam iuſtitiam pro ſe, & Iudex ferendo pro ſe ſententiam probabili iudicio innitatur; cæteris paribus, poteſt etiam precibus, & muneribus Iudicem potius in ſui, quam in aliorum fauorem inclinare. Quamobrem dicendũ eſt textum illum fundari præcisè in præſumptione corrumpendi Iudicem, quando autem iuſtitia militat in fauorem ſoluentis per illam ſolutionem non poteſt eſſe præſumptio corruptionis eiuſdem, adeoq; &c. Dici etiam poteſt, quod textus ille procedat abſolutè ſecluſo caſu redimendę vexationis.

2 Accepta à Iudice propter ſententiam iuſtã ſunt reſtituẽda ei, à quo ſunt accepta.

Explicatur textus in l. 2. C. de cond. ob turp. cauſ.

Reſpondeo ſecundo. Accepta à Iudice pro-

Digitized by Google

propter iniuſtam ſententiam cauſa adhuc non ſubſecuta ſunt reſtituenda danti. *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. n. 144.* qui pro ſe citat *Medinam, Cordubam, Paludanum, Nauarrum, & alios*. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi, nec ex voluntate dantis, nec ex diſpoſitione iuris intelligitur demptum ius in re quoad eundem dantem, ergo non eſt, cur res data non ſit reſtituenda eidem danti. Antecedens quoad primã partem probatur, quia, cum dans dederit ex cauſa, ſeu propter cauſam eadẽ cauſa non adimpleta, nõ intelligitur liberè dare, quinimmò nec liberalitèr, cum dederit, vt recipiat in ſui fauorem ſententiam, quantumuis iniquam; Quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia iura, quando ex delicto aliquem priuant iure ſuo, intelliguntur priuare effectu conſecuto, ſeu conſummato, cum ſint pænalia, odioſa, & quodamodo exorbitantia à iure naturæ, ergo eodem non ſubſecuto non erit dans iure ſuo ſpoliandus, quo in re data gaudebat.

3 Accepta à Iudice propter iniuſtam ſentẽtiam cauſa adhuc non ſubſecuta ſunt reſtituenda danti.

Reſpondeo tertiò accepta à Iudice propter iniuſtam ſententiam effectu ſubſecuto probabilius ſunt eroganda pauperibus *Paludanus in 4. diſt. 15. qu. 3. art. 3. concl. 3. & 4., Medina C. de reb. reſtit. qu. 2. §. de eo, Corduba in ſumma qu. 32. diſt. 5.* hancque communiorem fatetur *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. nu. 146.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vno capite dans intelligitur voluntariè dediſſe, adeòque liberè à ſe abdicaſſe dominium; ex alio recipiens videtur inhabilis ratione ſuæ turpitudinis ad retinendum ex diſpoſitione iuris, ergo non erit, cur res data non ſit congruentius eroganda pauperibus, vel in vſus pios. Confirmatur ex ijs, quæ docuimus *tom. 3. ſub tit. Contractus VIII. de ſimonia pranot. 7. n. 2.*, nempè pretium ſolutum pro collatione beneficij eſſe reſtituendum non danti, ſed Eccleſiæ, vel pauperibus; Confirmatur ſecundo ex textu *in c. cum ſit de Iudæis*, vbi dicitur, quod bona per Iudæos acquiſita, vtpotè turpitèr acquiſita, reſtituenda ſint pauperibus, ergo &c.

4 Accepta à Iudice propter iniuſtam ſentẽtiam effectu ſubſecuto ſũt in pauperes erogãda.

---

§. XVI.

An, & cui ſint reſtituenda, quæ flumen defert ob multarum aquarum confluxum.

SVMMARIVM.

Dilucidatur factum in ſuis terminis. 1.

Si nautæ extractis illis rebus à flumine congruam adhibuerint diligentiam de Dominis illarum, nec inuenerint faciunt res illas ſuas. 2.

Si bona vi fluminis fuerint adducta in agrum alterius, hic poſt debitam diligentiam non inuento Domino poteſt illas detinere. 3.

Si alter prauenerit Dominum agri, & bona illa acceperit poſt congruam diligentiam poteſt bona illa ſibi detinere. 4.

Diſquiſitio XVI. Facta in quadam regione ob aquarum è cælo defluentium copiam inundatione flumen res plurimas pretio æſtimabiles deferebat, quas nautæ flumen ipſum circumeuntes extrahebant, vel forte flumen ipſum res huiuſmodi detulit in agros certę, & determinatæ perſonæ. Hic orta fuit controuerſia, an nautæ acquiſierint dominium illarum rerum, adeò vt poſſint illa detinere, ſiue non comparente, ſiue comparente Domino, & an ille, in cuius agros impetu fluminis fuerunt delatæ, iuſtè illas acquirat, an verò, qui primus in illis agris illas inuenerit, ſeu occupauerit.

1 Factũ expoſitũ in ſuis terminis.

Reſpondeo primò, ſi nautæ extractis illis rebus à flumine adhibuerint congruam diligentiam pro inueniendo illarum Domino, nec inuenerint iuſtè faciunt res illas ſuas *Nauarrus in manual. c. 17. n. 176., Gabriel in 4 diſt. 15. q. 3. dub. 7. prop. 3.*, quibus adhæret *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. n.* 88. Ratio ex eo deducitur, quia, cum poſt congruam diligentiam non appareat de Domino illarum rerum, res illæ habentur pro derelictis *arg. l. qui leuanda ff. ad leg. Rhod. de iact.*, *Gabriel. in 4. diſt. 15. q. 8. in fin.*, ergo non eſt, cur non fiant primò apprehendentis, ſeu occupantis. Antecedens probatur, quia ex quo magno impetu fuerunt per flumen delatæ, nec Dominus diligentiam præſtat ad ea conquirenda; quinimmo extractor diligentiam pro Domino adhibuit, nec inuenit, probabilius eſt, quod Dominus animum depoſuerit illas redhibendi, ergo &c. Neque dicas, quod huiuſmodi bona habeantur pro inuentis, quæ propterea iuxtà ſuperius dicta conformitèr ad præſumptam voluntatem Domini videntur in vtilitates pauperum, vel in vſus pios eroganda; contrà enim impugnaberis, quia diſpar omninò eſt ratio de inuentis, ac de detractis à flumine, quandòquidem inuenta non ſupponuntur à Domino ceſſa, nec derelicta, extracta verò à flumine rapiente, & Domino non inſequente, nec requirente ab eodem præſumuntur derelicta, cum regularitèr diſperdantur, niſi extrahantur.

2 Facta cõgrua diligẽtia nautæ extrahentes faciunt res illas ſuas.

Supponũtur pro derelictis.

Dixi,

Dixi, *ſi congruam habuerint diligentiam*, quandòquidem ante illam poteſt præſumi, quod Dominus eas non dereliquerit, nec habuerit pro derelictis, & per conſequens non fiunt extractoris, cum in huiuſmodi rebus, quæ in rigore non poſſunt dici nullius diligentia requiratur.

3 Si vi fluminis fuerint inuecta in agrū alterius, hic facta debita diligentia, nec inuēto Domino poteſt illas detinere.

Reſpondeo ſecundò, ſi bona aliqua fuerint vi fluminis inundantis inuecta in agrum alterius, hic facta congrua diligentia, nec inuento Domino poteſt ea iuſtè ſibi retinere. *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 2. n.* 88. Ratio ex eo deducitur, quia bona illa habentur pro derelictis, & cum vi fluminis delata fuerint in prædia iſtius videntur potius iſti, quam alteri conuenire, cum quodamodo ratione agri apprehenderit, & ſicuti qui à flumine extrahit dicitur ea acquirere, ſi Dominum non inueniat, ita qui recipit in proprijs prædijs intelligitur acquirere, cum parum referat, vel quod ipſe extraxerit, & depoſuerit in proprijs prædijs, vel quod in proprijs prædijs fuerint repoſita vi fluminis inundantis, illucque deferentis.

4 Si alter præuenerit Dominum agri, & bona illa acceperit facta debita diligentia poteſt illa detinere.

Reſpondeo tertio, ſi flumen bona aliqua vi aquarum deuexerit in agros alicuius, & alter acceperit, antequam Dominus agrorum nouerit talem delationem, & apprehenderit, poteſt ille, qui accepit facta congrua diligentia pro Domino inueniendo, eoque non inuento, bona illa ſibi detinere. Ratio ex eo deducitur, quia Dominus agri ex eo præciſè, quod bona illa in ſuum agrum fuerint delata, non intelligitur acquirere poſſeſſionem, & dominium illorum bonorum, ergo, ſi alter apprehenderit, antequam Dominus agri nouerit illuc eſſe delata, & ipſe apprehenderit, iuſtè apprehendiſſe cenſendus eſt iuxta regulam, *Quæ habentur pro derelictis ſiunt primo apprehendentis, ſeu occupantis*. Antecedens probatur ex eo, quod res aliqua, quæ nullius ſit, reperiatur in meo agro non ſit mea, vt videre eſt in fera, quæ reperiatur in meo agro, & ab altero accipiatur.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de reſtitutione II. prænotiones.

§. I.

An vſurarius teneatur mittere abſentibus vſuras ſuis ſumptibus, an verò ſumptibus eorundem abſentium.

SVMMARIVM.

Exponitur factum, & rationes dubitandi circa ipſum. 1.

Probabilius ſunt reſtituendæ in loco, in quo Dominus fuiſſet habiturus, ſi ipſas non perſoluiſſet. 2.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 3.

Disquiſitio I. Ex pluribus mutuis Titius vſuras plures à pluribus mutuatarijs acquiſierat, qui mutuatarij in longinqua tranſierunt. Cum idem Titius angeretur conſcientiæ ſcrupulis, ſtatuit in corde ſuo vſuras acquiſitas reſtituere mutuatarijs; ſed, cum longe abeſſent, quæſitum fuit, an teneretur eiſdem remittere ſuis ſumptibus in locū, quo reperiuntur, an verò ſufficientèr ſatisfaceret in loco, in quo ipſe Titius vſurarius reperitur. 1 Facti expoſitio.

Oritur ratio dubitandi ex prædictis; cum etenim ea, quæ ſunt reſtituenda, ſi fuerint ex delicto, ſint reſtituenda ſumptibus delinquentis in loco, in quo Dominus fuiſſet ea poſſeſſurus, & ſi fuerint ex contractu, in loco, in quo fuerunt tradita, hinc cum bona, quæ per vſuras fuerunt acquiſita, videantur eſſe quodamodo ex delicto ſimul, & ex contractu relinquunt fundamentum ſuſpicandi, an tanquam debita ex delicto ſint tradenda in loco, in quo Dominus fuiſſet poſſeſſurus, an verò tanquam debita ex contractu ſufficientèr reſtituātur in loco, in quo tales vſuræ fuerunt receptæ; & quidem videtur prima fronte dicendum, quod ſufficientèr reſtituantur in loco, in quo fuerunt receptæ, quandòquidem non acceptæ fuerunt per vim, ſed Domino ſciente, & quodamodo conſentiente licet non omnimoda libertate, voluntarietate tamen mixta, & ſic, cur potius ratione inuoluntarietatis debent ſequi naturam, & conditiones debitorum ex delicto, quam ratione voluntarietatis natu-

Et ratio dubitandi circa ipſum.

Digitized by Google

naturam, & conditiones debitorum ex contractu?

2 Probabilius ſunt reſtituendæ in loco, in quo Dominus fuiſſet habiturus, ſi non perſoluiſſet.

Reſpondeo, probabilius eſſe, vſuras reſtituendas eſſe in loco, in quo Dominus fuiſſet habiturus, ſi eas vſurario non perſoluiſſet. Ratio ex eo deducitur, quia vſurarius aduerſus omne ius diuinum, & humanum eaſdem vſuras acquiſiuit, adeòque ex delicto, ergo ibi debet reſtituere, vbi Dominus fuiſſet habiturus, ſi eaſdem non perſoluiſſet ex generali regula ſupra poſita, quod debita ex delicto ſint reſtituenda in loco, in quo Dominus &c., nec vſurarius eximitur ab hoc onere ex eo, quod quodamodo conſenſerit in eaſdem vſuras, quandòquidem non præſtitit conſenſum liberum, ſed inuoluntarium mixtum, ratione cuius inuoluntarij vſurarum lucrum obnoxium eſt reſtitutioni, etiam ſi non petatur, cum ipſius dominium minimè fœnerator acquiſierit.

3 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Neque obeſſe poteſt primò, ſi afferatur, quod contractus, ex quibus vſurarius acquiſiuit, fuerint in vtriuſque contrahentis vtilitatem; mutuatarij ſcilicèt qui ex mutuo commodum accipit, & mutuantis, qui inde illud lucrum acquirit, ergo ad normam cæterorū contractuum, qui ſunt in vtriuſque contrahentis vtilitatem vſuræ reſtituendæ erunt in loco, in quo fuerunt receptæ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vtilitas, quæ quoquo modo conſurgit mutuatario, non tribuit ius mutuanti aliquid exigendi ſupra ſortem, cum debeat omninò gratis conferre, adeòque, ſi inde aliquid exigat, vel exegerit, ſupponitur exigere, vel exegiſſe ex delicto; quod propterea debet reſtitui ſine damno mutuatarij, adeòque in loco, in quo ipſe fuiſſet habiturus, ſi illud non perſoluiſſet.

Ex natura cōtractus mutuatarius commodū reportat.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi dicatur, quod compenſetur illud commodum mutuatarij cum incommodo, quod habere debet in receptione vſurarum in loco, in quo eas perſoluit, adeòque non eſt, cur mutuator, ſeu vſurarius teneatur eas remittere ſuis ſumptibus ad locum, in quo mutuatarius reperitur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex ipſa natura contractus mutuatarius debet illud commodum gratis recipere, ratione cuius propterea non tenetur, nec obligari poteſt ad aliquod damnum ſubeundum, cum hoc ſit contrà iuſtitiam contractus.

§. II.

An ad euitandum Reipublicæ damnum licitum ſit reſtitutionom diferre.

S V M M A R I V M.

Senſus difficultatis expoſitus. 1.
Ob bonum publicum poteſt miles iuſtè differre reſtitutionem. 2.
Soluitur contrarium argumentum. 3.
Procedit, ſiue illa arma ſint debita ex contractu, ſiue ex delicto. 4.

I Senſus diſquiſitionis.

DIſquiſitio II. Vigebat bellum perquam feruens in quadam Prouincia, iamque inter exercitus vrgebat conflictus. Aliquis ex militibus alterius exercitus veſtiebat arma aliena; Dominus illorum armorum agebat aduerſus militem ad conſecutionem armorum ſuorum, aduerſus quem excipiebat miles de fauore Reipublicæ in imminenti conflictu. Quæſitum hic fuit, an in hac hypotheſi non obſtante expreſſa voluntate Domini volentis ſtatim reſtitutionem armorum ſuorum potuerit miles ſtatim non reſtituere?

2 Poteſt miles iuſtè differre reſtitutionem.

Reſpondeo, indubitati iuris eſſe poſſe militem in ea hypotheſi non reſtituere ſtatim, ſed diferre reſtitutionem *Medina C. de rebus reſtituend. q. 2. in 4. dubio verſ. habet tamen hoc*. Ratio ex eo deducitur, quia reſtitutio non ſtatim facienda eſt rei alienæ, quando ex tali reſtitutione alteri imminet aliquod damnum, & item ipſi reſtituenti, ergo à fortiori non ſtatim facienda eſt, quando ex ipſa imminet damnum Reipublicæ, quandòquidem bonum totius debet præualere bono partis, & per conſequens damnum totius debet magis præcaueri, quam damnum partis.

3 Soluitur contrariū argumentum.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ea, quæ dicuntur in aſſumpto huius probationis ſolum verificentur, quia in ea hypotheſi præſumitur virtualis, & præſumpta volentas Domini, cui facienda eſſet reſtitutio; in præſenti autem hypotheſi non poteſt præſumi de tali voluntate, cum non obſtante imminentia belli cognita à Domino armorum, hic expreſsè velit ſua arma, vbi autem eſt expreſſa voluntas ad immediatam reſtitutionem, non poteſt eſſe præſumpta voluntas ad dilationem eiuſdem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis expreſsè diſſentiat ad talem dilationem, talis ex-

expreſſus diſſenſus eſt irrationabilis, adeòque de illo curandum non eſt; vndè in hac hypotheſi attendendum eſt non ad id, quod facit, ſed dumtaxat ad id, quod facere deberet, & per conſequens ad conſenſum iuſtum, & rationabilem, non ad diſſenſum illicitum, & irrationabilem, nam quoad hoc eſſe irrationabilitèr inuitus.

4 Procedit, ſiue illa arma ſint debita ex cōtractu, ſiue ex delicto.

Hæc, quæ dicuntur æquè procedunt, ſiue illa arma ſint debita Domino ex contractu, ſiue ex delicto, in vtroque etenim caſu, ſeu ex quocunque titulo arma ſint debita, debet præualere bonum totius, ſeu Reipublicæ bono cuiuſcunque particularis, quantumuis hic habeat ius ex iuſtitia ad rem ſuam redhibendam.

§. III.

Quantum debeat reſtituere, qui alterum per vim, & fraudem impediuit, ne conſequeretur beneficium.

SVMMARIVM.

Exponitur factum ſecundum omnes conſiderationes. 1.

Remouens per vim, & fraudem collatorem à conferendo, & volentem concurrere à concurrendo ſine aliqua circunſtantia maioris dignitatis in alio grauitèr peccat, & tenetur ad reſtitutionem damni. 2.

Impediens, ſeu remouens per vim, & fraudem teſtatorem à voluntate inſtituendi, tenetur ad reſtitutionem. 3.

Impediens concurrentem ad beneficium, vt dignior inſtituatur, non tenetur ad compenſationem. 4.

Compenſatio facienda eſt non ad æqualitatem beneficij, ſed ſpei erga ipſum. 5.

1 Factum tale.

DIſquiſitio III. Agebat Titius ad conſecutionem beneficij, ad quod habebat omnia requiſita, cum dignus eſſet, alter per vim, & fraudem remouit collatorem iam ex ſe quoquo modo diſpoſitum ad illi conferendum à collatione, & ſic Titius fuit omiſſus, & beneficium alteri collatum. Quæſitum hic fuit, an ille, qui per vim, & fraudem remouit collatorem, ne Titio conferret, teneatur ad aliquam reſtitutionem, & ad quantam.

Extenſio facti.

Hæc quæſtio, quæ excitatur præcisè in ordine ad eum, qui per vim, & fraudem remouit collatorem à collatione beneficij, & impediuit Titium à conſecutione eiuſdem, extendi poteſt ad remouentem teſtatorem ab inſtituendo aliquo hærede, & impedientem à conſecutione hæreditatis, & item ad impedientem, ne quis per piſcationem, & venationem aliquid conſequatur.

Loquendo in particulari de impediente per fraudem conſecutionem beneficij conſiderandum eſt, an remouerit à tali collatione, & conſecutione ad effectum, vt magis dignus promoueretur, vel ſaltem æquè dignus, vel forte etiam minus dignus. Conſiderabile circa ipſum.

Reſpondeo primò. Remouens per vim, & fraudem collatorem à collatione beneficij, & Titium concurrentem ad illud conſiderata re ſine aliqua circunſtantia maioris dignitatis in alio, & grauitèr peccat, & tenetur ad compenſationem damni. Conſentit in hoc expreſsè *Diana part. 3. tract. 6. reſol. 33.*, & arbitror conſentire, quotquot ſuſtinent impedientem, ſeu remouentem à collatione, ſeu conſecutione hæreditatis teneri ad reſtitutionem; atque hi ſunt *Tannerus in primā ſecundæ D. Thomæ diſp. 4. q. 6. dub. 2. nu. 65.*, *Nauarrus in manual. c. 17. nu. 76.*, *Laiman Theol. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 2. c. 7. n. 3.*, *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. c. 22. n. 21.*, *Azorius part. 3. lib. 4. c. 9. q. 1.* Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis Titius ante collationem non habeat ius abſolutum ad illud beneficium, ius tamen habet, ne per vim, & fraudem ab illius conſecutione impediatur, & hoc ius habet Titius in voluntate collatoris, ergo, qui talem voluntatem per vim, & fraudem directè violat, & alio deflectit, iniuriam infert ei, qui habet tale ius, adeòque tenetur &c. Confirmatur, quia illa ſpes, quam Titius habet fundatam in voluntate collatoris, & in proprijs meritis eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, ergo, qui eandem per vim, & fraudem demit remouendo &c. tenebitur &c. 2 Impediēs per vim, & fraudē à cōſecutione beneficij peccat, & tenetur ad compēſationem damni.

Hinc deduces primo, in ſimili caſu impedientem per vim, & fraudem remouendo teſtatorem à voluntate inſtituendi teneri ad reſtitutionem propter eandem rationem, atque in terminis huius illationis præter DD. præcitatos in aſſertione loquuntur *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 12. dub. 18. nu. 123.*, *Vaſquez in part. 2. D. Thomæ tom. 2. diſp. 175. c. 2. n. 13.*, *Bonacina de contract. diſp. 1. q. 2. punct. 12. n. 5.*, *Siluius in 2. 2. q. 62. art. 2. concl. 5.* 3 Etiam impediens teſtatorem à voluntate inſtituendi.

Deduces ſecundò, quod, ſi quis per vim, & fraudem alterum impediat, ne quid acquirat per piſcationem, & venationem, cum probabilitèr eſſet conſecuturus, teneatur ad compenſationem eius, quod moralitèr fuiſſet conſecuturus deductis &c. arbitrio prudentis *Diana part. 3. tract. 6. reſol. 33. verſ. octauo, qui per vim.*

Re-

Digitized by Google

4 *Impediẽs concurrẽtem ad beneficiũ ad effectum, vt dignior inſtituatur, nõ tenetur ad reſtitutionem.*

Reſpondeo ſecundò, remouens per vim, & fraudem, & efficiens, ne Titius dignus conſequatur beneficium, ad quod concurrebat ad effectum, vt dignior promoueretur, ſeu promoueatur, probabilius eſt, quod non teneatur ad reſtitutionem *Diana d. part. 3. tract. 6. d. reſol. 33. verſ. vndecimo, ſi aliquis dignus*. Ratio ex eo deducitur, quia in concurſu dignioris minus dignus non habet iuſtum ius, nec etiam in voluntate collatoris, vt ipſe promoueatur ad beneficium, ſiquidem ex natura ſua, & ex diſpoſitione Concilij Tridentini, & ex iuſtitia diſtributiua digniores ſemper ſunt præferendi, ergo remouens ad hunc effectum non tenebitur ad aliquam compenſationem, cum remoti aliquod ius non violet. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod teneatur ratione fraudis, cum vnuſquiſque ius habeat, ne per fraudem arceatur à iure, ad quod poteſt concurrere. Secundò, quia ſpes, quam habere poterat minus dignus eſt meritoria alicuius lucri, cum quandòque contingat, quod minus digni promoueantur, ſicque ſaltem eſt illi retribuendum quantum ſpes illa valet; Non, inquam, obeſſe poteſt, non primum, quia fraus, quæ nullius ius violat, cum non lædat iuſtitiam, non obligat ad aliquam reſtitutionem, quamuis aliquo modo lædat eum, in quem committitur fraus; non ſecundum; quia vnuſquiſque ius habet curandi, vt beneficia conferantur dignioribus, nec in hoc rationabilitèr poteſt lædi voluntas collatoris, quæ debet conformari diſpoſitioni iuris, iuſtitiæ diſtributiuæ, & æquitati.

5 *Compenſatio facienda eſt non ad æqualitatẽ beneficij, ſed ſpei ergà ipſũ.*

Reſpondeo tertiò, quantumuis remouens teneatur ad reſtitutionem, non tamen tenetur ad æqualitatem, ſecundum quam reſtituendum adæquetur eidem beneficio, ſed tantum ſpei, quam habere poterat ad idem beneficium. Conſentiunt *Diana part. 3. tract. 6. reſol. 33. verſ. notandum tamen eſt, Azorius part. 3. lib. 4. c. 9. qu. 1., Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. c. 22. n. 21.* Ratio ex eo deducitur, quia ius illud, in quo violatus eſt contendens ad beneficium, vel ad hæreditatem, vel ad piſcationem, vel ad venationem non eſt ius certum, & abſolutum, ſed dumtaxat incertum, & conditionatum, cum in libera voluntate collatoris poſitum ſit, vel teſtatoris, vel in certo fortunæ exitu, ergo non eſt compenſandum tanto ære, quantum exigit ius certum, ſed dumtaxat quantum exigit ſpes, ſeu ſpes illa poteſt æſtimari prudentis iudicio.

§. IV.

An impediens ſine fraudibus, ſed cum precibus, blandicijs, & muneribus licet ex odio teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Exponuntur quæſita circa titulum. 1.
Remouens ex odio, vel ex inuidia per ſuaſiones, & blanditias grauitèr peccat. 2.
Non tamen tenetur ad reſtitutionem. 3.
Nec ille animus nocendi obligat, & quare. 4.
Niſi importunæ preces intercederent, & vim inferentes. 5.

1 *Articuli, & tituli examinãdi.*

DIſquiſitio IV. Iuxtà ſeriem caſuum in præcedenti paragrapho expoſitorum Titium contendentem ad conſecutionem beneficij, vel hæreditatis, vel venationis, ſeu piſcationis Caius impediuit non quidem per vim, vel fraudem, ſeu mendacia, ſed per ſuaſiones, blandicias, vel per munera remouendo per hæc, vel ſimilia collatorem, ſeu teſtatorem à collatione beneficij, vel hæreditatis, vel ipſum Titium à venatione, vel piſcatione. Quæſitum hic fuit, an hic peccauerit, & an teneatur ad reſtitutionem, vel compenſationem, etiam ſi hoc præſtiterit ex odio, vel ex inuidia.

2 *Remouẽs ex odio, & mala voluntate per preces grauitèr peccat.*

Reſpondeo primò, ſi hæc præſtiterit ex odio, vel ex inuidia, remouentem, quantumuis per ſuaſiones, blandicias, ſeu munera peccauiſſe. Conſentiunt *Diana part. 3. tract. 6. reſol. 33. verſ. verum non grauabor, & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia intentio nocendi, odium, inuidia ſunt ex genere ſuo peccaminoſa, ergo, qui alterum remouet à benefaciendo per odium, & inuidiam, quantumuis hos prauos affectus palliet blandicijs, precibus, & muneribus grauitèr peccabit.

Item ſi nõ ex odio, ſed ex maiori propenſione erga alterum.

Quid autem, ſi remoueat collatorem, ſeu teſtatorem à conferendo beneficio, ſeu hæreditate non odio, & praua voluntate erga Titium; ſed ex maiori propenſione in alium, peccat ne, an non? Probabilius eſt, ſi collator, ſeu teſtator fuerit diſpoſitus erga Titium ſic remouentem quoquo modo peccare contra charitatem, quia opus, quod præſtat, cedit in præiudicium eius, verſus quem teſtator, ſeu collator erat diſpoſitus; Eximerem tamen à culpa, ſi ille, in cuius fauorem ſic remouendo diſpoſuit teſtatorem, ſeu collatorem, erat perſona coniuncta ipſi remouenti, & diſponenti, & habebat ali-

Digitized by Google

aliquod maius ius ad illud beneficium, vel hæreditatem.

Reſpondeo ſecundò, quantumuis ex odio, & ex inuidia ſic remouendo peccauerit, quia tamen remouit collatorem, ſeu teſtatorem non per vim, & fraudem, ſed dumtaxat per ſuaſiones, blanditias, & munera, non tenetur ad aliquam reſtitutionem, ſeu compenſationem *Leſſius lib. 2. c. 12. dub. 18. n. 123., Azorius part. 3. lib. 4. c. 9. q. 1., Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 11. diffic 43. n. 10., Nauarra de reſtitut. lib. 3. c. 5. n. 11., Turrianus in 2. 2. D. Thomæ diſp. 26. dub. 1. nu. 7., Rebellius part. 1. lib. 3. q. 1. concl. vlt. nu. 5., Siluius 2. 2. qu. 62. art. 2. quæſt. 25. concl. 2., Nauarrus c. 17. n. 69. & ſeqq., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. verſus finem*. Ratio ex eo deducitur, quia totum ius, quod habebat Titius ad illud beneficium, ſeu hæreditatem ſitum erat in voluntate collatoris, ſeu teſtatoris, quæ erat diſpoſita verſus eundem Titium, ſed remouens per ſuaſiones, blanditias, & munera non demit voluntatem, ſeu libertatem teſtatoris, ſeu collatoris, ſiquidem ſuaſiones, & blandiciæ non tollunt rationem voluntarij, quin potius augent, ergo ipſius ius per illas ſuaſiones, blandicias, & munera non violantur *arg. textus in l. fin. C. ſi qualis aliquem teſt. prohib.*; Nec obeſſe poteſt ille prauus animus oriens ex odio, & inuidia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille prauus animus non eſt contrà iuſtitiam, ſed dumtaxat contrà charitatem, qui propterea non obligat ad reſtitutionem. Deinde ille prauus animus internus, niſi coniungatur cum aliquo opere externo, quod ſit contrà iuſtitiam non obligat ſecundum ſe ad reſtitutionem; prauus autem ille animus in præſenti hypotheſi non coniungitur, niſi cum precibus, ſuaſionibus, & blandicijs, quæ non aduerſantur iuſtitiæ, cum non tollant libertatem.

3 **Non tamen tenetur ad reſtitutionem.**

Blanditiç, & preces non tollunt rationem voluntarij.

Vrgebis, cum illas preces, ſuaſiones, & blandicias adhibuerit cum animo alteri nocendi aperte videtur iniuriam eidem inferre, prout paritate videtur deduci ex ijs, quæ habentur *in l. 2. §. idem labeo ff. de aq. & aq. pluu. arcen.*, vbi ſic legitur. *Qui auertit torrentem, ne ſibi noceat, vnde factum ſit, vt vicino noceatur cum eo aquæ pluuiæ arcendæ agi non poſſe à vicinio, ſi modo non hoc animo fecit, vt vicinio noceat, ſed, ne ſibi noceat*, vbi vides, quod animus ille nocendi, quantumuis coniungatur cum opere externo, quod ſecundum ſe non aduerſatur iuſtitiæ, obliget tamen ex iuſtitia ad reſtitutionem, quod colligitur ex illis verbis, *ſi modo non hoc animo fecit, vt vicinio noceat*. Sed contrà, quia, vt bene notat *Nauarrus in man. c. 17. n. 71.*, quantumuis argumentum à contrario ſenſu in iure ſit efficax, & validiſſimum per textum *in l. 1. ff. de offic. eius cui mand. eſt iur. & c. Apoſtolica de his, quæ fiut à præl. ſine conſ. cap.* fallit tamen quoad ea, quibus contrarium in iure exprimitur, prout in præſenti caſu, ſecundum quem intentio mala ſine opere iniurioſo non obligat ad reſtitutionem per textum *in cap. à nobis de ſent. excommunicationis*.

4 **Nec ille animus nocendi obligat, & quare.**

Nec aliquam vim facere videtur id, quod habet *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2.*, nempè actum malo animo factum inducere reſtitutionem aliquo caſu, quo bono animo factus non induceret; Non, inquam, vim facere videtur, quia D. Thomas ibi loquitur de opere iniuſtè patrato, ſeu alteri iniurioſo cum malo animo, non de actu ſolo malo animo facto, qui ſecundum ſe non eſt iniurioſus, nec contrà iuſtitiam.

Soluitur inſtantia deducta ex D. Thoma.

Limitant hanc ſecundam noſtram reſponſionem *Bartholomæus Medina lib. 1. cap. 14. nu. 31., Corduba in ſumma qu. 100., Nauarrus in manual. c. 17. nu. 72. & ſeqq., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 5. n. 11.* in caſu, quo remoueretur animus teſtatoris per importunas preces, vel aliquo alio modo, quaſi vim inferendo, puta infirmum terrendo, voce, vultu, contriſtatione, vel lachrimis; hoc etenim eſt quandam vim inferre; vndè teſtator ità languens neceſſitate potius cedit ad ſe eximendum ab illa vexatione, quam voluntate.

5 **Niſi importunæ preces intercederēt, & vim inferētes.**

---

§. V.

An per preces impediens aliquem à conſecutione bonorum, quæ deſtinata ſint in ſingulorum vtilitatem, teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Rationes ſuadentes non obligari ad reſtitutionem. 2.
Sic impediens precibus, & ſuaſionibus tenetur ad reſtitutionem. 3.
Soluitur prima ratio oppoſita. 4.
Soluitur ſecunda ratio oppoſita. 5.

Diſquiſitio V. In quadam Ciuitate inductum eſt ad beneficium commune ciuium ærarium publicum ad ſubueniendum ſingulis in proprijs neceſſitatibus, vel forte etiam Mons Pietatis ad mutuandum indigentibus præſtito tamen pi-

1 **Facti ſeries expoſita.**

Digitized by Google

pignore. Indigebat Franciſcus pecunia ad ſubueniendum propriæ inopiæ in quodam particulari caſu; ſed Siluius non quidem per vim, & fraudem, ſed ſuaſionibus, & precibus impediuit eundem Franciſcum à conſecutione bonorum, vel titulo mutui, vel iuſtæ diſtributionis debitorum. Quæſitum hic fuit, an Siluius teneretur ad aliquam reſtitutionem, vel compenſationem.

2 Rationes ſuadentes non obligari ad reſtitutionem. Videtur abſolutè aſſerendum, non teneri ad aliquam reſtitutionem, vel compenſationem, ſicuti non tenetur ex ſupradictis ad eandem, quando quis precibus, & ſuaſionibus tantum remouit, ſeu impediuit aliquem à conſecutione beneficij, ſeu officij publici; Secundò, quia illæ preces, & ſuaſiones non tollunt rationem voluntarij in diſtributore; vndè, ſi legitimè non diſtribuit, imputandum erit eius culpæ, qui propterea obligabitur, non ſuadenti, ſeu precanti, qui vim non intulit, nec abſtulit voluntarietatem. Nihil ominùs

3 Sic impediens precibus, & ſuaſionibus tenetur ad reſtitutionem. Reſpondeo, ſic impedientem precibus, & ſuaſionibus teneri ad reſtitutionem, ſeu compenſationem *Siluius in 2. 2. D. Thoma qu. 62. art. 2. quæritur vigeſimo quinto concl. 5., Nauarrus in manual. c. 17. nu. 72.* quibus adhærere videtur *Diana part. 3. tract. 6. reſol. 33. verſ. ſed claudam hanc reſolutionem*. Ratio ex eo deducitur, quia illa bona ex ipſo iure inſtitutionis illius ærarij publici, ſeu Montis Pietatis ſunt debita omnibus, & ſingulis illius Ciuitatis, vel ſaltem omnibus indigentibus, ergo qui conſulit, ſeu ſuadet, ne illa bona alicui diſtribuantur, tenebitur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, quandòquidem ad reſtitutionem non ſolum tenetur principalis executor, ſed etiam conſulens, ſuadens, & palpans, cum iſti ſint iniuſti cooperatores.

4 Soluitur prima ratio oppoſita. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ afferebantur pro contraria opinione de impediente collationem beneficij, ſeu officij publici; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, vt bene notat *Nauarrus in manuali d. c. 17. num. 72.* diſpar omnino eſt ratio quoad impedimentum collationis beneficij, ſeu officij publici, ac de impedimento diſtributionis bonorum communium, quandòquidem beneficia, & officia publica non itá ſint debita ijs, inter quos ſunt diuidenda, ſicuti bona ærarij publici ſunt debita omnibus, & ſingulis; vnde diſtributores in primo caſu non diſtribuunt tanquam debita eis, quibus diſtribuuntur, ſed principalitèr in debita ſeruitia in fauorem Eccleſiæ, ſeu Reipublicæ; in ſecundò autem caſu diſtribuunt, tanquam debita eiſdem ciuibus præcisè in fauorem ipſorum.

Minus obeſſe poteſt id, quod ſubdebatur, quod ſcilicèt preces, & ſuaſiones nō tollant rationem voluntarij in eo, qui non diſtribuit, adeòque, quod onus reſtitutionis, ſeu compenſationis non ſit refundendum in ſic ſuadentem, & precantem, ſed dumtaxat in non diſtribuentem; Minus, inquam, obeſſe poteſt, quia ſuaſiones, & preces, quantumuis non obligent ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, quando id, ad quod ordinantur, non eſt debitum alio titulo iuſtitiæ, ſed tantum dependentèr à voluntate conferentis, cum non tollant rationem voluntarij, quando tamen id, ad quod ordinantur eſt aliunde titulo iuſtitiæ debitum, vtique obligant, cum moueant efficaciter ad nō conferendum id, quod iuſtitia compellente debet conferri; cæterum, ſi ex eo præcisè, quod non tollant omnimodam rationem voluntarij in ijs, quę ſunt aliunde debita, non ponerent obligationem reſtituendi, ſeu compenſandi, nec conſulentes, nec ſuadentes damnum alteri inferendum obligarentur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, cum per conſilium, & ſuaſionem non ponant neceſſitatem damnificandi, nec tollant abſolutè rationem voluntarij. 5 Soluitur ſecunda ratio oppoſita.

---

§. VI.

Quinam ordo ſeruandus eſt inter non diſtribuentem huiuſmodi bona, & ſuadentem, & precantem non reſtitui.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Tenetur primo loco ille, qui non diſtribuit. 2.
Reſtituente eo, qui non diſtribuit, eximitur ſuadens, & precans ab onere reſtitutionis. 3.

Diſquiſitio VI. Onus erat Titio diſtribuendi ſingulis ciuibus bona ærarij publici. Caius per preces, & ſuaſiones induxit eundem Titium, ne conferret Sempronio. Ex dictis in præcedenti paragrapho ſic ſuadens, & precans tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem; certum tamen eſt, quod, & ipſe Titius diſtributor ex officio non deobligatur ab onere reſtitutionis, cum contrà ius iuſtitiæ non adimpleuerit adimplenda. Quæſitum hic fuit, quinam ordo ſeruandus ſit in huiuſmodi reſtitutione, ſeu compenſatione, an ſcilicèt primo loco teneatur Titius, qui non diſtribuit, an verò 1 Facti ſeries exponitur.

Ca-

Digitized by Google

Caius, qui ſuaſit non diſtribui Sempronio? & an altero reſtituente alter eximatur verſus reſtituentem ab onere compenſationis ſaltem pro rata?

2 Tenetur primo loco ille, qui nō diſtribuit.

Reſpondeo primò, teneri primo loco Titium non diſtribuentem. Conſonant cum ijs, quæ ſupra diximus, dum de ordine reſtitutionis *ſub hoc eod. tit. de reſtitutione II. prænot. 7. aſſert. 2. & 3.* Ratio ex eo deducitur, quia ipſe non diſtributor eſt cauſa Phyſica, iniuſta, & magis immediata illius non conſecutionis rei debitæ Sempronio, ergo ipſe magis immediatè tenetur ad compenſationem, & principalitèr. Conſequentia probatur, quia in concurſu cauſarum damnificantium primo loco tenetur cauſa Phyſica, quam moralis, & inter cauſas eiuſdem generis, & ordinis illa, quæ immediatius, & ordine efficaciori attingit effectum. Accedit, quod ipſe non diſtribuens tenetur ratione rei debitæ, nam, vel illam adhuc retinet penes ſe, & ſic ratione eiuſdem tenetur conferre, vel alijs diſtribuit, quibus non erat diſtribuenda, cum eſſet debita huic, & ſic ratione iniuſtæ diſtributionis eiuſdem rei tenetur; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ipſe ſuadens, & precans fuerit principalis cauſa moralis, & quod non diſtributor fuerit ad ſummum cauſa phyſica inſtrumentalis, nam, ſi non fuiſſet ſic motus, diſtribuiſſet ſecundum ordinem iuſtitiæ, & proinde, quod ipſe ſuadens primo loco teneatur comparatiuè ad non diſtribuentem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis, ſi non fuiſſet motus illis precibus, & ſuaſionibus, diſtribuiſſet ſecundum ordinem iuſtitiæ, non tollitur tamen, quin ipſe Phyſice, & principalitèr damnum intulerit, cum non ceſſarit à diſtributione nomine ſuadentis, ſed nomine proprio, non etenim deſtitit, vt traderet ipſi ſuadenti; vt videre etiam eſt in conſulente, qui, quantumuis per conſilium moueat ad damnum, quod ſine tali conſilio non ſequeretur, quia tamen exequens Phyſice operatur, & non nomine conſulentis, ſed proprio, intelligitur cauſa principalis Phyſica, adeòque primo loco obligata.

Tenetur primo loco cauſa Phyſica.

3 Reſtituēte eo, qui nō diſtribuit, ſuadens, & precans eximitur ab onere reſtitutionis.

Reſpondeo ſecundo, reſtituente ipſo non diſtribuente ſuadens, & precans eximitur ab onere reſtitutionis. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, quandòquidem ſoluente principali debitore minus principalis eximitur; nec ſubijciendus eſt ſuadens, & precans oneri talis ſolutionis ſaltem pro rata ex eo, quod, ſi non ſuaſiſſet, nec deprecatus fuiſſet, principalis executor non abſtinuiſſet ab illa diſtributione; Non, inquam, ſubijciendus eſt, quia ſibi debet imputare principalis non diſtributor, quod annuerit precibus, & ſuaſionibus, cum illæ vim non inferant, nec tollant rationem voluntarij, ac proinde in ordine ad ipſum non poteſt conſiderari iniuria, cum ſcienti, & conſentienti non fiat iniuria. Deinde, vel illud, quod non contulit Titio, adhuc retinet penes ſe, & ſic ipſe tenetur reſtituere ratione rei, vel alijs diſtribuit, quibus non debebatur, & ſic ratione iniuſtæ diſtributionis ipſe habetur pro principali damnificante, qui propterea tenetur principalitèr, & in ſolidum.

---

§. VII.

An conſulens in dubio, quod ipſius conſilium cauſa fuerit furti, vel homicidij, teneatur ad compenſationem.

SVMMARIVM.

Dilucidatio caſus in terminis particularibus. 1.
Prima ſententia aſſerens obligari ad reſtitutionem cum ſuis rationibus. 2.
Sententia aſſerens nullo modo obligari. 3.
Sententia aſſerens obligari tantum pro rata dubij. 4.
De rigore iuris perſeuerante tali dubio non tenetur, ex æquitate tenetur pro rata. 5.

1 Factū expoſitū in particulari.

DIſquiſitio VII. Cum Titius conquereretur coram Caio de præſumpta quadam iniuria recepta a Teodorico Caius eidem Titio conſuluit, vt vel furtum committeret in rebus eiuſdem Theodorici, vel ipſum interficeret. Elapſo aliquo temporis interuallo Titius aduerſus eundē Theodoricum furtum comiſit, vel forte ipſum interfecit. Non ſolum ex temporis interuallo, quod interceſſit inter conſilium Caij, & furtum, vel occiſionem Theodorici dubitauit Caius, an illud furtum, ſeu homicidium ſecutum fuerit ex ipſius conſilio, ſed etiam, quia antecedentèr ad ipſum conſilium maximam iram Titius exhiberet aduerſus eundem Theodoricum. Quæſitum hic fuit, an Caius in illo dubio teneretur ad aliquam compenſationem, & quamnam.

2 Sententia aſſerens obligari ad reſtitutionem cum ſuis rationibus.

Tres potiſſimum circa hoc inuenio opiniones. Prima eſt, quæ docet teneri conſulentem etiam in illo dubio reſtituere ea ratione, quia cum conſtet de iniuſta actione, ſeu conſilio iniquo, quod ſecundum ſe aptum eſt inducere ad illum effectum præſumptio ſtat pro eadem actione ini-

Digitized by Google

iniqua, quæ ſcilicèt attigerit illum effectum damnificationis, ſiue in rebus fortunæ, ſiue in bonis vitæ; atque ita ſentiunt *Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. diſp. 21. n. 17., Maſcardus de probat. tom. 1. concl. 419. n. 9., Coaruuias in clem. ſi furioſus p. 2. §. 2. n. 1., Naldus in ſumma verb. conſilium n. 13.*

3 Secunda huic ex diametro contraria ſuſtinet, conſulentem in tali dubio ad nullam teneri compenſationem, ſeu reſtitutionem propter eam rationem, quia in dubijs maximè in materia iuſtitiæ melior ſemper eſt conditio poſſidentis; atque huius opinionis ſunt *Medina C. de rebus reſtituen. q. 7. ante verſ. ſi autem conſilium, Sairus in claui Regia lib. 10. tract. 2. c. 8. n. 1. in fine, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. dub. 4. in 2. edit. nu. 48., Rebellius part. prima lib. 2. q. 14. ſect. 2., Tannerus in 2. 2. D. Thomæ diſp. 4. qu. 6. dub. 14. num. 395.* atque huic opinioni fauere videtur *D. Thomas 2. 2. q. 52. art. 7.* dum dicit conſulentem, alioſque qui ſecundario cooperantur tunc ſolum teneri, quando probabilitèr æſtimari poteſt, quod ab ijs iniuſta actio fuerit ſubſecuta.

Sententia aſſerens nullo modo obligari.

4 Tertia eſt quaſi media inter duas præcedentes, quæ docet ſic conſulentem in tali dubio, nec abſolutè eximi ab onere reſtitutionis, nec obligari ſimplicitèr, & abſolutè ad illud damnum, ſed tantū pro ratione, & ad ratam dubij; atque ita ſentire videtur *Molina tom. 3. de iuſt. diſp. 736. n. 6. & alij.* Quid igitur concludendum?

Sententia aſſerens obligari pro rata dubij.

5 Reſpondeo ſiſtendo in iuribus, & rationibus probabilius eſſe in tali dubio, ſi poſt diligentem inquiſitionem adhuc tale dubium perſeueret, conſulentem ad nihil teneri; ſiſtendo verò in æquitate naturali teneri ad partem pro quantitate dubij. Ita quoad primam partem præter allegatos DD. *Silueſter verb. reſtitutio 3. qu. 6. dict. 2., Fillintius tom. 2. pract. 21. c. 4. n. 167., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 84.*

De rigore iuris ad nihil tenetur, ex æquitate pro rata.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia in dubio, vtrum efficacitèr conſulens mouerit auctorem ad damnificandum, nec ne, præualere debet ius poſſeſſionis, quo gaudet ipſe conſulens, quo non debet ſpoliari, niſi ob certitudinem moralem damni illati; vnde ſtante poſſeſſione verificantur ea, quæ diximus *tom. 1. de contractibus ſub tit. Contractus I. de contract. vt ſic prænot. 2.*, quod ſic dubitans, licet non habeat bonam fidem ſpeculatiuè, habeat tamen bonam fidem practicè propter fundamentum iuris, quod poſſeſſor in dubio ſit in poſſeſſione manutenendus. Verum tamen eſt, quod ea, quæ dicta ſunt in hac prima parte reſponſionis, intelligenda ſint, quando dubium eſt vtrinque æquale; ſi etenim fortiora indicia inclinent in partem, quod ipſe conſulens fuerit cauſa efficax illius damnificationis, tunc non grauarer concedere, quod conſulens teneretur ad reparationem ſaltem ad ratam dubij.

In dubio præualere debet ius poſſeſſionis.

Dices ſemper præſumendum eſſe, quod conſulens fuerit cauſa efficax illius damnificationis *arg. textus l. merito ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod in dubio nemo præſumitur delictum commiſſurus, & per conſequens, quod auctor non fuiſſet male acturus, niſi acceſſiſſet conſilium, quod confirmari poteſt, quia, vel auctor independentèr ab illo conſilio iam erat apparentèr determinatus ad illud damnum, vel erat indeterminatus; ſi primum, iam non poteſt eſſe dubium, quod conſulens efficatitèr mouerit, vel non mouerit, cum iam conſtet de determinatione auctoris independentèr ab illo; ſi ſecundum; cum in dubio æquali auctor cenſeatur indeterminatus, præſumendum eſt, quod conſilium accedens ipſum determinauerit, ergo in dubio, præſumendum eſt pro efficacia conſilij. Sed contrà; quia cum, vt in facti ſerie exponitur, Titius auctor illius furti conquereretur coram Caio de iniuria recepta à Theodorico, poteſt eſſe præſumptio, quod illa iniuria motus patraſſet illud delictum, & ſic exiſtente cauſa ab eadem poteſt præſumi motus animus Titij ad delinquendum, vndè textus in illa *l. merito ff. pro ſocio* intelligendus eſt, quando nulla cauſa ſubeſt. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, quod ſupponatur, quod nec conſtet conſulenti, vtrum fuerit auctor determinatus, vel indeterminatus, ſed idem conſulens dubius ſit de determinatione, vel indeterminatione auctoris, cum nouerit cauſam iræ propter iniuriam eidem illatam, nec tamen ſciuerit, vtrum propter eam fuerit executurus illud damnum; vndè in tali dubio non debet ſibi certo imputare, quod mouerit, adeòq; non debet ſe priuare ſuo iure, ſuaque poſſeſſione. Sed, an in hac hypotheſi teneatur credere auctori, quod motus fuerit ad patrandum illud delictū ſuo conſilio *Sanchez in ſumma to. 1. lib. 1. c. 10. n. 44.* ſentit teneri, quando homicida, vel fur eſt fide dignus, ſecus non. Diana verò abſolutè tenet in tali dubio conſulentem poſt adhibitam diligentiam, ſi adhuc dubius remaneat, ad nullā teneri reſtitutionem, hocque aſſerit *p. 3. tract. 5. reſol. 84.*

Soluuntur rationes aduerſantes.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia æquitas poſtulat, quandò dubium eſt vtrinque æquale inter conſulentem, & auctorem, quod damnum ſecundum æqualitatem diuidatur; atque hæc de reſtitutione II. dicta ſint ſatis.

DE

DE RESTITVTIONE III.

Hoc eſt

De cauſis excuſantibus à reſtitutione.

QVamuis reſtitutio obliget de iure Diuino, & quidem ſub præcepto negatiuo pro quacunque temporis differentia, non eſt tamen adeo arcta, quin interuenientibus legitimis cauſis poſſit quoad obligationem diſſolui. Ea eſt rerum humanarum, ſeu temporalium conditio, vt quamuis de iure gentium per generales diuiſiones, vel ex ſpeciali iure per priuatas conuentiones, & contractus ſint certis familijs, vel perſonis appropriata, ſi tamen in alios tranſierint, vel per iniuſtas actiones, vel Domino conſentiente, cum onere tamen, vt ad eundem tranſeant per redhibitionem, eximantur à tali onere, ſi ex parte recipientis talia concurrant, quæ vel impotentem reddant, vel minus idoneum ad accepta referenda; non enim præceptum reſtitutionis adeo vrget, vt in quocunque euentu etiam cum maximo detinentis diſcrimine vim inducat reſtitutionis; nec ex parte dumtaxat recipientis ius illud diſſoluitur, ſed quandoque etiam ex perſona Domini conferentis, vel ius in rebus illis habentis, vt ſi debitum remiſſerit, vel æquali compenſatione fuerit gauiſus. Cauſas omnes, ſiue ex parte recipientis, ſiue ex parte Domini ius habentis ſedulo in præſenti examinabimus, vt qui onera adhuc fuimus perſcrutati, iura etiam quoquo modo diſſoluentia huiuſmodi onera quoad congruum examen, & diſcuſionem non omittamus; & ſic completa erunt omnia, quæ ad exactam reſtitutionis cognitionem, quam in hoc opere indagandam aſſumpſimus, poſſunt pertinere.

PRÆNOTIO I.

An, & quomodo impotentia debitoris ipſum eximat ab onere reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Explicantur gradus impotentiæ. 1.

Impotens ſimpliciter ad reſtituendum excuſatur. 2.

Extremè indigens non tenetur reſtituere, ſiue ſit debitor ex delicto, ſiue ex contractu. 3.

Aliqua neceſſitas grauis excuſat à reſtitutione. 4.

Excuſatur non ſolum, quando neceſſitas extrema, vel grauis afficit ipſum debitorem, ſed etiam ſuos. 5.

Indi-

Digitized by Google

Indigens in extrema neceſſitate non fit Dominus. 6.

Quantumuis creditor fuerit in eadem neceſſitate, in qua eſt debitor, non tenetur hic illi reſtituere. 7.

Hæc verificantur, quamuis debitor eſſet ſolum in graui neceſſitate ſpectante ad bona naturæ. 8.

Tranſacta neceſſitate debitor tenetur reſtituere. 9.

Quandòque debitor tranſacta neceſſitate abſoluitur ab onere reſtituendi, & quando. 10.

1 Explicantur gradus impotentiæ.

IAm incipimus ea examinare, quæ eximunt ab onere reſtitutionis ex parte debitoris; & primo ſeſe offert impotentia eius, qui cæteroqui teneretur ad reddendum id, quod accepit, ſiue ex iniuſta actione, ſiue ex debito ob contractum. Hæc impotentia duplex quodammodo eſt; alia ſimplicitèr; alia ſecundum quid. Prima eſt, quando debitor omnimoda premitur impoſſibilitate ad reſtituendum id, quod debet, nihilque omninò habet, vnde reſtituat. Secunda eſt maxima reſtituendi difficultas; quod enim valdè difficile eſt, in ipſa etiam Sacra Scriptura impoſſibile noncupatur. Porrò impotentia coniungi poteſt, vel cum neceſſitate extrema debitoris, vel cũ graui, vel cum communi. Impotentia cum neceſſitate extrema tunc eſt, quando, ſi debitor reſtitueret rem alienam, in tali ſtatu conſtitueretur, vt ſimplicitèr non poſſet vitam conſeruare, vel vitare periculum imminens morbi incurabilis, mutilationis, & alterius extremæ miſeriæ. Impotentia cum neceſſitate graui, tunc eſt, quando reſtituta re alteri debita deficeret debitor in rebus neceſſarijs ad conſeruandam decentiam proprij ſtatus, ad vitandum morbum grauem, captiuitatem iniuſtam, infamiam notabilem &c. Impotentia cum neceſſitate communi tunc eſt, quando, ſi reſtitueret debitor, conſtitueretur in ſtatu, qua ſubiret miſerias leuis momenti.

Rurſus conſiderandum eſt, an impotens, ſeu conſtitutus in neceſſitate, quæcunque illa ſit, rem alienam habuerit, ſeu

An debitũ ſit contractum in impotentia, an ante.

acceperit, antequam ad illam neceſſitatem deuenerit, eandemque in neceſſitate conſumpſerit, an vero exiſtens iam in tali neceſſitate acceperit, & conſumpſerit, an quantumuis, ſiue ante, ſiue in ipſa neceſſitate acceperit, non conſumpſerit, ſed quoad vſum præcisè adhibuerit.

Poteſt eſſe debitum, vel ex delicto, vel ex cõtractu.

Rurſus conſiderandum eſt, an debitor rem illam habuerit ex contractu, an verò ex delicto, ſeu per iniuſtam acceptionem; & ſi ex contractu, an contractus, ſiue ante neceſſitatem, ſiue in ipſa neceſſitate initus ſit, cum expreſſo pacto reſtitutionis, ſi in pinguiorem fortunam indigens deuenerit, an verò nulla facta circa hoc mentione; ſi verò ex delicto, an ipſa in neceſſitate acceperit, vel antecedentèr ad ipſam. His ſic pro notitia ſuppoſitis.

Dubia, quæ circa enuntiatum titulum oriuntur, hæc erunt. Primò, an ex quacunque neceſſitate, ſeu impotentia tollatur onus reſtitutionis, ſiue obligatio proueniat ex delicto, ſiue ex contractu, ſiue res debita fuerit accepta ante neceſſitatem, ſiue in ipſa neceſſitate. Secundò, an, ſi quis propter neceſſitatem, & impotentiam eximatur ab onere reſtitutionis, teneatur deinde ad reſtitutionem, ſi neceſſitate tranſacta deuenerit indigens, ſeu impotens ad pinguiorem fortunam. Tertio vtrum, quando debitor, & creditor ſunt in eadem neceſſitate, debitor æquè eximatur ab onere reſtitutionis, ac ſi creditor non eſſet in eadem neceſſitate.

Articuli examinandi.

2 Impotens ſimplicitèr ad reſtituendũ excuſatur

Aſſertio I. Impotens ſimplicitèr ad reſtituendum modo ſupra explicato in principio huius prænotionis eximitur ab onere reſtitutionis. In hac conſentiunt omnes. Ratio ex eo deducitur, quia ad impoſſibile nemo tenetur, nec peccatum eſſe poteſt, quod, quia aliter euenire nequit, voluntarium non eſt; nec ius aliquod, ſiue Diuinum, ſiue naturale obligare poteſt ad ea, quæ non ſunt ſub perſonæ cæteroqui obligatæ potentia.

3 Extremè indigens non tenetur reſtituere.

Aſſertio II. Conſtitutus in extrema neceſſitate non tenetur reſtituere id, quod debet, ſiue ex delicto, ſiue ex contractu. Eſt communis apud omnes. Intellige, ſiue ſic extremè indigens ſit in tali ſtatu, etiam ſi non reſtitueret, ſiue in tali ſtatu conſtitueretur per reſtitutionem, ita vt non reſtituendo haberet pro tunc, quo ſibi poſſet conſulere, & ſine quo non poſſet, reſtituendo verò nihil penitus haberet, quo ſuæ vitæ ſubueniret.

In extrema neceſſitate omnia ſunt cõmunia.

Ratio in vniuerſum ex eo poteſt deduci, quia in caſu extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia, ergo, ſi extremè indigens non habeat, quo ſibi, ſuæque vitæ poſſit conſulere, poterit accipere, quæ ſibi neceſſaria ſunt, & ſi habeat alienum, quo ſibi poſſit conſulere, & ſine quo periclitaretur, poterit illud non reſtituere, ſi enim, quod non habet vrgente tali neceſſitate poteſt accipere, multo magis, quod habet, vrgente eadem neceſſitate poterit retinere. Confirmatur, quia diues tenetur de ſuis bonis, quæ poſſidet, lege charitatis alterius vitæ conſulere per ea, quæ latè docui *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contract. vt ſic Diſquiſit. I. §. 1.*, ergo extremè indigens ad ſibi, ſuæque vitæ

Digitized by Google

conſulendum poterit aliena accipere.

4 Aliqua neceſſitas grauis excuſat a reſtitutione

Aſſertio III. Aliqua neceſſitas grauis, in qua perſona conſtitueretur, eſt ſufficiens fundamentum impotentiæ excuſantis ab obligatione reſtitutionis. Conſentit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. num. 15.*, & *Doctiſſimus Cacheranus in manuſcriptis.*

Dixi, *aliqua neceſſitas, non omnis*, pro quo aduerte neceſſitatem grauem aliquando eſſe ad ſeruanda bona, quæ natura voluit omnibus conuenire, puta ad ſeruandam libertatem, ad ſaluandam bonam exiſtimationem, quam vnuſquiſq; naturalitèr habere ſolet; aliquando verò eſſe ad ſeruanda bona, quæ natura per ſe non omnibus hominibus participauit, puta ad ſeruandum ſtatum nobilitatis, dignitatem aliquam, bonam exiſtimationem doctrinę &c. Neceſſitas grauis huius ſecundi generis non excuſat à reſtitutione, nec tribuit ius ad accipiendum alienum, iuxtà quem ſenſum SS. D. N. Innocentius XI. damnauit propoſitionem illam, qua dicebatur *Licitum eſt furari non ſolum in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate*; neceſſitas verò primi generis grauis vtique excuſat, de qua procedit aſſertio, quæ ſic

Declaratio Innocentij XI.

Bona fortunę ordinata ſunt ad cōſeruanda bona naturæ.

Probatur, bona fortunæ, & temporalia conceſſa ſunt hominibus ad conſeruanda bona naturæ, quæ ſcilicèt ex ipſa oriuntur natura, omnibuſque hominibus natura tribuit, ergo, vbi eſt neceſſitas conſeruandi talia bona, manent communia bona temporalia; neque enim diuiſio dominiorum inducta per ius humanum derogare poteſt iuri naturę, quod quiſque habet ad vtendum bonis fortunæ pro conſeruatione bonorum naturæ, ergo neceſſitas grauis reſpiciens bona naturæ eſt ſufficiens cauſa excuſans ab obligatione reſtituendi, non ſic excuſat neceſſitas grauis reſpiciens bona fortunæ, quia natura non ordinauit bona fortunæ, & temporalia ad conſeruationem aliorum bonorum temporalium in diuerſis ſtatibus.

Circa duas præcedentes aſſertiones nonnullæ oriuntur rationes dubitandi, quarum prima eſt, an ea, quæ dicta ſunt, intelligantur ſolummodò in ordine ad ſubueniendum extremæ, vel graui illi neceſſitati iuxtà modum explicatū eiuſdem obligati ad reſtituendum, an verò etiam in ordine ad ſubueniendum neceſſitati ſuorum, puta parentum, vxoris, liberorum, & fratrum, adeò vt, ſi reſtitueret, haberet quidem, quo ſibi ſubueniret, non haberet autem, quo illis extremè, & grauitèr indigentibus conſuleret; nec illi haberent, quo ſibi prouiderent. Cui breuitèr reſpondeo aſſertiones intelligendas eſſe etiam in ordine ad ſubueniendum neceſſitatibus ſuorum *Sotus lib. 4. de iuſt. qu. 7. art. 1. ad quartum argumentum, Lopez prima part. inſtruct. c. 53., Toletus de ſeptem peccatis mortalibus c. 39., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure c. 16. dub. 1. n. 14.* quidquid exaduerſo dixerit *Coarruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 1.* Ratio ex eo deſumitur, quia de iure naturæ tenetur illis ſubuenire in illa extrema, & graui neceſſitate, ergo, vbi aliunde non poterit illis ſubuenire, poterit non reſtituere, vt ſubueniat.

5 Etiā ſi talis neceſſitas reſpiciat ſuos.

Secunda ratio dubitandi eſt, an indigens in extrema neceſſitate cōſtitutus retinens ad ſibi ſubueniendum rem alienam intelligatur tunc acquirere dominium illius rei? Videtur abſolutè dicendum, acquirere dominiū, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, idque de iure naturæ, cui humanum ius præiudicare nō poteſt, & ſic per ius humanum, quod hoc fecit meum, & illud tuum, non potuit fieri, quin illa appropriatio ceſſet exiſtente illa extrema neceſſitate, in qua præualet ius naturæ, vndè pauper in illa neceſſitate exiſtens, & aliquid alterius accipiens non accipit alienum, ſed id, quod natura ipſa facit ſuum. Nihilominùs probabilius crederem, non acquirere propriè dominium, ſed dumtaxat vſum; cuius rei hoc ſignum euidens eſt, quod, ſi tranſacta neceſſitate res illa adhuc perſeueret in ſua ſpecie, Domino ſit reſtituenda; ſi verò in ipſo vſu fuerit conſumpta, hoc prouenit, quia vſus eſt quoquo modo indiſtinctus ab entitate rei, nec ex eo, quod habuerit vſum, ſequitur, quod etiam habuerit dominium, vt videre eſt in Religioſis, qui habent vſum rerum conſumptibilium ex facultate ſuperioris, non tamen dominium illarum.

6 Indigens in extrema neceſſitate non acquirit dominiū rei, ſed tātū vſum.

Aſſertio IV. Quantumuis creditor fuerit in eadem neceſſitate, in qua eſt debitor, non propterea obligatur ad reſtituendam rem debitam *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 5., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1. ad quartum argumentum, Toletus de peccatis mortalibus c. 39., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. nu. 13. aduerſus Scotum in 4. diſt. 15. q. 2. & alios.*

7 Non tenetur debitor reſtituere, quantumuis creditor fuerit in eadē neceſſitate.

Antequam deueniamus ad probationem aſſertionis, nonnulla ſunt præmittenda, & res reducenda ad ſenſum, ſecundum quem procedit aſſertio; & quidem præmitto primò, quod, ſi primo creditor in illam neceſſitatem extremam incidat, tunc teneatur debitor eidem reſtituere, quod debet, ſi verò debitor prius in illam incidat, non teneatur reſtituere, & in hoc conſentit *Scotus in 4. d. diſt. 15. q. 2.*, & *Sotus lib. 4. de iuſt. qu. 7. art. 1. ad quartum arg.* aſſerit hæc duo membra adeo certa eſſe,

Tenetur tamen ſi creditor in extremā neceſſitatē incidat.

vt

vt de neutro poſſit vllus dubitare. Ratio ex eo deducitur, quia, ſi debitor, etiam ſi nihil deberet creditori, teneretur eidem in extrema neceſſitate ſubuenire, quando ipſe non eſſet in illa conſtitutus, ergo à fortiori tenetur eidem illud, quod debet, reſtituere ad hoc impellente non ſolum iure naturæ, ſed etiam lege rigoroſæ iuſtitiæ. Rurſus, quando debitor premitur prius illa extrema neceſſitate, creditor, quantumuis non eſſet talis, teneretur eidem ſubuenire, ergo à fortiori non poteſt ab eodem exigere creditum, cum ex vulgato iuriſtarum adagio inanis ſit actio, quam inopia debitoris excludit. Præmitto ſecundò, quod, ſi creditor coniectus ſit in illam extremam neceſſitatem per ſubtractionem illius rei, cuius eſt creditor, teneatur debitor, quantumuis in extrema neceſſitate conſtitutus illam reſtituere *Scotus d. lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 2.*, *Silueſter verb. reſtitutio V.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. n. 12.*, & alij magis communitèr. Ratio ex eo deducitur, quia non licet in neceſſitate extrema rem alienam vſurpare, quando Dominus eſt in eadem extrema neceſſitate, nam licet vterque ſit in pari cauſa neceſſitatis, conditio tamen poſſidentis in tali caſu debet præualere, quæ eſt in fauorem creditoris, qua propterea non debet ſpoliari. Procedit igitur ſolummodo aſſertio in hypotheſi, qua debitor adhuc detineret rem alienam, & talis neceſſitas ſimul ambos occuparet, quæ propterea ſic

Non poteſt quis ab altero in extrema neceſſitate cõſtituto rẽ ſubtrahere.

Probatur, quia in extrema neceſſitate, vel etiam graui modo ſupra explicato res neceſſaria habetur, vt communis, cum de iure communi naturæ in tali neceſſitate omnia ſint communia; nemo autem de re communi tenetur potius alteri, quam ſibi ſubuenire. Confirmatur ratione ſuperius adducta, quia in pari cauſa ſemper melior eſt conditio poſſidentis; debitor autem in hac hypotheſi eſt poſſidens, ergo &c.

In pari caſu melior eſt cõditio poſſidentis.

Dices non eſſe parem vtriuſque creditoris ſcilicèt, & debitoris conditionem, quandòquidem creditor, vel habet dominium rei, ſi adhuc extet per ea, quæ ſupra notauimus, dum diximus indigentem in extrema neceſſitate non acquirere dominium rei, quam debet, vel habet ius ad rem ratione contractus, quem cum debitore iniuit, vel actionem furti, ſi res illa fuerit per actionem furtiuam accepta, adeòque ratione huiuſmodi iurium præferendus videtur debitori, qui aliud ius non habet, quam ſimplicis neceſſitatis, qua etiam premitur creditor. Sed contrà, quia vrgente extrema neceſſitate non attenduntur iura ciuilia, ſed dumtaxat ius naturæ, quod facit omnia communia ſaltem quoad vſum, adeò vt ille præferatur, qui habet talem neceſſitatem, & rem ipſam poſſidet; neque vrgeas, quod etiam de iure ciuili ſit, quod poſſidens præferatur, adeòque, quod vrgente illa neceſſitate hoc etiam ius vim non habeat; contrà enim impugnaberis, quia etiam ius naturæ dictat, quod poſſidens ad ſubueniendum alteri non ſe priuet re, qua extremè ipſe indiget, adeòque &c., & licet quoad creditorem dominium remaneat adhuc in habitu, impeditur tamen quoad actum.

Vrgente extrema neceſſitate non attenduntur iura ciuilia.

Hic immediatè ſuboritur difficultas, an, ſi debitor non prematur extrema neceſſitate, ſed dumtaxat graui, ſub eo ſenſu, quo talis neceſſitas reſpiciat bona, quæ natura voluit omnibus eſſe communia iuxtà primum modum explicatum paulò poſt tertiam aſſertionẽ, & creditor prematur extrema neceſſitate, teneatur ipſe debitor eidem creditori reſtituere, quod ipſi debet, vel ex iniuſta actione, ſeu delicto, vel ex contractu? Videtur abſolutè teneri, quandòquidem non ſunt in æquali neceſſitate, ratione cuius debeat præualere poſſeſſio, ſed conditio creditoris, vt docent multi apud *Leſſium d. lib. 2. c. 18. dub. 1. nu. 20.*, qui etiam hoc docent in fortioribus terminis, quando ſcilicèt exiſtente debitore in tali graui neceſſitate in ſimilem incideret ipſe creditor, cuius propterea, non poſſidentis conditio debet præualere. Alij verò è contra ſuſtinent in data etiam hypotheſi talis grauis neceſſitatis reſpectu debitoris non teneri hunc reſtituere, quia libertas, & honor, quam, ſeu quem reſpicit huiuſmodi neceſſitas, æquiparantur vitæ, & ſicuti in neceſſitate vitæ propriæ non tenetur debitor reſtituere, quamuis creditor ſit in tali neceſſitate, ita in neceſſitate libertatis, & honoris non videtur teneri reſtituere. Quid igitur concludendum? Probabilius arbitror, quod neque in hac hypotheſi teneatur reſtituere; Rationem ex eo deduco, quia ego nõ teneor alterius vitam ſaluare cum detrimento propriæ famæ, & libertatis, ergo vrgente graui neceſſitate, ratione cuius ego libertatem, & honorem tenerer amittere, ſi reſtituerem, quod alteri debeo, potero non reſtituere non obſtante, quod ex negatione talis reſtitutionis creditor conſtitueretur in extrema neceſſitate. Confirmatur, quia non minus natura ordinauit bona fortunæ ad bona vitæ, ſed etiam ad bona libertatis, & honoris, & ad ea, quæ eadem natura facit omnibus communia, ergo extante tali naturæ inſtinctu ordinantis bona fortunæ ad bona omnibus

8 **Hæc verificantur, quantumuis debitor eſſet ſolum in graui neceſſitate ſpectante ad bona naturæ.**

Digitized by Google

communia poterit debitor ad ſaluanda in ſe bona illa communia non reſtituere, non obſtante, quod alter ex illa non reſtitutione conſtitueretur in extrema neceſſitate.

9 Transacta neceſſitate debitor tenetur reſtituere.

Aſſertio V. Regularitèr loquendo, qui propter neceſſitatem, & impotentiam excuſatur ab onere reſtitutionis, tenetur poſtea reſtituere, ſi tranſacta neceſſitate deuenerit ad pinguiorem fortunam, hocque intellige, ſiue obligetur ex contractu, ſiue ex delicto; item ſiue rem, quam accepit, acceperit, & conſumpſerit, antequam extremam incideret neceſſitatem, ſiue acceperit, & conſumpſerit exiſtente eadem neceſſitate. In hanc aſſertionem propendere arbitror *Medinam C. de rebus reſtituen.q.3.verſ.banc igitur opinionem tenendo, Leſſium lib.2.c.16.dub.1.nu.3.& 6.*, quamuis loquatur ſolum, quando res eſt debita ex delicto, in quo ſenſu etiam loquuntur *Scotus in 4 diſt.15.q.2.§ ad argumenta, Nauarrus cap.17. num.61. & 62., Adrianus in 4.tract. de reſtit.§. quia dictum pag.159., Coaruuias ad reg. peccatum part.2. §.1.n.3.& 4., Toletus lib.5.c.24.*

Si res ad huc extet, eſt reſtituenda.

Expendamus adamuſim per omnia membra, & per ſingulos caſus aſſertionem, & quidem primo ſuppono, quod, ſi res, quam quis accepit, vel ante neceſſitatem, vel in ipſa neceſſitate, adhuc exiſtat, & in ſua ſpecie perſeueret, ſit reſtituenda tranſacta neceſſitate; nam tunc ſignum eſt ſubſtantiam rei non fuiſſe neceſſariam, ſed dumtaxat ipſius vſum, ideò, quamuis non ſit obligatio reſtituendi aliquid pro vſu, eſt tamen obligatio reſtituendi ipſam ſubſtantiam rei adhuc exiſtentem. Deinde hoc ſuppoſito; ſi res adhuc non perſeueret tranſacta neceſſitate in ſuppoſitione, qua fuerit acquiſita ex delicto, quod teneatur eadem tranſacta debitor reſtituere ex eo euincitur, quia non maius ius videtur poſſe acquirere accipiens, ac teneatur Dominus in ipſum transferre, ſed in tali hypotheſi Dominus non tenetur in ipſum transferre rem, qua indiget, donando, cum ſufficientèr eius neceſſitati ſubueniat mutuando, cuius rei ſignum eſt, quia, ſi Dominus inopi in extrema neceſſitate exiſtenti offerat in vim mutui id, quo indiget, & ipſe nolit ſub eo titulo accipere, ſed clam, aut per vim bona ipſius inuadat ex communi DD. conſenſu fur, & raptor reputetur, ergo accipiens non acquirit ius, niſi ex mutuo, ratione cuius propterea tenebitur tranſacta neceſſitate reſtituere. In ſuppoſitione verò, quod res fuerit acquiſita ex contractu, tunc peto, an fuerit accepta, ſeu acquiſita ex contractu ſecundum ſe translatiuo dominij, & antecedentèr ad neceſſitatem, an vero ex contractu ſecundum ſe non translatiuo talis dominij, & non niſi exiſtente eadem extrema neceſſitate; ſi primum afferatur, iam patet non eximi ab obligatione reſtitutionis, quia in neceſſitate ſibi conſuluit rebus proprijs, non alienis, & ſicuti creditor non tenetur neque etiam ex charitate ſoluere, quod tu ex tuis bonis in neceſſitate conſumpſiſti,ità non tenetur tibi remittere rem ſuam ſibi debitam, quam tu in neceſſitate conſumpſeris; Si ſecundum aſſeratur; tunc *Silueſter verb.reſtitutio V. n.2.* aſſerit debitorem ex contractu non obligari tranſacta neceſsitate reſtituere; Rationem ipſius eam eſſe iudico, quia non tenetur ratione rei, vtpotè quæ nec in ſe ipſa, nec in pretio exiſtit; neque ratione acceptionis, cum eam iure ſuo conſumpſerit, nempè iure ſibi à natura competente; neque ratione contractus, quia huiuſmodi contractus non obligat, niſi re pereunte ex culpa detinentis; hic autem abſque culpa detinentis perijt. Nihilominùs hoc non obſtante arbitror adhuc tranſacta neceſsitate teneri, quia, quantumuis res perierit ſine culpa detinentis, perijt tamen in ipſius vtilitatem, & ex cauſa ipſius, nec Dominus, quantumuis non intelligatur eſſe inuitus ad illum vſum, in quo conſiſtit conſumptio rei, intelligitur eſſe conſentiens ad exonus reſtitutionis, ſi vtens poſtea deuenerit in pinguiorem fortunam, vnde obligatio reſtitutionis in ea hypotheſi conſurgit ratione cuiuſdam tacitæ obligationis iure gentium introductæ, quo quis rem alterius in neceſſitate conſumens ſe tacito obligat ad rependendum, quando ſuppetet copia; & ſi hæc verificantur, quandò quis non obligatur, nec ratione contractus, nec ratione delicti, vt teſtatur, & affirmat *Leſſius lib.2.de iuſt.c.16.dub.1.n.9.*, quamuis ipſe non conſentiat noſtræ ſententiæ, quando ſcilicèt conſumens detinet dumtaxat rem contractu non translatiuo dominij, non video, cur verificari non debeant, quando detinet contractu non translatiuo dominij, puta depoſito, commodato, & precario, & conſumit in neceſsitate; ſi etenim nullo titulo detinens de iure gentium, ſi conſummat in neceſſitate, eadem tranſacta tenetur reſtituere, cur non tenebitur reſtituere, ſi detineat titulo non translatatiuo dominij? Neque officit, quod rem acceperit ante neceſſitatem, & deindè in neceſsitate conſumpſerit, ſiue quod acceperit, & conſumpſerit in eadem neceſſitate; Non officit, inquam, quia quoad primam partem iam DD. contrariæ ſententiæ nobiſcum conſen-

Perijt in vtilitatem detinētis.

Intellige, ſiue fuerit accepta ex delicto, ſiue ex contractu.

Siue rem acceperit ante neceſſitatē, ſiue in ipſa neceſſitate.

ſentiunt, quod ſcilicèt teneatur detinens, & conſumens reſtituere, quia ipſi aſſerunt, quod obligatio iam antecedentèr orta tantundem reſtituendi ſuperueniente extrema neceſſitate ſopita ſit, non extincta, qua propterea neceſſitate ceſſante per pinguiorem conſumentis fortunam reuiuiſcat; quoad ſecundam verò, in qua diſſident ſuppoſitis præcedentibus vix videtur eſſe ambigendi locus, quandòquidem de iure gentium introducta eſt illa tacita obligatio, vt qui conſumit rem alienam in neceſſitate, teneatur eadem tranſacta eandem, vel æquiualens reſtituere.

Proponitur inſtātia,& diſſoluitur.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod diſpar omninò ſit ratio, quando accipit in neceſſitate, & in eadem conſumit, ac quando accipit ante neceſſitatem, & in neceſſitate conſumit; quandòquidem, quando accipit ante neceſſitatem, peccat contrà iuſtitiam, quando vero accipit in ipſa neceſſitate non peccat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis in primo caſu peccet, non ſic in ſecundo, non propterea ſequitur, quod in primo caſu non eximatur ab onere reſtitutionis, eximatur vero in ſecundo, quia in primis hoc locum non habet, quando accepit ex contractu, quia tunc, ſiue ante, ſiue poſtea acceperit, non peccauit. Deindè onus reſtitutionis non ſolum conſurgit ratione iniuſtę acceptionis, ſed etiam ratione rei in propriam vtilitatem conſumptæ cum ſcientia alienitatis rei; tunc etenim ratione commodi inde recepti ex iure gentium conſurgit tacita obligatio reſtituendi.

Alia inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi aſſeratur, quod in extrema neceſſitate omnia ſint communia, adeòque, quod, ſi quis acceperit, & conſumpſerit, non conſumpſerit, quod alienum eſt, ſed quod proprium, & ſic non teneatur tranſacta neceſſitate illud, vel æquivalens reſtituere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia extrema neceſſitas alicuius non transfert in ipſum dominium rei alienæ, ſed tantum tribuit ius vtendi, idque inquantum ea re indiget, vt periculum extremum euadat, præcipuè cum Dominus non teneatur eam dare, niſi, quatenus opus eſt, ad quod ſufficit, ſi mutuet, & det cum obligatione reſtituendi, ſi accipiens deuenerit ad pinguiorem fortunam.

10 Quandòque debitor tranſacta neceſſitate abſoluitur ab onere reſtituendi, & quando.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam, quandòque ex præſumpta voluntate Domini eximitur ab onere talis reſtitutionis, quantumuis deuenerit ad pinguiorem fortunam; ſi ſcilicèt conſtet, quod Dominus conſenſerit in acceptione rei ſuæ donando, ſi autem inquiras, quomodo præſumi poſſit de tali voluntate, dicendum eſt, hoc poſſe coniectari ex quãtitate rei occupatæ, ex Domini conditione, & qualitate, ſi ſcilicèt eſt diues, ſi liberalis, ſi amicus ipſius occupantis, ſi aſſuetus eleemoſinas facere, vel non, & ex ſimilibus. Addunt aliqui, nec incongruè, quod præſumatur talis voluntas, quando occupans erat ità abſolutè indigens, & pauper re, & ſpe, vt potuerit abſolutè rem vſurpare abſque vllo animo reſtituendi impoſterum. Ratio, cur pauper re, & ſpe poſſit rem, cuius neceſſitatem habet, abſolutè vſurpare, eſt, quia Dominus talis rei non præſumitur habere animum ipſum obligandi ad reſtitutionem aduenienté meliori fortuna, cum ſpes talis melioris fortunæ adeo exigua ſit, vt pro nihilo reputetur, ideo non præſumitur Dominus eſſe inuitus quoad illam circunſtantiam, quod pauper re, & ſpe vſurpet ipſius rem abſque animo impoſterum reſtituendi, quod, ſi ex circunſtantijs, puta ex magno valore rei, vel ex peculiari inclinatione rationabilitèr præſumatur, quod ipſe non daret talem rem extremè indigenti, niſi cum obligatione reſtitutionis ex ſuppoſitione pinguioris fortunæ, cuius etiam nulla probabilis ſpes appareat, ſentiendum eſt in tali caſu pauperem re, & ſpe ſupra omnem ſpem ad pinguiorem fortunam aduenientem obligari ad reſtitutionem.

Quando eſt pauper re, & ſpe.

PRÆNOTIO II.

An, & quomodo ceſſio bonorum deobliget debitorem ab onere reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Quid ſit proprie ceſſio bonorum. 1.
Debitores iniuſtè, & bancharuptores non gaudent beneficio legis. 2.
Æquum eſt, vt grauibus pænis mulctentur. 3.
Enumerantur octo pænæ fallitorum iniuſtorum. 4.
Quid veniat nomine damni. 5.
An pæna vinculorum modo ſit in vſu. 6.
An pena verberum. 7.
Quid veniat nomine pænæ talionis, & an modo ſit in vſu. 8.
Pæna ignominiæ afficiuntur, & quid illa ſit. 9.
Pæna exilij plectuntur. 10.
Pæna ſeruitutis, & quomodò. 11.
Plectebantur pæna mortis. 12.
Edictum Caroli V. Imperatoris contra iniuſtos fallitos. 13.
Edictum Franciſci I. Galliarum Regis contrà eoſdem. 14.

Se-

Digitized by Google

SEcunda cauſa excuſans ab onere reſtitutionis ex parte debitoris eſt ceſſio bonorum, quam modo explicandam
1 Quid ſit ceſſio bonorum.
aſſumimus; hæc autem nihil aliud eſt, quam priuilegium iure ciuili introductũ, quo qui ſoluendo non ſunt, cædendo iuridicè bona ſua non poſſunt amplius propter debita in carcerem conijci per textum *in l. 1. C. qui bon. ced. poſ.* Hæc ceſſio reſpicit debitores, qui quodamodo ſunt in duplici differentia, alij etenim ſunt tales iniuſtè, & quodamodo ex delicto, quatenus ſcilicèt ex aliorum bonis plura congeſſerint, & prodegerint ſcientes non fore ſoluendo; atque hi appellantur falliti, ſeu banchæruptores; alij per contractus, quatenus ſcilicèt debita legitimè contraxerunt, atque deindè, vel ex incuria, vel ex malo euentu in finiſtrũ abierunt, qui propterea, cum nequeant ex ſuis bonis omnibus ſatisfacere, bonis eiſdem cedunt, ne in carcerem poſſint detrudi; Sub hoc titulo agemus ſolummodo de debitoribus primi generis, ſeu fallitis, & banchæruptoribus; de ſecundis fuſiùs in ſubſequenti prænotione.

2 Banchæruptores non gaudẽt beneficio legis

Aſſertio I. Debitores iniuſti, ſeu falliti, & banchæruptores non gaudent beneficio *d. l. 1. C. qui bon. ced. poſ.*, ſed merito poſſunt in carcerem conijci, donec integrè perſoluant. *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. verſ. tertia cauſa.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia æquùm omninò non eſt, vt qui iniuſtè alienis inhiantes eadem accipiunt cum præiudicio dominorum, gaudeant priuilegijs debitorum, qui ex malo euentu, & forte eiſdem non ſuffragante in deteriorem ſtatum deuenere ſine fraude; iura etenim benignè conſulunt infortunijs debitorum, non autem auiditati iniuſtè fraudantium.

Æquum non eſt, vt gaudeant beneficio, cum præiuditio dominorum.

Secundo, quia, ſi huiuſmodi priuilegium fraudulentis debitoribus, & fallitis concederetur, aditus aperiretur inhiantibus rerum alienarum acquiſitioni in maximum Reipublicæ detrimentũ; vnde Portius in Catilinam declamans ait *Tenetis exempla maiorum, atque omnium gentium auctoritatem, qui ſemper ſummas, ac ſingulares pænas in eo genere hominum conſumendas eſſe putauerunt, quorum libido repoſita erat in diripiendis ciuium facultatibus.* Tertiò, quia, vt plurimum qui huiuſmodi debitores, vt ſe eximant ab onere creditorum, ſe decoctos ſimulant cum marſupio, vt vulgo dicitur *ſu le ſpalle.*

3 Æquum eſt, vt grauibus pænis mulctentur.

Aſſertio II. Nedum æquum non eſt, vt huiuſmodi iniuſti debitores, falliti, & banchæruptores gaudeant huiuſmodi beneficio, ſed iuſtum, & æquum omninò eſt, vt grauibus pænis ſubijciantur, vel officio Iudicis, vel ad inſtantiam partis læſæ, vt notat idem *Medina C. de reb. reſtituen. q. 3. cauſa tertia,* qui etiam docet poſſe compelli, vt in integrum reſtituant etiam non deducto inde, ne egeant, prout tradunt communitèr DD. *in c. quamquam de vſuris lib. 6.*

Ratio ex eo deducitur, quia, cum hoc delictum ex genere ſuo valde atrahat, per conſequens atrocioribus pænis eſt coercendum, & hoc vtile non tantum eſt ipſis delinquentibus aſſerente *Boetio lib. 4. p. 4. Multo infeliciores improbi ſunt iniuſta impunitate donati, quam iuſta vltione puniti,* additque rationem, *tum ad eorum malos mores vltione corrigendos, tum ad rectum ſupplicij terrore alios deducendos,* ſed etiam alijs, qui vt dictum eſt, à tam nefario crimine terrore pænarum remouentur; vndè *Alexander ab Alexandro lib. 3. c. 5.* habet *Delictum, quo impunitius eſt, eo effrænatius fit, quia, niſi fuerit vindicatum in noxios, propoſita impunitatis ſpes mortalium animos criminibus mutat.*

Hinc ſpecialitèr in debitores, & fallitos iniuſtos acriter conſtitutum eſt *teſte Tullio lib. 3. officiorum* iure gentium, & legibus populorum, quibus in ſingulis Ciuitatibus Reſpublica continetur; *hocque eorum ſpectarunt leges, hoc voluere incolumem eſſe ciuium coniunctionem, quam qui dirimerent eos varijs pænis coercuerunt.* Octo pænarum genera in legibus contineri ſcripſit Tullius ſcilicèt *Damnum, vincula, verbera, Talionem, ignominiam, exilium, ſeruitutem, & mortem,* quibus pænis afficiuntur teſte Alexandro ab Alexandro, etiam illi, qui flagitijs perfidiæ dedecorati, aut nota nefariæ decoctionis inſignes forent.

4 Enumerãtur octo pænæ quibus afficiũtur huiuſmodi iniuſti falliti.

Singulas has pænas, quantum attinet ad iniuſtos debitores, & fallitos perpendamus. Prima dicitur *damnum,* quatenus ſcilicèt huiuſmodi decoctores, ſeu iniuſti debitores damno afficiantur, quo omnibus bonis ſpolientur. Quid enim æquius, quam qui nullo iure afficit alios damno, rurſus pro delicti iuſta punitione damno mulctetur; vndè merito gentes huiuſmodi fraudulentos debitores hoc damno affici curarunt, vt eorum bona publicè conſtituta auctione diuenderentur; ad hoc reſpiciens *Tullius Phylip. 2.* habuit. *Videte P. Decij auctionẽ, qui ſuorum maiorum exempla perſequens pro alieno ſe ære deuouit emptori.*

5 Quid veniat nomine dãni.

Circa hanc pænam inquirunt DD. quando hactenus vſu vigeret, an ita ſit intelligenda, vt debitorem denudet omnibus ſuis bonis, ita vt nihil apud ipſum remanere debeat, an vero ità, vt alijs depoſitis tantum retinere poſſit, quantum neceſſarium eſt, ne egeat quoad victum, & cultum. Medina *in d. C. de reb. reſtituen. q. 3. cauſa 3.* ſuſtinet omnibus ſimplicitèr priuan-

Digitized by Google

ùandum eſſe in foro iudiciali; alij negant, cum inhumanum eiſdem videatur, hominem nedum ſic relinquere; natura enim potius ob germanitatis neceſſitudinem docet, ope, conſilio, & auxilio, iuuare, quam velle in totum priuare. Media, & mitiori via procedit *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 3. n. 43.* dum aſſerit, non eſſe quidem omnibus bonis ſimplicitèr ſpoliandum, ſed nec tantum retinere poſſe, quantum retinere poſſet, ſi eſſet debitor ex contractu, & non ex propria culpa, ſed ex infortunio in decoctionem incidiſſet. Æquiorum arbitror hanc Leſſij opinionem, quia ex vna parte non eſt ita inhumana, vt debitores non modo è numero virorum exturbet, ſed infra etiam mortuos amandet, ex altera quoquo modo in hoc etiam genere inducit coercitionem.

Non eſt quidẽ omnibus ſpoliãdus, ſed modicum relinquẽdum.

6 Secunda pæna eſt *vinculorum*; Hæc pæna apud Romanos ſecundum legem duodecim tabularum erat in vſu, ſed cum quadam moderatione *teſte Aulo Gellio lib. 20. cap. 1.*, quatenus ſcilicèt debitoribus dabantur triginta dies cõquirendæ pecuniæ cauſa, antequam diſſoluerent, eoſque dies Decemuiri iuſtos appellauerunt, quibus elapſis, & non ſoluto debito ad Prætorem citabantur, & in ferrea vincula conijcebantur. Hæc pæna poſtea lege Popilia ſublata eſt, & lex Petilia ſtatuit, ne quis ob æs alienum vinciretur, & vt pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Sed hanc legem Petiliam per Diocletianum mutata eſt, qui ſubiecta capitali pæna eam reuocari iuſſit.

An pæna vincolorũ modo ſit in vſu.

7 Tertia pæna eſt *verberum*, prout refert *Daniel Sauterius in maſtice fallitorum c. 7.* ad quod refertur illud Tullij ad Piſonem: *Olim ne ſcyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret in Tribunatus portum profugerat*, & *Vegetius de re militari lib. 1. c. 17.* aſſerit, quod huiuſmodi debitores plumbatarum ictibus ſubijcebantur. Sed modo hanc pænam in vſu non video.

An pæna verberũ.

8 Quarta eſt *Talionis* pæna, de qua *Plutarchus in quæſt. centur. Græc.*, vbi de Gnoſijs refert, quod debitores obnoxios fecere raptoribus, qui eriperent eis nummos, vtpotè, qui pecuniæ alienæ neque parcerent. Alphonſus Aragonum rex iuſſit, vt debitor lueret corpore, qui corpori impendiſſet opes; vnde intercedentibus quibuſdam apud Aragoniæ Regem, ne eques quidam, qui ingens patrimonium per luxum, & libidinem abſorbuerat, atque inſuper magnam æris alieni vim contraxerat, ſaltem quæ debebat, corpore luere cogeretur, reſpondit. Si tantam pecuniam, vel in Regis obſequium, vel patriæ commodis, vel ſubleuandis propinquis impendiſſet, audirem; nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt, vt luat corpore, vt pęna malefactis ex æquo reſpondeat.

Quid veniat nomine pænæ talionis, & an modo ſit in vſu.

Quinta pæna fallitorum eſt *ignominia, ſeu infamia*, cum vt plurimum iſti ſint fraudatores *Baldus in l. 1. ff. de his qui not. inf.*; vnde apud diuerſas nationes inducta ſunt contrà huiuſmodi diuerſa ignominiarum genera; Apud Boetios mos fuit decoctores in forum inducere, & ſedere iuſſis cophinum, ſiue corbem capiti imponere ludibrij cauſa teſte *Nicolao Damaſceno de ritibus gentium, & Alexandro ab Alexandro lib. 6. cap. 10.* Apud Tyrrenos per publicas vias ducebantur ſequentibus eoſdem pueris vacuum geſtantibus Marſupium ignominiæ cauſa *teſte Horaclide in polit.* Apud Romanos varijs ludibrijs afficiebantur primo, per contemptum diuites appellabantur teſte *Valerio Maximo lib. 6. c. 11.* Secundo arcebantur à Teatris, vt aſſerit *Alexander ab Alexandro lib. 5. c. 16.* Tertio eiſdem certus locus conſtituebatur, in quo ſpectandi cauſa ſtarent, vtque ab alijs digito monſtrarentur teſte *Tullio in Philip. 2.*, & *Benuenuto tract. de decoct.* Quarto in amphytheatro catamidiabantur, hoc eſt deridendi omnibus per theatrum prębebantur teſte *Spartano in vita Adriani*. Quinto publicè in dedecus vendebantur *teſte Cicerone pro Sextio.* Apud Egiptios, Defunctorum debitorum corpora vnguentis delibuta, ac, ſi viui eſſent, creditoribus oppignorabãtur, & ſuper his fœnerabantur magno dedecore illorum, qui conſtituta die non reluiſſent *Alexander ab Alexandro lib. 6. c. 10.* & apud alios alia. Sed hæ pænæ videntur per iura, & conſuetudines abolitæ. 9

Pæna ignominię afficiuntur, & quid illa ſit.

Diuerſa eſt in diuerſis locis.

Sexta pæna eſt *exilij*, de qua meminit *Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 20.*, & *Aulus Gellius lib. 20. c. 1.* hacque pæna mulctabantur debitores apud Romanos *teſte Gellio loc. cit.*, & apud Athenienſes teſte Plutarcho in Tolone. Hanc pænam nonnulli arbitrati ſunt non eſſe pænam, ſed ſuplicij diffugium habitum, ne pænas iure debitas luerent malefactores, ſed certe denegari non poteſt, quin ſit pæna, cum diuelli à patria, ab honeſtis ciuibus, amicis, & propinquis nimis ſit arduum. 10

Pæna exilij plectũtur.

Septima pæna eſt *ſeruitutis*, quatenus huiuſmodi debitores in ſeruitutem creditoribus adijciebantur, prout teſtatur *Liuius lib. 8.* cum enim iudicatum facere non poſſent, creditoribus ſerui adiudicabantur, à quibus tandiu tenebantur, donec, vel ſeruiendo debitam pecuniæ ſummam compenſarent, vel creditorum miſeratio- 11

Pæna ſeruitutis, & quomodo

Digitized by Google

tione, vel boni Iudicis indulgentia, & liberalitate ſeruitute ſoluerentur.

Octaua pœna eſt *mortis*; hæc contra huiuſmodi debitores erat in vſu apud Indos, vt teſtatur *Alexander ab Alexandro*
12 Plectebâtur: pœna mortis. *lib.6.c.10.*, item apud Piſidos teſte eodem Alexandro ab Alexandro ibid., item apud Romanos teſte *Aulo Gellio lib. 20. cap. 1.*, vnde Baldus, qui in diſciplina iuris maximè pollebat hæc ſcripta reliquit. Falliti ſunt infames, & infamiſſimi, & more antiquiſſimæ legis deberent tradi creditoribus lacerandi, adeò vt, quod propter dolum ſuum non videntur beneficium ceſſionis habere, quod eſt præſidium miſerorum, ſed non præſidium doloſorum.

Nec ſolum per antiqua tempora ſimilibus pœnis afficiebantur huiuſmodi falliti, & bancæruptores, ſed nouiſſimè Carolus V. Romananorum Imperator ſemper felic. recordat. in ſua conſtit. die 7. Octobris Bruxellis promulgata anno Domini 1531. non abſimilibus pœnis eoſdem coercere contendit. In primis eos declarauit eiuſdem cum manifeſtarijs furibus, æſtimationis, & conditionis, & ſimilitèr eos, qui eos tolerant, ſuſcipiunt, & fouent, & cum conſcij ſint, quo ſe locorum proripuerint, fugerintve, ad Iudicem, aut Præfectum loci non deferunt, & item eos, qui negotia decoctorum, ſiue fallitorum doloſè gerunt, cum abſentibus illis merces reciprocant, ſiue per ſocietatem, ſiue per alium titulum. Deinde hos omnes, & ſingulos priuat immunitate, libertate, priuilegijſque omnium vrbium, municipiorum, pagorum, vicorumque quotquot iure libertatis gaudent. Vlterius concedit, vbi tales tam ſcilicèt falliti, quàm ſocij, & opilatores comperti atque iudicati ſint, extrahantur à quocunque loco, & obtorto collo abripiantur. Tandem ſtatuit, quod adinſtar furum, & ſalutis publicæ violatorum ſupplicio abſque vlla conniuentia, aut mora in propatulo afficiantur, vt inde alijs exemplum ſuppetat. Alias ſimiles pœnas cum extenſione addidit in noua ſua conſtit. idem Carolus V. ſemper Auguſtus promulgata die 4. Octobris 1549. quam vos ipſi videre poteritis *apud Danielem Sauterium in maſtice fallitorum c.24.*, vbi refertur de verbo ad verbum.

13 Pœnę iniuſtæ cōtrà fallitos à Carolo V. Imperatore.

14 Edictum Franciſci I. Galliarū Regis cōtrà eoſdem.

Etiam contrà huiuſmodi fallitos, & bancæruptores emanauit edictum pro Regnis Galliarum Franciſci Primi regis earundum Galliarum perpetuum, quo ſancitum eſt, eſſe ius ad eoſdem cogendos ad perſolutionem debitorum, & impletionem promiſſorum, & obligationum deductione, ac detentione corporis ipſorum in carcerem, & adigantur omnibus modis prehenſione, manuum iniectione &c., & vt extrà ordinem contra eoſdem inquiratur quæſtionibus, citationibus, teſtium, eorum compoſitionibus alijſque extrà ordinem actionibus quoad fraudes ab ipſis commiſſas, vtque procedatur ad pœnam, & noxæ expiationem per ignominioſam traductionem, corporalem pœnam, applicationem ad collare, & nunellas publicas, aliaſque pœnas pro iuſtitiæ arbitratu. Vult inſuper, vt in clauſo carcere detineantur vſque ad plenam, & integram mulctarum perſolutionem, & alijs, vt in eodem edicto contentis promulgato die 10. Octobris 1536. Alia conſtituerunt Galliarum Reges contrà huiuſmodi fallitos, & iniuſtos debitores, vt Carolus IX., Enricus III., Enricus IV. qui in omnibus, & per omnia confirmatis edictis ſuorum prædeceſſorum, & pręcipuè Franciſci I. pœnas, eaſque atrociores addidit, & præcipuè, vt capite inquiratur in fallitos debitores quicunque foro, & bonis ſuis cedunt, vt creditoribus fraudem faciant, ipſorum negotiatores, inſtitores, & procuratores cuiuſcunque loci, generis, aut ordinis fuerint, fraudę manifeſtè comperta publicè in ipſos, vt in latrones, & impoſtores publicos capitis ſupplitio animaduertatur, aliaſque iniunxit pœnas, prout ex ipſo edicto edito, & promulgato die 4. Iunij 1609.

Nec ſolum Imperatores, & Reges, ſed etiam Curiæ, & Magiſtratus in diuerſis locis diuerſa ſanxerunt, & quidem congruè, vt tandem infando debitorum, fallitorumque ſceleri (ex quo luctus, ac mæror miſerabilis creditoribus) via præcludatur, cum ſuppliciorum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio rafrænetur nocendi facultas.

Magiſtratus in diuerſis locis diuerſa ſanxerunt contra eoſdē.

PRÆNOTIO III.

An per ceſſionem bonorum debitores ex infortunio reſtitutione liberentur.

SVMMARIVM.

Supplicium carceris non eſt excedens reſpectu horum fallitorum. 1.

In foro conſcientiæ non magis deobligatur debitor per ceſſionem, ac per impotentiam. 2.

Per ceſſionem bonorum, & iurium debitor liberatur à pœna carceris. 3.

Per ceſſionem bonorum poſſunt tantum retinere debitores, quantum poſſint tenuiter viuere. 4.

Si poſt ceſſionem bonorum deuenerit ad pinguiorem fortunam, & nihil ſibi retinuerit

in

Digitized by Google

in tali ceſſione poteſt detinere, quantum ſuſtinere poſſit decentiam proprij ſtatus. 5.
Per ceſſionem bonorum factam in loco publico cum actibus ignominioſis non liberatur à reſtitutione, ſi venerit in pinguem fortunam. 6.
Clericus inops nõ tenetur cedere bonis, nec propterea poteſt in carcerem detrudi. 7.
Extenditur ad quoſcunque clericos gaudentes priuilegio fori. 8.

HActenus de debitoribus fraudulentis, & fallitis, qui non infortunio, & caſu, ſed ex malitia, & iniquitate defecerunt, vel ſubdole bona extraxerunt, vt creditores fallerent. Nunc de debitoribus, qui caſu, & infortunio defecerunt, ita vt creditoribus omnibus non poſſint ſatisfacere; de quibus quæritur primo, an per ceſſionem bonorum liberentur ab onere reſtitutionis, & à pæna carceris. Secundo, an in tali ceſſione poſſint clam tantum retinere, quantum neceſſarium ſit, vt tenuiter viuere valeant ſecundum ſuum ſtatum. Tertio, an, ſi poſt ceſſionem aliquid acquirant, poſſint illud retinere. Quarto, an, ſi nõ ſimplicitèr ceſſerint bonis, ſed vlterius hoc præſtiterint cum quibuſdam actibus iuxta conſuetudinem loci ignominioſis, puta ſedendo in loco publico cum corbe capiti impoſito, liberentur abſolutè, & ſimplicitèr ab onere reſtitutionis, adeò vt etiam ſi deuenerint ad pinguiorem fortunam non amplius teneantur reſtituere, & alia ſimilia.

Articuli examinã-di circa præſẽtem titulum.

Antequam deueniam ad aſſertiones, præmittendum arbitror, quod, quantumuis nonnulli arbitrentur ſupplicium carceris reſpectu eorum, qui non proprio vitio, & culpa, ſed fortunæ vitio in decoctionem deuenerunt, nimis crudele eſſe, prout aſſerit *Miſingerius in lib. Inſtit.*, & Conſtantinus *in l. 2. C. de exact. trib.* iubet debitores omnes carceris, & verberum timorem deponere, quæ à peruerſis, & iratis iudicibus inſtituta ſunt, quoniam carcer pænalium, carcer hominum noxiorum eſt, non autem eſt debitorum cauſa repertus; ex quo tamen Imperatores Chriſtiani conceſſerunt debitoribus ceſſionis beneficium, vt carceris ſitum, & ſquallorem effugerent, prout *in l. 1. C. qui bon. ced. poſ.* videtur manifeſtè deduci, quod ſine ceſſione bonorum poſſint licitè in carcerem conijci, & modo hoc in praxi ſeruatur.

1 Suppliciũ carceris nõ eſt excedens reſpectu huiuſmodi fallitorũ.

Aſſertio I. In foro conſcientiæ per ceſſionem bonorum non magis liberatur debitor ab onere reſtitutionis, ac excuſetur per ſolam neceſſitatem ſine eadem ceſſione. *Nauarrus cap. 17. in manual. num. 86.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 16. dub. 3 num. 42. & alij magis communitèr.*

2 In foro conſcientiæ nõ magis deobligatur debitor per ceſſionem ac per impotentiã.

Ratio ex eo deducitur, quia ſiſtendo in puris terminis legis naturæ, & gentium debitor ad reſtituendum creditori non tenetur ſe priuare alimentis ſibi, ſuiſque neceſſarijs, ſed hoc etiam ſolum conceditur in ceſſione bonorum, in qua debitor poteſt ſibi neceſſaria retinere, vt patet *ex l. qui bonis ff. de ceſſion. bon.*, & docent *Petrus à Nauarra lib. 4. c. 4. nu. 60.*, *Silueſter verb. reſtitutio 7. qu. 6.*, ergo non magis liberatur per ipſam ceſſionem, ac liberetur ob neceſſitatem. Rurſus, ſiue debitor ceſſerit bonis, ſiue non ceſſerit, cum tamen non habeat, quo integre ſatisfaciat, ſi poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur plenè, & integrè ſatisfacere, ergo &c.

Dices, quod, ſi non ceſſerit bonis ex ſolo motiuo neceſſitatis non poſſit retinere, niſi quantum ſufficit ad euitandam extremam neceſitatem, vel grauem in eo ſenſu, quo reſpicit bona omnibus communia per ea, quæ ſupra dicta ſunt; ſi verò ceſſerit bonis, poſſit etiam retinere ea, quæ pertinent non ſolum ad neceſſitatem, ſed etiam ad decentiam ſpectata conditione ſuæ perſonæ, & eorum, quos alere tenetur, prout docet idem *Leſsius d. c. 16. n. 43.*, ergo per ceſſionem bonorum magis liberatur, quam per ſolam neceſſitatem. Sed contrà, quia illa ceſſio bonorum, quantumuis in foro externo ex diſpoſitione iuris ciuilis magis proſit, quatenus extenditur ad plura, in foro tamen interno non videtur quid prodeſſe, cum ſtante iure naturæ, & gentium ius habeat solummodo ad retinenda ea, quę ſunt neceſſaria naturæ, vel conſequentibus ad eandem naturam. Accedit, quod per ceſsionem bonorum non tollitur obligatio naturalis reſtitutionis, ſed ſolum competit exceptio impediens litis conteſtationem, vt ex communi teſtatur *Coaruuias lib. 2. var. c. 1. n. 6.*

In foro interno ceſsio ad nihil prodeſt.

Aſſertio II. Per ceſſionem bonorum ſuorum, & iurium liberatur debitor à pæna carceris. *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 3.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 3. n. 4.*

3 Per ceſſionem iurium liberatur a pœna carceris.

Clariſſimè deducitur ex lege Iulia, quæ debitores, qui non ſoluendo ſunt, ſi bonis ſuis ceſſerint, carceris, & verberum periculo liberat, prout habetur *in l. 1. C. qui bon. ced. poſ.*, nec arbitrandum eſt hoc beneficium ad decoctores, & fraudatores ordinari, idest ad eos, qui nequitia ſua bona perdiderant, nam ordinatur ad eos ſolos, qui vi maiore aliqua, velut incendio, aut hoſtiũ incurſu fortunis euerſi fuerut, quandòquidem, vt ſuprà late probauimus digni non ſunt tali iuris beneficio, qui con-

Digitized by Google

contrà ius ità turpitèr, & doloſè deliquerunt in fraudem creditorum, & ad hoc conformitèr Iuſtinianus ſtatuit, vt debitores, qui non ſua nequitia, ſed fortunæ vitio facti ſunt non ſoluendo poſſint cedere bonis, & cedendo ab omni creditorum moleſtia liberi, ac ſoluti ſint.

4 Poſſunt tãtum retinere, quantum poſſint tenuitèr viuere.

Aſſertio III. Per ceſſionem bonorum debitores in foro externo non compelluntur omnia abdicare, ſed poſſunt tantum retinere, quantum tenuitèr poſſint viuere iuxta ſtatum ſuum *Petrus Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 4. num. 60., Silueſter verb. Reſtitutio 7. q. 6., Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. n. 43. & 45., Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 3., & alij communitèr.*

Hoc expreſsè colligitur *ex l. qui bonis ff. de ceſſion. bon.*, vbi dicitur, quod *qui bonis ceſsit non ſit fraudandus quotidianis alimentis*, & ratio deducitur ex communi regula, quam tradunt *Silueſter verbo reſtitutio 7. q. 1. & 3., Gabriel in 4. diſt. 15. q. 2. concl. 2., & D. Auguſtinus relatus in c. ne quis 22. q. 2.*, nempè, quod quotieſcunque Dominus rei rationabilitèr velle debet reſtitutionem differri, poteſt illo inuito ſolutio differri, vel omitti, licet ipſe quadam cupiditate, vel paſſione nolit conſentire, vnde merito dicit *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 4. n. 32.*, quod in ea hypotheſi licet Dominus non conſentiat actu elicito, conſentit tamen actu debito, quia conſentire debet, ſed quando debitor debita iuſtè contraxit, & ſine ſua culpa factus eſt minus potens ad eadem ſoluenda, & in fauorem creditorum cedit ſuis bonis, iſti ſunt irrationabilitèr inuiti, quod debitor retineat, quantum eſt neceſſarium, vt viuere poſſit tenuitèr ſecundum proprium ſtatum, ergo &c.

Dominus conſenſit, ſi non actu elicito, actu debito.

Dixi, *quando debitor debita iuſtè contraxit, & quando ſine ſua culpa factus eſt minus potens ad eadem perſoluenda*; ſi enim debita iniuſtè contraxerit, vel per ſuam malitiam profuderit, tunc, quidquid dixerint alij, arbitror non poſſe retinere, quantum ſufficit ad viuendum tenuitèr ſecundum decentiam ſtatus, ſed ad ſummum, quantum neceſſarium eſt ad ſe ſubleuandum ab extrema, vel graui neceſſitate naturæ. Ratio autem ex eo deducitur, quia, qui aliena iniuſtè accepit eadem reſtituendo iacturam non facit quoad ſtatum, cum ipſe de ſuo nihil amittat, nam quę acquiſiuit, & quibus factus eſt diues, ipſius non ſunt; vnde reſtituendo non damnificatur in aliquo, ſed a damnificando ceſſat, & ſicuti, ſi quis furatus eſſet bis mille nummos aureos ſimul, ex quibus decentem ſtatum acquiſiuit, non eximitur ab onere integræ reſtitutionis ex eo, quod ſic reſtituendo decideret ab illo ſtatu, cum ille non ſit ſtatus ſuus, ità, ſi ex pluribus ſucceſſiuè iniuſtè acceptis decentem ſtatum acquiſierit, non videtur eximi ab onere reſtitutionis omnium propter illam rationem, quod ſic reſtituendo decideret à ſtatu ſuo, cum ille non ſit ſtatus ſuus, ſed iniuſtè acquiſitus. Hæc ratio videtur ſolummodo procedere, quando iniuſtè acquiſiuit, nõ autem, quando iuſtè acquiſiuit, ſed iniuſtè, & ex ſua culpa prodegit; ſed quoad hoc etiam ſic euincitur; quia æquum omninò non eſt, vt ex ijs, quæ alteri debet, quæque iniquè profudit luſibus, luxurijs, profanitatibus, & ſimilibus, velit ſuum ſtatum ſuſtentare non ſoluendo, ſed reſtituere tenetur, ac, ſi iniuſtè acquiſiuiſſet, cum in vtroque caſu ſemper ſit in culpa, & culpa ipſius non debeat ipſi ſuffragari; hæc omnia planè ſuſtinuerunt *Caietanus in ſumma c. 6., Mercado c. 18. verſ. muchos, Coaruuias lib. 2. var. c. 1. nu. 6. & 8., Sotus lib. 4. q. 7. art. 4, Silueſter verb. reſtitutio 7. q. 4.*

Intellige, ſi debita iuſtè contraxerit, & ſine ſua culpa.

Hinc non poſſum acquieſcere *Nauarro in man. c. 17. nu. 86.*, dum dicit, quod ceſſio bonorum in foro exteriori excuſet à reſtitutione debiti, ita vt debitor poſſit ſibi retinere quantum ſufficit ad decentiam ſtatus ſuſtinendam ſaltem tenuitèr, quantumuis debitum ſit ex delicto, ſi concurrat intereſſe priuatum, non ſic autem quando concurrit intereſſe publicum, ſiquidem quoad intereſſe publicum, qui non habet in ære, debet luere in corpore, per textum *in l. 1. §. generalitèr ff. de pœnis, Gloſa in c. ſi res 14. q. 6.*, non, inquam, poſſum acquieſcere propter rationes ſuperius adductas, quandoquidem acquiſita ex delicto, ſiue concernãt intereſſe priuatum, ſiue publicum non ſunt propria ipſius accipientis, & eadem reſtituendo non damnificatur, ſed ceſſat à damnificando.

Nõ tamen poteſt retinere, quãtum ſufficit ad decentiã proprij ſtatus

5 Si poſt ceſſionẽ bonorum deuenerit ad pinguiorẽ fortunam, & nihil ſibi retinuerit poteſt retinere quantum ſufficit ad decentiam ſtatus.

Aſſertio IV. Si poſt ceſſionem bonorũ debitor deuenerit ad pinguiorem fortunam, & in ipſa ceſſione nihil retinuerit, poteſt retinere quantum ſufficit ad ſuſtinendam decentiam proprij ſtatus, ſi verò tunc retinuerit, & ex acquiſitis de nouo habeat, quo decentiam ſtatus poſſit conſeruare, & integrè perſoluere, tenetur ad eandem integram ſolutionem. Conſentiunt *Leſsius d. l. 2. c. 16. dub. 3. n. 47., Medina C. de rebus reſtit. q. 3. cauſ. 3. in fin., & alij communitèr.*

Expreſsè colligitur *ex c. Odoardus de ſol., & ex l. cum, & filij familias C. qui bon. ced. poſ., & ex l. 4. ff. de ceſsion. bonor. §. vlt. inſtit. de act.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem per illam ceſſionem non intelligitur debitum extinctum, ſed ſopitum, vndè *in d. c. Odoardus de ſol.* præſcribitur, quod ſic cedens teneatur præ-

Digitized by Google

præſtare cautionem de integrè ſoluendo, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam.

6 *Per ceſſionē bonorum factā in loco publico cum ignominia non liberatur ab onere reſtitutionis, ſi venerit in pinguiorē fortunam.*

Aſſertio V. Per ceſſionem bonorum factam in loco publico cum quibuſdam actibus ignominioſis à lege ſtatutis non liberatur ab onere reſtitutionis, ſi poſteà deuenerit ad pinguiorem fortunam *Coaruuias 2. var. c. 1. nu. 6., Cardinalis de Lugo de iuſt., & iur. diſp. 21. ſect. 3. nu. 4., Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 3. n. 49., & alij.*

Ratio ex eo deducitur, quia ignominia illa non poteſt ſubſtitui ſolutioni, cum per ipſam nullum creditoris damnum reſarciatur, nec ipſa ignominia eſt quid æquiualens ſolutioni, ſed pæna proptèr culpam præſumptam contrahentis debita ſupra ſuas vires, & proptèr terrorem alijs incutiendum, ne prodigalitate, & negligentia ad ſimilem ſtatum deueniant.

7 *Clericus inops non tenetur cedere bonis, nec propterea poteſt in carcerem trudi.*

Aſſertio VI. Clericus inops non tenetur cedere bonis, nec propterea poteſt ob debita in carcerem conijcit *Gloſ. in c. miles de re iud., & in c. ſtudeat diſt. 50., Immola in c. Odoardus de ſolut., & ibi Ancharanus, & Abbas.*

Ratio ex eo deducitur, quia Clericus non poteſt conueniri, niſi in quantum commodè facere poteſt deductis neceſſarijs alimētis, prout ſtatuitur *in d. c. Odoardus*, nec incongrua ratione hoc inductum intelligo; hoc etenim exigit ſtatus Eccleſiaſticus, ne cogatur in obbrobrium eiuſdem oſtiatim mendicare.

Sed hic oritur difficultas, an talis diſpoſitio intelligatur ſolummodo de Clericis in Sacris conſtitutis, an vero de Clericis quibuſcunque

8 *Extēditur ad quoſcunq; clericos gaudētes priuilegio fori.*

Coaruuias *loco cit. n. 9*, reſtringit ſolummodo ad Clericos Sacris initiatos, cum iſti ſolummodo ſint alligati, adeò vt nequeant ſtatum Clericalem dimittere. Alij extendunt ad quoſcunque Clericos per textum *in l. in condonatione ff. de reg. iur.*, Ex benigna iuris interpretatione extenderem ad quoſcunque Clericos gaudentes priuilegio fori iuxtà diſpoſitionem *Sacri Conc. Trident. ſeſ. 25. c. 6.* exceptis Clericis coniugatis, qui quamuis gaudeant priuilegio fori, & canonis non gaudent tamen cæteris Clericorum priuilegijs, prout habetur *in c. vnico de Cler. coniug. in 6.*, Hæc colligo ex *Leſsio d. lib. 2. c. 16. dub. 3. n. 51.*

PRÆNOTIO IV.

An ſolutio facta creditori creditoris eximat debitorem à debito.

SVMMARIVM.

Solutio facta per debitorem creditori creditoris de conſenſu eiuſdem creditoris eximit debitorem. 1.

Talis ſolutio ex quacunque cauſa proueniat debitum, & creditum, dummodo vtrumq; ſit liquidum, & æque priuilegiatum, eximit debitorem à debito. 2.

Si creditori debeatur res in ſpecie non admittens functionem, debitor ſoluens pecuniam creditori creditoris, non licitè ſoluit, & creditor ipſe ſoluendo pecuniam, quam ipſe debitor ſoluit creditori creditoris poteſt rem illam repetere. 3.

Debitor ſoluens vni ex creditoribus ſui creditoris, qui ſit poſterior, & non priuilegiatus non eximitur ab onere reſtitutionis. 4.

INter cauſas ex parte debitoris ipſum eximentes ab onere reſtitutionis tertia numeratur, nempè ſolutio facta per debitorem creditori ſui creditoris, de qua plura egimus in præcedentibus. Nunc pro pleniori notitia.

Nonnulla præmittenda exiſtimo, circa quæ diſſident DD., & primò, an ex eadem cauſa proueniat debitum debitoris, & creditum creditoris eiuſdem debitoris, vt ſi v.g. ego ex domo conducta à Franciſco ſim debitor eiuſdem Franciſci, cuius Paulus eſt creditor, ex quo eandem domum eidem Franciſco locauit, vel ſi ego debitor ſim ex mutuo eidem Franciſco, qui illud mutuo accepit à Paulo, an vero ex diuerſa cauſa debitum debitoris procedat, & ſecundi creditoris creditum, quatenus ego v.g. ſim debitor Franciſci de decem ex mutuo, & Paulus ſit creditor eiuſdem Franciſci ex titulo venditionis. Secundo, an creditum, & debitum ſint eiuſdem qualitatis, an diuerſæ, adeo vt vtrumq; ſit liquidum, & certum, vel debitum liquidum, & creditum illiquidum. Tertio, an debitum, & creditum ſint eiuſdem ordinis, & priuilegij, an vero diuerſi, adeo vt ego ſim debitor Franciſci, qui non eſt potens ſoluere omnia ſua debita, & Paulus ſit creditor reſpectu eiuſdem Franciſci, ita tamen, vt inter creditores eiuſdem Franciſci ſit ex poſterioribus reſpectu aliorum habentium prælationem non ſolum ratione temporis, ſed etiam hypothecæ; in quo ſenſu quæritur, an ſi ego ſoluerim eidem Paulo creditori mei creditoris liberer ab onere reſtitutionis.

Nonnulla conſiderabilia circa debita, & credita.

Digitized by Google

1 *Solutio facta creditori creditoris de conſenſu eiuſdem creditoris eximit debitorem.*

Aſſertio I. Si debitor ſoluat creditori ſui creditoris de mandato, vel ſcientia, & cõſenſu ipſius creditoris, certè eximitur ab onere reſtitutionis *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 5. in princip.*, & cum eo omnes conſentiunt, tam Theologi, quàm Canoniſtæ.

Ratio in promptu eſt, quia per talem ſolutionem perindè eſt, ac ſi debitor immediatè perſolueret ſuo creditori, & hic breui manu ſuo etiam creditori ſatisfaceret; quid enim aliud eſt in re in hac hypotheſi ſoluere creditori ſui creditoris de mandato, vel ſcientia ipſius debitoris, quam eſſe mandatarium, ſeu nuntium ipſius creditoris ad deferendum creditori ipſius creditoris id, quod ipſe creditor eidem debet, ſed quando debitor immediatè ſoluit ſuo creditori liberatur ab onere vlterioris ſolutionis, non obſtante, quod ipſe creditor pecuniam receptam pro ſolutione tradat alteri ſuo creditori, ergo &c.

2 *Ex quacunq; cauſa proueniat debitũ, & creditũ dummodo, vtrumque ſit liquidũ talis ſolutio eximit debitorẽ.*

Aſſertio II. Si debitor ſoluat creditori ſui creditoris, ſiue ex eadem, ſiue ex diuerſa cauſa proueniat debitum, dummodo vtrumque ſit liquidum, & vtrumq; æquè priuilegiatum eximitur ab onere reſtitutionis, ſiue in foro interno, ſiue externo *Angelus verb. ſolutio nu. 13.*, *Silueſter verb. ſolutio num. 4.*, *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 5.*, *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 5. n. 60.*, quamuis *Bartolus in l. ſolutum ff. de pigno. act.* contrarium ſentiat in foro externo, quando debitum eſt ex diuerſa cauſa.

Ponitur æqualitas, & æquale ius acquiritur ad debitum.

Ratio in vniuerſum ex eo deſumitur, quia dũ debitor ſoluit creditori ſui creditoris ad æqualitatem eius, quod debet, & vtrumq; eſt debitum liquidum acquirit in ſe ius illud, quod habebat creditor creditoris aduerſus eundem creditorem, tanquam debitorem ſuum, ergo liberatur ab onere reſtitutionis erga ſuum creditorem, & quidem in foro interno, cum verè poſuerit æqualitatem inter ſe, & creditorem ſuum, nam ſi ipſe creditor amittit ius, quod habebat in debitorem, æquale onus etiam amittit in ordine ad ſuum creditorem, item in foro externo, in quo, ſi creditor conueniat debitorem petens, quod ſibi debet, debitor ipſe petitionem repellet petendo ab eodem creditore, quod ipſe debebat ſuo creditori, cuius ipſe debitor ius acquiſiuit. Hoc argumentum æquè valet, ſiue debitum debitoris erga ſuum creditorem, ſiue debitum creditoris erga alium fuerit ex eadem, ſiue ex diuerſa cauſa, quandoquidem etiam debita prouenientia ex diuerſa cauſa, dummodo ſint æqualia in quantitate, merito ad inuicem compenſantur.

Vtrumq; debet eſſe liquidum.

Dixi, *ſi vtrumque debitum ſit æquè liquidum*, nam ſi debitum primi debitoris eſſet verè liquidum, illud verò creditoris erga ſuum creditorem illiquidum, certè ipſe debitor per illam ſolutionem factam creditori ſui creditoris non eximitur ab onere verſus ſuum creditorem, quia liquidi ad illiquidum non datur compenſatio, & creditorem in ea hypotheſi agentem ad conſecutionem ſui crediti non poteſt elidere exceptio, quod ius habeat creditoris eiuſdem ſui creditoris, cum ius illud vtpotè non liquidum non adæquet ius liquidum eiuſdem creditoris immediati.

3 *Debitor rei certæ in ſpecie nõ admittentis fũctionẽ ſoluens pecuniã creditori creditoris non eximitur ab onere reſtituẽdi rem illã, ſi creditor ſoluit pecuniã, quã debitor ſoluit.*

Hic oritur difficultas, an ſi debitor debeat ſuo creditori rem in ſpecie non admittentem functionem, & ſoluat creditori ſui creditoris ad eximendum ſe ab onere reſtituendi illam rem debitam in ſpecie, eximatur, tùm à culpa, tùm ab onere reſtitutionis. Medina *C. de rebus reſtit. q. 3. cauſa 5. verſ. his non obſtantibus*, arbitratur, quod ſi debitum conſiſtat in re in ſpecie non admittente functionem culpa ſit ſoluere creditori creditoris, non tamen ſit onus reſtitutionis, ſi vero res debita in ſpecie admittat functionem, abſolutè ſentit, nec culpam adeſſe in illa ſolutione, nec conſurgere onus reſtitutionis, cui non inuitus adhæreo, quandoquidem poteſt ipſe creditor rei determinatæ in ſpecie non admittentis functionem velle, quod res illa in ſpecie ſibi reſtituatur, & ſicuti ipſe debitor non poteſt inuito creditore velle pecuniam tradere eidem creditori pro ſolutione rei certæ in ſpecie, & non admittentis functionem, cum poſſit creditor velle rem ſuam, ita non poteſt pecuniam tradere creditori ſui creditoris ad ſe eximẽdum ab onere reſtituendi rem certam in ſpecie ſuo immediato creditori. Ex quibus infero, quod ſi de facto debitor rei certæ in ſpecie, & non admittentis functionem contulerit creditori ſui creditoris pecuniam ad æqualitatem illius rei poſſit ipſe immediatus creditor per reſtitutionem illius pecuniæ per ipſum debitorem ſolutæ ſuo creditori rem illam recuperare, nec poſſit ipſe debitor excipere de illa ſolutione per ſe facta, quia ſicuti ipſe creditor non poteſt cogi ad rem ſuam determinatam in ſpecie, & non admittentem functionem vendendam, ita non poteſt compelli ad eam relinquendam ſuo debitori ex eo, quod hic ſoluerit ad æqualitatem creditori ipſius creditoris.

4 *Debitor ſoluẽs vni ex creditoribus, qui ſit poſterior, & nõ priuilegiatus non eximitur ab onere reſtitutionis.*

Aſſertio III. Si debitor reſpectu creditoris varijs debitis, & oneribus preſſi, adeò vt hic ſit impar omnia ſoluere, ſoluat, quod debet creditori ipſius creditoris, qui tamen ſit creditor inferior eo, quod dantur reſpectu primi creditoris alij creditoribus-

dito-

ditores anteriores, & priuilegiati non liberatur ab onere reſtitutionis. In hanc conſentit Doctiſſimus Pater Cacheranus, cuius ſicuti gauiſus ſum magiſterio, ita ſemper ſum veneratus doctrinam.

Ratio aſſertionis.

Ratio ex eo deducitur, quia ſecundus creditor hoc eſt creditor creditoris in ea hypotheſi non habet ius exigendi ſolutionem à ſuo debitore, cum præiudicio creditorum anteriorum, & priuilegiatorum eiuſdem, ergo, nec ipſe debitor in præiudicium eorundem creditorum anteriorum poterit iuſtè ſoluere creditori ſui creditoris ad ſe redimendum ab onere reſtitutionis. Conſequentia probatur, quia ratio, ob quam non poteſt creditor ſecundus exigere à ſuo debitore, qui eſt creditor primi debitoris ſuum creditum ea eſt, quia illud debitum intelligitur obligatum alijs creditoribus anterioribus, ergo, ſi obligatum eſt alijs non poterit debitor in eorum præiudicium illud creditoris perſoluere.

Soluitur prima inſtantia oppoſita.

Dices primò, quod non obſtante iure aliorum creditorum anteriorum, & priuilegiatorum reſpectu ſui creditoris immediatè poſſit debitor eidem creditori ſuo immediato debitum perſoluere, & per talem ſolutionem liberetur à debito, ſi quidem ipſe adimplet ſuum debitum erga eum, cui debet, ergo poterit etiam iuſte, & licitè non obſtante tali iure creditorum anteriorum ſoluere id, quod debet creditori ſui creditoris, maximè, ſi hoc præſtet ex ſcientia, & conſenſu ſui ipſius creditoris, quia tunc perindè eſt, ac ſi ipſi ſolueret. Sed contra, quia licet debitor ſoluendo immediatè ſuo creditori eximatur à debito non obſtante quod ipſe creditor habeat reſpectu ſui alios creditores, non propterea ipſe debitor poteſt ſoluere alicui ex creditoribus ſui creditoris, qui ſit poſterior reſpectu aliorum cum præiudicio eorundem; Ratio ex eo deducitur, quia in concurſu creditorum non eſt in poteſtate debitoris illius, aduerſus quem concurrunt huiuſmodi creditores, ſoluendi cuicunque voluerit, ſed ſolutio facienda eſt ei, qui habet potius ius ratione anterioritatis, vel hypothecæ, cum illi ſemper ſint præferendi poſterioribus, & non hypothecarijs, & nomina debitorum computantur inter iura, ad quæ poteſt eſſe ius prælationis, ergo, ſi debitor alicui ex poſterioribus ſoluerit ratione damni reſultantis in creditoribus anterioribus illa ſolutio reputabitur irrita. Confirmatur, quia in tantum nos diximus, quod debitor ſoluens creditori ſui creditoris liberetur a ſuo creditore immediato, in quantum, ſi ipſe creditor peteret ſuum creditum ipſe debitor poteſt eidem opponere ius, quod acquiſiuit à creditore ipſius creditoris, per quod eludit ipſius actionem, ſed hæc ratio non poteſt eidem ſuffragari, quando ſoluit alicui ex creditoribus ſui creditoris, qui ſit ex poſterioribus, & non priuilegiatis, quandòquidem, ſi ipſe excipiat de ſolutione huic creditori poſteriori facta, creditor anterior poteſt elidere hanc exceptionem per oppoſitionẽ ſui crediti anterioris, ratione cuius habet prælationem in omnibus iuribus ſui debitoris, & etiam in nominibus debitorum, ergo &c. Hoc verum crediderim, quando omnes creditores creditoris contenderent ad conſecutionem ſuorum creditorum, ità vt eorum actio innoteſceret etiam debitori ſui debitoris, ſecus &c.

Nomina debitorũ computãtur inter iura creditoris.

Dices ſecundo, quod quoad ea, quæ non admittunt functionem, ſed conſiſtunt in quantitate non ſeruetur ordo prioris, & poſterioris, ſed cuicumque facta ſit ſolutio, intelligatur rectè, & legitimè facta, ergo non obſtante anterioritate aliorum debitor ſoluens vni ex creditoribus intelligetur liber ab onere verſus ſuum creditorem. Sed contrà, quia, cum illud debitum, quantumuis conſiſtat in quantitate, & admittat functionem, computetur inter iura creditoris, ſub quibus veniunt etiam nomina debitorum, & cum creditores eiuſdem creditoris habeant hypothecam, & anterioritatem ad omnia iura eiuſdem creditoris, qui eſt debitor ipſorum, per conſequens ſequitur, quod illud ius non diſſoluatur per ſolutionem factam poſteriori &c.

PRÆNOTIO V.

An, & quomodo damnum ſit cauſa excuſans debitorem ab onere reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Quomodo ſumendum ſit damnum. 1.

Imminente graui damno creditori ex illa reſtitutione debitor excuſatur à reſtitutione. 2.

Si tamen reſtitueret, non peccaret contrà iuſtitiam. 3.

Si petat ad vſus illicitos, non tamen contrà iuſtitiam probabilius tenetur reddere. 4.

Si debitor reſtituat rem, qua vtatur contrà iuſtitiam cum ſcientia tenetur ad reparationem damnorum. 5.

Magnum periculum ſalutis animæ debitoris, vel ſuorum excuſat ab onere reſtitutionis. 6.

Magnum periculum damnorum in rebus debitoris non debitis excuſat à reſtitutione. 7.

Quando

Digitized by Google

Quando debitum eſt ex delicto non tenetur creditor expectare. 8.

Notabilis iactura decentiæ ſtatus, quandòque excuſat, quandòque non. 9.

Non excuſat, quando ob atrox delictum pati debet illud detrimentum. 10.

Nec quando ex ſua culpa ſe redegit ad illas anguſtias. 11.

Excuſat, quando iactura ſtatus coniungenda eſt cum iactura famæ. 12.

Item quando vir nobilis teneretur artem vilem inire. 13.

Item ſi teneretur filios in ſiniſtrum abire. 14.

Vxor, quæ ex adulterio concepit prolem non tenetur ſuum crimen prodere. 15.

1 *Quomodo ſumẽdum ſit damnum.* HÆc quarta cauſa, quæ dicitur *damnum*, poteſt ſe tenere, vel ex parte creditoris, quatenus ex reſtitutione rei debitæ eidem creditori immineret aliquod graue damnum, vel periculum rationabile eiuſdem damni, vel ex parte debitoris, quatenus ex tali reſtitutione contingeret magnum periculum animæ ipſius, vel ſuorum, ſeu magnum detrimentum in rebus non debitis, ſeu notabilis iactura decentiæ ſtatus, ſeu tandem grauis infamia eiuſdem reſtituentis; primum contingeret, ſi ex reſtitutione periculum eſſet, ne ipſe reſtituens in deſperationem per impatientiam incideret, & ne vxor, vel filię præ inopia ſe proſtitueret, & ne filij fierent latrones; Secundum contingeret, quando, vt quis reſtitueret, teneretur res ſuas maximi valoris vẽdere multo minoris, ac in ſe valeant; tertium contingeret, quando vir nobilis, ſi ſtatim reſtitueret, compelleretur ſtatim ſe priuare omni obſequio famulorum, & conſortio ſui ſimilium, quo antecedentèr gaudebat; Quartum, quando mulier, quæ viuente marito concepit ex adulterio, ad conſulendum filijs legitimis, ſi manifeſtaret propriam turpitudinem, eidem magnum damnum in fama proueniret. In his omnibus, & ſimilibus caſibus quæritur, an debitor excuſetur à reſtitutione ſimplicitèr, an verò ſolummodo ad tempus, pro quo vigent huiuſmodi pericula.

2 *Imminẽte graui dãno creditori ex illa reſtitutione poteſt illam debitor differre.* Aſſertio I. Si ex reſtitutione immineret graue damnum eidem creditori ex actione iniqua debitor excuſatur a reſtitutione ſaltem pro tempore imminentis periculi illius damni, quod etiam extenderem, quando illud damnum alteri ab ipſo creditore immineret. Hoc potiſſimum contingeret, quando creditor peteret gladium, ſeu arma apud alium depoſita, & ex circunſtantijs præuideret rationabilitèr debitor, ſeu depoſitarius, quod creditor eo eſſet vſurus, vel ad interficiendum ſe ipſum, vel alterum. *Nauarrus in man. c.17.n.63., Leſsius lib. 2. de iuſt. & iur. c.16. dub. 4. nu. 59., Sotus lib. 4. de iuſt. q.7. art.1.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia reſtitutio eſt actus virtutis, qui non poteſt eſſe contra rationem, ſed, ſi hæc fieri deberet, quando etiam reſultare deberet in præiudicium creditoris, vel aliorum ab ipſo, eſſet contra rationem debitam, ſiquidem non eſſet in commodum Domini, ſed potius in perniciem, ergo &c. Secundo, quia quando creditor, ſeu Dominus petit rem ſibi debitam, vt vtatur contrà iuſtitiam in ſui, vel aliorum perniciem non eſt, nec poteſt eſſe rationabilitèr inuitus, quod eiuſdem rei reſtitutio ſibi negetur, ſeu differatur; quotieſcunque autẽ Dominus non eſt, nec poteſt eſſe rationabilitèr inuitus ad dilationem in reſtituenda re ſua, vel ſibi debita, debitor poteſt detinere, vel differre reſtitutionem ſine culpa. Tertio, quia debitor in data hypotheſi non reſtituendo potius bene gerit negotium creditoris, quam illi præiudicium inferat, ergo poteſt iuſtè, & legitimè non reſtituere. *Reſtitutio eſt actus virtutis.*

3 *Si tamen reſtitueret non peccaret contrà iuſtitiam.* Solum hic oritur difficultas, quando Dominus, vel creditor peteret rem ſuam, vel ſibi debitam ad ſibi nocendum, puta ad ſe mutilandum, vel mortem ſibi inferendam, an teneatur debitor, vel depoſitarius rem illam eidem reſtituere, & an reſtituendo grauitèr peccet contra iuſtitiam, & obligetur ad reſtitutionem. Petrus *à Nauarra lib. 4. de reſtit. c.2. n. 37.* arbitratur abſolutè non grauitèr peccare contra iuſtitiam, nec obligari ad reſtitutionem damnorum inde ſubſequentium. Rationem ex eo adducit, quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, nec quis ſe ipſum occidendo peccat contra iuſtitiã. Contrarium arbitratur Sotus apud eundem *Petrum à Nauarra loc. cit.* ea motus ratione, quia tenetur ex iuſtitia rem illam denegare ſaltem ad tempus, & ſic damna inde ſecuta eidem imputantur, tanquam cauſæ iniuſtæ. Quid ergo in hoc concludendum? Arbitror tutiorem eſſe opinionem Petri à Nauarra propter rationem ab eodem adductam.

Extendunt aliqui aſſertionem, adeò vt procedat non ſolum, quando creditor, ſeu Dominus petit rem ipſa vſurus contrà iuſtitiam, ſed etiam quando vſurus eſt in vſus illicitos, non tamen cõtrà iuſtitiam, puta cum petit ſibi reſtituendam pecuniam, quam vult inſumere cum meretricibus, quia vnuſquiſque tenetur, quantum poteſt auertere malum proximi ſpirituale ſaltem ex lege charitatis. Nihil ominùs alij probant, quando creditor non eſt rem ſibi debitam inſumpturus in

vſus

Digitized by Google

vſus contrà iuſtitiam non ceſſare obligationem reſtituendi. Rationem ex eo deducunt, quia collatio pecuniæ ad vſus illicitos, non tamen contrà iuſtitiam inſumendæ eſt contra charitatem, detentio pecuniæ inuito Domino eſt contrà iuſtitiam; magis autem vrget obligatio iuſtitiæ,quam obligatio charitatis,& ex duobus malis eligendum eſt minus, illud ſcilicèt, quod eſt contra charitatem potius, quam illud, quod eſt contra iuſtitiam, ex quo patet diuerſam eſſe rationem de eo, qui reddit aliquid adhibendum contrà iuſtitiam, hic enim, ſi non reddit facit tantum contrà iuſtitiam, ſi reddit, facit contrà iuſtitiam, quatenus ſaltem indirectè concurrit ad inferendam iniuriam, facit etiam contrà charitatem, quatenus ex charitate tenetur conſulere bono alieno,quando poteſt, ideo in tali caſu maius malum eſt reddere, quam non reddere, & iſtud tanquam minus malum præeligendum eſt. Huic opinioni libentius adhæreo propter rationes adductas, quamuis contraria ſit etiam valde probabilis. Hoc tamẽ intellige procedere,niſi neganti reddere maius, vel æquale, vel ſaltem graue damnum immineret, tunc enim, quia quiſque licitè poteſt præferre bonum proprium alieno, nec vllus tenetur cum graui detrimento proprio impedire detrimentum alienum, liceret rem petenti reddere.

4 **Si petat ad vſus illicitos nõ tamẽ contrà iuſtitiã probabilius tenetur reddere.**

Quod, ſi dixeris, quod argumenta, quæ adducta ſunt pro probatione aſſertionis æquè militare videantur, ſiue res, quæ petitur à creditore, vel Domino ſit inſumenda in vſus contra iuſtitiam, ſiue in vſus aliunde illicitos, puta contra charitatem ſimplicitèr, quandòquidem eſt etiam contrà rationem, quod res reddatur; vt inſumatur cum meretricibus, & bene etiam non reddens gereret negotium creditoris exigentis ad vſus contrà pudicitiam &c. Statim impugnaberis, quia non eſt contrà rationem, quando fortius ius vrget ad reddendum, quam ſit illud, quod impellit ad non reddendum, & cum fortiori, & ſtrictiori iuri quis adhæret in concurſu minus ſtricti, & infirmioris non facit contra rationem. Ad illud, quod ſubditur de negotio bene geſto in fauorem creditoris per illam negationem reſtitutionis rei debitæ,dicendum eſt,quod,ſi quid euinceret tale argumentum, liceret etiam ſubtrahere à Domino pecuniam, quando prȩuidetur inſumpturus in meretricibus, quod non eſt dicendum. Deinde ego non obligor negotium alterius bene gerere, quando eſt contra voluntatem Domini, & cum creditor nõ ſit ſpecialitèr commiſſus curæ debitoris eidem non intereſt, quod ipſe creditor rem ſibi debitam ſit inſumpturus, vel ad vſus indiferentes, vel ad vſus illicitos; bene tamen eidem debitori intereſt reſtituere, & ſoluere,quod debet, ſine alicuius iniuria; hic autem iniuria nulla intelligitur adeſſe, cum tertius non damnificetur, nec ipſe creditor læditur,cum iuri ſuo renuntiet; quod, ſi vrgeas, quod etiam hac ratione teneretur reſtituere, quando res eſſet inſumptura in vſus contra iuſtitiam, quandòquidem eidem debitori non intereſt, an creditor ſit inſumpturus contrà iuſtitiam, an alitèr, & ſolum ipſi intereſt reſtituere, quod debet; ſtatim etiam impugnaberis,quia,quando eſt contrà iuſtitiã eſt cum iniuria alterius, qui læditur, quique eſt inuoluntarius,quique ex cauſa eiuſdem debitoris illud inuoluntarium patitur; vnde ipſe debitor in hac hypotheſi eſt ſaltem indirectè cooperator illius iniuriæ, & ipſi intereſt, ne ex ſua actione alteri damnum obueniat. Tandem, ſi quid euinceret inſtantia, quandòque, nunquã liceret debitori reſtituere, quia poſſet contingere, quod continuò creditor eſſet in vſus illos illicitos inſumpturus.

Soluuntur rationes nonnullæ oppoſitæ.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, inferre licet, quod ſi debitor creditori exigenti rem ſuam ad inſumendum in vſus contrà iuſtitiam, ipſam cõtulerit,& damnum inde tertio euenerit,teneatur ad compenſationem illius damni ſaltem ſubſidiariè, quia denegari non poteſt, quin ſaltem indirectè illi damno fuerit cooperatus. Ex aduerſo inſiſtendo opinioni *Petri à Nauarra*, quam ſupra commendauimus, ſi Domino petenti reddiderit rem debitam, illaque Dominus vſus fuerit ad ſe ipſum interficiendum non teneatur ad reparationem alicuius Domini, quia non peccauit contrà iuſtitiam, cum ſcienti, & conſentienti non fiat iniuria.

5 **Si reſtituat pro vſibus cõtrà iuſtitiã, tenetur ad dãna.**

Aſſertio II. Magnum periculum ſalutis animæ debitoris, vel ſuorum excuſat ipſum debitorem ab onere reſtitutionis. *Scotus in 4. diſt. 15. qu. 2. §. vlt., Henricus quodlib. 6 qu. 24., D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 8., Nauarrus in manual. c. 17. nu. 57., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 16. dub. 1. nu. 21.*, & alij magis communitèr.

6 **Magnum periculũ ſalutis animæ debitoris, vel ſuorũ excuſat ipſũ debitorẽ ab onere reſtitutionis.**

Ratio ex eo deducitur primo, quia nemo tenetur alienum ius temporale poſtponere bono proprio ſpirituali, nempè ſaluti animæ propriæ, vel ſuorum, ergo ad ſatisfaciendum creditori pro credito, quod aduerſum ſe habet, non tenetur ſe periculo exponere quoad ſalutem ſpiritualem, vel ſuos. Secundo, quia ex ſupradictis in periculo extremo, vel graui bonorum naturæ non tenetur quis reſtituere id, quod alteri debet, ergo a fortiori

non

Digitized by Google

non tenebitur reſtituere, quod debet cum detrimento, ſeu cum periculo ſalutis ſpiritualis, cum bona ſpiritualia præferenda ſint bonis temporalibus. Tertio, quia quis non tenetur reſtituere, quando Dominus, ſeu creditor non eſt, nec eſſe poteſt rationabilitèr inuitus, quod non fiat, ſeu differatur ſolutio, ſed hoc euenit, quando ex illa imminet notabile periculum ſalutis animæ, vel debitoris, vel eorum, qui eidem coniuncti ſunt, ergo &c.

7

Magnum periculũ damnorũ in rebus debitoris non debitis excuſat à reſtitutione.

Aſſertio III. Quando ex parte debitoris ex reſtitutione immediatè ponenda ſequi debet magnum detrimentum in rebus non debitis poteſt idem debitor iuſtè differre ſolutionem. Ita vltrà præcitatos DD. *Couaruuias ad reg peccatum part. prima, Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 16. dub. 1. nu. 21.*, qui etiam citat *Medinam q. 2. dub. 4.*

Rationem ex eo deſumo, quod habet *Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. vlt.*, nempè, quod, vbi rectæ rationis dictamen non læditur, non violetur iuſtitia, ſed quando reſtitutio facienda eſſet cum graui detrimento reſtituentis in rebus non debitis non eſſet cum rectæ rationis dictamine, quandòquidem creditor ſecundum rectam rationem tenetur conſentire in dilationem, cum contra rationem, & æquitatem faceret, ſi vellet ſibi cum tanto debitoris incommodo ſine dilatione ſatisfieri, ergo &c.

Ad diferendã reſtitutionẽ nõ requiritur extrema, vel grauis neceſſitas.

Dices, quod quis non eximatur ab onere reſtitutionis, niſi ob extremam, & grauem neceſſitatem, & talem, quæ reſpiciat bona, quæ natura fecit omnibus communia, ſed per graue detrimentum in rebus etiam non debitis non conſurgeret in debitore neceſſitas, vel extrema, vel grauis in bonis, quæ natura omnibus diſtribuit, ergo &c. Sed contrà, quia ad eximendum ab onere reſtitutionis ſimplicitèr, vel conditionatè, ſi debitor ſcilicèt non deuenerit ad pinguiorem fortunam, requiritur quidem, vel extrema neceſſitas, vel grauis iuxtà ſenſum ſupra expoſitum, ad differendum verò ſolutionem ad tempus, pro quo debitor non debeat pati grauem iacturam rerum ſuarum, ſicuti pateretur, ſi immediatè reſtitueret, ſufficit illud graue detrimentum in rebus non debitis, ad quod euitandum ex quadam æquitate indita ab ipſa natura poteſt debitor diferre, nec ad hoc poteſt eſſe creditor rationabilitèr grauitèr inuitus, cum ex illa dilatione nullum, vel non niſi leue damnum poſſit pati; Neque vrgeas, quod extrema, vel grauis neceſſitas etiam non excuſet à reſtitutione, niſi ad tempus, quo ſcilicèt illa perſeueret, adeòque in hoc nullum eſſet diſcrimen, & propterea, ſi ſola neceſſitas, vel extrema, vel grauis excuſat quoad dilationem, non poſſit illud detrimentum in rebus non debitis excuſare; contra enim impugnaberis, quia neceſſitas abſoluta, ſiue extrema, ſiue grauis excuſat ſimplicitèr à reſtitutione perſeuerante debitore in eo ſtatu, & ſolum ceſſat illa deobligatio, ſi debitor peruenerit ad pinguiorem fortunam; graue autem detrimentum in rebus proprijs debitoris non excuſat ſimplicitèr etiam in eo ſtatu, in quo reperitur debitor, ſed in eo ſtatu, in quo viget etiam obligatio, ſuſpendit ſolummodo ad tempus, & hoc cum præſumpto conſenſu, vel ſaltem ſine rationabili diſſenſu ipſius met creditoris, cui cum graue damnum ex illa dilatione non immineat, non debet referre, quod debitor ſtatim reſtituat cum notabili rerum ſuarum iactura. Verum tamen eſt, quod, ſi ex illa dilatione ſimile detrimentum immineret ipſi creditori, non poſſet debitor legitimè differre ſolutionem, quia in eo caſu ius creditoris debet præualere. Hoc item verum eſt, quod, ſi tempore reſtitutionis faciendæ tales concurrerent circunſtantiæ, vt niſi immediatè fiat, nunquam eſſet futura, deberet immediatè fieri non obſtante illo detrimento in rebus proprijs debitoris, quia ſecus dilatio in maximum præiuditium creditoris redundaret, & ex hoc etiam patet diſcrimen, quod intercedit inter extremam, ſeu grauem neceſſitatem, & inter hoc detrimentum in rebus proprijs quoad effectum deobligandi a reſtitutione, nam extrema neceſſitas, vel grauis deobligat, quantumuis nulla ſit ſpes futuræ ſolutionis, graue autem detrimentum obligat ſtatim ad reſtituendum, ſi ex circunſtantijs appareat poſtea non fore ponendam.

Detrimẽtum in rebus proprijs non excuſat ſimplicitèr.

Exceptio ad prædicta.

Hic excitant DD. controuerſiam, an ea, quæ hic dicta ſunt in hac aſſertione, æquè intelligenda ſint, ſiue res ſit debita ex contractu, ſiue ex delicto? Nauarrus *in manual. c. 17. n. 57.*, *D. Antoninus 2. part. tit. cap.* 8. docent æquè intelligenda eſſe, ſiue res debeatur ex contractu, ſiue debeatur ex delicto, rationemque adducunt, quia, quantumuis creditor, quando debitum eſt ex furto, non teneatur ex iuſtitia dilationem concedere, tenetur tamen ex quadam æquitate, ne illa ſolutio immediatè ſit ita damnoſa debitori, cum ex alio capite dilatio non ſit pernicioſa eidem creditori. Ex aduerſo *Caietanus verb. reſtitutio qu. 6., Sotus lib. 4. de iuſt. qu. 7. art. 4.* docent, quando debitum eſt ex delicto non teneri, neque ex charitate creditorem concedere dilationem, quantumuis detrimentum in rebus delinquentis debitoris ſit futurum, quia non videtur dignus miſeratione, qui ſine miſeratione

8

Quando debitũ eſt ex delicto ob detrimentũ in rebus debitoris nõ tenetur creditor expectare.

res

res alienas abſtulit, aliosque rebus ſuis expoliauit. Quid iam circa hanc controuerſiam concludendum? Arbitror, non teneri creditorem concedere dilationem reſtitutionis, quando debitum eſt ex delicto, non ſolum propter rationem adductam, ſed etiam, quia iura contrà huiuſmodi debitores ex delicto non concedunt priuilegia, quæ alijs debitoribus ex contractu concedunt, ſic in particulari non concedunt priuilegium ceſſionis ad effectum, vt tantum detinere valeant, ne egeant, ergo nec creditores tenentur eidem concedere priuilegium dilationis; nec ratio contraria quidquam euincit, quia æquitas non exigit, quod pietas exerceatur in delinquentes per furtum, cum nec iura adhibeant, quod, ſi talis pietas exerceatur, erit opus maximę perfectionis, non alicuius debiti.

9 Quando iactura ſtatus excuſat.

Aſſertio IV. Notabilis iactura decentiæ ſtatus, quandòque excuſat à reſtitutione immediatè facienda, quandòque non. *Coaruuias ad reg. peccatum part.* 1., *Medina q.* 2. *dub* 4., Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iur. c.* 16. *dub.* 1. *nu.* 25. *& alij*.

Probatur, & explicatur aſſertio ſecundum caſus, in quibus talis iactura poteſt, vel non poteſt excuſare; & primo non excuſat, ſi debitor fuerit iniuſtè conſtitutus in illo ſtatu, à quo per immediatam reſtitutionem deberet decidere, puta, ſi factus fuerit diues, & in honore poſitus apud homines vſuris, rapinis, & ſimilinus fraudibus. Ratio autem, ob quam non excuſatur, ea eſt, quia per illam reſtitutionem non amittit ſuum ſtatum, ſed alienum dimittit, & ad ſuum reuertitur per ea, quæ ſupra innuebamus.

10 Non excuſat, quã do ob publicum, & enorme delictum pati debet illud detrimentũ.

Non excuſat ſecundò, ſi ob publicum, & enorme delictum pati debeat illam iacturam decentiæ proprij ſtatus, quia ex vno capite ex lege iuſtitiæ eſt obnoxius reſtitutioni, & ex alio capite ex delicto publico, & enormi factus eſt reus pænæ diffamationis, & per conſequens lapſus decentiæ ſtatus; nec incongruum eſt apud homines, quod grauitèr delinquentes tali punitione coarceantur etiam ad aliorum terrorem.

11 Nec quã do debitor ex ſua culpa ad illas anguſtias ſe redegit.

Non excuſat tertiò, quando debitor ad eas anguſtias ſua culpa ſe redegit, vt ſcilicèt teneatur à decentia proprij ſtatus cadere, puta ludis, commeſſationibus, & inutilibus ſumptibus *Sotus lib.* 4. *de iuſtitia q.* 7. *art.* 4., *Petrus à Nauarr a lib.* 4. *de reſtit. c.* 4. *n.* 44., *Leſſius lib.* 2. *de iuſt. & iur. c.* 16. *dub.* 1. *n.* 27. Ratio ex eo deducitur, quia tunc debet ſibi imputare, quod in talem ſtatum ſe coniecerit, vt nequeat ſine ſtatus amiſſione ſatisfacere; ius etenim non fauet prodigentibus inaniter res ſuas cum aliorum præiudicio.

Excuſat vero primò, ſi illa iniuria ſtatus coniungenda eſſet cum graui infamia eiuſdem debitoris, quatenus ſcilicèt homines ex circunſtantijs tunc concurrentibus non ſine leui fundamento ſuſpicarentur, vel ſuſpicari non inueriſimilitèr poſſent, quod iniuſtè ille debitor ſtatum illum, à quo per reſtitutionem immediatam decideret, illum ſtatum acquiſierit ſcilicèt, vel per furta, vel per iniuſtas actiones, vel per aliorum iniquam expoliationem, quia in ea hypotheſi nemo tenetur reſtituere cum graui damno in rebus ſuperioris ordinis, nempè famæ, & honoris; atque ita inter cæteros ſentit *Leſſius de iuſt. & iur. lib.* 2. *c.* 16. *dub.* 1. *n.* 30. 12

Excuſat quãdo illa iactura iungenda eſt cũ infamia.

Excuſat ſecundo, quando vir nobilis, & in magno honore regularitèr apud omnes acceptus ex reſtitutione debitorum, quibus iuſtè premitur ex licitis contractibus, teneretur immediatè ſpoliari famulis, conſortio perſonarum ſibi in dignitate, & honore ſimilium, & cogeretur artem mechanicam obire, quandòquidem tunc non videntur eſſe irrationabilitèr inuiti, nec eſſe poſſe creditores, ſi non ſe immediatè ſpoliet, ſed detrahat, quantum poſſit intra limites decentiæ ſtatus, quæ non conſiſtit in indiuiſibili, vt ſenſim reſtituat. 13

Item quãdo debitor vir nobilis cogeretur artẽ vilem inire.

Excuſat tertio, ſi inde, nempè ex illa reſtitutione cogeretur filios ſinere in ſiniſtrum abire ſine congrua educatione cum periculo lapſus in mores peruerſos, & alia ſimilia. 14

Item ſi teneretur filios in ſiniſtrũ abire.

Pro complemento eorum, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, hoc vnum aduertendum eſt, quod debitor ad ſaluandam decentiam ſtatus non eximatur abſolutè ab onere reſtituendi, ſed teneatur ſucceſſiuè reſtituere ſemper detrahendo, quantum poteſt, vt non ſimul decidat à decentia ſtatus, ſed ſucceſſiuè, quatenus ex vna parte ſatisfaciat, quantum poteſt, ex alia conſeruet intra limites recti propriam decentiam, quæ non ita læditur, ſi minutatim diminuatur, ac ſi tota ſimul diminueretur.

Notabile ad prædicta.

Aſſertio V. Vxor, quæ viuente marito concepit ex adulterio, non tenetur cum iactura vitæ, aut famæ ſuæ prodere crimen ſuum ad effectum excludendi filium ſpurium ſuppoſitum à ſucceſſione cum reliquis filijs legitimis. *Medina C. de reb. reſtit. q.* 3. *cauſa* 4. *verſ. his non obſtantibus.* 15

Vxor, quæ ex adulterio concepit, non tenetur crimẽ ſuum prodere cum iactura ſuæ vitæ, & famæ.

Ratio ex eo deducitur primò, quia plura contingerent damna in detectione proprij criminis ad excludendam prolem ſpuriam a ſucceſſione, quam in taciturnitate eiuſdem cum præiudicio legitimæ prolis, cum qua ſpuria deberet ſuccedere,

ergo, cum ex duobus malis minus ſit eligendum, debebit vxor potius tacere, quam propallare delictum. Antecedens probatur, quia in tali detectione proprij criminis primo conſurgeret periculum animæ mariti, quia fortè inde ſcandalum ſumet, & periculum vitæ ipſius vxoris, quia fortè maritus zelotijpus ipſam occidet, & poſitiua iactura famæ eiuſdem vxoris; in taciturnitate autem ſolum eſt iactura rei temporalis, puta hæreditatis integræ, quatenus legitimi hæredes debent deuenire in diuiſione cum prole ſpuria; nemo autem tenetur indemnitati alterius conſulere cum maiori detrimento proprio in rebus ſuperioris ordinis.

Rationes pro aſſerto.

Secundò, quia, quantumuis vxor proprium propallaret delictum, non propterea hoc proueniret in commodum, & vtilitatem prolis legitimæ, vel aliorum, qui ſuccedere deberent ab inteſtato, quandòquidem, nec proles ſpuria tenetur ei credere, nec quando vxor pro tempore conceptus vxor habitabat cum marito iura præſumunt quoad prolem pro adulterio, ſed pro legitimitate, & pro matrimonio, quia in dubio, quando proles poteſt eſſe ab vtroque, vel ſcilicèt à marito, vel ab adultero ſemper fit præſumptio pro minori malo, ergo, cum in ordine ad prolem legitimam ille detectio non poſſit prodeſſe, nulla erit ratio, cur debeat fieri, maximè cum inde illa damna prouenirent, de quibus ſupra.

Iura præſumũt pro legitimitate prolis.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione plura militant argumenta, quæ nunc profero. Primum eſt, quia tam de iure naturali, quam Diuino tenetur damnificans ſatisfacere læſis, ſeu damnificatis, ſed quando quid lege naturali, & Diuina agendum eſt, non poteſt, nec ex mortis timore omitti, ergo &c. Secundum, quia non eſt licitum furari à diuite, vt conſulatur pauperibus ad eorum mortem vitandam, quantumuis ipſi paupeτes parati ſunt furta committere, vel enormiora crimina perpatrare, ergo etiã ad euitandam mortem non erit licitum vxori ſupponere filium ſpurium pro legitimo, quia hoc nihil aliud importat, quam quod vxor adultera à filijs diuitibus legitimis furetur, vt prolem ſpuriam pauperem ditet, cum paria ſint alienum auferre, ac ablatum non reddere. Tertium, quia, ſi quis falſum teſtimonium contra aliquem inocentem dixerit in iudicio, tenetur illud in iudicio retractare, & innocenti famam reſtituere non obſtante, quod ipſe ex tali retractatione infamiam contrahat, & pænæ talionis ſubiaceat, ergo etiam, ſi vxor ſuppoſuerit filium ſpurium pro legitimo tenebitur factum retractare manifeſtando delictum non obſtante, quod ipſi immineat periculũ infamiæ, & etiam mortis. Quartum, quia poteſt creditor, ſeu læſus per furtum rem ſuam furtiuã repetere non obſtante, quod ex huiuſmodi repetitione in iudicio ſit veriſimilitèr mors furis ſecutura, ergo vxor tenebitur ad ſatisfaciendum filijs legitimis manifeſtare occultum prolis ſpuriæ, quandòquidem ſua repetere voluntatis eſt, læſis ſatisfacere neceſſitatis. Hæc omnia argumenta colligo *ex Medina C. de reb. reſtituen. q. 3. cauſa 4.* Sed facile his omnibus occurro.

Argumẽta contraria proponũtur.

Ad primum dico, quod quidem de iure diuino, & naturali tenetur damnificans ſatisfacere læſo, quando alia ratio maioris damni non excuſat; in præſenti autem hypotheſi illa enuntiata maiora damna in prima probatione aſſertionis excuſant.

Soluitur primũ argumentũ.

Ad ſecundum dico, in caſu extremæ neceſſitatis pauperis, cui aliundè non poſſet ſubueniri licitum, eſſet alteri à diuite res neceſſarias illius ſubuentioni accipere, quod ſi hoc poteſt alter ab ipſo indigente, hoc à fortiori poterit ipſe indigens, vt in tali neceſſitate ſibi ſubueniat; in caſu autem, de quo hic loquimur, mulier eſt in extrema neceſſitate, qua extremè indiget non reſtituere illo modo.

Soluitur ſecundum argumentum.

Ad tertium fateor, quod ſi quis falſum teſtimonium dixerit in iuditio contra innocentem teneatur illud in eodem iudicio retractare, quantumuis illa retractatio ſit cum infamia ipſius retractantis, quia fama pro fama eſt impendenda, ſicuti pecunia pro pecunia; ſi autem ipſi retractanti mors ex illa retractatione immineret, vtique non teneretur ſecundum claſſicam opinionem retractare, quia bona ſuperioris ordinis non ſunt conferenda pro reparatione bonorum ordinis inferioris *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 3., & opuſcul. 31. reſp. 14., Petrus à Nauarra lib. 2. c. 4. n. 405., Nauarrus in man. c. 17. num. 89., & ſeqq., Corduba lib. 1. q. 31., Silueſter verb. detractio q. 4. caſ. 2.* Si vero ſupponas, quod, ſi damnificans non retractet, immineat vitę periculum læſo, aduerſus quem falſum dixit teſtimonium in iuditio; tunc ex cõmuni ſententia teſtatur *Leſſius lib. 2. c. 11. dub. 15. n. 91.*, quod teneatur etiam cum periculo vitæ retractare. Sed quidquid ſit de hoc aſſumpto, non rectè conſequitur conſequentia, quandòquidem ex non manifeſtatione conſequitur dumtaxat damnum temporale in filijs legitimis quoad ſucceſſionem, ratione cuius non tenetur ſe exponere periculo vitæ ſecundum communem DD. ſententiam, de quo teſtatur idem *Leſſius d. lib. 2. c. 10. dub. 7. n. 53.*, quinimmo nec periculo famæ pro-

Soluitur tertium.

priæ,

priæ, vt docet *Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. ſub fin. Coaruuias regula peccatum pr. part. n. 7., & alij ſatis communitèr*.

Soluitur quartum. Ad quartum dico, quod iuſtè quidem poteſt rem ſuam furto ſublatam in iuditio repetere, quantumuis mors furis ſit indè ſecutura, quandoquidem ipſe quærit, quæ ſua ſunt, & mors illa iuſtè prouenit intercedente ſcilicèt publica Iudicis auctoritate, nec mors ipſa furis imputanda eſt læſo rem ſuam repetenti, ſed ipſi furi, qui ex ſua culpa, ſeu ex actione furtiua illam promeruit; cæterum, ſi ex hac cauſa læſus non poſſet rem ſuam repetere, ne ſcilicèt mors furis ſequeretur, nec poſſet quis furem iuridicè accuſare, ne ex illa accuſatione proueniret mors eiuſdem, quod non eſt dicendum. Res autem non ità ſe habet in vxore, quæ ex adulterio concepit, & filium adulterum ſuppoſuit inter legitimos; hæc etenim, quamuis poſſet crimen detegere, non tamen tenetur, tum quia mors ipſius, ſi eueniret, non proueniret ex publica auctoritate, ſed ex priuato mariti odio, ſeu vltione, tum quia non tenetur ſe ipſam prodere cum illo periculo; nec tenetur læſis ſatisfacere, quando tot damna eidem imminerent; vnde ad id, quod ſubditur, quod repetere rem ſuam ſit voluntatis, ſatisfacere autem læſis ſit neceſſitatis, dicendum eſt eſſe quidem neceſſitatis, quando aliud non obſtat, ſecus ſi alia ratio ſuperior excuſat.

Ratio pro aſſertione à iure deducta. Ad plenius confirmandam aſſertionem noſtram non modicam vim facit textus *in c. officij de pænit., & remiſ.*, vbi Pontifex interrogatus de quadam muliere, quæ iuxtà caſum noſtrum ex adultero prolem ſuſceperat, & inſigni artificio marito ſuppoſuerat, an eſſet abſoluenda, cum timeret marito crimen detegere, reſpondit non eſſe denegandam pænitentiā, ex quo ſequitur, quod non peccet non detegendo crimen marito, nam ſi peccaret, non eſſet admittenda ad pænitentiam. Alias plurimas rationes vide, tum apud Medinam *loco cit.*, tum apud *Leſſium lib. 2. c. 10. dub. 7.*

PRÆNOTIO VI.

An rei interitus excuſet à reſtitutione.

SVMMARIVM.

Res debita in indiuiduo non recipiens functionem ex furto non eximit furem ab onere reſtitutionis, ſi pereat. 1.

Si æque res fuiſſet peritura apud Dominum ex iniuria alterius, debitor ex delicto non eximitur ab onere reſtitutionis. 2.

Si fur peremit in loco, & tempore, quibus periiſſet apud Dominum, non tenetur, ſecus ſi in alio loco, & tempore, quo non periiſſet. 3.

Si res in ſpecie determinata alteri debita periērit ſine mora, & culpa debitoris non eſt per debitorem reſtituenda. 4.

Si res ſit debita ex contractu, qui ſit in vtilitatem ſolum debitoris, tenetur hic ex culpa leuiſſima, ſi in vtilitatem ſolum creditoris, ex culpa lata, ſi in vtilitatem vtriuſque ex culpa leui. 5.

Si res ſit tantum debita in genere per interitum ipſius non eximitur debitor ab onere reſtitutionis. 6.

Niſi fuerit obſignata, & creditori opportunè oblata. 7.

Quid ſentiendum ſit, quando fuit oblata ante terminum. 8.

Nonnulla conſiderabilia circa titulum. EX ſparſim dictis ſub præcedentibus quæſtionibus dirimendæ ſunt difficultates, quæ emergunt circa præſentem titulum in ordine ad quem conſiderandū eſt primo, an res, quæ debetur, quæque ſupponitur interire, ſit debita in indiuiduo, ſeu, vt loquuntur iuriſtæ, in ſpecie qualis eſt res aliena, quæ non patitur functionem, vel ſit debita tantum in genere, adeo vt nulla determinata ſub tali genere ſit debita creditori, ſed vna, vel altera, & ſub hac ratione venit etiam debitum in quantitate. Si res ſit debita in ſpecie, quæ non admittit functionem, adhuc conſiderandum eſt, an ſit debita ex delicto, an vero ex contractu; & ſi ex contractu, an ex contractu, qui ſit in vtriuſque contrahentis commodum, & vtilitatem, an ex contractu, qui ſit ſolummodo in vtilitatem creditoris, cuiuſmodi eſt depoſitum, an vero ex contractu, qui ſit ſolummodo in gratiam, & commoditatem debitoris, cuiuſmodi eſt commodatum. Rurſus cōſiderandum eſt, an debitor, ſiue rei in ſpecie, ſiue in genere fuerit in mora ad reſtituendum, an vero non, quatenus res perierit, antequam cederet dies reſtitutionis.

Res debita in indiuiduo ob furtum, ſi pereat perit furi. Aſſertio I. Si res ſit debita in ſpecie, ſeu in indiuiduo, adeò vt non recipiat functionem, & ſit debita ex delicto, quatenus fuerit furto ſublata per debitorem, ſi pereat, non excuſatur debitor à reſtitutione æſtimationis eiuſdem *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 6. n. 66., D. Thomas 2. 2. qu. 62. art. 6., Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. §. 6. num. 1., & alij magis communitèr*.

Ratio ex eo deducitur primo, quia ex quo iniuſtè, & per actionem furtiuam accepit rem alienam, ſemper intelligitur eſſe in mora ad reſtitutionem eiuſdem, quandoquidem res furto ſublata ſemper cla-

Digitized by Google

mat pro Domino, quouſque ei reſtituatur, ſed conſtituto in mora ad reſtitutionem rei ſemper imputatur interitus rei ſiue pereat ex culpa ipſius, ſiue ſine culpa, immo etiam ex caſu fortuito per textum *in c. decima 16. q. 1. ergo &c.* Secundo, quia ex parte debitoris interceſſit culpa nempè iniuſta acceptio, per quam dedit occaſionem damni domino obuenientis in illo rei interitu, ergo &c.

Res furtiua ſemper clamat pro domino.

Hic oritur immediatè difficultas, an, ſi res furto ſublata æquè fuiſſet peritura apud Dominum, ſi non fuiſſet ſublata, ac periit penes ipſum furem, adhuc fur ipſe intelligeretur obligatus ad æſtimationem illius rei? Plura de hac difficultate examinauimus in præcedentibus, ad quæ pro ſolutione vos remitto. Hoc vnum ſolum hic addendum arbitror quod, ſi res æquè fuiſſet peritura apud Dominum, ſi non fuiſſet ſublata, non quidem ex caſu fortuito, vel iuſta hoſtium incurſione, ſed per iniuſtam acceptionem, & cōſumptionem alterius non eximatur ipſe fur ab onere reſtitutionis æſtimationis eiuſdem, prout notat *Leſsius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 12. dub. 15 n. 92.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi res erat peritura ex iniuſta actione alterius apud Dominum, quatenus alter iniuſtè accepiſſet, & conſumpſiſſet, certè, ſi hic accepiſſet, & conſumpſiſſet teneretur ad æſtimationem illius rei iniuſtè acceptæ, & conſumptæ, ergo, & fur, pænes quem periit, cum iniuſtè rem illam detineret, tenebitur ad illius æſtimationem Conſequentia probatur, quia fur ipſe, qui rem ipſam primo furto abſtulit, intelligitur præuentor reſpectu alterius furis, qui abſtuliſſet ab eodem Domino, & cōſumpſiſſet, ergo tenetur ad reſtitutionem, cum obligatio, quam alius ſubiiſſet, ſi iniuſtè accepiſſet, in ipſum primum raptorem ratione damni intelligatur transfuſa. Confirmatur ex iis, quæ ſupra docebamus *ſub hoc eod. tit. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 1., & 2.*, dum de cooperantibus per mandatum, & conſilium, vbi diximus, quod ſi quis per mandatum, & conſilium cooperatus fuerit damno alterius non eximatur ab onere reſtitutionis, quantumuis ſi ipſe non mandaſſet, nec cōſuluiſſet, alter ſimile mandatum, & conſilium dediſſet, ergo &c.

2 Si æquè res fuiſſet apud Dominū peritura ex iniūria alterius, debitor ex delicto nō eximitur.

Rationes pro hac reſolutione.

Alia etiam hic ſuboritur difficultas, an, ſi ex culpa ipſius furis, ſeu iniuſtè detinētis, res apud ipſum perierit, etiam ſi fuiſſet apud Dominum cæteroqui peritura, teneatur ipſe iniuſtè detinens illius æſtimationem Domino retribuere. Differt hæc difficultas à præcedenti in hoc, quod in præcedenti ſupponitur, quod res perierit apud furem ex caſu fortuito; in præſenti autem ex culpa eiuſdem furis, ſeu iniuſtè detinentis. Reſpondet *Leſsius d. l. 2. de iuſt., & iur. c. 12. dub. 15. n. 93., & ſeq.*, cum diſtinctione; vel etenim fur peremit eam rem eo loco, & tempore, quibus erat cæteroqui peritura, vel in alio loco, & tempore, quibus non erat peritura. v. g. peremit in eadem domo, vel eo tempore, in qua immediatè ſubſecutum eſt incendiū, vel iuſta hoſtium incurſio quo, ſeu qua fuiſſet res illa certo conſumpta, vel peremit in alio loco, vel tempore quibus, vel per illud incendium, vel hoſtium incurſionem non fuiſſet abſorpta. Iuxtà primum ſenſum arbitratur, quod, quantumuis ex culpa peremerit, non teneatur ad illius æſtimationem; iuxtà ſecundum vero ſenſum ſentit teneri. Rationem primæ partis ex eo deducit, quia res illa in illo ſtatu conſiderata nullo apud Dominum habenda eſt in pretio, cum Dominus de illa nullum commodum eſſet reportaturus, cum fuiſſet ibi certo peritura, adeoq; fur illam ibidem perimendo non videtur inferre Domino iniuriam pretio aliquo conſiderabilem. Rationem vero ſecundæ partis ex eo deſumit, quia quando res furto ſublata eſt iam in alio loco, in quo non fuit excitatum incendium, iam intelligitur eſſe in loco tuto, & extra periculum illius incendii, & per conſequens tunc incipit valere Domino, quia ipſius elapſo incendio adhuc manſit, ergo, ſi tunc culpa furis, ſeu iniuſtè detinentis perierit, nō erit, cur ipſe non teneatur ad illius compenſationem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſi fur eam reſtituiſſet, vtique periiſſet apud eundem Dominum, adeoq; quod non cenſeatur res illa aliquid Domino valere, non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis, ſi fuiſſet reſtituta, nihil fuiſſet Domino valitura, ex quo tamen reſtituta non fuit, & manſit in loco tuto, manſit ibi Domino, pro quo ſemper clamat, vbicunque reperiatur, ac proindè Dominus ipſe ibi ius habet, ne ab aliquo iniuſtè, & cum culpa in ſui præiuditium abſumatur. Huic opinioni libentèr adhæreo proptèr rationes, quæ pro ipſa adducuntur. Solum hic ſoluendum remanet argumentum, quod *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 1. n. 17.*, contrariæ opinionis aſſertor ſibi efformat, quod eſt huiuſmodi. Si quis pretio conduxerit depoſitarium ad cuſtodiendam rem ſuam, & res ipſa pereat ex culpa depoſitarii, quantumuis fuiſſet cæteroqui certo peritura apud Dominum deponentem, non eximitur ipſe depoſitarius ab onere reſtitutionis æſtimationis, ſeu pretii eiuſdem rei, ergo etiam, ſi fur rem, quam iniuſtè accepit ſua culpa peremerit, quantumuis eſſet

3 Si fur peremit rem in loco, & tempore, quibus fuiſſet peritura apud Dominū, non tenetur reſtituere, ſi vero peremit in alio loco, & tempore, quo nō periiſſet, tenetur reſtituere.

Digitized by Google

eſſet certo peritura apud Dominum, non eximetur ab onere reſtitutionis pretij ipſius met rei ſua culpa peremptæ, quandoquidem non minus tenetur rem acceptam

Soluitur inſtantia Nauarri.

fur cuſtodire, ac teneatur rem depoſitam cuſtodire depoſitarius. Hoc argumentum eo collimat, vt euincat teneri furem ad reſtitutionem rei ſua culpa conſumptæ, quãtumuis peremerit in loco, vbi erat cæteroqui conſumenda. Dico igitur in primis, quod idem *Petrus à Nauarra loco cit.* conſequentiã, quæ in argumento deducitur, non inferre, dum excipit. *Niſi tamen res eſſet apud Dominum eodem modo peritura*. Deindè, vt benè notat *Leſſius loco cit.* non currit in omnibus par ratio de depoſitario conducto per pretium, ac de fure tenente rem Domini, quandoquidem depoſitarius ex vi proprij muneris præciſo quocunque periculo tenetur rem illam remouere, & conſtituere in loco tuto; fur verò non tenetur ex iuſtitia eam alio transferre, ſi videt eam apud Dominum, & in loco, vbi eſt, perituram eſſe, vndè etiam, ſi eam conſumat, non tenebitur ad reſtitutionem, quia in illo ſtatu res nullius eſt valoris. Hæc colligo ex *Leſſio loco cit.*

Aſſertio II. Si res determinata in ſpecie ſit debita ex contractu, & perierit ſine mora, & ſine culpa debitoris regularitèr excuſatur debitor à reſtitutione valoris,

4 Si res in ſpecie debita perierit ſine mora, & culpa debitoris, hic eximitur ab onere.

ſeu æſtimationis eiuſdem *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 7. dub. 8. n. 36., Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 6.*, & in hac omnes ſcribentes conſentiunt.

Ratio ex eo deducitur, quia creditor in ea ſuppoſitione immediatè, & directè habet ius ad præfatam rem, quæ ipſius erat, & non ad perſonam debitoris, niſi mediatè, & indirectè, ergo eadem re pereunte ſine mora, & culpa debitoris ipſe debitor non tenebitur ad reſtitutionem æſtimationis illius. Confirmatur primo, quia illa res ſic in ſpecie debita eſt ſub dominio creditoris, ergo, ſi pereat eidem creditori perire cenſenda eſt, non debitori, ſi nulla mora, nullaque culpa ex parte ipſius in illo interitu rei interceſſerit. Confirmatur ſecundo, quia ipſe debitor non poteſt obligari ad reſtitutionem æſtimationis illius rei, nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtę acceptionis, nec ratione alicuius

Res perit Domino.

culpæ; non ratione primi, cum amplius res illa non extet; non ratione ſecundi, cum acceperit conſentiente Domino, & rem illam conferente; non ratione tertij, cũ res illa fuerit conſumpta ſine vlla præſuppoſita culpa debitoris. Hoc habetur *in c. vnico de commodato*.

Dixi, *regularitèr*, nam quandoque ex pacto poteſt obligari, quatenus ſcilicèt conuenerit cum creditore, vt teneatur etiam de quocunque caſu fortuito, dummodo inter vtrumque in huiuſmodi pacto interuenerint debitæ conditiones. Item excipi endam eſt in ordine ad diuerſos contractus, ſub quibus res poteſt eſſe tradita debitori, nam in aliquibus etiam interueniente culpa leui debitor nõ obligatur, in alijs etiam quoad culpam leuiſſimam excuſatur. Pro quo ſit

Aſſertio III. Si res determinata in ſpecie ſit alteri debita ex contractu, qui ſit ſolummodo in vtilitatem ipſius debitoris, & ipſa res pereat non ſolum ex culpa lata, leui, ſed etiam leuiſſima ipſius debitoris, ipſe debitor tenetur ad æſtimationem illius rei retribuendam, ſi verò ſit debita ex contractu, qui ſit ſolummodo in vtilitatem creditoris, & perierit ex dolo, vel culpa lata, tenetur ad illius rei æſtimationem, ſecus, ſi perierit de culpa leui; ſi verò ſit debita ex contractu, qui ſit in vtriuſque vtilitatem debitoris ſcilicèt, & creditoris, & perierit ex culpa leui, & lata tenetur, ſecus vero ex culpa leuiſſima. Non diutius immorandum in probatione huius aſſertionis quoad omnes partes, quandòquidem de ea latè egimus ſparſim in præcedentibus ſub titulis ſingulorum contractuum. Prima pars colligitur *ex c. vnico de commodato*, & *ex l. in rebus commodatis ff. commodati*, & *§. item is Inſtit. quib. mod. re contr. oblig.*, nec difficilis eſt probatio, quandòquidem æquitas exigit, vt qui re alterius vtitur in ſui vtilitatem erga eam adhibeat ſummam diligentiam, ne pereat, adeòque tenetur etiam ex leuiſſima culpa. Secunda pars clare liquet *ex §. Interea, & is Inſtit. quib. mod. re contr. oblig.*, vbi dicitur depoſitarium, qui regularitèr rem tenet depoſitam in fauorem deponentis teneri ſolum ex dolo, nomine autem doli, vt notat *Gloſa ibid.* venit etiam culpa lata, & iure quidem merito hoc aſſeritur, quandòquidem in ijs, quæ detinentur in fauorem ſolummodo deponentis, ſeu creditoris, non tenetur detinens adhibere maiorem diligentiam illa; quam regularitèr homines adhibent in rebus ſuis conſeruandis; Tertia pars patet *ex l. contractus ff. de reg. iur. & ex §. creditor Inſtit. quib. mod. re contr. oblig.* cuius ratio eſt, quia in ijs contractibus, ex quibus reſultat vtriuſque contrahentis vtilitas, non eſt ex neceſſitate tanta adhibenda ſolertia in rebus, quæ ſub illis cadunt, quanta adhibetur in ijs, in quibus reſultat ſolum vtilitas recipientis, ſeu debitoris, & maior, quam adhibeatur in illis, in quibus reſultat ſola vtilitas tradentis, ſeu creditoris, ſed in ijs, qui ſunt ſolum in vtilitatis debitoris tenetur

5 Si res ſit debita ex contractu in vtilitatē ſolummodò debitoris tenetur hic ex culpa etiã leuiſſima, ſiverò in vtilitatē creditoris ex culpa lata, ſi in vtriuſq; ex culpa leui.

Rationes pro aſſerto.

netur etiam ex leuiſſima, in ijs, qui ſolum vtilitatis creditoris, ſolum tenetur ex lata, ergo in ijs, qui ſunt in vtilitatem vtriuſque tenebitur etiam ex leui.

Contractus, qui ſunt in vtilitatem ſolius debitoris ſunt commodatum, illi, qui in vtilitatem creditoris, depoſitum, niſi ſit pro certo pretio in fauorem depoſitarij, quia tunc eſt in vtriuſque fauorem; illi tandem, qui ſunt in vtriuſque vtilitatem ſunt potiſſimum pignus, quia hoc eſt in vtilitatem creditoris, qui ſecuritatem ex illo accipit ſui crediti, & etiam debitoris, quia intuitu illius accipit à creditore id, quo indiget, ſine quo non reciperet.

Enumerātur contractus ſecūdum eorū differētias quoad vtilitates.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac aſſertione procedunt attento potiſſimum iure poſitiuo humano ciuili, & canonico; nam ſpectato præcisè iure naturæ *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 7. dub. 8. n. 39., cum Silueſtro, & alijs* docet neminem teneri, niſi ex culpa lata, & dolo, quia per ius naturę nemo tenetur adhibere maiorem diligentiam in rebus alienis conſeruandis, ſiue fuerint commodatæ, ſiue conductæ, quam quiſq; adhibeat in rebus ſuis, vnde, ſi cum tali diligentia res pereat perit ſine culpa, adeòque ſine iniuſtitia; ius autem naturæ non obligat ad damnum datum ſine iniuſtitia.

Procedit de iure poſitiuo.

Aſſertio IV. Si res in genere ſit alteri debita, non tamen in ſpecie per interitum ipſius non excuſatur debitor ab onere reſtitutionis *Medina C. de reb. reſtituen. q. 3. cauſa ſexta verſ. ſi autem res non in ſpecie, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure cap. 17. dub. 6. num. 64.*

6 Si res ſit tantū debita in genere per interitum nō eximitur debitor ab onere reſtitutionis.

Ratio ex eo deducitur, quia, quando res non eſt debita in ſpecie, ſed dumtaxat in genere, vt ſi ſit debita pecunia in determinata quantitate, vel equus, ſeu veſtis non determinata, antequam hæc per traditionem transferatur in creditorem, remanet ſub dominio debitoris, ergo, ſi pereat, quantumuis ſine culpa eiuſdem debitoris ipſi debitori perit, non creditori ex vulgata regula, quod res Domino perit. Confirmatur, quia, quando res non eſt debita in ſpecie, ſed dumtaxat in genere creditor non habet ius directè, & immediatè in re ipſa, ſed dumtaxat in perſona debitoris, ergo re ipſa pereunte adhuc debitor remanet obligatus.

Limitat hanc aſſertionem *Medina C. de reb. reſtituend. q. 3. cauſa 6.*, niſi res fuerit obſignata, & creditori opportune oblata, quam quia recipere noluit, fuit apud depoſitarium publicum repoſita, ſi etenim tunc res ipſa periret, non debitori periret, ſed creditori, quia ex quo obſignata eſt, & apud idoneum depoſitarium depoſita facta prius oblatione perinde eſt, ac ſi in ſpecie eſſet tradita, ac perinde, ac ſi debitor effectiuè ſoluerit. Circa hanc limitationem oritur difficultas circa illam particulam, *niſi fuerit creditori opportune oblata*, an ſcilicèt, ſi fuerit oblata ante præfixionem termini ad ſoluendum, & ſic depoſita ante illud tempus perierit, intelligatur perijſſe creditori, an vero debitori; cui cum eodem Medina occurrendum eſt cum diſtinctione, vel etenim ille terminus appoſitus eſt in fauorem debitoris, vt in commodato, & mutuo, vel in fauorem creditoris, vt in locato; Iuxta primum membrum diſtinctionis dico, quod, ſi res facta illa oblatione, & depoſitione interim pereat, vtique pereat creditori, non debitori, & in hoc valet ratio limitationis; Iuxtà ſecundum verò ſenſum facta illa oblatione, & depoſitione per interitum rei oblatæ, & depoſitæ debitor non liberabitur, quia res non eſt opportunè oblata, & creditor ius habet non recipiendi rem, niſi ad tempus præfinitum ad reſtitutionem. Sed hæc diſtinctio videtur manca, & non comprehendere omnem caſum, & præcipuè caſum, quo præfixo termino debitor rem debitam offerret, & deponeret poſt eundem terminum, nec item caſum, quo nullus eſſet præfixus terminus ad ſoluendum; vnde ad primum hunc caſum aſſero, quod, ſi poſt elapſum terminum offerat, & deponat, cum per illam oblationem, & depoſitionem intelligatur debitor moram purgaſſe, intelligatur res ipſa perire creditori; ad ſecundum verò dico, quod pro quocunque tempore obtulerit, & depoſuerit intelligatur debitor liberari, ſi res depoſita interim perierit, quia cum nullus terminus fuerit appoſitus videtur quicunque, ſiue creditor, ſiue debitor liber, ille ad petendum, iſte ad ſoluendum, adeòque, ſi hic ſolutionem obtulerit, & ille recuſauerit, interitus rei non huic, nempè debitori, ſed iſti, nempè creditori imputabitur.

7 Niſi fuerit obſignata, & creditori opportunè oblata.

8 Quid ſentiendū ſit, quando fuit oblata ante terminū.

Hic intexit quæſtionem *Leſſius loc. cit.*, an, ſi ſcilicèt res ſit debita non in ſpecie, ſed in genere, & debitor per nuntium, ſeu confeſſarium rem illam tranſmiſſerit creditori, & antequam ad eundem deferatur res ipſa, vel ex culpa nuntij, vel ex alia cauſa perierit, creditori perijſſe cenſenda ſit, an verò debitori mittenti? Rationes pro vtraque parte affert idem Leſſius, ſed concludit verius eſſe non excuſari ab onere reſtitutionis. Sed in his non immoror, quandòquidem de his fusè egi in quæſtionibus de cambijs vol. 2. ad quas vos remitto.

Dubium excitatum remiſſiue.

PRÆ-

PRÆNOTIO VII.

An iuris, & Iudicis auctoritas excuſet à reſtitutione.

SVMMARIVM.

In pluribus iura deobligant à reſtitutione, in quibus tamen debitor non deobligatur. 1.

Poſſidens per præſcriptionem mala fide deobligatur à reſtitutione de iure ciuili, non ſic canonico. 2.

Vendens rem citra dimidium iuſti pretij poteſt exceſſum de iure ciuili retinere, non ſic de canonico, & conſcientiæ. 3.

Mutuum cum vſuris moderatis admittitur in iure ciuili, non ſic in foro conſcientiæ. 4.

Iura ciuilia admittunt exactionem gabellarum contrà Eccleſiaſticos, non ſic canonica. 5.

Plura adiudicantur per Iudices, quæ iuſtè nequeunt detineri. 6.

Plura adiudicantur, quæ ex vi ſententiæ poſſunt detineri. 7.

PLeraque ſunt, in quibus iura permittunt alienum retinere, quæ non permittit conſcientia; pleraque ſunt, in quibus Iudices pro aliquo iudicant, quibus non aſſiſtit iuſtitia; Ideo ſingillatim vnaquæque examinando, prout ad præſens inſtitutum pertinent ſubſequentèr ſubdo aſſertiones.

1 In pluribus iura deobligāt à reſtitutione, in quibus tamen debitor non deobligatur.

Aſſertio I. In pluribus iura deobligant à reſtitutione, in quibus tamen debitor non deobligatur. *Medina C. de reb. reſtituen. q.3. cauſa 7., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dubit. 7. n. 68.*

Singulos caſus expono, in quibus in conſcientia, & ſecundum ius canonicum non deobligatur debitor, quamuis deobligetur ſecundum ius ciuile. Primo in iure ciuili deobligatur debitor, qui per vſucapionem, ſeu præſcriptionem acquiſiuit rem alienam mala fide etiam per tempus à iure præſcriptum ad præſcribendum, prout alibi allegatis iuribus probauimus, & tamen ſecundum ius canonicum *in c. fin. de præſcript. & in c. poſſeſſor malæ fide de reg. iur.*, & in foro conſcientiæ non poteſt rem alienam mala fide acquiſitam retinere, prout latè docent *Medina loc. cit., & Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 6. dub. 6. n. 19.*

2 Præſcriptio cū mala fide in iure ciuili ſubſiſtit, nō ſic in Canonico.

Secundo in eodem iure ciuili deobligatur alter ex contrahentibus, qui alterum in contractu circumuenit per textum in *l. 1. in cauſa ff. de minor. & l. item ſi pretio §. fin. ff. locati*, vbi dicitur: *Quemadmodum in emendo, & vendendo naturalitèr conceſſum eſt, quod pluris ſit minoris emere, & quod minoris ſit pluris vendere, & ita inuicem ſe circumſcribere, idem in locationibus, & conditionibus iuris eſt*; ex quibus infertur, quod ſecundum ius, & in foro exteriori, ſi quis rem ſuam vendiderit emptorem citrà dimidium iuſti pretij defraudando, poſſit exceſſum iuſti pretij retinere, & tamen ſecundum ius canonicum, & in foro conſcientiæ tenetur illum reſtituere, cum non ſeruetur æqualitas ad iuſtitiam commutatiuam requiſita.

3 Vendens citra dimidiū iuſti pretij poteſt de iure ciuili exceſſū retinere, nō ſic de canonico.

Tertio ſecundum ius ciuile poteſt mutuans moderatas vſuras retinere, prout pluribus allegatis docui *tom. 1. ſub tit. contractus III. de mutuo, & vſuris prænot.* ., & tamen ſecundum ius canonicum, & diuinum, quinimmo, & naturale prohibetur cuiuſcunque vſuræ exactio ex mutuo iuxtà illud Chriſti Domini *mutuum date nihil inde ſperantes*, & iuxtà illud Pſalmi: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.*

4 Mutuum de iure ciuili cum moderatis vſuris admittitur, non ſic in foro conſcientiæ.

Quartò, quia iura ciuilia, quandòque concedunt exactionem gabellarum aduerſus Eccleſiaſticos, quam tamen iura diuina, & canonica vetant. Alia, & his ſimilia poſſunt congeri ex iuribus ciuilibus, quæ tamen per iura canonica corriguntur.

5 Iura ciuilia admittūt gabellas contrà Eccl. non ſic canonica.

Aſſertio II. Quandòque per Iudices plurima adiudicantur in fauorem alicuius, quæ tuta conſcientia nequeunt ab eodem in præiudicium aliorum retineri *Medina, & Leſſius loc. cit.*

6 Plura adiudicantur per Iudices, quę nequeunt detineri, & numerantur.

Caſus expendo, in quibus non obſtante Iudicis ſententia in fauorem ipſius adiudicantis non excuſatur quis à reſtitutione primo, ſi Iudex ex errore, aut præſumptione iudicet, aut ex falſa teſtium depoſitione; tunc etenim conſtante de veritate, cui forum conſcientiæ innititur, detinens rem alienam non obſtante illa ſententia tenetur reſtituere. Secundò, ſi ſententia fuerit iniuſta, vtpotè contra leges, & canones prolata, tunc etenim, cum ſit nulla, nullum fauorem parit ei, cuius gratia prolata eſt. Tertiò, ſi ſententia fuerit prolata ab eo, qui nullam habet auctoritatem adiudicandi, tunc etenim, ſi adiudicauerit in fauorem alicuius ipſum liberans ab onere reſtitutionis, adhuc iſte non liberabitur.

7 Plura adiudicātur, quæ ex vi ſententiæ poſſunt detineri.

Ex aduerſo *Leſſius loc. cit.* multos adnumerat caſus, in quibus per Iudicis ſententiam quis liberatur ab onere reſtitutionis, & primò, quando Iudex in pænam alicuius delicti imponit mulctam reo in fauorem læſi, tunc etenim hic poteſt illud, quod recipit ratione mulctæ, retinere, nec tenebitur reſtituere. Secundò, quando Iudex ſecutus auctoritatem legum, & naturalem æquitatem aliquid alicui adiudicauit iuxta præfatas leges, & æqui-

æquitatem, tunc etenim ille, in cuius fauorem illud adiudicandum eſt, poteſt detinere. Tertio, cum quis per ſententiam Iudicis priuatus eſt aliquo officio, & beneficio, quod in alterum translatum eſt, tunc etenim ille, in quem translatum eſt, non tenetur illud dimittere, & alia ſimilia.

PRÆNOTIO VIII.

An ingreſſus in Religionem deobliget à reſtitutione.

SVMMARIVM.

Si intendens ingredi fuerit filius familias, & contraxerit debita ex mutuo non tenetur differre ingreſſum, vt ſatisfaciat creditoribus. 1.

Si fuerit ſui iuris, & impar ad ſoluendum omnibus poteſt cedendo bonis ingredi Religionem. 2.

Si Religio, in quam intendit ingredi, ſit ex illis, vt ab ingredientibus exigat ea, quæ pertinent ad congruam ſuſtentationem, poteſt tantum retinere, ne egeat. 3.

Secus, ſi Religio non recipiat alimenta. 4.

Ex acquiſitis in Religione ſua peritia non tenetur integrè ſatisfacere creditoribus. 5.

Vir nobilis non tenetur exercere artem ſuo ſtatui non congruam, ſed facta ceſſione bonorum poteſt immediatè ingredi. 6.

Qui breui tempore conſuetis laboribus poteſt ſatisfacere creditoribus facta ceſſione bonorum non poteſt ingredi. 7.

Si profiteatur tenet profeſſio, nec tenetur egredi. 8.

Non tenetur, vt ſatisfaciat, inſuetis laboribus lucrum acquirere, & ſi acquiſierit, non tenetur ex illis ſatisfacere. 9.

HÆc etiam cauſa ſe tenet ex parte debitoris; de qua etiam plura attigimus in præcedentibus, ita vt vix aliquid remaneat in particulari examinandum. Ad ſeruandum tamen ordinem in cauſis excuſantibus à reſtitutione placet nonnulla etiam hic attingere; & primo conſiderandum eſt, an qui ingredi intendit in Religionem ſit ſui iuris, quatenus non ſit ſub poteſtate Patris, vel quia hic mortuus ſit, vel quia ille emancipatus, an verò ſub iure alieno, hoc eſt ſub poteſtate Patris. Secundo, ſi iuris ſui ſit, an cedendo bonis, quibus gaudet, poſſit ingredi cum iuribus ſibi ex tali ceſſione competentibus. Tertio, an, ſi in aliqua arte ſit peritus, qua poſſit acquirere ea, quæ ſibi neceſſaria ſunt, & vlterius quantum poſſit debitis ſatisfacere, teneatur ab ingreſſu abſtinere, quouſque integrè perſoluerit, & alia huiuſmodi.

Articuli examinandi circa titulum.

Aſſertio I. Si ingredi intendens Religionem non ſit ſui iuris, & contraxerit debita ex mutuo, quæ nequeat ſoluere, quantumuis, ſi in ſæculo remaneret, poſſet ex interuallo perſoluere, non tenetur differre ingreſſum, vt poſtea huiuſmodi debita perſoluat. *Gomez tom. 2. c. 6. n. 2., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 20. dub. 2. n. 6. verſ. ac primo quidem filius familias*, & nos etiam latè docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris*. 1

I Si fuerit filius familias, & contraxerit debita ex mutuo non tenetur differre ingreſſum, vt ſatisfaciat.

Ratio ex eo deducitur, quia filius familias ſub poteſtate Patris conſtitutus, ſi mutuum non conſentiente Patre acceperit, non tenetur illud reſtituere, ne quidem poſt mortem Patris, per textum *in l. 1. ff. ad Senat. Conſul. Maced.*, per quem textum non ſolum tollitur obligatio ciuilis, ſed etiam naturalis, ita vt in foro conſciētiæ nō teneatur vnquam tale mutuum reſtituere *Gomez loco cit.*, & *Leſſius etiam ibid. n. 8., Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 301., Innocentius in c. quia plerique de immun. Eccl.*, ergo, ſi non tenetur reſtituere, nec in ordine ad reſtitutionem poterit impediri, quominus Religionem ingrediatur, & ſi ingreſſus fuerit deobligatus etiam remaneat à tali reſtitutione.

Extante Senatu Conſulto Macedoniano.

Aſſertio II. Si fuerit ſui iuris, & impar ante ingreſſum ad ſoluendum omnibus poteſt cedere bonis ſuis, & in Religionem ingredi *D. Thomas 2. 2. q. vlt. apud Medinam C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa octaua in princ., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 8. n. 75., & ſeqq.* 2

2 Si fuerit ſui iuris cedendo bonis poteſt ingredi.

Ratio ex eo deducitur, quia eſt priuilegium omnibus debitoribus ex contractu conceſſum, vt ſi ſint impares ad ſoluendū omnibus creditoribus cedendo bonis ſuis liberentur à debito, ſaltem quatenus non poſſint à creditoribus vexari per textum *in l. 1. C. qui bon. ced. poſſ.*, & *l. is bonis*, & *l. qui bonis ff. de ceſſ. bon.*, & *§. vlt. inſtit. de act.*, ergo hoc priuilegium non eſt denegandum, quin fortiori iure concedendum ijs, qui intuitu perfectioris ſtatus ingredi intendunt Religionem, quatenus poſſint in ordine ad hunc effectum bonis ſuis cedere, & ingredi.

Circa hæc, quæ dicta ſunt, duplex oritur difficultas. Prima eſt, an ille, qui ſic cedit, vt ingrediatur poſſit ex ſuis bonis tantum retinere, quantum ſufficit, ne egeat. Secunda, an ſi in Religione adeo profecerit, vt ſua arte, qua pollet, & virtute, quam per ſtudium acquiſiuit, plurima comparauerit, teneatur ex illis integrè ſatisfacere creditoribus.

Duo dubia excitata.

In ordine ad primam videtur prima fronte dicendum, quod non poſſit retinere quantum, ne egeat, quia per ingreſſum

Digitized by Google

in Religione independentèr ab illa retentione conſtituitur in ſtatu, quo non poſſit agere iuxtà conditionem ipſius Religionis, nec in Religione ſeruanda eſt decentia ſtatus ſæcularis, ſeu quem in ſæculo ſeruare deberet. Nihilominùs cum diſtin-
3 ctione hac in re procedendum arbitror; vel etenim Religio, ſeu Monaſterium in quam, ſeu in quod ingredi intendit, eſt talis, vel tale, vt ab ingredientibus exigat ea, quæ ad eorundem congruam ſuſtentationem requiruntur, vel talis, & tale, vt liberè ex ſua conſuetudine ingredientes ſeruatis in alijs ſeruandis recipiat. Iuxtà primum ſenſum arbitror poſſe retinere quantum pertinet ad ipſius congruam ſuſtentationem, per ea, quæ videtur innuere etiam *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 8. n. 75. in fine*. Ratio ex eo deducitur, quia hoc indefinitè eſt omnibus conceſſum ſine reſtrictione ad aliquas determinatas perſonas, nec ex eo, quod quis ſe conferat ad perfectiorem ſtatū, & maximè priuilegiatum priuari debet tali priuilegio, cæteroqui hæc eſſet lex retrahens a ſtatu perfectiori, adeoque iniqua. Hac ratione docent nonnulli, nec incongruè, quod, ſi quid fuerit alicui conceſſum, vt decenter viuere poſſit in ſtatu coniugali, poſſit eodē gaudere, ſi omiſſo ſtatu coniugali, ſe transferat ad ſtatum Religioſum, vt poſſit in eo ſecundum conſuetudines talis ſtatus congruè viuere. Iuxta ſecun-
4 dum ſenſum arbitror non poſſe retinere, quandoquidem illud à iure conceditur, vt viuere poſſit tenuitèr ſecundum propriū ſtatum, cum ſine illo non poſſet ita viuere, ergo cum ingrediendo Religionem poſſit ſine illo iuxta decentiam ſtatus Religioſi viuere, non poterit illud retinere, quandoquidem deficiente cauſa conceſſionis ceſſare debeat, & ipſa conceſſio, potiſſimum cum talis conceſſio ſit in præiuditium creditorum, qui in tantum conſentire tenentur illi retentioni, ſi non actu elicito, ſaltem debito, in quantum ſine illa retentione debitor conſtitueretur in ſtatu, quo maximè egeret, ergo, ſi ſine illa retentione non eſſet in tali ſtatu, non præſumeretur creditor conſentire, nec deberet conſentire. Accedit, quod nemo poteſt liberalitèr elargiri in præiudicio ſuorum creditorum, ſicuti nemo poteſt legata conſtituere de ære alieno, ſeu alijs debito, vt communitèr conſentiunt DD., & ipſo lumine naturali clarum eſt, ſed quando Religio ingredientes indiferenter liberè recipit, nec onus aliquod imponit, ſi quod ab ingrediente eidem conferatur, confertur titulo liberali, & omnino gratuito, ergo interueniente iure creditorum non poterit hoc validè cōferre, ſed tenebitur creditoribus ad ſanādā debita erogare.

SiReligio recipiat alimenta poteſt tātum detinere ne egeat.

Secus, ſi Religio non recipiat alimenta.

Nemo poteſt liberalitèr elargiri in præiuditium creditorum.

In ordine ad ſecundam dicendum eſt abſolutè, quod ex illis plurimis acquiſitis poſt, ſeu in ſtatu Religionis non teneatur, conferre creditoribus, vt integrè eiſdem ſatisfaciat. Ratio ex eo deducitur, quia in ordine ad ea, quæ Religioſus acquirit conſtante ſtatu Religionis, nō ſibi eadem acquirit, ſed Monaſterio ex vulgatiſſimis iuribus, ergo ex ijs non poteſt erogare creditoribus, vt eiſdem integrè ſatisfaciat pro debitis. Conſequentia probatur, quia quando dictū fuit in præcedentibus, quod ſi ille, qui ceſſit bonis in pinguiorem fortunam deuenerit, teneatur integrè creditoribus ſatisfacere, intelligendum eſt, ſi pinguior fortuna, in quam deuenit, ipſi ceſſerit, quod non euenit in præſenti hypotheſi, in qua non ipſe, ſed Religio, ſeu Monaſterium in illam pinguiorem fortunam licet opera ipſius deuenit. Neque dicas, quod, cum Monaſterium ipſum, ſeu Religio acquirat omnia iura eiuſdem Religioſi, ſubire debeat, & omnia onera eiuſdem, adeoq; teneatur pro illo ſatisfacere, ſicuti ex perſona, & opera ipſius acquirit; contra enim impugnaberis, quia in primis ad ſummum Religio, & Monaſterium acquirit omnia iura, quæ competunt Religioſo poſt profeſſionem legitimè emiſſam, vel quando ex aſſe inſtituitur, vel ſuccedit in omnibus ex perſona eiuſdē Religioſi, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam, nec inſtituta eſt hæres, nec ſuccedit ex perſona Religioſi, qui non Religioni, ſed creditoribus ceſſit bona, & iura ſua, adeoq; non eſt, cur eadem Religio debeat ſubire onera illius, & ſatisfacere ex bonis, quæ pleno iure poſt profeſſionem Religioſi ſibi competunt ex operibus, & induſtria illius. Deindè illa bona, quæ Monaſterium acquirit ex operibus Religioſi in eadē profeſſi ſibi cōpetunt titulo oneroſo, quatenus, ſi illa acquirit, tribuit alimenta ipſi Religioſo profeſſo, adeoq; non eſt, cur ex illis teneatur creditoribus ipſius profeſſi ſatisfacere. 5

Ex acquiſitis ſua peritia in Religione non tenetur integrè ſatisfacere creditoribus.

Soluitur inſtantia oppoſita.

Aſſertio III. Si ingredi intendens Religionem fuerit ſui iuris, & impar omnibus ſoluendi, nec ratione ſtatus propriæ nobilitatis deceat ipſum ſeruire, vel manibus operari, nec alia ſuppetat via creditoribus ſatisfaciendi facta ceſſione bonorum ſuorum non tenetur expectare ingreſſum, vt laboret, & integrè ſatiſfaciat, ſed poteſt ſtatim ingredi. In hac conſentit *Leſſius loc. cit. n. 76.* 6

Ingredi intendens impar omnibus ſatisfacere facta ceſſione bonorum poteſt ingredi, nec tenetur exercere artē, non congruā proprio ſtatui, vt integrè ſa-

Ratio ex eo deducitur, quia quando debitor non poteſt aliunde ſoluere creditoribus cedēdo bonis proprijs in fauorem ipſorum eximitur ab onere reſtitutionis erga ipſos, nec tenetur operas impendere,

Digitized by Google

vt eiſdem ſatisfaciat, quas non poteſt, ergo etiam debitor, qui ſit perſona honorata, cui ex proprio ſtatu non deceat laborare, vel manibus operari, poterit cedendo bonis ſuis immediatè Religionem ingredi, abſq; eo, quod ad quid aliud teneatur erga creditores, quandoquidem quoad hunc effectum ſe liberandi ab oneribus erga eoſdem creditores æquiualet in ordine ad virum honoratum, & cui ex vi proprij ſtatus congruit non laborare non poſſe aliud acquirere, ac non poſſe, niſi cum labore, ac operibus proprio ſtatui indecentibus.

Aſſertio IV. Si debitor ſui iuris, qui de
7 facto nō ſit ſoluendo, poſſit tamen propria arte, qua fungitur breui tempore tantum acquirere, quantum poſſit integrè ſatisfacere creditoribus, nō poteſt cedendo bonis, quibus gaudet, quæque ſufficientia non ſunt ad integrè ſatisfaciendum immediatè ingredi Religionem; ſecus verò, ſi non poſſit, niſi cum inſuetis laboribus, & non niſi poſt longum tempus. Ita quoad primam partem *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 4. num. 94., Lopez 1. part. c. 129., Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 8., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 8. num. 72.* Quoad ſecundum idem *Petrus à Nauarra n. 95., & Leſſius nu. 73., D. Thomas 2. 2. q. vlt. art. 6. ad 3., & ibi Caietanus, Silueſter verb. Religio 2. q. 4., & quotquot ſequuntur D. Thomā ibid.*, qui, dum dicunt non teneri manere debitorem in ſæculo, ſed ſufficere, ſi cedat bonis in fauorem creditorum addita ratione, quia proptèr pecuniam perſona liberi hominis non remanet obligata, per conſequens tenentur dicere, quod quādo ad longum tempus debitor deberet in ſæculo remanere, vt ſuis operibus tantum acquireret, quantum ſatisfaceret debitoribus, non teneretur in eodem permanere, ſed poſſet immediatè ad Religionem tranſire.

Debitor, qui breui tempore, & conſuetis laboribus poteſt ſatisfacere facta ceſſione bonorum nō poteſt ingredi.

Non diutius immorandum in probatione huius aſſertionis quoad vtramque partem, quandoquidem de ea fusè egimus in præcedentibus, & late ipſam probauimus; Nihilominùs aliqua ſubdenda ducimus pro vtraque parte, & quidem pro prima hoc adijcimus, quod priuilegium ceſſionis bonorum ad effectum ipſum liberandi ab anguſtijs, & debito, non eſt introductum, niſi in fauorem illorum, qui alitèr à debitis ſe eripere nequeunt, ſed quando breui tempore, & conſuetis laboribus debitor poteſt ante ingreſſum in Religionem creditoribus ſatisfacere, poteſt aliter ſe ab anguſtijs; & a debitis liberare, quam cedendo bonis ſuis, ergo tunc non poteſt cedendo bonis ſe immediatè in Religionem recipere; nec illa modica dilatio ad ingrediendum poteſt eſſe ſufficiens cauſa, vt poſſit cedere, cum illa non ſit grauitèr noxia ipſi debitori. Pro ſecunda vero parte hoc addimus, quia, qui actu non eſt potens ad ſoluendum, nec potentia proxima per conſuetos labores, & operas cenſetur moralitèr impotens ad ſoluendum, ergo tanquam impotens poterit cedere, & immediatè ingredi, potiſſimum cum tam diutina dilatio poſſit eſſe noxia. Hoc argumentum arguit poſſe cedere, & ingredi, quando deberet eſſe longa mora ad ingrediendum ratione impotentiæ. Cæterum crederem etiam hoc concedendum eſſe fauore Religionis, qui fauor maximè videtur in hoc conſiderandus.

Rationes pro aſſertione.

Aſſertio V. Si debitor ſui iuris impotens ad ſoluendum omnibus creditoribus, 8
quantumuis potens breui tempore, & conſuetis laboribus ſatisfacere ingrediatur, & profiteatur in Religione eiſdem non ſatisfactis tenet profeſſio, nec tenetur ad ſæculum reuerti, vt eiſdem ſatisfaciat *D. Thomas 2. 2. quæſt. vlt. art. 6. ad tertium, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 8. nu. 70.*

Si nihilominus ingrediatur, & profiteatur, tenet profeſſio, nec tenetur egredi.

Ratio ex eo deducitur primo quia, quantumuis pecuniæ ſit debitor, ipſius tamen perſona eſt omninò libera, prout docet *D. Thomas loc. cit.*, ergo, ſi per conſenſum abſolutum ſe Religioni obligat emiſſa profeſſione in eadem, non erit, cur abſolutè non teneat illa obligatio, & profeſſio cum conſenſus, ratione cuius oritur obligatio, ſit de obiecto libero, & apto obligari.

Secundo, quia, ſi quis contractis cum vna ſponſalibus contrahat cum alia per verba de præſenti matrimonium, iſtud abſolutè tenet, nec eſt reuocabile, ergo, ſi quis contractis cum alijs debitis contrahat cum Religione ſpirituale matrimonium in illa profitendo tenebit illud matrimonium, ſeu profeſſio. Conſequentia probatur, quia fortius obligare videntur ſponſalia antecedenter legitimè contracta, quam obligent debita.

Non negauerim tamen, quod ſic tranſeundo ad Religionem, antequam debitis ſatisfecerit, cum poſſet de facili, & breui tempore ſatisfacere, grauitèr peccauerit, quandoquidem hoc eſt in graue præiudicium creditorum, verſus quos non excuſatur ratione maioris, & perfectioris ſtatus, quem ſuſcepit, quandoquidem modica dilatio non poterat eidem grauitèr obeſſe.

Peccauit tamen in præiudicium creditorum.

Hic duplex oritur difficultas. Prima, an ad ſatisfaciendum eiſdem debitoribus teneatur ſic profeſſus ad ſæculum redire, donec ſatisfecerit. Secunda, an ſaltem in Religione teneatur aſſiduiori ſtudio, & laboribus contendere ad lucrum, vt illo eiſdem creditoribus ſatisfaciat.

Duplex dubium excitatū.

In

Digitized by Google

Non tenetur egredi. In ordine ad primam arbitror abſolutè non teneri ſic profeſſum ad ſæculum redire, vt ſuis manibus, & ſua arte laborans ſatisfaciat creditoribus. Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia poſtquam quis profeſſus eſt validè in Religione, quidquid acquirit, non ſibi acquirit, ſed Monaſterio, cui alligatus eſt per profeſſionem, quæ profeſſio etiam obligat perſonam ad Religionem, ergo eadem Religione inuita non poterit ad ſæculum redire, & laboribus pro illis contendere, quandoquidem fortiori iure poſt profeſſionem tenetur Religioni, quam creditoribus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primo, quod debitor iure naturali, & diuino teneatur ſuis creditoribus debitum ſoluere, quod, cum ſit anterius debito, quo premitur erga Religionem nequit illo diſſolui; ſecundo, quod ingrediendo in Religionem non perſolutis prius debitis, quibus premebatur, quæque poterat de facili, & breui tempore perſoluere, peccauerit contrà iuſtitiam aduerſus eoſdem creditores, adeoq; teneatur eadem iuſtitia obligante perſoluere non obſtante ingreſſu in Religionem, cum hic nequeat tollere obligationes præcedentes ex iuſtitia. Soluũtur rationes oppoſitæ. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia etſi iure diuino, & naturali obligetur debitor ad ſoluenda creditoribus debita, hoc tamen intelligitur, quando debitor non eſt factus impotens ad ſoluendum, & etiam ſi factus fuerit impotens ex ſua culpa; vnde ſe reddendo impotentem ex culpa ad ſoluendum peccat quidem contrà ius diuinum, & naturale, non tamen tenetur poſtquam impotens factus eſt perſoluere, quia ad impoſſibile nemo tenetur; in noſtro autem caſu impotens per profeſſionem factus eſt ad ſoluendum, cum nihil habeat, & ſi quid acquirit, non ſibi acquirat, ſed Monaſterio, & per conſequens quantumuis cum noxa ſe conſtituerit in illo ſtatu impotentiæ, non propterea tenebitur &c. Ad ſecundum idem ferè reſpondendum eſt; multa enim fiunt contra iuſtitiam, quæ poſtea ratione impotentiæ non obligant.

9 Non tenetur inſuetis laboribus lucrũ acquirere, & ſi acquiſierit, non tenetur ex illo ſatisfacere. In ordine ad ſecundum etiam afferendum arbitror, quod non teneatur inſuetis laboribus lucrum acquirere, vt ſatisfaciat creditoribus, immò ſi quid ex illis acquirat, non teneri cõferre creditoribus; quia, cum Religioſus non habeat capacitatem ad dominium, nihil poteſt acquirere, quo ſatisfaciat, cum etiam ex inſuetis laboribus, & induſtria acquirat Monaſterio; Æquum tamen eſſet, quod Superiores eidem permitterent, vt quod inſuetis laboribus, & induſtria Religioſus acquireret vltra debita obſequia præſtita Monaſterio creditoribus contribueret, quia ex vna parte quoad obſequia Monaſterij in nullo Monachus deficit, ex alia iuſtitiæ ſatisfieret in ſolutione debitorum.

PRÆNOTIO IX.

An diſpenſatio, ſeu compoſitio cum Prælato excuſet à reſtitutione.

SVMMARIVM.

Compoſitio facta cum Romano Pontifice ſuper incertis tenet, & deobligat. 1.

Epiſcopus attenta communi praxi non poteſt componere ſuper incertis. 2.

Non poteſt debitor componere ſuper bonis certis ſuorum creditorum cum Romano Pontifice, niſi interuenientibus certis conditionibus. 3.

Aſſignantur conditiones, quibus poteſt componere. 4.

Debita alia ſunt certa, alia incerta. Debita, de quibus poteſt eſſe ratio dubitandi, an diſpenſatio, ſeu compoſitio debitorem deobliget à reſtitutione, ſunt in duplici differentia, alia ſcilicèt certa, quæ certum ſcilicèt habent Dominum; alia incerta, quorum ſcilicèt certus Dominus ignoratur, vel quia fuerint acquiſita per minutas vſuras, & furta modica à pluribus, vel quia deuenerint ad manus debitoris ſine vlla prorſus ſcientia Domini. Rurſus hæc debita, ſiue fuerint certa, vel incerta, vel ſunt ex delicto, quatenus fuerint, vel per furtum, vel per rapinam, vel per vſuras acquiſita, vel ex contractu, quatenus fuerint conſentiente, vel conueniente Domino in manibus debitoris. Quibus pro notitia ſuppoſitis inquirendum eſt, an Prælatus, prout præfertur in titulo, de quo controuertitur, an compoſitio cum ipſo facta deobliget, ſit ſolus Pontifex, an Epiſcopus etiam loci, cuius eſt ſubditus debitor; an quicunque alius Prælatus inferior.

Aſſertio I. Compoſitio facta cum Romano Pontifice ſuper debitis incertis deobligat debitorem a reſtitutione *Medina C. de reb. reſtit. q.3. cauſ.11. verſ. verum, ſi alla motiua, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 16. nu. 83.* I Compoſitio facta cum Romano Põtifice ſuper incertis tenet, et deobligat.

Ratio poſitiua euinceus aſſertionẽ fundata in poteſtate. Duplicem rationem huius aſſertionis aſſigno; alteram poſitiuam deductam ex poteſtate ipſius Romani Pontificis; alteram negatiuam ſitam in confutatione rationis potiſſimæ partis aduerſæ. Prima conſiſtit in eo, quod res incertæ ex communiori, & tutiori DD. Theologorum conſenſu ſunt expendendæ in vſus pios, vel in ſubleuamen pauperum *Coaruuias ad reg.*

reg. peccatum part. 3. §. 1. num. 3., Ioannes Medina C. de reb. reſt. q. 3. cauſa 10., Nauarrus c. 17. in manual. nu. 92. & ſeqq., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 6. n. 32., qui pleno ore fatetur de communi, & quoad incerta ex delicto plenus extat textus *in c. cum tu de vſuris*, vbi Pontifex decernit, *vt ea, quæ vſuris iniquè acquiſita ſunt, ſi non ſuperſunt illi, quibus debentur, aut eorum hæredes, dentur pauperibus, & vſurarij, eorumque hæredes Eccleſiaſticis pœnis ad hoc cogantur*, & quamuis de debitis incertis ex contractu nullus extat determinatus textus, eſt tamen inueterata, & determinata conſuetudo, quæ vim legis ſcriptæ, & iuris poſitiui habet; ſed iuxtà probabiliorem ſententiam hæc bona incerta non debentur pauperibus de iure naturæ, ſed dumtaxat de iure poſitiuo, vt pluribus probat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 6. num. 36., & ſeqq.*, ergo Pontifex, vtpotè, qui eſt ſupra quodcunque ius poſitiuum poterit facta compoſitione diſpenſare, ne illa pauperibus erogentur, ſed valeant apud debitorem detineri.

Secunda ratio negatiua cõſiſtens in ſolutione argumentorum.

Secunda ratio conſiſtit in eo, quia, ſi Pontifex non poſſet cum debitoribus componere ſuper incertis, hoc eſſet, quia ſuper huiuſmodi bona incerta dominium temporale non habet, adeòque de illis contra voluntatem præſumptam dominorum non poteſt diſponere; quod autem Pontifex non habeat dominium temporale bonorum incertorum, ex eo euincitur, quod neque habeat ratione ſucceſſionis Chriſto Domino, nec ratione alicuius legis Diuinæ, aut naturalis, quinimino nec humanæ, nec ex voluntate ipſorum Dominorum incertorum; non ratione primi, quia licet Chriſtus Dominus ratione ſupremæ poteſtatis diuinæ, & ratione productionis habeat plenum ius, & proprietatis, & iuriſdictionis in rebus omnibus, tamen qua homo eſt dominium rerum temporalium habere noluit, vndè ſcriptura de eodem dicit *Pauper ſum ego, & egenus*, & ipſe de ſe ipſo *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*, & de altero perfectionem Euangelicam ambiente: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & ſequere me*, quaſi diceret, ſi vis me pauperem ſequi, & imitari, vade &c., ergo Pontifex, qua Chriſti Domini Vicarius iure ſucceſſionis non habet dominium temporale in incertis; Non ratione ſecundi, quia lex naturalis, & diuina nulli appropriauit Dominia, ſed communia reliquit, & ſi talis lex naturalis, & diuina appropriaret bona incerta Romano Pontifici iniuſtè debitores rerum incertarum eas in vſus pios, & pauperum expenderent; non ratione tertij, quia nulla lex humana ſic diſponens reperitur, Non tandem ratione quarti, quia Domini rerum incertarum præſumuntur velle res ſuas apud debitores exiſtentes cedere in commodum proprium ſaltem ſpirituale, quod potiſſimũ fit per erogationem earum, vel in vſus pauperum, vel in cauſas pias; Sed hæc omnia non obſtant, quo minus poſſit Romanus Pontifex ſuper illis bonis incertis cum debitoribus componere, ergo &c. Minor probatur primo, quia adductæ rationes efficacitèr non probant, quo minus Pontifex habet dominium ſuper illa bona incerta, & hoc ratione ſupremæ poteſtatis tam ſpiritualis, quàm temporalis, quæ in Chriſto Domino in Pontificem, tanquam in ſuum Vicarium translata eſt, ſi non actu, ſaltem in habitu, ratione cuius deficientibus temporalibus principibus à debito Eccleſiæ obſequio eoſdem anatematizat, & temporalibus priuat ditionibus, & dominijs, hoc quoad bona incerta ſpecialitèr euinci poteſt a ſimili in bonis, quæ relicta ſunt Religioſibus ſecundum ſe incapacibus dominij, quæ ex communiori ſententia quoad dominium tranſeunt ad eundem Romanum Pontificem, tanquam caput vniuerſalis Eccleſiæ, prout definiuit *Nicolaus tertius extrauag. exijt*, vbi habet *Dominium rerum, quibus Franciſcani vtuntur ad Papam pertinere, non autem ad eorum congregationem*; ſicuti igitur huiuſmodi bona, quia dominium habere nequeunt penes Religionem, nec penes ſingulares Religioſos, nec quoad illud remanent penes illos, qui illa tranſtulerunt, quoad ipſum transferri dicuntur in Romanum Pontificem, ita bona incerta, cum certum Dominum non habeant, non eſt mirum, quod dicantur quoad dominium transferri in Romanum Pontificem, nec ex hoc ſequitur id, quod inferebantur, quod ſcilicèt, ſi hoc verum eſſet, non poſſent debitores transferre, ſeu expendere in cauſas pias, & in vſus pauperum; non, inquam ſequitur, quia hoc præſtant ex præſumpta voluntate Pontificis in vtilitatem illorum, quorum erant illa bona. Hoc etiam confirmari poteſt ex iis, quę facta ſunt in inuentione noui orbis, cuius partes Romanus Pontifex, Regibus Hiſpaniarum, & Portugaliæ aſſignauit, vt quaſcunque intra aſſignatos limites occuparent, ſuas facerent, quod certe indicat dominium ſaltem in habitu.

Primũ argumẽtum contrariũ negans Romano Põtifici ſucceſſionem Chriſto Domino in bonis temporalibus.

Secũdum negans id competere iure naturali, & diuino.

Tertium negans cõpetere lege humana.

Nec ratione præſũptæ volũtatis dominorum.

Habet Pontifex poteſtatẽ in bona temporalia, ſi non actu ſaltẽ habitu.

Secundo, probatur eadem minor, quia dato etiam, quod dominium illorum bonorum incertorum non pertineat ad Romanum Pontificem, non propterea ſequitur, quod ſuper illis non poſſit componere

re cum debitoribus, quia, vt benè notat *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 11.*, etiam Pontifex non eſt Dominus theſauri Eccleſiæ, & tamen illum ex iuſta, & legitima cauſa diſpenſat, & de illo diſponit; item non eſt Dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſicut nec Sacramentorũ, & tamen legitimè ea confert, & nullus eſt, qui deneget tenere collationem.

Quamuis nõ habeat dominium poteſt de illis diſponere.

Tertio, quia, vt benè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 14. dub. 6. n. 40.*, ratione ſupremi Principatus in ſpiritualibus poteſt Pontifex ordinare bona ſubditorum etiam temporalia ad regimen ſpirituale Eccleſiæ, quod potiſſimum verificatur, quoad ea bona, de quibus Domini proprij ipſorum nequeunt diſponere, qua ratione etiam Romanus Pontifex poteſt imponere mulctas pecuniarias pro criminibus, eaſq; condonare, & ſimilia. Deindè ſi Principes ſæculares poſſunt cõdere leges, & de facto pluribus in locis condiderunt, quibus ſtatuunt, quod huiuſmodi bona incerta adijciantur Fiſco, cur a fortiori ratione ſupremi Principatus ſpiritualis, quo gaudet Pontifex, non poteſt ſtatuere, vt bona illa incerta Sedi Apoſtolicæ deuoluantur in ordine ad commoda Eccleſiæ? Tandem, quia omnes ferè DD. conſentiunt, quod huiuſmodi bona incerta ſint expendenda, vel in vſus pauperum, vel in pias cauſas, puta ornatum Eccleſiarum, & ſimilia, ergo Pontifex tanquam Pater pauperum, & ſupremus Eccleſiæ rector, poteſt velle, quod ad ſe deuoluantur, vt ipſe de illis diſponat, & interueniente legitima cauſa poteſt commutare pro aliqua ſumma pecuniaria expendenda ob bonum publicum Eccleſiæ permiſſa detentione rei, ſeu rerum incertarum apud debitorem &c.

Poteſt ordinare in ordine ad regimen ſpirituale bona temporalia.

Hic ſolum oritur difficultas, an non ſolum Romanus Pontifex poſſit ita componere cum debitoribus bonorum incertorum, an vero etiam Epiſcopus cum huiuſmodi debitoribus ſuæ Diæceſis? Quamuis videatur id poſſe Epiſcopum in ſua Diæceſi, quod poteſt Pontifex in toto orbe, hoc tamen non eſt in omnibus verum, vt patet quoad diſpenſationes ſuper impedimenta, quoad interpretationes vltimarum voluntatum, & ſimilia, & quamuis etiam Epiſcopus in ſua Diæceſi dicatur etiam pater pauperum, & rector Eccleſiarum ſibi commiſſarum non tamen hoc intelligendum eſt cum ea plenitudine, & poteſtate, qua Pontifex eſt talis. Quamobrem attenta communi praxi, & conſuetudine vbique locorum recepta arbitrarer Epiſcopum ſaltem regularitèr loquendo non poſſe ita componere ſuper bonis incertis cum debitoribus ſuæ Diæceſis, cum talia bona, nec quoad directionẽ ad ipſũ pertineant, & ſicuti ipſe Epiſcopus in ſua Diæceſi ſuper onera miſſarũ, quibus premuntur Eccleſiæ ipſi ſubditæ nequit cõponere, ita nec videtur poſſe componere ſuper onera bonorum incertorum cum debitoribus, & ſicuti bona aſſignata vſibus Franciſcanorum non intelliguntur eſſe ſub dominio Epiſcopi Diæceſani, in cuius Diæceſi, ſeu territorio degunt ipſi Franciſcani, ſed immediatè ſub Dominio Romani Pontificis, ita illa bona incerta &c., adeoq; &c.

2 Epiſcopus attenta praxi non poteſt cõponere ſuper incertis.

Aſſertio. Non poteſt debitor componere cum Romano Pontifice ſuper bonis certis ſuorum creditorum, niſi legitimis cauſis interuenientibus *Silueſter verb. reſtitutio 7. q. 2. dict. quintum, Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 11., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 16. dub. 11. nu. 83. verſ. dico ſecundo Innocentius IV. in c. quæ in Eccleſiarum de conſtit.*

3 Nõ poteſt debitor certorum bonorum conuenire cum Romano Põtifice ſuper eiſdẽ.

Ratio ex eo deducitur, quia Pontifex non poteſt ſine legitima cauſa quemquam rebus ſuis, & iuribus, quibus legitimè gaudet priuare, vt alterum priuatum eorum bonorum Dominum conſtituat; quantumuis enim Pontifex ſit conſtitutus à Domino ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, & omnium populorum præcipuè in ſpiritualibus, non tamen ita eſt cõſtitutus, vt poſſit pro ſuo arbitrio de bonis ſingulorum ſubditorum diſponere vnum priuando, alterum ex bonis illius locupletando, vndè pro tempore primitiuæ Eccleſiæ non ipſi Apoſtoli ſectatores Chriſti Domini ſpoliabant rebus ſuis, ſed ipſi ſpontè ad pedes Apoſtolorum deferebant, vt perfectius poſſent Deo vacare; ſed de facto Pontifex ſpoliaret creditores rebus, & iuribus ſuis, ſi debitoribus, vel in toto, vel in parte per compoſitionem debita remitteret in præiudicium ipſorum creditorum, ergo &c.

Dixi, *niſi legitimis cauſis interuenientibus*; nam in primis, ſi ipſi creditores, v. g. grauitèr delinquerint, poterit quidem Pontifex in pænam delicti eoſdem priuare iuribus ſuis, & poſtea cum debitoribus ſuper illis bonis certis componere, vt docent *Medina, & Leſſius loco cit.* Secundo, ſi illa debita fuerint ex delicto, puta per vſuras, & debitor pro maiori ſuæ conſcientiæ exonere ad Pontificem recurreret, poſſet hic cum illo componere potius ob quietẽ ipſius, quam ob neceſſitatem, quam habeat debitor componendi. Tertio, ſi creditores in hæreſim inciderint, ob quam eorum bona fuerint confiſcata, poſſunt debitores ipſorum, qui adhuc Fiſco non perſoluerint cum Romano Pontifice cõponere ſuper illis bonis, quamuis certo ſint

4 Aſſignantur conditiones quibus poteſt componere.

ſint

Digitized by Google

ſint Fiſco adijcienda, qui ſuccedit loco ipſorum creditorum, nec in hoc eſt difficultas, cum Pontifex tunc diſponat de rebus ſuis.

PRÆNOTIO X.

An incertitudo bonorum excuſet à reſtitutione.

SVMMARIVM.

Debitor rerum alienarum incertarum, ſi ſit pauper tantum pro loco, & tempore, & ſibi applicuerit, non deobligatur à reſtitutione, ſed tenetur poſtea pauperibus erogare. 1.

Debitor rei incertæ, ſine ſua culpa, ſi ſibi applicuerit vt pauperi, cõparente Domino tenetur eandem illi reſtituere, ſi adhuc extet in ſpecie, vel in pretio, niſi fuerit in extrema neceſſitate, vel graui. 2.

Si cum ſua culpa acceperit, & ſibi applicuerit, comparente Domino non tenetur reſtituere, ſi nec extet in ſe, nec in pretio. 3.

SVppoſito, quod ſuper bonis incertis poſſit cum Romano Pontifice componi, vt probauimus in præcedenti prænotione, quærunt modo DD. rem rigoroſius examinando, an debitores ipſorum poſſent etiam tuta conſcientia omiſſa illa compoſitione retinere illa bona incerta ſine vllo onere reſtitutionis? Cum latè hac de re egerimus in præcedentibus vix videtur eſſe aliquid in præſenti ambigendum. Nihilominùs ad ſeruandum ordinẽ doctrinę iam actitata hic referendo placet nonnulla ex illis emergentia indagare; & primo, an ſi quis ſit ſolum pauper pro loco, & tempore, & pro illo loco, & tempore ſibi res incertas applicuerit, teneatur poſtea illa pauperibus verè talibus reſtituere. Secundo, an ſi quis ſibi applicuerit tanquam pauperi res illas incertas comparente, ſeu cognito Domino teneatur illas, ſiue extantes adhuc in ſpecie, ſiue illarum pretium, ſi non amplius extent, reſtituere. Tertio, an ſi detinens res alienas incertas per culpã acquiſierit, & ſibi applicuerit, eaſdem Domino comparenti teneatur reſtituere, ſeu illarũ pretium, & æſtimationem, ſi poſt applicationem ſibi factam conſumpſerit ante cognitionem eiuſdem Domini? Procedunt hæc omnia in ſuppoſitione ſententiæ, quam nos ſupra ſuſtinuimus huiuſmodi bona eſſe in pauperes eroganda.

Referuntur rationes dubitandi.

Aſſertio I. Si debitor rerum alienarum incertarum, cum ipſe ſit pauper non ſimplicitèr, ſed tantum pro loco, & tempore, ſibi applicuerit, non deobligatur ab onere reſtitutionis, ſed tenetur poſtea veris pauperibus erogarè. *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 6. num. 46.*, & arbitror in hoc omnes ei conſentire.

1 *Debitor tantũ pro loco, & tempore, ſi ſibi applicuerit tenetur poſtea dare pauperibus.*

Pro notitia aduerte, quod quis dicatur, ſolum pauper pro loco, quando in loco, in quo reperitur, verè eſt pauper, ſed alibi habet plurima bona; tunc vero pauper pro tempore, quando pro hoc tempore non habet, habet tamen artem, & induſtriam, quibus poſſit facile ſibi acquirere, quæ neceſſaria ſunt, ne egeat.

Probatur iam aſſertio, quia iura poſitiua ſtatuentia res incertas erogandas eſſe pauperibus, intelligenda ſunt dumtaxat de pauperibus verè ad ſubueniendum eorum egeſtatibus, nec iura intendunt illis, qui aliunde habent, vel habere poſſunt, in hoc fauere, ergo, quantumuis pauper pro loco, & tempore ſibi applicuerit, tenebitur poſtea illa veris pauperibus erogare, quamuis enim pro illo tempore, & loco egeſtatis rectè ſibi conſuluerit, ex præſumpta tamen Domini voluntate, & congrua iurium interpretatione non debuit ita applicare, vt præiuditium inferret ijs quibus ex dicta Dominis voluntate, & iuris diſpoſitione erant res illæ debitæ. Confirmatur, quia omni iure, & æquitate exigente vnuſquiſque ita debet in egeſtate ſibi conſulere, quominus lædatur ius aliorum, ſic, qui ſibi poteſt conſulere per mutuũ, non debet ſibi cõſulere per abſolutam, & iniuſtam vſurpationem rei alienæ, ergo, cum in illa paupertate non abſoluta, ſed pro loco, & tempore poſſit ſibi conſulere accipiendo ad tempus, pro quo indiget, ſeu loco, in quo eget, non poterit abſolutè ſibi applicare, ſed cum animo accipiendi titulo mutui; cæteroqui grauiter læderet ius pauperum, quibus bona illa debentur, & ſupra id, quod exigit ipſius egeſtas.

Rationes pro aſſertione.

Aſſertio II. Si quis res incertas, quas accepit, ſine ſua culpa, ſibi applicuerit tanquam pauperi, prout verè talis ſupponitur comparente poſtea Domino tenetur eaſdem illi reſtituere, ſi extant, vel in ſe ipſis, vel in pretio, dummodo tunc non ſit in neceſſitate extrema, vel graui reſpiciente bona, quæ natura fecit omnibus communia. Ita expreſsè *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 14. dub. 6. num. 43. verſ. ſi eam.*

2 *Debitor rei incertæ, ſi adhuc extet, tenetur domino comparẽte illam ipſi reſtituere, niſi ſit in extrema neceſſitate.*

Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi res ipſa adhuc in ſua ſpecie exiſtens, vel pretium eiuſdem pro ipſa clamat pro Domino, & ratione rei, vel in ſe, vel in pretio exiſtentis detinens obligatur erga Dominum, nec ipſe detinens poteſt excuſari ratione egeſtatis, cum non ſupponatur, nec extrema, nec talis, vt liberet à reſtitutione, ergo non eſt, cur non teneatur

Digitized by Google

neatur Domino comparenti reſtituere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi alteri indigenti applicuerit, ipſe indigens, cui facta eſt applicatio, non teneatur Domino comparenti illam reſtituere, quantumuis adhuc res ipſa extet, vel in ſua ſpecie, vel in pretio, prout docent *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 2. num. 57.*, *Henriquez de Indulg. c. 34. num. 8.*, ergo neque, ſi ſibi ipſi applicuerit, tenebitur Domino comparenti reſtituere, quantumuis res in ſua ſpecie extet, ſiue in pretio, quãdòquidem, cum ipſe ſit æquè indigens, ac alius, non debet eſſe deterioris conditionis ab illo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis gratis dicitur, quod, ſi res extat apud alium indigentem, cui ille, qui rem illam incertam, quam penes ſe habebat, tradidit, non ſit reſtituenda Domino comparenti, quandoquidem eidem non intelligitur applicata, niſi ſub tacita conditione, vt ſi Dominus compareat, ei reſtituatur, nec indigens, cui fuit applicata, intelligitur acquiſiuiſſe illius dominium, niſi poſt acquiſitionem tantum tempus tranſierit, quantum ſufficit ad legitimam præſcriptionem; quod tempus non arbitror ſufficere, ſi res fuerit applicata ipſi, qui acquiſiuit, quandòquidem ipſe nouit rem illam eſſe alienam, qui propterea non potuit legitimè præſcribere. Deindè dato etiam, quod, ſi res fuerit applicata alteri indigenti, non ſit reſtituenda Domino comparenti, quantumuis extet in ſua ſpecie, vel in pretio, non propterea ſequitur, quod, ſi fuerit applicata per eum, qui primo ipſam habuit, ſibi ipſi, non ſit reſtituenda. Ratio diſparitatis ex eo deſumitur, quia ille tertius indigens, cui facta fuit illa applicatio acquiſiuit titulo tranſlatiuo dominij, nempè titulo liberalis donationis, poſtquam facta eſt debita diligentia, & inquiſitio Domini; ille autem, qui ſibi met ipſi applicuit, quamuis ſibi ipſi liberalitèr, ſeu ex titulo liberali applicuerit, non acquiſiuit primo titulo liberali, ſed titulo obnoxio reſtitutioni, quem ignorare non potuit in ipſa applicatione ſibi facta, quæ propterea applicatio in ipſo eſt imbibita illo oneri ſaltem quoad acceptationem, quod non verificatur, quando alteri eſt applicata, qui libere acceptauit, vt donum gratuitum, & liberalem eleemoſinam. Inſiſtendum tamen eſt primæ reſponſioni.

Soluitur inſtantia oppoſita.

3 Aſſertio III. Si quis res incertas per culpam acquiſierit, & poſt debitam diligentiam eiuſdem Domini, ſibi tanquam indigenti applicuerit, & conſumpſerit, adeò vt, nec in ſua ſpecie exiſtat, nec in pretio, ſi Dominus poſtea compareat, non tenetur illi æſtimationem illius rei retribuere *Leſſius loc. cit. n. 43. verſ. quarto ſi per culpam.*

Si cũ ſua culpa acceperit, & poſt diligentiam ſibi applicuerit, ſi res nõ extet, nec in ſe, nec in pretio, nõ teneatur Domino comparẽti reſtituere.

Ratio ea eſt, quia, nec tenetur ratione rei acceptæ, quia res illa conſumpta eſt, nec amplius extet, nec in ſe ipſa, nec in pretio; non ratione iniuſtæ acceptionis, nam licet per culpam acceperit, illa tamen culpa purgata eſt per diligentem inquiſitionem de Domino, & voluntatem reſtituendi, ſi Dominus comparuerit.

Ex quibus in fortioribus terminis poteris deducere, quod, ſi quis ſine culpa acquiſierit res incertas, eaſque ſibi applicatas, tanquam indigenti conſumpſerit, adeò vt neque in ſe ipſis, neque in æquiualenti perſeuerent, comparente poſtea Domino non teneatur reſtituere, cum non militet ratio rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis, vt per ſe patet.

Corollariũ ad dicta.

PRÆNOTIO XI.

An excommunicatio creditoris liberet debitorem ab onere reſtitutionis.

SVMMARIVM.

Excommunicatio creditoris non deobligat ſimpliciter debitorem à reſtitutione. 1.
Nec tribuit ius ad dilationem ſolutionis. 2.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 3.
Non deobligat etiam debitorem à creditore excommunicatio, quantumuis debitum proueniat à promiſſione, & ſtipulatione. 4.

INcipimus examinare cauſas, de quibus poteſt eſſe controuerſia, an liberent debitorem ab onere reſtitutionis, ex parte creditoris; & primo ſeſe offert excommunicatio eiuſdem creditoris, quæ quidem videtur eſſe cauſa ſufficiens ad excuſandum debitorem, vel abſolutè ab onere reſtitutionis, vel à reſtitutione facienda ſaltem pro tempore perſeuerantis excommunicationis; quandòquidem in primis in iure cautum eſt, quod creditor excommunicatus agens in iudicio ad repetendum creditum poſſit à debitore repelli *c. pia de except. in 6.* Secundo, quia in iure abſoluuntur à ſacramento fidelitatis, qua ex promiſſione etiam iuramento firmata illi, qui erga excommunicatos ſe obligarunt, vel poſtquam ſe obligarunt, illi in excommunicationem inciderunt per textum *in c. nos ſanctorum 15. q. 6.* Tertio, quia in iure canonico interdicitur cuicunque communicare ſcientèr cum excommunicato, niſi ſit ex illis perſonis, quæ excipiuntur à Gregorio VII. in illo *c. nos ſanctorum 15. q. 6.*, vt habetur *in c. quod in dubijs, & c. inter alia*

Rationes dubitandi circa titulum.

extra

Digitized by Google

extra de ſent. excommun., nec tamen debitores continentur in illa exceptione Gregorij VII. Quartò, quia etiam Monachus eximitur ab obligatione obedientiæ erga Abbatem, quantumuis eam ipſi promiſerit ſub voto, ſi Abbas inciderit in excommunicationem, prout definitur *in c. Sacerdotes 7. q. 7.* Nihilominùs his non obſtantibus ſit

1 Excõmunicatio creditoris non deobligat ſimplicitèr debitorẽ à debito.

Aſſertio I. Excommunicatio creditoris non deobligat ſimplicitèr debitorem ab onere reſtitutionis *Coaruuias ad reg peccatum prima part. n. 8., Silueſter verb. excommunicatio 5. q. 12., Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 9., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 16. dub. 6. nu. 78.* Procedit aſſertio, etiam ſi creditor ſit nominatim denuntiatus, excommunicatus, nam, ſi talis non eſſet, vix poſſet eſſe ratio dubitandi circa hoc, cum nemine diſceptante alij non tenerentur ab illius conſortio abſtinere.

Ratio ea potiſſimum eſt, quia per excommunicationem præcisè, quis non priuatur dominio, quo gaudet, nec iuribus ad temporalia, quæ habet, vt eſt in confeſſo apud omnes, & communis praxis ſuadet, ergo, nec eſt priuandus iure, quod habet aduerſus debitorem ad ſuum creditum conſequendum. Confirmatur, quia nullo iure debitor ob excommunicationem creditoris eximitur ab onere reſtitutionis erga ipſum; non iure Diuino, quia nullibi de tali iure conſtat, quinimmo iure Diuino præcipiuntur etiã ethnicis debita perſoluenda *ex Apoſtolo ad Rom. 13.*; non humano, quia iura allegata, vt infra videbimus, & ſi quæ alia poſſunt allegari, non procedunt de debitis pecuniarijs, ſed vel de debitis obſequij, vel fidelitatis.

2 Nec tribuit ius ad dilationẽ ſolutionis.

Aſſertio II. Nec excommunicatio creditoris ius tribuit debitori ad differendam ſolutionem debiti per ſe loquendo. Conſentiunt omnes DD. præallegati pro prima aſſertione. Dixi, *per ſe loquendo*, nam, quandòque, vt bene notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 6. n. 79.* ex lege charitatis expedit differi hanc ſolutionem, ſi ſpes ſit creditorem conuerſum iri, & reconciliandum Eccleſiæ ex illa dilatione.

Rationes, quæ præcedentem aſſertionem euincunt, hanc etiam ſufficientèr videntur euincere; non enim iura excommunicati ad temporalia bona ſuſpenduntur, nec ipſo facto priuatur excommunicatus dominijs, nec iura diuina, nec humana quidquam circa hoc euincunt.

Quamobrem ad iura oppoſita in principio tituli nunc reſpondendum eſt, & primo ad textum *in c. pia de except. in 6.* dicendum eſt, ad ſummum per illum euinci, quod ipſe creditor non poſſit in foro contentioſo agere aduerſus debitorem ad conſecutionem ſui crediti, cum ratione excommunicationis expellatur à communicatione, non autem, quod ipſe ius non habeat ad illud creditum, & debitor non teneatur illud immediatè perſoluere; Secundo ad textum *in c. nos ſanctorum 15. qu. 6.* dicendum eſt, quod, quantumuis debitores non contineantur in illa exceptione Gregorij VII., contineantur tamen in exceptione à iure, ſeu ratione neceſſitatis; ſicuti in eadem exceptione Gregorij VII. non continetur vxor reſpectu mariti excommunicati, & tamen quoad obſequia coniugalia ipſa nemine diſcrepante poteſt cum marito communicare. Ratio autem, cur expreſsè iſti non excipiantur in illo capitulo, illa eſt, quia non opus fuit eos excipere, quos ipſum ius naturale excipit quoad ea, quæ neceſſitatis ſunt, cuiuſmodi eſt reddere vnicuique, quod ſuum eſt, & per hoc potiſſimè ſatisfit textui *in c. quod in dubijs, & c. circa alia de ſent. excom.* Ad illud, quod dicitur de deobligatione promiſſionis cũ ſacramento fidelitatis verſus excommunicatos, puta clericorum erga Epiſcopos, Monachorum erga Abbates, vaſſalorum erga Principes, qui nota excommunicationis afficiuntur, dicendum eſt illud rectè procedere, quia per excommunicationem ceſſat eorum iuriſdictio, & poteſtas dominandi; per excommunicationem autem non ceſſat ius creditoris ad ſuum creditum erga debitorem.

3 Soluuntur rationes oppoſitæ.

4 Reijcitur explicatio Medinæ aſſerẽtis, quod quãdo debitũ prouenit ex ſtipulatione, & promiſſione deobliget debitorẽ verſus creditorẽ excommunicati.

Hic ſolum pro complemento remanet explicanda, & examinanda doctrina, qua cum diſtinctione vtitur *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 9. verſ. ſi autem creditor*, dum dicit ex parte rei debitæ duo conſideranda eſſe, an ſcilicèt ſit debitum naturale, aut diuinum re ipſa contractum, aut per viam reſtitutionis ſoluendũ, quod exemplificat in eo, qui aliena ſurripuit, mutuum accepit, aut commodatum &c. in quibus obligatio ſoluendi non voluntate naſcitur debitoris, ſed & iure naturali, & diuino; an verò ſit debitum non ex re, ſed ex verbis contractum, quod exemplificat in ſtipulatione, promiſſione, ſeu iuramento de dando aliquid alteri. Quoad debitum iuxta primum ſenſum acceptum ſentit non deobligari debitorem verſus creditorem, quantumuis nominatim excommunicatum propter rationes, quas ipſe adducit, & nos adducimus in aſſertionibus; Quoad debitum verò iuxtà ſecundum ſenſum acceptum arbitratur poſse ſubſiſtere contrariam opinionem, & rationem ex eo deducit, qui promiſſiones, & iuramenta intelliguntur ſemper ſal-

Digitized by Google

ſalua ſuperioris auctoritate, nec promiſſiones, & iuramenta de re illicita tenent, adeòque, ſi ante executionem caſus ſuperuenerit, quo non ſit licitum communicare cum promiſſario, non tenebitur exequi, quia promiſſio ſupponitur facta ſub tacita conditione, ſi licitum erit ipſam adimplere. Hæc ille. Sed non libentèr annuerem quoad hanc ſecundam partem, quia denegari non poteſt, quin in ipſa ſua radice illa promiſſio ſit valida, & ius, quod ex illa conſequitur, non teneat, nec per illum ſuperuenientem caſum excommunicationis poteſt irritari, nam executio ipſa, in quam refundit Medina turpitudinem, cum fieri non poſſit ſine communicatione cum ipſo excommunicato, quæ à iure interdicitur, eſt cum tali turpitudine, vt à iure impediatur, quandòquidem illa communicatio ita modica eſt, vt nulla in conſideratione habeatur, & eſt ex neceſſitate inducta ex vi promiſſionis obligantis naturalitèr, quæ neceſſitas excuſat.

PRÆNOTIO XII.

An, qualis, & quomodo compenſatio deobliget à reſtitutione.

SVMMARIVM.

Compenſatio quid ſit, & quomodo contingat. 1.

Compenſatio debiti pro credito licita eſt, ſi ſeruentur debitæ conditiones. 2.

Si debitum ſit in vna ſpecie, & creditum in alia, probabilius inuito creditore nequit fieri compenſatio. 3.

Excipe, niſi creditor non poſſet aliter ſatisfieri. 4.

Creditor quoad rem apud ſe depoſitam, vel ſibi commodatam non poteſt in foro externo facere compenſationem, bene tamen in interno. 5.

Conditiones requiſitæ ad tacitam compenſationem. 6.

Requiritur, vt non ſequatur graue damnum debitori, nec alteri. 7.

Item, vt creditum ſit liquidum. 8.

Vt id, quod accepit creditor, ſit ſui debitoris. 9.

Vt ſit pro debito tunc ſoluendo. 10.

Si vnum debitum ſit reale, alterum ex promiſſione, quandòque licita eſt compenſatio, quandòque non. 11.

Aſſignatur quando ſit licita, & quando non. 12.

Quando vtrumque debitum eſt reale, & ex parte vnius adeſt iuramentum de ſolutione, quandòque licitè ſit compenſatio, quandòque non. 13.

Legatarius ex teſtamento minus ſolemni renuente hærede ſoluere, poteſt vti tacita compenſatione. 14.

Non cedente die ſolutionis, ſi ſit rationabilis metus, quod pro tali die debitor non ſit ſoluendo, vel non ſoluturus poteſt creditor, vti anticipatè compenſatione. 15.

Si ex illa anticipatione debitori emergeret aliquod intereſſe, hoc eſt per creditorem illi compenſandum. 16.

Lata comminatione excommunicationis contrà detinentes res alienas eidem non ſubijciuntur, qui detinent iuſto titulo compenſationis. 17.

Etiamſi addita fuerit clauſula, quamuis detineant per compenſationem occultam. 18.

Quid ſentiendum ſit in hac hypotheſi, quando compenſatio deficit in aliqua conditione requiſita. 19.

Emphytheuta, qui ob canonem non ſolutum decidit in commiſſum poteſt eximi per compenſationem, ſi habeat æquale creditum contrà Dominum. 20.

Et hoc ſufficit pro vtroque foro. 21.

Famuli domeſtici conducti certa mercede nequeunt vti tacita compenſatione prætextu maiorum obſequiorum. 22.

1 Compenſatio nihil aliud eſt, quam debiti credito, vel crediti debito coæquatio. Hæc multiplicitèr poteſt contingere primò, quatenus creditum in vna ſpecie compenſetur per aliam rem diuerſæ ſpeciei, vt ſi quis v.g. eſt creditor certæ quantitatis pecuniæ, & pro eadem occultè accipiat à debitore equum, vel monile aureum; ſecundo, quatenus creditum in vna ſpecie compenſetur per rem eiuſdem ſpeciei, & in eadem æqualitate. Tertio, quatenus fiat per omiſſionem operis promiſſi, vt ſi quis v.g. acceperit centum, vt opera quædam exequatur, & cum centum non ſint proportionatum pretium pro illo opere diminuit de opere promiſſo ad proportionem pretij diminuti, vel per occultam acceptionem pretij, ſeu rei pretio æſtimabilis pro opere, quod videtur ex genere ſuo exigere maius pretium ſupra datum, quod contingit, vt plurimum in famulis domeſticis, qui cum præſtent aliqua obſequia inſueta Dominis ſibi aliqua vſurpant ſupra conuentum ſalarium. Quarto, quatenus fiat inter debita, & credita non eiuſdem rationis, & qualitatis, quatenus creditum non ſit liquidum & certum, debitum verò certum, & liquidum.

Compenſatio quid ſit, & quo modo poſſit cõtingere.

Circa huiuſmodi compenſationem, quãtum pertinet ad præſens inſtitutum, plurima poſſunt controuerti; & primo, an inuito, ſeu non conſentiente debitore poſſit fieri tacita compenſatio. Secundo, an rei

Digitized by Google

Articuli examinādi circa titulum. in vna ſpecie pro alia diuerſæ ſpeciei. Tertio, an creditor poſſit vti compenſatione pro ſuo credito in re pænes ſe à debitore depoſita. Quarto, quænam conditiones requirantur. Quinto, an, ſi quis ſit debitor ergà alterum de ſumma centū, vel ex reali mutuatione, vel alio cōtractu, & ex alio capite creditor de totidem ex promiſſione ſui creditoris etiam iuramento firmata poſſit debiti cum illo credito facere coæquationem. Sexto, an legatarius teſtamenti minus ſolemnis, ſi hæres non vult legatum ſoluere, poſſit occultè ſibi compenſare. Septimo, an licitum ſit vti compenſatione, quando debitor cum iuramento promiſit debitum ſoluere. Octauo, an quandò adhuc non cedit dies ſolutionis, & creditor ſpem non habet creditum recuperandi pro tempore præſcripto poſſit per anticipatam compenſationē ſibi conſulere, & alia his ſimilia.

2 Compenſatio debiti pro credito licita eſt, ſi ſeruentur debitæ cōditiones. Aſſertio I. Debiti pro credito, ſi ſeruentur omnes conditiones ad hoc requiſitæ, licita eſt tacita compenſatio, & liberat debitorem à debito *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 12.*, *Malderus 2.2. tract. 4. c. 1. dub. 6.*, *Diana part. 11. tract. 5. reſol. 23.*, & alij magis communitèr quidquid ex aduerſo dixerit *Villalobos tom. 2. tract. 11. dub. 23. n. 7.*, dum vult hoc non poſse fieri propria auctoritate creditoris, quando ipſe compenſari poteſt implorato Iudicis officio, quia ſecus eidem iniuria inferretur; aſſerit tamen, quod hic, & nunc non requiritur hoc Iudicis officium, cum non poſſit commodè, & ſinè magnis ſumptibus creditum per Iudicem repeti.

Rationes pro aſſertione. Ratio pro hac aſſertione deducitur; primo, quia, ſi quis etiam inſcio ſuo proprio, & immediato creditore ſoluat creditori creditoris eximitur ab onere reſtitutionis ergà ſuum creditorem immediatum per ea, quæ ſuperius fuerunt commendata, nam, ſi creditor agat ad creditū ſuum, contra debitorem conſequendum, poteſt, & debitor excipere de ſolutione facta creditori ipſius creditori, & agere ad exigendum contrà creditorem creditum ſui creditoris, cuius actiones translatæ ſunt in ipſum debitorem, & ſic fit compenſatio crediti cum credito, & quidem propria auctoritate eiuſdem debitoris, qui ex ſe ſoluit creditori creditoris ſui, ergo etiam, ſi in eodem creditore coadunentur reſpectiuè creditum, & debitum, poterit propria auctoritate fieri per eundem creditorem compenſatio, quandoquidem, ſi debitor agat ad repetendum id, quod creditor retinuit in compenſationem, poteſt idem creditor agere ad habendum id, quod debitor ipſi debet. Confirmatur ex ijs, quæ ſparſim diximus *tom. 2. dum de cambijs ſparſim per totum*, quod ſcilicet, vbi creditum, & debitum in eodem ſubiecto adunantur, fiat ipſo iure, & immediatè compenſatio per vulgata iura ibidem citata.

Dixi, *ſi ſeruentur omnes conditiones ad hoc requiſitæ*, de quibus late agam in ſequentibus.

Aſſertio II. Si debitum ſit in vna ſpecie, & creditum in alia, puta debitum in quantitate, & creditum in ſpecie, probabilius inuito debitore nō poteſt fieri licitè compenſatio *Panormitanus in c. bona fides de depoſito*, *Siluius in 2.2. q. 62. art. 8. q. 1. concl. 7. c. 5.*, quidquid ex aduerſo alij dixerint limitantes ſolummodo, vt procedat aſſertio quoad forum externum, non quoad internum conſcientiæ, atq; tales ſunt *Vallerus verb. compenſatio diffic. 3. n. 2.*, *Medina C. de reb. reſt. q. 3. cauſa 12. verſ. attamen in foro conſcientia*, quamuis hic poſtremius etiam pro foro externo limitet, quando debitor eſſet inuitus de detentione propriæ rei in diuerſa ſpecie. 3 Si debitū, & creditū ſint in diuerſa ſpecie probabilius inuito creditore fieri nequit compenſatio.

Ratio ex eo deducitur, quia debitor poteſt rationabilitèr velle, quod creditor pro pecunia, quam debet, non retineat ſuum equum, vel pallium, cum fortè multum poſſit intereſſe eidem debitori ſuū equum, vel palliū potiùs habere, quam pecuniam, ergo non poteſt creditor inuito eodem debitore eundem equum retinere pro pecunia, quam idem debitor debet. Confirmatur primo, quia ius creditoris non eſt ad ſpeciem, ſed ad quantitatem, ergo omiſſa quantitate non poteſt pro libertate ſibi ſpeciem adaptare. Confirmatur ſecundo, quia vnum pro altero nequit inuito creditore ſolui, vt, ſi ſit creditor determinatæ quantitatis, non poteſt eidem pro illa quātitate pecuniaria tradi frumentum, vel quid aliud in ſpecie diuerſum per vulgatiſſima iura, ergo neque inuito debitore poterit creditor vnum pro altero accipere, nempè equum pro pecunia, cum correlatiuorum eadem ſit ratio. Vnum pro altero nequit ſolui inuito creditore.

Limitarem tamen aſſertionem in hypotheſi, qua creditor, qui compenſatione vtitur in re diuerſæ ſpeciei, rem ſibi debitam aliter ſine iactura recuperare nō poſſet, quia tunc poteſt ſibi conſulere omni modo, quo poteſt, nec debitor poteſt eſſe rationabilitèr inuitus de tali detentione, ſicuti non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus de ſolutione debita, quam cum alitèr præſtare non poſſit, aut nonniſi difficilitèr cum iactura creditoris eiuſdem, non debet conqueri, quod creditor ſibi conſulat per illam detentionem ad euitandum periculum non ſolutionis, aut incommoda in ſolutione perquirenda. 4 Excipe niſi creditor non poſſet aliter ſatisfieri.

Aſſertio III. Creditor, quoad rem apud ſe depoſitam, vel ſibi commodatam à debitore

Digitized by Google

5 bitore in foro externo non poteſt facere compenſationem, benè tamen in foro cōſcientiæ, quando non ſuppetit alia ratio debiti obtinendi, vel non niſi difficilis, & cum ſumptibus. Quoad primam partem eſt communis, quoad ſecundam, ipſam ſuſtinent *Nauarrus c. 17. num. 115., Emanuel Sà verb. depoſitum C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 12. verſ. ſed quæri poteſt, Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 27. dub. 4. num. 16., & alij magis communitèr.*

Creditor, quoad rē apud ſe depoſitā, vel ſibi cōmodatā, nō poteſt facere cōpenſationem.

Prima pars clarè colligitur *ex c. bona fides de depoſito*, in quo eſt ſingulare priuilegium pro huiuſmodi rebus depoſitis, & congrua quidem ratione hoc priuilegium videtur inductum proptèr fidelitatem ſcilicet, cum res ſoli fidei depoſitarij committatur, & quamuis hæc videantur ſpecialitèr diſpoſita de depoſito, non incongrua tamen ratione videntur poſſe etiam extendi ad res commodatas, quidquid ex aduerſo dixerit *Medina loco cit.*, quandoquidem illæ non ſolum committuntur fidei commodatarij, ſed etiam ipſius commoditati, & vſui, & fortiùs videtur obligare ipſum commodatarium commodatum, quam depoſitarium depoſitum, quãdòquidem magis obligatur quis pro eo, quod datum eſt in ipſius gratiam, & commoditatem, quam id, quod datum, & acceptum eſt in alterius commodum.

Ob ſingulare priuilegiū iuris

Secunda pars ex eo liquet, quia de iure naturæ, & gentium poteſt quis ſibi de qualibet re alterius ſatisfacere, quando aliter, vel non niſi maxima cum difficultate poteſt ſatisfieri, ergo in ea hypotheſi non obſtantibus iuribus poſitiuis poterit creditor etiam in depoſito, & commodato facere compenſationem, nec arbitrandum eſt, quod in hoc caſu iura poſitiua voluerint creditorem ſuo iure priuare in ordine ad conſequendum creditum; quia hoc eſſet eiſdem noxium, & commodum inferret debitori, ne teneretur ſatisfacere; poſſet enim bona ſua deponere apud creditorem. Commendarem tunc in hoc maximè doctrinam *Silueſtri verb. compenſatio num. 3., & Panormitani apud eundem*, quod creditor in eo caſu non vteretur cōpenſatione directa, ſed dumtaxat indirecta, quatenus ſcilicèt ſibi detineret rem
6 depoſitam, vel commodatam, donec à debitore fiat ſolutio ipſius crediti.

Conditiones requiſitæ ad licitam cōpenſationem.

Aſſertio IV. Ad hoc vt compenſatio tacita iuſtè, & legitimè fiat, plures requiruntur conditiones, quas mox ſubdo.

Prima eſt, vt ex compenſatione non
7 ſequatur graue damnum debitori, aut alicui alteri; ex primo capite tenetur creditor in compenſatione accipere tantum id, quod ipſi debetur, & vtique ad æqualitatem, ſi etenim acciperet ſupra debitum teneretur exceſſum reſtituere; item procurare, quod debitor iterum non ſoluat, & ſi ſoluerit, tenetur eidem reſtituere, quod iterato ſoluit; ex ſecundo capite tenetur ſaltem ex charitate compenſationem omittere, ſi ex tali compenſatione ſit alicui alteri imputandum furtum, & hic alter puniendus, & ad reſtitutionem compellendus.

Primo, vt nō ſequatur graue damnum debitori, vel alteri.

Secunda, vt creditum ſit liquidum, & 8
certum; ex vulgatis enim iuribus liquidi ad illiquidum, vel è contra non datur compenſatio; hac eadem ratione requiritur, quod creditum ſit actu, non ſolum in potentia, quia non eſt coæquatio iuſta, & legitima, vt quis aliquid actu accipiat pro credito, quod non habet actu, ſed tantum in potentia, de qua conditione latè agit *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 12. vers. quæri 2. poteſt*.

Secundo, vt creditū ſit liquidū.

Tertia eſt, vt id, quod creditor accipit 9
in compenſationem, ſit ſui debitoris, non alienum, nam ſicuti ipſe debitor non potuit rem alienam creditori exhibere pro ſolutione ſui debiti, ita nec ipſe creditor ex ſe potuit illud in compenſationem iuſtè, & legitimè accipere; hac ratione non poteſt accipere creditor rem locatam, commodatam ſuo debitori, vel rem apud ipſum depoſitam.

Tertio, vt id, quod accipit creditor ſit ſui debitoris.

Quarta, vt pro debito non ſoluendo,
niſi pro certo, & determinato tempore 10
non fiat compenſatio antecedentèr ad illud tempus, quia ſicuti creditor non habet ius ad repetendum creditum, niſi pro illo tempore, ita non niſi pro illo tempore poteſt vti compenſatione, & ſi antecedentèr hoc fecerit, tenetur ad omne intereſſe, quod indè ceſſerit ipſi debitori; Excipiendum tamen eſt in caſu, de quo infra, niſi ſcilicèt periculum eſſet, quod pro tempore, quo reſtitutio eſſet facienda, non poſſet creditor illam conſequi.

Quarto, vt fiat pro debito tūc ſoluendo.

Aſſertio V. Si debitum vnius ſit reale,
puta ex reali mutuatione, & debitū alte- 11
rius ex promiſſione etiam iuramento firmata; vt ſi tu debeas mihi centum, quæ tibi mutuaui, & ego tibi promiſſerim centum, & promiſſionem iuramento firmauerim, quandoque quoad illa debita fieri poteſt compenſatio, quandoque non. Ita ſentit *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 12. verſ. reſpondetur Petrus à Nauarra lib. 3. de reſt. c. 1. n. 393.*

Si vnum debitū ſit reale, alterum ex promiſſione, quandoq; licitè fit compenſatio quãdoque non.

Pro cuius aſſertionis clara intelligentia
recurrendum eſt ad mentem, & intentionē
promittentis illa centum ſub iuramento; 12
vel etenim promittens ſub illo iuramēto intendit in illa promiſſione ſe obligare, & ſciens promiſſarium ſibi tantumdem ex cauſa reali debere abſolutè, & cathegoricè iurauit illa dare nihil penitus intendens

Aſſignatur quādo ſit licita, & quando non.

Digitized by Google

de remiſſione debiti; vel in illa promiſſione, & iuramento non intendit determinatè conferre illa centum, ſed quodamodo in genere facere promiſſario ſuo debitori gratiam centum. Iuxtà primum ſenſum non eſt certe locus compenſationi, prout notat rectè *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 12. verſ. reſpondetur*. Ratio eſt, quia iuramentum de re licita factum eſt adimplendum de iure Diuino, nec obſtat, quod promiſſarius tantumdem teneatur iuranti ex alia cauſa perſoluere, non obſtat, inquam, quia iuramentum debet adimpleri, quando eſt de re licita iuxtà intentionem iurantis, qui ex quo iurauit non referens iuramentum ad remiſſionem illius debiti, ſed ad aliquid effectiuè dandum, tenetur illud conferre; atq; ad hoc plurimum cōferre poteſt, textus *in c. debitores de iure iur.*, vbi dicitur, quod mutuatarius, qui iurauit vſuras mutuanti perſoluere teneatur ratione iuramenti illas perſoluere non obſtante, quod ipſe mutuans teneatur ipſi mutuatario eaſdem reſtituere. Iuxtà ſecundum ſenſum arbitror locum eſſe cōpenſationi, quandoquidem promiſſio, & iuramentum in illa compenſatione intelligitur perfectè completum; quandoquidem iuxtà mentem promittentis, & iurantis eo præcisè tendit, vt gratiam faciat promiſſario de quantitate centum, quod vtique præſtatur in illa remiſſione crediti de centum.

Hic ſolum videtur eſſe aliqua difficultas, quod illa centum promiſſa ſub iuramento à creditore videantur tantum eſſe debita ex fidelitate, & Religione ratione iuramenti, quæ propterea non videntur poſſe venire in compenſatione cum alia re debita ex iuſtitia, puta ex reali mutuatione, vnde in hoc caſu ſpecialitèr debitor non poſſit compenſare debitum ex iuſtitia, quo premitur ex mutuo cum credito, quod habet ex illa promiſſione iuramento firmata. Sed parum negotij faceſcit hæc difficultas, quandoquidem, vt benè notat *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. num. 192.*, *& ſeqq.* ad ritè conſtituendam compenſationem ſufficit, quod debitum, pro quo facienda eſt compenſatio, ſit debitum ex lege, & præcepto, ſiue iuſtitię, ſiue charitatis, ſiue Religionis, ſiue alterius virtutis, ita vt debens in conſcientia teneatur ad debitum ſoluendum, ſeu adimplendum; vnde ad ſummum poteſt ratio dubitandi ex aduerſo procedere, quando debitum eſt ſolummodo morale, antidorale, & gratitudinis, ad quod non poteſt eſſe actio, non autem quando debitum eſt legale, quia tunc poteſt ad illud eſſe actio.

Quandonam illa centū promiſsa intelligūtur tātum debita ex promiſsione.

Aſſertio VI. Quando vtrumque debitum eſt reale, hoc eſt procedens ex contractu reali, & alter tantum iurat ſe ſuum debitum ſoluturum, tunc etiam iuxta intentionem iurantis poteſt eſſe, vel non eſſe locus compenſationi *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 12. verſ. ad ſecundum caſum*. 13

Quando vtrumque debitū eſt reale, & vnus iurauit de ſolutione quandoq; licita ſit compenſatio, quandoq; non.

Expendo aſſertionem per explicationem vtriuſque partis iuxtà ſupradicta; vel etenim debitor ex cauſa reali iurans ſe ſoluturum ſuum debitum iurat abſolutè, & chategoricè iuxtà dicta in præcodenti aſſertione, & tunc non eſt locus compenſationi, quia iuramentum abſolutè adimplendum eſt, cum ſit de re ſecundum ſe licita, nec ex aliqua circunſtantia vitietur; vel debitor iurans ſe ſoluturum intendit, ſolummodo velle ſe adimplere promiſſum, quoquomodo, ita vt tamen per illam promiſſionem iuramento firmatam, non intendat cedere iuri compenſationis, & tunc non videtur eſſe ratio, quæ excludat ius compenſationis.

Aſſertio VII. Legatarius ex teſtamento minus ſolemni, ſi hæres non vult legatum ſoluere, poteſt oculta compenſatione vti *Comitolus lib. 7. q. 8.*, *Filliucius qq. mor. tom. 2. tract. 34. c. 7. num. 150.*, *Molfeſius in ſumma tom. 2. tract. 13. c. 2. num. 147.*, *Hombonus part. 1. tract. 7. c. 19. q. 188.*, *Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 2. tract. 14. nu. 10.*, *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 81.*, *Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 15. c. 7. ſect. 1. num. 105.* 14

Legatarius ex teſtamento minus ſolemni renuēte hærede ſoluere poteſt vti tacita compēſatione.

Rationem ex eo deduco, quia cōſtante de mente teſtatoris, non eſt, cur legatum, quantumuis in teſtamento minus ſolemni relictum non debeat tenere, ſiquidem teſtamenta vim ſortiuntur præcisè ex mente teſtatoris, & iura diſponunt præcisè ſolemnitates in teſtamento ſeruandas ad finem euitandi fraudes, quæ inde poſſunt contingere, ergo vbi conſtiterit de mente certa, & determinata teſtatoris, & re vera huiuſmodi fraudes non interceſſerint, legatum plenam vim habebit, & ius tribuet legatario illud conſequendi, vbi autem plenum ius eſt in legatario conſequendi legatum, non eſt cur, ſi hæres renuerit, non poſſit illud conſequi per tacitam compenſationem.

Aſſertio VIII. Quando adhuc reſpectu debitoris non cedit dies ſolutionis, & creditor rationabiliter timet, quod pro tempore eiuſdem ſolutionis debitor ipſe non erit ſoluendo, vel non ſoluturus, poteſt iuſtè anticipatè compenſatione vti. *Tannerus in 2. 2. diſp. 4. dub. 14. num 406.*, *Diana part. 2. tract. 16. reſ. 46. in fin.* 15

Non cedente die ſolutionis quando creditor iuſtè timet debitorem nō ſoluturū ſuo tēpore poteſt anticipatè vti cōpēſatione.

Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis creditum ſit ad determinatum tempus alligatum, in quantum ad effectum ſolutionis, denegari temen non poteſt, quin ſit verum creditum, & reale,

ergo,

Digitized by Google

ergo, vbi non eſt ſpes, quod pro tempore ſolutionis ſit ſoluendum, poterit creditor anticipatè per compenſationem ſibi ſatisfacere retinendo rem ſui debitoris. Conſequentia probatur, quia vnuſquiſq; quoad ſuum ius reale poteſt ſibi conſulere, & ius illud reale, quod habet, debet præualere illi modico incommodo, quod reſultare poteſt debitori ex illa anticipata compenſatione, ſiquidem non accipiendo creditor amitteret ius ſuum reale, accipiendo verò anticipatè ſolum præiudicat debitori in tempore, non in re ipſa, quam debet.

16 Intereſſe, ſi quod ex illo tẽpore emergeret debitori, compẽſandum eſt per creditorem.

Hoc tamen vnum monendum cenſeo, quod, ſi ex illa anticipatione aliquod intereſſe ceſſaret debitori pro illo tempore anticipato, teneretur creditor illud eidem compenſare; quod contingeret, ſi res illa, quam creditor accepit in anticipatam compenſationem, eſſet fructifera, vel naturalitèr, vel ciuilitèr, quia ex vna parte ſatis ſibi conſuleret rem illam retinendo in illo periculo futuræ amiſſionis, ex altera non debet ſibi conſulere pro tempore, pro quo ius non habet cum præiudicio debitoris, qui non debet perpeti illud damnum in fructibus, ſiue naturalibus, ſiue ciuilibus pro illo tempore, pro quo ex conuentione non tenetur ſoluere; Si verò ex illa anticipatione nullum intereſſe cederet debitori, arbitrarer tutius eſſe in illo periculo, ſi creditor vteretur compenſatione indirecta, quatenus detineret rem debitoris, donec ceſſerit dies ſolutionis, pro quo, ſi ſoluerit, reſtituat rem, quam detinuit, ſi verò non ſoluerit illam abſolutè detineat inſolutum.

17 Nõ ſubijcitur excommunicationi latæ contrà detinentes res alienas, qui detinẽt titulo compenſationis.

Aſſertio IX. Si lata fuerit excommunicatio aduerſus eos, qui clam detinent res alienas, eidem non ſubijciuntur illi, qui occulta vſi ſunt compenſatione, dummodo ſeruauerint conditiones, de quibus nos ſupra *Nauarrus in manual. c. 17. nu. 114., Angelus verb. furtum q. 41., Corduba in ſumma qu. 111., Medina C. de reb. reſtit. qu. 11. Silueſter verb. furtum q. 14.*

Ratio ex eo deducitur primò, quia excommunicatio illa intelligenda eſt contra iniuſtè detinentes, cæteroqui iniuſta eſſet excommunicatio lata, quæ non poteſt eſſe, niſi aduerſus delinquentes, ſed ille, qui vſus eſt tacita, & occulta compẽſatione concurrentibus illis conditionibus, de quibus ſupra, non iniuſtè detinet, nec eſt delinquens, ergo non afficitur illa excommunicatione, etiam ſi non manifeſtauerit illam occultam detentionem, ſecundo, quia illa excommunicatio intelligitur lata contrà detinentes occultè, & non manifeſtantes res alienas, ſed illa res, quam detinet creditor in compenſationem ſui crediti, non eſt aliena, ſed ſua, quandòquidem per illam compenſationem acquiſiuit ius, & dominium illius, ergo &c. atque hanc ſententiam præter citatos ſuſtinet etiam *Raynaudus de monit. part. prima c. 2. q. 6., Diana part. 5. tract. 13. reſol. 79.*

Hic excitant DD. difficultatem, an, ſi in commmunatorijs excommunicationis contrà detinentes occultè res alienas, & non reuelantes addita fuerit clauſula *etiamſi in compenſationem occultam accepiſſet*, teneretur ille, qui occulta vſus eſt compenſatione, illam detegere ad euitandam pænam eiuſdem excommunicationis. Sed abſolutè ſentiendum eſt etiam in hac ſuppoſitione, eum, qui ſic vſus eſt compenſatione, non teneri illam detegere, & non ligari illa excommunicationis pæna *Petrus a Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. n. 402.* quibus non aduerſantur DD. pro aſſertione allegati. Ratio eſt primò, quia illa comminatio excommunicationis inuoluit intolerabilem errorem, quod ſcilicèt res illa, quæ venit in compenſationem, ſit eius, in cuius fauorem lata eſt comminatio excommunicationis, cum facta ſit propria ipſius compenſantis; Secundo, quia imponit pænam, & vtique grauem, qualis eſt pæna excommunicationis aduerſus eum, qui non deliquit. 18 Etiam ſi in cõminatoria addita fuerit clauſula, *etiam ſi detineant in compenſatione occultam.*

19 Quid verò ſentiẽdum ſit, quãdo cõpenſatio nõ habet omnes cõditiones requiſitas.

Maior difficultas circa hoc eſt, an, ſi in illa compenſatione tacita deſint aliquę conditiones requiſitæ, de quibus ſupra ex vi illius excommunicationis comminatæ aduerſus eos, qui res alienas detinent etiam cum clauſula, *ſi per occultam compenſationem detineant*, teneatur ille, qui occulta vſus eſt compenſatione, res illas propallare, ſeu manifeſtare? Silueſter *verbo furtum q. 15., Corduba in ſumma qu. 111., Medina C. de reb. reſtit. q. 11., & alij* arbitrantur in hac hypotheſi compenſationis illicitæ, ſeu deficientis à debitis conditionibus ligari creditorem, qui vſus eſt illa tacita compenſatione, illa excommunicatione, ſi non reuelauerit. Petrus vero *à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 1. nu. 404.* etiam in hac compenſatione illicita ob defectum alicuius conditionis requiſitæ procedit cum diſtinctione; vel etenim illicita eſt illa compenſatio ob defectum conditionis, quæ confert ad iniuſtitiam, ſiue quia fuit nimia, & ſupra æqualitatem debitam, & iuxtà hunc ſenſum arbitratur ligari excommunicatione illum, qui vſus eſt tali compenſatione, & non manifeſtat vrgente illa comminatione; vel illicita eſt, quia creditor vſus eſt compenſatione clam, & propria auctoritate, cum de facili poſſet ſuum creditum conſequi auctore iudice, vel ipſo debi-

debitore conſentiente, ſi ab ipſo petijſſet; & iuxtà hunc ſenſum arbitretur non ligari tali excommunicatione. Rationem primæ partis ex eo adducit, quia excommunicatio non intelligitur lata ob peccatum præteritum, ſed ob contumaciam de futuro, vt delinquens reſipiſcat, cuius veritatis ſignum eſt, vt ipſe inquit, quia, ſi quis excommunicatur propter furtum præteritum, & pro tempore litterarum pœnituit nullo pacto comprehenditur ſub excommunicatione illa, ergo excommunicatio non eſt, quia iniuſtè ſe compenſauit, ſed quia non reſtituit, ſeu retinet contra conſcientiam; hoc autem optimè locum habet, quando qui vſus eſt compenſatione, accepit ſupra debitam æqualitatem ad id, ad quod ius habebat, vel creditum incertum pro certo compenſauit, quia tunc tenetur ex conſcientia, & iuſtitia exceſſum reſtituere, vel totum, ſi debitum ipſius erat incertum, & quoad hoc poteſt eſſe contumacia, quam euellere intendit illa excommunicatio. Rationem verò ſecundæ partis ex eo deducit, quia ille, qui ſic illicitè compenſauit, peccauit quidem accipiendo contrà iuris ordinem, non autem peccat retinendo, & non reſtituendo, quia retinet id, quod omni iure ſibi debitum eſt, ergo excommunicatio, quæ reſpicit contumaciam de futuro illum non poteſt afficere.

20 *Emphytheuta ob canonem non ſolutū ſuo tēpore, qui decidit in commiſſū poteſt eximi ratione cōpenſationis.*

Aſſertio X. Emphytheuta, qui ob canonem non ſolutum per biennium quoad bona Eccleſiaſtica, vel per triennium quoad communia decideret in commiſſum, a pena commiſſi eximitur ratione compenſationis, ſi habeat aduerſus Dominum directum creditum, ſeu ius æquiualens eidem canoni per triennium, vel biennium reſpectiuè debito. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 408., Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 12. verſ. ex dictis ſoluitur illa quæſtio.*

Ratio ex eo deducitur, quia pæna eſſe non poteſt, vbi non eſt delictum, ſed per non ſolutionem canonis per biennium pro bonis Eccleſiaſticis emphytheuticis, & per triennium pro bonis communibus emphytheuticis Emphytheuta non committit delictum, ſiquidem, ſi Dominus directus agat ex cauſa non ſoluti canonis, emphytheuta poteſt excipere de credito, quod habet aduerſus eundem Dominum agentem, ergo &c.

21 *Et hoc ſufficit pro vtroque foro.*

Solum hic diſputant DD., an ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, æquè intelligenda ſint pro foro interno animæ, & pro foro externo. Nonnulli arbitrantur fortè pro foro externo requiri, vt emphytheuta ante elapſum biennium, vel triennium compenſationem opponat. Sed pro vtroque foro ego probabilius arbitror ſufficere, quod emphytheuta iuſtum habeat titulum compenſationis, ſeu creditum in tanto, in quanto poſſit coæquare creditum Domini pro canone non ſoluto. Ratio ex eo deducitur, quia pro foro interno inter vtrumque ſaluatur æqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam; pro foro verò externo, ſi Dominus opponat non ſolutionem canonis, emphytheuta poteſt excipere id, quod ipſi à Domino debetur, adeòque &c.

Aſſertio XI. Famuli domeſtici, qui conuentione determinata conducti ſunt, non poſſunt titulo compenſationis extendere manus vltrà conuenta ex eo, quod ſibi præſumant plures operas, & maiora obſequia impendiſſe, quam exigat ſalarium conuentum. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 409.*, nec in hoc diu immorandum, quandoquidem SS. D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans in damnatione propoſitionum habita in generali Congregatione Sanctiſs. Romanæ Inquiſitionis fer. 2. die 5. menſis Martij 1679. inter alias damnauit propoſitionem illam, qua dicebatur licere famulis propter ſeruitia, quæ præſtent ſuper conſuetum titulo compenſationis aliquid tacitè accipere ſupra conuenta; & iure quidem merito inducta fuit illa damnatio, quia ſecus facilis aperiretur via eiſdem famulis ex propria auiditate, & facilitate, quam habere poſſunt, in rebus domeſticis, Dominos fraudandi. 22

Famuli domeſtici nequeunt vti tacita cōpēſatione prætextu maiorū obſequiorū.

Solum difficultas remanet in explicando, quando famulis ſtipendium taxatum non eſt à iure, vel per ſpeciales conuentiones, quomodo ſit taxandum, ne famuli ipſi ex propria auiditate titulo compenſationis plus ſibi vſurpent, quam par ſit. Sed hoc remittendum arbitror prudentis arbitrio, qui attenta qualitate ſeruitij, maiori, vel minori famulorum pro eo tempore, & loco concurrentium copia, & etiam conſuetudine loci diudicet, & arbitretur.

PRÆNOTIO XIII.

An remiſſio creditoris liberet debitorem à debito.

SVMMARIVM.

Ad eximendum debitorem à debito non eſt neceſſe, quod hic prius tradat debitum, vel offerat. 1.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 2.

Aſſignantur conditiones requiſitæ ad validam remiſſionem. 3.

Debet eſſe libera, & voluntaria. 4.

Digitized by Google

Vt creditor habeat poteſtatem remittendi. 5.
Vt non fiat in caſibus in iure exceptis. 6.
Alia de remiſſione remiſſiuè. 7.

VLtima ex cauſis, de quibus poteſt eſſe controuerſia, an ex parte creditoris excuſare poſſit debitorem ab onere reſtitutionis, eſt remiſſio, ſeu condonatio eiuſdem creditoris facta debitori, de qua vix aliquid in hoc loco remanet inquirendum, cum de ea fuſè egerimus in præcedentibus. Nihilominùs etiã aliquid hic de ea ad vberiorem doctrinam attingemus, & primò inquiremus, an ad hoc, vt huiuſmodi remiſſio ſit efficax ad liberandum debitorem ab onere reſtitutionis, requiratur, vt ipſe debitor rem debitam tradat creditori, & ipſe poſtea eidem debitori retribuat per donationem. Secundò, an requiratur ſaltem, quod eidem creditori offerat rem debitam, quam præſto habeat. Tertiò, an ſaltem requiratur, quod debitor ipſe ſit parati animi ad reſtituendum; Quarto, quænam conditiones tam ex parte eiuſdem creditoris, quam debitoris requirantur ad hoc, vt eadem remiſſio ſit valida, & efficax ad liberandum debitorem ab onere reſtitutionis.

Articuli examinandi circa titulum.

1 Ad eximendum debitorē à debito per remiſſionē non eſt neceſſe, quod debitor prius tradat debitum, vel offerat.

Aſſertio I. Non eſt neceſſe ad hoc, vt remiſſio facta per creditorem debitori ſit valida, & efficax ad eximendum eundem debitorem ab onere reſtitutionis, quod prius tradat rem debitam creditori, & deinde illam ab eodem recipiat titulo donationis, nec quod actu offerat eidem, nec quod tunc habeat animum paratum ad reſtituendum, ſed ſufficit, quod ipſe creditor ſponte, & libere remittat cum vero animo donandi. Conſentit *Medina C. de rebus reſt. q. 3. cauſ. 2. in principio*, nec diſſentiunt cæteri DD., dum abſolutè aſſerunt remiſſionem creditoris liberare debitorem, ſi creditor ſpontè, & libere remittat, & habeat poteſtatem remittendi, nec aliud requirunt ex parte debitoris *Caietanus verb. reſtitutio c. 7.*, *Coaruuias ad reg. peccatum part. 2. nu. 1.*, *Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 4.*, *Nauarrus in manual. c. 17. nu. 45.*

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur primò, quia, ſi creditor conſentiat, vt debitor rem ſibi debitam detineat per annũ, quantumuis ipſe debitor eandem non tradat, nec offerat creditori, poteſt legitimè, & iuſtè ipſe debitor per annum rem illam detinere, ergo etiam, ſi ipſe creditor per liberam, & ſpontaneam remiſſionem conſenſerit, quod debitor eandem ad ſemper retineat, poterit iuſtè, & legitimè retinere. Secundò, quia ipſe creditor, etiam ſi debitor rem ipſam, nec in effectu, nec in virtute hoc eſt, nec formalitèr, nec virtualitèr per oblationem ipſi non tradat, poteſt ius ad rem ſuam detentam apud debitorem in alium tertium abſolutè transferre per donationem, ergo etiam poterit abſolutè transferre in ipſum debitorem, cum non minus ſit capax ipſe debitor illius iuris, ac alius quicunq; Tertiò, quia tota iniquitas, quæ eſt in peccatis iniuſtitiæ, qua talia ſunt per alibi allegata, & probata, eſt penes inuoluntarietatem, quæ eſt in perſona læſa, ſed quando creditor per liberam remiſſionem conſentit, quod res ſibi debita pleno iure remaneat penes debitorem, nulla inuoluntarietas poteſt in ipſo conſiderari, ergo &c.

Rationes pro aſſertione.

2 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Nec obeſſe poſſunt motiua, quæ ex aduerſo afferri poſſunt, per quæ probetur, vel requiri traditionem factam à debitore creditori, vel ſaltem oblationem, quæ ſunt huiuſmodi videlicèt primo, quod res non diſſoluitur, niſi per cauſas, per quas naſcitur per generalem *reg. per quas cauſas de reg. iuris*, ſed obligatio reſtitutionis naſcitur ex actuali rei alienæ acceptione, ergo non diſſoluitur, niſi per actualem eiuſdem rei traditionem factam Domino. Secundo ex illo Auguſtini: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, ergo actu requiritur reſtitutio, antequam debitor poſſit tuto rem illam ex voluntate creditoris recipere, & retinere. Tertio *ex c. licet extrà de reſtit. ſpoliat.*, vbi dicitur, quod, quantumuis ſpoliatus iura ſua ſpolianti renuntiet, non propterea ſpolians immunis remaneat ab onere ſpolia reſtituendi; Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia in noſtro caſu verificatur, quod per eas cauſas, per quas naſcitur obligatio, eadem diſſoluatur, quandòquidem obligatio non conſurgit præciſè ex acceptione, ſed ex iniuſta acceptione, hoc eſt contrà voluntatem Domini, adeòque, ſi voluntas Domini poſtea accedat eadem obligatio diſſoluitur; non ſecundum deſumptum ex D. Auguſtino, quia dictum ipſius intelligendum eſt, *niſi reſtituatur ablatum, vel formalitèr, vel æquiualentèr*, vel fortè melius, *ſi res aliena detineatur iniuſtè, & non reſtituatur*, quod non euenit in præſenti, cum detineat ex voluntate, ſeu conſentiente Domino; cæterum, ſi prout verba ſonant, accipiendum eſſet dictum Auguſtini, detinens rem alienam, ſi habuerit veram de peccato pænitentiam cum firmo propoſito reſtituendi, quando poterit, vel oportuerit, non conſequeretur remiſſionem peccati, quod non eſt dicendum; Non tertium, quia textus ille procedit ex præſumptione, quod ſpoliatus verè, & ſponte non re-

remittat, quod non euenit in caſu, de quo loquimur, in quo ſupponitur vera, libera, & ſpontanea remiſſio ex parte creditoris.

Remanet hic ſoluendum ſolummodo argumentum deductum ad probandum, quod requiratur ſaltem oblatio debiti facta per debitorem creditori, quod eſt huiuſmodi. Remiſſio, ſi ſpontè non fiat, nec omninò liberè, non tenet, nec eſt vllius valoris, ſed quando per debitorem non fit creditori illa oblatio, remiſſio non præſumitur libera, eo quia, ſi pecunia in promptu offerretur, remiſſio probabilitèr ſaltem in toto non fieret, ergo &c. Sed hoc etiam argumentum facilè poteſt elidi, ſi aſſeratur, & ipſum inniti præſumptioni, ſecundum quam ſupponitur, quod ſi debitum offerretur creditori, hic non remitteret, ſed rem ſibi debitam acciperet; hic autem ſupponitur omninò libera, gratuita, plena, & ſpontanea remiſſio, adeòque &c.

3 *Aſſignantur conditiones requiſitæ ad validã remiſſionẽ.*

Aſſertio II. Ad validam remiſſionem, & efficacem ad liberandum debitorem ab onere reſtitutionis plures requiruntur conditiones quas enumero.

Prima eſt, *vt ſit omninò libera, & voluntaria*; tria autem ſunt teſte Ariſtotile, quę tollunt, vel minuunt rationem liberi, & voluntarij, ſcilicèt *vis, metus, & ignorantia*; vnde ex quocunque ex his tribus tollitur, vel minuitur voluntarietas in remittente tollitur, vel minuitur validitas in ipſa remiſſione.

4 *Debet eſſe libera, & volũtaria.*

Si igitur creditor inducatur primò per metum ad remittendum, non tenebit remiſſio, ſi tamen metus fuerit talis, & ita grauis, vt adimat libertatem; hoc contingeret, ſi expreſsè, vel implicitè debitor minaretur creditori graue damnum, niſi integrè, vel in parte debitum remitteret, vt ſi perſona præpotens, & auctoritate pollens, & aſſueta minas exequi, minaretur graues moleſtias perſonis mechanicis creditoribus ex famulatu, & ſimilibus, & iſtæ ad effugienda mala comminata credita eiſdem remitterent, non remiſſuri, ſi illæ minæ non interuenirent. Secundo, ſi per vim debitor compelleret ad remittendum, quod contingeret, ſi creditorem in certo loco includeret, donec &c. vel verberibus induceret &c. Tertio, ſi per ignorantiam remitteret, quatenus plenè non cognoſceret ius, quod habet, vel quod res non fuerit eidem expoſita, ſicuti eſt, vel aliter; tunc etenim deficeret voluntarium requiſitum ad legitimam remiſſionem, cum voluntarium ſine cognitione eius, quod fit, non poſſit ſubſiſtere.

Secunda eſt, *vt creditor, qui remittit, habeat poteſtatem remittendi*; defectu huius poteſtatis filius familias non poteſt remittere credita paterna, nec vxor bona mariti, nec etiam dotalia, quinimmo, nec filius familias bona propria ſine auctoritate Patris, ſi fuerit impubes &c.

5 *Vt creditor habeat poteſtatẽ remittẽdi.*

6 *Vt nõ fiat in caſibus à iure exceptis.*

Tertia, vt remiſſio *non fiat in caſibus à iure exceptis*, pro qua conditione aduerte multos caſus in iure excipi in quibus non poteſt fieri remiſſio eodem iure reluctante. Primus eſt in iudicibus, qui munera extorſerunt; his etenim non ſuffragatur remiſſio eorum, qui eadem contulerunt, prout decernitur *in c. ſtatutum de reſcriptis in 6.* Secundus eſt in viſitante, qui munera in actu viſitationis excepit, qui per remiſſionem partis non liberatur ab onere reſtitutionis, prout habetur *in c. exigit de cenſib. in 6.* Tertio in inquiſitore aliquid ſimilitèr occaſione officij extorquẽte, prout habetur *in clement. nolentes de hæret in 6.* Quarto in canonico, qui cum non reſederit, recepit diſtributiones; huic etenim non poteſt prodeſſe remiſſio cæterorum, quibus illę diſtributiones accreſcunt ex diſpoſitione *Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reformat.*

7 *Alia de remiſſione remiſſiuè.*

Reliqua, quæ pertinent ad huiuſmodi remiſſionem, ſeu condonationem creditoris in præcedentibus habita ſunt, ad quæ vos remitto.

DISQVISITIONES

Ad vniuerſas de reſtitutione III. prænotiones.

§. I.

Vtrum accipiens eleemoſinam ſimulata paupertate teneatur ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis exponitur. 1.
Sententia negans teneri reſtituere. 2.
Sententia aſſerens teneri reſtituere. 3.
Illa eleemoſina largitio facta ſimulanti paupertatem tenet non in fauorem ipſius, ſed aliorum. 4.
Quamuis non ſit pauper, ſit tamen in ſtatu proximo paupertatis, poteſt illud detinere. 5.

1 *Status diſquiſitionis expoſitus.*

Diſquiſitio I. Caius, cum re vera non eſſet pauper, nec indigens ſimulata paupertate acceſſit ad Sempronium diuitem, & iteratis precibus expoſitaque eidem graui inopia, qua opprimi indicauit ab

Digitized by Google

ab eodem titulo eleemoſinæ excepit nonnullos nummos aureos. Hic quæſitum fuit, an Caius id, quod accepit titulo eleemoſinæ propter paupertatem, quam ſimulauit, cum re vera non eſſet, teneatur reſtituere?

2 Sententia negans teneri reſtituere.

Negant *Caietanus in ſumma verb. reſtitutio, Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 3., Bartholomæus Medina lib. 1. ſumma c. 4. §. 35. fol. 189., Henricus Gandauenſis quodl. 14. q. 11.* quorum rationes hæ ſunt primò, quia ratio finalis, ob quam conceſſa fuit à Sempronio diuite illa eleemoſina, eſt charitas Dei, quam in ſuo conceptu habuit largitor talis eleemoſinæ, quæ æquè eſſe poteſt erga egenos verè, & realitèr, ac erga tales ſolum apparenter, ergo ſubſiſtente tali cauſa finali reſpectu largitoris, ſiue erga verè egenum, ſiue erga talem ſimulatè, ſubſiſtet largitio; Secundo, quia Sempronius diues liberalitèr, & gratuito omninò voluit conferre illam eleemoſinam, & ſine vlla penitus reſeruatione, ſeu reſtrictione, ergo, quantumvis non fuerit illa indigentia reſpectu Caij ſimulantis, & exigentis tenebit ex libera donatione Sempronij illa eleemoſina. Hoc exemplificat *Henricus Gandauenſis loc. cit.* in patre, qui exiſtimans relinquere hereditatem primogenito alium inſtituit non tamen extraneum, cum eſſet filius licet ſecundo, vel tertio genitus, vbi aſſerit tunc hæreditatem in illo ſecundo genito, vel tertio genito ſubſiſtere arg. eorum, quæ habentur Geneſ. 27., vbi benedictio impoſita ab Iſaac Iacob cum tamen arbitraretur illum eſſe Eſau filium ſuum primogenitum, non eſt irrita declarata.

Eiuſdē rationes.

3 Sententia aſſerēs teneri reſtituere.

Affirmant vero teneri reſtituere *Nauarrus in ſumma c. 17. n. 107., Medina C. de reb. reſtit. q. 2. vers. de eo, quod ſecundo, & C. de vſuris c. de vſur. reſtit. vers. his non obſtantibus, Adrianus in 4. tract. de reſtitutione, quæ incipit conſequenter quaro, Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. Gabriel in 4. diſt. 15. q. 4. concl. 7.* Rationem ex eo adducunt, quia, vbi paupertas eſt cauſa finalis elargiendi eleemoſinam, vbi illa non ſubſiſtit, nec eleemoſina tenet, quia ceſſante cauſa finali donationis non tenet donatio; tunc autē quid dicitur cauſa finalis alicuius actionis, quando cognito, quod diuerſimodè res ſe habeat, illa actio non poneretur. Quid igitur in hac controuerſia, & DD. diuiſione concludendum.

4 Tenet nō in fauorē ipſius, ſed aliorū egenorum.

Reſpondeo illam eleemoſinæ largitionem factam à Sempronio Caio ſimulantem paupertatem ſubſiſtere, non tamen in fauorem eiuſdem Caij, ſed aliorum vere indigentium. *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. à num. 303. ad num. 310.*, & per hanc reſponſionem conciliare arbitror vtramque opinionem ſupra relatam, quantumuis videantur extremè oppoſitæ.

Rationes pro prima parte.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illa largitio ex parte conferentis facta fuit animo omninò liberali, & ex charitate erga Deum, ergo propoſita illa indigentia, ob quam mouetur largiens propter Deum, qui eſt vltimatus finis eiuſdē largitionis, tenebit eadem largitio, nec officiet, quod in illa perſona, cui facta eſt eadem largitio, non ſit eadem qualitas indigentiæ, cum poſſit referri ad alium indigentem; purificata etenim cauſa principali, quæ eſt Dei charitas, ſeu erga Deum, minus principalis, quæ eſt ſubuentio pauperum, poteſt, vel in vnum, vel in alium referri, in quo verè ſit indigentia; & in hoc ſubſiſtit id, quod docet *Nauarrus in ſumma c. 17. n. 107.* nempè in illa largitione eleemoſinæ duplicem interuenire cauſam finalem, nempè charitatem erga Deum, & ſubuentionem erga pauperem, & ſic illa donatio, ſeu largitio, prout fit ex charitate Dei, tanquam ex cauſa finali tenet, licet non quoad proximum ſimulantem illam indigentiam, vnde ſic collata expendenda ſunt in ea, quæ ad Deum ſpectant, nempè in vſus pauperum vere indigentium, vel in alias cauſas pias, quæ veniunt nomine pauperum.

Rationes pro ſecunda.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ex quo liberalitèr dedit ex charitate erga Deum iam intelligitur quodamodo in ipſum Deum tranſtuliſſe ius illius rei, & per conſequens à ſe abdicaſſe dominium eiuſdem, ex quo autem illa largitio quodamodo imperata ſit à miſericordia non poteſt firmari in ipſo ſimulante, cum re vera ipſe indigens non ſit, nec obiectum miſericordiæ, ergo ex præſumpta mente Dei, & ipſius met largientis referri debet ad alios, qui vere ſint indigentes.

Soluitur aliqualis difficultas

Solum aliquid difficultatis hic remanet in eo, quod non ſemper eleemoſina procedat ex habitu ſupernaturali charitatis, cum etiam infideles, quandòque eleemoſinas largiantur, in quibus habitus ille charitatis non reperitur, qui propterea eaſdem ad Deum non referunt tanquam ad finem ſupernaturalem. Nihilominùs etiam ſiſtendo in noſtra reſponſione facile reſponderi poteſt, quod ſcilicèt etiam in hoc caſu attendendus eſt finis, vel etenim procedit ex virtute morali ideſt miſericordia naturali ad ſubueniendum pauperi in egeſtate conſtituto, & tunc vero indigenti erit eleemoſina illa tradenda excluſo ſimulatore, ſi ex alia virtute, puta ex naturali pietate erga parentes, tunc ſi ille, qui

Digitized by Google

accepit, non fuerit parens in alium vere parentem erit refundenda.

Pro complemento hic remanet dubitandum, an, ſi ille, qui paupertatem ſimulauit, cum re vera tunc talis non eſſet, ſit tamen in periculo proximo ad inopiam

5 Quantumuis actu nō ſit pauper, ſit tamē in ſtatu proximo paupertatis, poteſt illud detinere.

deueniendi, poſſit illud ſibi datum in eleemoſinam, cum paupertatē ſimularet, detinere ad ſubueniendum ſibi in illa proxima futura egeſtate. Qua in difficultate arbitror vtique poſſe detinere, quia qui eſt in ſtatu proximo paupertatis, moraliter habetur pro paupere, nec mens largientis præſumenda eſt remota, & aliena ab illa detentione; non tamen hoc extenderem, vſquequo extendit *Henricus Gandauenſis*, quod ſcilicèt poſſit detinere quouſq; ad ſenium deuenerit, vt in eodem poſſit ſibi conſulere, quia præſumitur, quod mens largientis reſpiciat dumtaxat egeſtatem præſentem, vel proximam, non autem adeo remotam.

---

§. II.

An vtens in extremo periculo re alterius, ſi res in illo vſu pereat, obliget vtentem ad reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus in particulari. 1.
Refertur ſententia Leſſij procedentis cum diſtinctione. 2.
Sententia abſolutè eximens ab onere reſtitutionis. 3.
Probabilius tenetur ad reſtitutionem æſtimationis equi, ſi perierit. 4.
In ſuppoſitione contrariæ ſententiæ eximentis ab onere reſtitutionis, non eximeretur ab onere contribuendi pro vſu illius equi, ſi vſus fuerit diuturnus. 5.

1 Expoſitio facti in caſu particulari.

DIſquiſitio II. Titius perſecutus ab hoſtibus inſectantibus ad necem, cum non poſſet aliter manus eorum euitare, equum, quem obuium habuit, accepit, in eoque inſidens concitato curſu aufugit. Equus in illa concitata fuga mortuus eſt. Hic orta eſt difficultas primo, an Titius obligetur ad compenſationem equi, qui interijt in illa fuga, verſus Dominum eiuſdem. Secundo ex ſuppoſitione, quod re vera non teneatur ab ſubſtantiam quoad equum ipſum, teneatur tamen ad compenſationem pro vſu ipſius.

Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. n. 10.* hac in re diſtinguit; vel enim dum inſecutus ab hoſtibus accipit equum alienum ad vitandum periculum, non aderat periculum interitus equi, vel tale periculum aderat; iuxtà primum ſenſum ſentit, non teneri ſoluere pretium eiuſdem equi, ſi perierit in fuga, quia ille interitus cenſetur fortuitus. Iuxta ſecundum verò ſenſum arbitratur teneri ſoluere pretium, & ea mouetur ratione, quia non maius ius competere poteſt vtenti, ac in eo caſu teneatur Dominus ipſi concedere, ſed Dominus non tenetur concedere ſine onere compenſationis, ſi equus ipſe perierit, ergo nec poteſt indigens illum accipere ſine illo onere; Dominus autem non præſumitur concedere ſine onere reſtitutionis, ergo &c.

2 Sententia Leſſij procedentis ſub diſtinctione.

Alij ex aduerſo videntur abſolutè aſſerere non teneri in ea hypotheſi ad reſtitutionem, inter quos videtur eſſe *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 383.* Rationem ex eo deducunt, quia non tenetur ratione rei acceptæ, cum amplius eadem non extet, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum in extrema illa neceſſitate licitum fuerit eidem accipere. Addunt, quod, ſi quis fame periret, & re neceſſaria alterius ad extinguendam famem vteretur, non teneretur poſtea pretium illius reſtituere, ergo etiam. Quid igitur in hoc caſu concludendum?

3 Sententia abſolutè eximēs ab onere reſtitutionis

Reſpondeo primo, probabilius eſt in ea hypotheſi teneri ad reſtitutionem æſtimationis equi, ſi perierit. In hoc conſentire videtur *Leſſius loc. quo ſupra*, & congruit cum ijs, quæ nos ſupra docuimus *ſub hoc eodem tit. de reſtit. 3. prænot. 1. aſſert. 5. in probat.* Ratio ex eo deducitur, quia in ea hypotheſi Dominus equi non ſupponitur conſentire, niſi ſub illo onere compenſationis, ſi equus ipſe perierit; non enim intelligitur abſolutè transferre dominium eiuſdem equi in vtentem, ſed dumtaxat commodare in illa neceſſitate, qua premitur, ergo, & ipſe vtens intelligitur accepiſſe in illa neceſſitate ſub illo onere, ergo, ſi equus tunc perierit, tenebitur ipſe vtens illius æſtimationem Domino compenſare. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt loc. cit., quia ſi quis in extrema neceſſitate rem alienam conſumpſerit in loco, in quo extremè indiget, habeat tamen alibi bona, tenetur poſtea rem illam, quam conſumpſit, Domino compenſare, item, ſi in extrema neceſſitate non pro loco, & tempore, ſed ſimplicitèr rem alterius acceperit, & per eius conſumptionem ſibi conſuluerit, tenetur tranſacta illa neceſſitate, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam, illius pretium Domino conferre per ea, quæ ſupra latè probauimus, ergo, cum in præſenti caſu vtens equo alieno non ſupponatur, niſi indigens pro loco, & tempore, ſi in

4 Probabilius tenetur ad reſtitutionē æſtimationis equi.

Rationes pro aſſertione.

illa

Digitized by Google

illa indigentia equum conſumpſerit, vel equus in illo vſu in vtilitatem ipſius perierit, tenebitur poſtea damnum Domino reparare per reſtitutionem æſtimationis eiuſdem equi, quinimmo etiam, ſi fuerit abſolutè indigens, & in illa indigentia conſumpſerit, tenebitur tranſacta neceſſitate reſtituere. Verum tamen eſt, hæc intelligenda eſſe, ſi equus ex illo vſu perierit, cum cæteroqui non eſſet periturus; ſi enim ſupponamus, quod cæteroqui equus ille tunc etiam independentèr ab illo vſu periiſſet, tunc certè non teneretur, quia per illum vſum non maius damnum Domino attuliſſet, ac eidem obueniſſet ſine illo.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, quod non teneatur ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis, vt præferebatur, teneatur tamen ratione cuiuſdam tacitæ obligationis iure gentium introductæ, qua qui rem alterius in neceſſitate conſumit, ſe tacite obligat ad rependendum, quando ſuppetet copia.

Reſpondeo ſecundo. In ſuppoſitione contrariæ ſententiæ, quod ſcilicèt eximeretur ab onere rependendi æſtimationem illius equi, qui in illa fuga perijt, non eximeretur tamen ab onere contribuendi pro vſu illius equi, ſi vſus fuerit diuturnus. *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 16. dub. 1. num.* 10. Ratio ex eo deducitur, quia, ſi equus in illa neceſſitate vtentis non perijſſet, teneretur ipſe vtens equum ipſum cum fructibus correſpondentibus illi vſui Domino reſtituere, ſeu contribuere, ergo, quantumuis perierit, & ratione illius interitus non teneretur vtens pro ipſa ſubſtantia equi illius æſtimationem conferre, tenebitur tamen conferre fructus, ſeu intereſſe pro illo vſu. Antecedens probatur, quia vtens non præſumitur accipere, niſi ad modum, quo cenſetur Dominus præſumptiuè conferre, ſed Dominus non cenſetur conferre, libere, ſed cum onere conferendi intereſſe pro illo vſu, quandòquidem intelligitur ſolummodo velle conferre indigenti, quantum exigit ipſius neceſſitas ſine præiudicio proprio, ergo &c. Conſequentia primi argumenti probatur, quia quotieſcunque ille vſus ſecundum ſe eſt meritorius lucri, ſeu intereſſe, parum referre poteſt, quod res perierit, vel non perierit.

5 In cõtraria ſentẽtia teneretur contribuere pro vſu illius equi, ſi fuerit diuturnus.

§. III.

An periclitans in mari, ſi ad vitandam mortem imminentem proiciat merces alienas, teneatur elapſo periculo reſtituere.

SVMMARIVM.

Expoſitio diſquiſitionis. 1.
Ratio dubitandi. 2.
Proijciens probabilius non teneretur tranſacto periculo ad reſtitutionem æſtimationis. 3.
Soluitur ratio dubitandi in principio propoſita. 4.

DIſquiſitio III. Nauigabat Caius in Hiſpaniam, cumque tempeſtas valida ingrueret, & nauigium nimijs mercibus premeretur cum certo periculo naufragij, niſi nauigium exoneraretur tot rebus, quibus opprimebatur, idem Caius alienas merces in mare proiecit, & ſic nauigium illud periculum euitauit. Quæſitum hic fuit, an tranſacto illo periculo Caius teneretur illarum mercium æſtimationem Domino conferre?

1 Caſus elucidatur.

Videtur prima fronte dicendum, quod Caius teneatur verſus Dominum ad illarum mercium æſtimationem argumento deducto ex ijs, quæ ſupra dicebantur, nempè, quod, qui res alienas accipit in extrema, vel graui neceſſitate, eadem neceſſitate trãſacta, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, teneatur, vel illas res, ſi extent, vel illarum æſtimationem, ſi nõ extent amplius reſtituere, cum Dominus illarum rerum non teneatur concedere, niſi quatenus ſunt neceſſariæ ad ſubleuandam illam neceſſitatem, ergo etiam in præſenti hypotheſi proiciens illas merces in illa neceſſitate, tenebitur illa tranſacta Domino illarum æſtimationem conferre, cum Dominus non teneatur abſolutè concedere, ſed ad illum vſum dumtaxat, & pro illa neceſſitate. Nihilominùs

2 Ratio dubitãdi exponitur.

Reſpondeo, probabilius eſſe Caium, qui in ea neceſſitate proiecit, non teneri tranſacto periculo ad æſtimationem illarum mercium proiectarum *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſ. 1. verſ. 2. homines exiſtentes in naui, Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n.* 380., qui expreſſis verbis aſſerit ſe nullum vidiſſe, qui contrariam ſententiam ſuſtineat.

3 Probabilius nõ teneatur trãſacto periculo ad reſtitutionẽ æſtimationis.

Expreſsè deducitur *ex l. 1. §. cum in eadem naui ff. ad leg. Rhodiam*; ſed difficultas modo conſiſtit in acquirenda ratione

Digitized by Google

huius diſpoſitionis legalis. Omiſſis aliorum rationibus, quæ meo videri concludentes non ſunt, eam concludentiorem eſſe arbitror, quæ aſſerit, quod proijciens in ea hypotheſi id fecit, quod Dominus illarum mercium facere debuiſſet, ſi ibi adſtitiſſet, & ſi ipſe proieciſſet, non hoc præſtitiſſet cum animo redhibendi, ita ſi alius ab ipſo in tali neceſſitate proiecerit, non præſumitur Dominus, quod iuſtè habere poſſit animum repetendi. Addi etiam poteſt alia ratio conſiſtens in eo, quod, cum illud periculum Naufragij eſſet imminens, quantumuis merces illæ non fuiſſent proiectæ, ex tempeſtate perijſſent, adeòque &c. Addi poteſt ſecundo, quod, cum iure naturali vnuſquiſque poſſit repellere impedimenta propriæ ſalutis, & vitæ, poſſit illa, tanquam ſe aggredientia, impunè, & ſine aliquo onere remouere, quantumuis ex tali remotione ipſorum interitus oriatur, ea proportionali ratione, qua, ſi animal alienum me aggrederetur, poſſem illud interimere; quod non euenit, quando quis vtitur re aliena ad ſibi ſubueniendum in extrema neceſſitate, quæ non aggreditur ad interitum, ſed potius inſeruit ad eundem interitum remouendum.

Rationes ſuadentes reſponſionem.

Ex quibus poteris reſpondere ad argumentum, quod pro contraria parte affertur; dic etenim in primis, quod quoad res, quas qui conſumit in extrema neceſſitate, illæ alitèr non erant conſumendæ, ſi iſtè in neceſſitate non conſumpſiſſet, prout fuiſſent conſumendæ merces in naui exiſtentes, quantumuis ille non proieciſſet; vel dic, quod Dominus illarum mercium non potuit habere animum illas recuperandi, quandòquidem, ſi ipſe in naui extitiſſet, debuiſſet illas proicere.

4 *Soluitur ratio dubitandi in principio propoſita*

Hinc patet, quam labili innitantur fundamento, qui rationem explicantes illius textus *in l. 1. §. cum in eadem naui ff. ad leg. Rhod.* aſſerunt ex eo motiuo textum illum procedere, quod in extrema neceſſitate omnia ſint communia, & pleno iure transferantur in indigentem cum priuatione Dominorum; patet inquam, quia in primis hoc latè ſupra reiectum eſt. Deindè, ſi hoc verum eſſet, non teneretur etiam conſumens in extrema neceſſitate res alterius illas reſtituere, quantumuis eſſet ſolummodo indigens pro loco, & tempore, vel ſi erat indigens abſolutè deuenerit ad pinguiorem fortunam, quod eſt à veritate alienum.

Excluditur aliorũ fundamẽtum.

§. IV.

An qui citra extremam; vel grauem neceſſitatem iuxtà ſenſum ſupra expoſitum accipit res alienas Domino vidente, & non contradicente, teneatur ad illarum reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.

Si Dominus videat, & taceat ex timore, verecundia non eximitur accipiens ab onere reſtitutionis. 2.

Si Dominus taceat nulla cauſa remouente à loquendo probabilius accipiens eximitur à tali onere. 3.

In dubio, an taceat ex timore, vel alia ſimili cauſa, an vero quaſi condonans, præſumendum eſt pro timore. 4.

DIſquiſitio IV. Conſtitutus erat Antonius non quidem in extrema, nec in graui neceſſitate, tali ſcilicèt, quæ reſpicit bona, quæ natura fecit omnibus communia, ſed in aliqua neceſſitate minus arcta; Hic ex rebus Caij diuitis plura accepit, dum ipſe Caius videret, nec illi acceptioni contradiceret. Quæſitum hic fuit, an ex eo, quod Dominus vidit, & tacuit, eximatur Antonius accipiens ab onere reſtitutionis?

1 In quo ſenſu accipiẽdus ſit titulus.

Dixi, *ex eo quod vidit, & tacuit*, vt innuerem non procedere difficultatem ex cauſa inopiæ ipſius accipientis, quandòquidem ſuppono extrà extremam, & grauem neceſſitatem iuxtà terminos expoſitos, non licere accipere rem alienam, ſed præcisè ex eo, quod Dominus ex illa taciturnitate, & non repugnantia videatur conſentire illi acceptioni.

Reſpondeo primo, ſi Dominus videat, & taceat, ſeu non reluctetur illi acceptioni ex timore, verecundia, vel alia ſimili cauſa, accipiens non eximitur ab onere reſtitutionis. *Silueſter verb. furtum qu. 1., Nauarrus in ſumma c. 17. n. 4., Angelus verb. furtum qu. 8., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 378.*, qui omnes præcedentes citat. Rationem ex eo deduco primo, quia Dominus, qui videt, & tacet ex timore, & verecundia, non liberè, & voluntariè conſentit illi acceptioni, cum ſupponatur non fore taciturus, ſi timor ille, & verecundia non interuenirent, ergo abſolutè tenetur accipiens res illas ablatas reſtituere, quandòquidem ius aliquod in illis habere non poteſt, niſi dependentèr

2 Si Dominus taceat ex timore, & verecundia, accipiens nõ eximitur à reſtitutione.

Digitized by Google

tèr à voluntate Domini conſentientis, qui propterea, cum non conſentiat liberè, & plenè, non tribuit fundamentum accipienti illas res plenè, & ſine onere reſtitutionis ſibi accipiendi. Secundo, quia nullus titulus prodeſſe poteſt eidem accipienti illas res ſibi retinendi, niſi titulus liberæ donationis, & præſumptæ reſpectu Domini videntis, & tacentis, ſed hæc ratio nequit eidem prodeſſe, quando Dominus tacet, vel ex timore, vel ex verecundia, quia talis taciturnitas non eſt omninò libera, & per voluntatem Domini non liberam non transfertur dominiũ *Adrianus in 4. de reſtit. qu. 2. col. 4. verſ. ex quibus, & Nauarrus loc. cit. per not. in l. interpoſitas C. de tranſact. & l. metũ 1. & 2. ff. quod metus cauſa*, ergo &c. Hinc alibi docuimus, quod in ordine ad donationes plena libertas requiratur, adeò vt metus etiam citra cadentem in conſtantem virum, eandem irritam reddat.

3 Reſpondeo ſecundò. Si Dominus videat, & taceat nulla intercedente cauſa, quæ ipſum remoueat à loquendo, & opponendo probabilius eſt, quod accipiens eximatur ab onere reſtitutionis. Ità præter DD. præallegatos pro prima parte *Panormitanus in c. ſi quis de furt., Nauarrus c. 17. in manual. c. 4. & alij magis communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quod cum nulla ſit ratio tacendi, taciturnitas illa habetur pro implicita approbatione iuxtè illud, quod habet *Innocentius in c. error*, vbi dicit, quod *error, cui non reſiſtitur, approbatur*; ad quid enim acquieſcere illi acceptioni, cui poteſt reſiſtere, ſi intenderet illam reuocare? nec poteſt dici quid detrahi Domino inuito, quod ipſo vidente ſit, & tacente, cum poſſet nemine reluctante contradicere per textum *in l. inter nos ff. de furtis §. rectè, Panormitanus in d. c. ſi quis eod. tit.*

Si taceat nulla cauſa remouẽte à loquẽdo accipiẽs eximitur.

4 Reſpondeo tertiò. In dubio, quod Dominus videns, & tacens tacuerit, vel ex timore, & verecundia, vel alia ſimili cauſa, an verò ſine illis probabilius præſumendum eſt hoc præſtare ex timore, & verecundia, vel ex cauſa retrahente à loquendo, vel opponendo, niſi aliæ circunſtantiæ concurrant, quæ indicent liberũ conſenſum tacentis, & non opponentis. Ità *Nauarrus apud Petrum à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. n. 379. in fine*, hocque videtur haberi *in d. l. inter nos §. rectè ff. de furtis*. Ratio ex eo deducitur, quia nemo præſumitur donare, & libere cedere rebus ſuis, niſi expreſsè conſtet de eius mente, & libera intentione. Dixi, *niſi alia circunſtantiæ concurrant, quæ indicent ipſius liberam voluntatem*, quod potiſſimum eueniret, ſi ille, qui accipit, eſſet maxima familiaritate coniunctus cum ipſo Domino, & talis, vt ex nimia affectione ei Dominus concederet, ſi ab eodem res illæ peterentur, vel ſi ipſe Dominus eſſet talis, vt in rebus ſibi noxijs, & præiudicialibus non aſſueſcat tacere, ſed liberè alloquatur, & opponat, vel ſi Dominus res illas non curet, ſed quodamodo habeat pro derelictis, cum apud ipſum nulla in æſtimatione habeantur, vel ſi alia his ſimilia interueniant; in his enim, & ſimilibus caſibus præſumeretur, quod ipſe Dominus libere conſentiret, & propterea accipiens non teneretur reſtituere.

In dubio præſumẽdum eſt, quòd taceat ex timore &c.

Niſi aliæ circunſtantiæ pro libera condonatione cõcludãt.

---

§. V.

An ſubuenire extremè indigenti, vel grauitèr modo, quo ſupra ſit debitum iuſtitiæ, an verò charitatis præcisè.

SVMMARIVM.

Dilucidatur ratio, ſeu ſtatus diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens eſſe obligationem dumtaxat charitatis. 2.
Sententia aſſerens obligari ex iuſtitia non quidem rigorosè commutatiua, ſed ſubſidiaria. 3.
Non tenetur ex lege rigoroſa iuſtitiæ, ſed ex lege charitatis ſtrictioris, vtpotè imperatæ à lege naturæ. 4.
Soluuntur auctoritates pro contraria ſententia adductæ. 5.
Soluuntur rationes à Petro à Nauarra adductæ. 6.

1 Diſquiſitio V. Premebatur Caius maxima neceſſitate, quæ erat, vel extrema, vel grauis, eo modo, quo explicatum fuit ſupra de illa, quę reſpicit bona communia naturæ. Diuitem teneri eidem ſubuenire in tali hypotheſi præcipuè, ſi habeat nedum ſuperflua naturę, ſed etiam perſonæ, indubitatum eſt; & nos docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus 1. de contract. vt ſic Diſq. 1. §. 1. n. 4.*, vbi etiam docuimus teneri iure naturæ, ſeu naturalis pietatis. Sed, an teneatur ſolummodo lege charitatis, an verò rigoroſæ iuſtitiæ id eſt; quod in præſenti controuertitur.

Exponitur ſtatus cõtrouerſiæ.

2 Nonnulli arbitrantur apud *Petrum à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 1. num. 343.* eſſe dumtaxat obligationem charitatis, quandòquidem dare eleemoſinam etiam extremè indigenti eſt actus charitatis, & eo maioris, quo maior eſt indigentia illius, cui impartitur, & vtique merito charitatis priuaretur, ſi obligatione rigo-

Sententia ſolum cognoſcens obligationẽ ex charitate.

Digitized by Google

rigoroſæ iuſtitiæ teneretur; Deindè, ſi teneretur non ex lege charitatis, ſed rigoroſæ iuſtitiæ, ſi omitteret ſic grauitèr, vel extremè indigenti ſubuenire teneretur ex iuſtitia ad reſtitutionem eius, in quo non ſubuenit, quod non videtur dicendum. Atque hanc ſententiam ſuſtinent *Nauarrus in ſumma c. 24. n. 7., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1. ad quartum.*

Ex aduerſo alij ſuſtinent obligari ex iuſtitia non quidem rigoroſè commutatiua, ſed ſubſidiaria; inter quos
3 *D. Thomas de malo q. 13. art. 2. ad quartum, Caietanus 2. 2. q. 118. art. 4. ad ſecundum, Coaruuias lib. 3. var. c. 14. n. 5., Sarmientus de reddit. Eccleſ. part. 3. art. 4. n. 5. & alij.* Quid verò intelligant nomine iſtius iuſtitiæ ſubſidiariæ non explicant. Hanc ſuam opinionem probant primo ex illo *Eccleſ. 4. Eleemoſinas pauperis, ne defraudes*, vbi nota illam particulam *defraudes*, quæ importat negationem rei debitæ, non rei liberè erogandæ. Secundo ex illo D. Ambroſij. *Non minoris criminis eſt habenti tollere, quam cum poſſis, & abundans ſis indigentibus denegare*, vbi cum fiat comparatio ablationis rei alienæ, & non erogationis indigentibus faciendæ, cum quis poteſt, & abundans eſt, rectè inferri videtur, quod, ſi auferre alienum eſt peccatum contrà iuſtitiam, ità non erogare indigentibus, cum poſſit, & facultates ſuppetant, ſit peccatum contrà iuſtitiam. Tertio ex illo *Ioannis in epiſt. 1. c. 3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo?* Sed hoc D. Ioannis teſtimonium potius fauet contrariæ opinioni, vt patet conſideranti. Quarto *ex cap. ſicut hi diſt. 47.*, vbi ſic legitur. *Nemo dicat proprium, quod commune eſt, quod pluſquam ſufficeret ſumptui etiam violentèr obtentum eſt.*

Sententia afferens obligari ex iuſtitia ſubſidiaria.

Auctoritates pro eadem.

Alijs pluribus argumentis, & rationibus conatur *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 1. à n. 345. vſque ad 357.*, & primo, quia, quantumuis res, quæ de iure naturę erant omnibus communes, de iure gentium fuerint in diſtinctas perſonas diuiſæ, & factæ propriæ translato dominio in acquirentem, ità tamen ſunt diuiſæ, & factæ propriæ acquirentium, & apprehendentium, vt in alijs extrema neceſſitate exiſtente ſint ab eiſdem acquirentibus, ſeu apprehendentibus conferendæ; in diuiſione etenim rerum communium talis debuit ineſſe tacita conditio, vt iuſta eſſet, ne vergeret in perniciem iuris naturalis, ſecundum quod omnibus eſt ſubueniendum in rebus, quas natura fecit omnibus communes, ſeu pro hominibus ad ipſam naturam conſeruandam, ergo in extrema neceſſitate, ne dum natura, ſed etiam iuſtitia ſic ſuadente res illę ſunt erogandæ in ſubſidium eiuſdem naturæ deficientis in illis extremè indigentibus. Secundò, quia, ſi Antonius mihi in ſua vltima voluntate relinqueret poſſeſſionem ea adiecta conditione, & lege expreſſa, vt ſi Caius frater ipſius vergeret in inopiam, eidem neceſſaria in caſu talis inopiæ miniſtrarem ex fructibus illius poſſeſſionis, certe ſine vlla exceptione exiſtente illo caſu inopiæ in Caio fratre teſtatoris ego ex lege iuſtitiæ tenerer ex fructibus illius poſſeſſionis eidem conſulere, ergo etiam, cum ius gentium ità in diuiſione rerum diſpoſuerit, vt res fierent apprehendentium, & natura in rebus ipſis ab eiſdem apprehenſis indiderit, vt in caſu extremæ indigentiæ fratrum illis conferãtur ad ſubueniendum eorum inopiæ, non erit denegandum, quin illis debeantur ex lege iuſtitiæ. Tertio, quia creditore, & debitore exiſtente in extrema neceſſitate poteſt creditor ſibi retinere debitum, vt ſupra latè probauimus. Quærit iam idem Petrus à Nauarra, qua lege? Non meræ charitatis, quia ex generali regula ſub ea ratione quis poteſt accipere, qua alter tenetur dare, ſed in illa extrema neceſſitate creditor non tenetur dare ex lege charitatis, quia in æquali neceſſitate plus quis ſibi debet tribuere, quam alteri, ergo ex iuſtitia, quatenus in extrema neceſſitate res eſt æquè debitoris, ac creditoris, quinimmo fortiori iure ipſius debitoris propter poſſeſſionem, quam in illa re habet. Quarto, quia obligatio ſubueniendi extremè indigenti eſt obligatio debiti legalis, prout docet *D. Thomas 2. 2. qu. 118. art. 4. ad ſecundum*; debitum autem legale in acceptione, & conſeruatione diuitiarum importat obligationem iuſtitiæ, ergo &c.

Rationes Petri à Nauarra pro hac ſecunda opinione.

Reſpondeo, non teneri ex lege rigoroſæ iuſtitiæ, sed ex lege charitatis ſtrictioris à iure naturali præceptæ. 4
Medina C. de reb. reſtit. qu. 3. cauſa prima verſ. oppoſitum tamen videtur tenendum. Ad hanc reſponſionem probandam adduci poteſt textus *in prima Ioannis c. 3.*, qui fuit adductus pro parte aduerſa, nempè: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo quomodo charitas Dei erit in eo?* Vlterius euincitur ex expreſſa mente *D. Thomæ 2. 2. q. 32. art. 5.*, vbi cum prius dixerit in corpore articuli, quod *non omnis neceſſitas obliget ad præceptum, ſed illa ſola, ſine qua is, qui neceſſitatem patitur, ſuſtentari non poteſt*, poſtea ad quartum ſubdit *ſub pietate autem comprehenditur omnis eleemoſinarum largitio.* Tertio *ex cap. ſicut hi 47. diſt.*, vbi

Tenetur ex lege charitatis ſtrictioris à iure naturali præceptæ.

Digitized by Google

Rationes pro hac noſtra opinione. vbi dicitur, quod nec debitum legale, quo quis tenetur, & poteſt cogi à Iudice ad faciendas eleemoſinas, ſiue ad ſubueniendum extremam, vel grauem neceſſitatem patientis ſit debitum iuſtitiæ ſpecialis, ſed legibus charitatis, & miſericordiæ, prout exponit *Nauarrus tract. de reddit. Eccl. monit. 2. & in c. inter verba 11. qu. 3. concl. 6.*; Quarto ex ijs, quæ communitèr docent tum Theologi, tum iuris interpretes, quod ſcilicèt Pater non teneatur ex lege rigoroſæ iuſtitiæ alere filios, quantumuis poſſint cogi per Iudices ad eos alendos per textum *in l. ſi quis à liberis ff. de lib. agnoſcen.* Ibi - *Sed cum hæc res ex æquitate, & charitate ſanguinis deſcendet*, adeòque nec diues indigentes, niſi ex lege charitatis ex iure, & pietate naturali imperatæ. Quinto, quia, ſi diuites tenerentur ex lege rigoroſæ iuſtitiæ ſubuenire extremè indigentibus, ſi de facto non ſubuenerint, tenerentur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem, quod tamen non eſt dicendum, quia tranſacta illa neceſſitate, qua premuntur, nec ipſi indigentes ius habent, cum hoc dumtaxat illis proſit vrgente illa neceſſitate, nec diuites onus habeant ſubueniendi, & ſi quod eſt in ipſis, eſt dumtaxat pro tempore neceſſitatis eorum indigentium, ergo &c.

5 Soluũtur auctoritates pro oppoſita sẽtentia adductæ. Ad oppoſita nunc reſpondendum eſt; & primo ad illud *Eccleſiaſtici 4.* dicendum eſt, vel illum textum importare ſolum præceptum, ne quis eleemoſinas deſtinatas ad vſus pauperum ſibi vſurpet, & hoc quidem, ſi efficeret, nempè, ſi vſurparet vtique peccaret contra iuſtitiam, vel ſi importat præceptum efficiendi eleemoſinam, hocque concipiatur per ly, *Nedefraudes*, quod videtur importare debitum iuſtitiæ dicendum eſt, ly *defrandare* ſumi lato modo, prout reſpicit debitum quocunque modo, ſiue hoc proueniat ex iuſtitia, ſiue ex charitate, ſiue ex alio quocunque titulo, qua ratione etiam quis dicitur fraudari, quando rem non obtinet, cuius ſpem plurimam conceperat. Ad illud, quod primo loco affertur ex D. Ambroſio, dicendum eſt in primis D. Ambroſium per illam locutionem voluiſſe ſolum inferre vtrumq; illud crimen aliena ſcilicèt rapere, & extremè indigentibus denegare eſſe in eadem linea peccati læthalis, non tamen vtrumque eſſe contra eandem virtutem, deindè locutum eſſe non rigoroſè, ſed ſecundum quandam analogiam, & ſimilitudinem. Ad illud, quod refertur *ex l. ſicut hi diſt. 47.*, quod item eſt deſumptum ex D. Ambroſio, dicendum eſt per illud ſolum inferri, quod bona in extrema neceſſitate ſint communicanda, & ille qui non communicat ſuperflua ſumptibus proprijs, dicatur violentèr obtinere, quatenus contrà leges charitatis imperantis illam communicationem eidem charitati obſiſtit.

6 Soluuntur item rationes à Petro à Nauarra adductæ. Ad rationes, quæ ex Petro à Nauarra afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primum illam diuiſionem factam quidem fuiſſe de iure gentium cum illo onere de iure naturæ, vt in neceſſitate extrema eſſent communicanda indigentibus, non tamen per hoc ſequitur, quod inductum fuerit onus iuſtitiæ, quandòquidem ipſa natura, quæ in illa ſuppoſitione inclinat ad conferenda neceſſaria, non appropriat indigentibus, ſed ex naturali pietate præmouet ad conferendum, nec abſolutè tollit dominium à poſſeſſoribus, cæteroqui tenerentur conferre etiam ſine animo repetendi, ſi indigentes deuenerint ad pinguiorem fortunam, quod tamen eſt contrà rationem, & contrà ſuperius allegata, & probata; nec in hoc currit paritas de eo, qui reliquit alteri poſſeſſionem cum onere ex fructibus illius ſubueniendi fratri teſtatoris, ſi hic inciderit in inopiam; Non, inquam, currit paritas, quia, cum teſtator acquiſierit iuſto titulo dominiũ illius poſſeſſionis, & in rebus ſuis poſſit legem conſtituere, ſecundum quam legem hæres acquirit, tenetur hic ex onere iuſtitiæ, quod conſurgit ex illa diſpoſitione teſtatoris fructus illius poſſeſſionis diſponere iuxtà præſcripta eiuſdem; natura autem, quæ illi diuiſioni de iure gentium non reſiſtit, nec reſiſtit, non confert ius iuſtitiæ in indigentes, nec onus iuſtitiæ in diuitibus, ſed ſolummodo ex naturali pietate inclinat ad eiſdem indigentibus ſubueniendum, cæteroqui ipſa natura dominia transferret in pauperes ſuppoſita illa neceſſitate, quòd non videtur dicendum. Ad illud, quod ſubditur de creditore, & debitore in extrema neceſſitate exiſtentibus, dico, quod ius, quod habet creditor detinendi rem alteri debitam non proueniat ex iure iuſtitiæ, ſed ex iure naturæ, quod in eo caſu præualet cuicunque alteri iuri, nec in eo caſu conſideratur præſumptus animus creditoris, ſed naturalis pietas, quam quiſque debet habere potius erga ſe ipſum, quam erga alterum maximè ſtante actuali poſſeſſione. Ad vltimum tandem dico, quod non quodcunque debitum legale ſit obiectum rigoroſæ iuſtitiæ, nam, vt ſupra aſſerebam, leges iubent, vt cogantur per Iudices parentes alere filios, & è contra, nec tamen debitum alendi filios eſt debitum rigoroſæ iuſtitiæ, vt probat *Nauarrus tract. de reddit. Eccl q. 1. monit. 2.* per textum *in l. ſi quis à liberis ff. de lib. agnoſcend.* cuius etiam veritatis ſignum eſt, quod, ſi parentes

Digitized by Google

tes omittant pro aliquo tempore filios alere, non poſſint obligari pro illo tempore ad reſtitutionem aliquam, ſeu compenſationem; hocque ſpecialitèr exemplificat idem *Nauarrus loc. cit.* in præcepto, ſeu debito legali ſubueniendi indigentibus in extrema neceſſitate conſtitutis, quod aſſerit non eſſe inductiuum ſpecialis iuſtitiæ, ſed eſſe opus ſolummodo naturalis pietatis, & charitatis, quod probat *ex D. Thoma*, & *ex cap. ſicut hi diſt.* 47.

§. VI.

An exiſtente graui fame in terra habens frumenti copiam teneatur vicinis extrema famis neceſſitate laborantibus tradere, & an poſſit ceſſante neceſſitate repetere.

SVMMARIVM.

Factum dilucidatum in ſuis terminis. 1.
Si diſtribuerit cum expreſſa proteſtatione repetendi vtique tranſacta neceſſitate, poteſt repetere. 2.
Si diſtribuerit nulla facta proteſtatione, nec mentione repetitionis ex circunſtantijs coniectandum eſt, an diſtribuerit cum animo repetendi, vel animo liberali. 3.
Aſſignantur aliqua circunſtantiæ inducentes præſumptionem pro libera donatione, & aliæ pro animo repetendi. 4.

1 *Diſquiſitionis ſenſus expoſitus.* DIſquiſitio VI. Ob inopiam frumenti magna aderat fames in hac prouincia Mediolanenſi, ità vt plurimi perirent, Titius diues frumenti copiam in horreis reſeruatam habebat, vtque indigentibus conſuleret in tanta calamitatum ſerie, cum non haberent indigentes, vndè ſoluerent, in ſingulos ad ratam diſtribuit ſic ſuadente lege naturalis pietatis, & charitatis, prout teneri arbitror in tali rerum viciſſitudine, nec de hoc quæſtionem inſtituo. Quæro ſolummodo, an tranſacta huiuſmodi neceſſitate, & facta in eadem prouincia vbertate, poſſit idem Titius æſtimationem frumenti, quod erogauit in ſingulos, repetere?

Conſiderabilia circa titulũ. Hic pro ſolutione aduertendum eſt, an Titius in tali diſtributione pro tali tempore inopiæ proteſtatus fuerit, quod repetet ab eis pretium, ſi, & quando ſoluere poterunt, vel nihil penitus de tali repetitione dixerit, & ſi nihil dixerit, quid præſumendum ſit, an ſcilicèt diſtribuerit animo liberæ donationis, & gratuitæ eleemoſinæ, an verò titulo oneroſo ſaltem conditionatè, & cum animo repetendi.

Reſpondeo primò. Si diſtribuerit cum illa expreſſa proteſtatione repetendi, quando erunt ſoluendo, procul dubio ceſſante illa neceſſitate, & eiſdem indigentibus potentibus ſoluere poterit repetere æſtimationem eius, quod diſtribuit *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa prima vers. 2. ſi ſit fames in terra*, & in hoc communitèr conſentiunt. Expreſsè deducitur *ex l. Neſennius ff. de negot. geſt.*, *& ex l. alimenta C. eod. tit.*; & hoc ipſum ratio ſuadet, quandòquidem, cum quis ſubuenit alteri extremè indigenti nulla etiam facta mentione repetitionis, poteſt ab eodem, ſi in pinguiorem fortunam deuenerit, exigere æſtimationem rei, quam contulit in ſubſidium, ergo hoc à fortiori poterit præſtare, ſi contulerit cum expreſſa illa proteſtatione &c. 2 *Si diſtribuerit cũ expreſſa proteſtatione repetẽdi vtique poteſt repetere.*

Reſpondeo ſecundò. Si diſtribuerit nulla facta mentione repetitionis ex præſumpto animo diſtribuentis in illa diſtributione coniectandum eſt, an poſſit, vel non poſſit repetere, prout præſumitur, an libere, an verò cum animo repetendi diſtribuerit, quæ quidem præſumptio, ſeu ratio præſumendi deſumi poteſt ex qualitate, & conditione eiuſdem Domini diſtribuentis, ex modo diſtributionis, an ſcilicèt hoc præſtiterit minutim in ſingulos, an verò ſecundum conſiderabilem quantitatem; ex qualitate, & conditione perſonarum, in quas diſtribuit, an ſcilicèt diſtribuerit dumtaxat in pauperiores, an indiferenter in omnes; item ex annexis, puta, an notulam confecerit eorum, in quos diſtribuit, an verò diſtribuerit non acceptis nominibus eorum, qui receperunt; ex his etenim omnibus, vel collectim, vel diuſiunctim ſumptis poteſt fundari prudens iudicium reſolutionis præſentis reſponſionis, & quidem primò, ſi perſona diſtribuens ſit valde pia, & aſſueta in pias eleemoſinas ſua profundere, non incongruè præſumi poteſt, quod diſtribuerit ſine animo repetendi, ſed contulerit titulo liberalis eleemoſinæ; ſi verò nõ fuerit aſſueta huiuſmodi pijs eleemoſinis, tunc poteſt præſumi, nec irrationabilitèr, quod conſulerit animo repetendi, ſi illi, in quos contulit, in pinguiorem fortunam deuenerint; Hac ratione Epiſcopi, & Eccleſiæ Prælati diſtribuentes pauperibus tempore inopiæ præſumuntur diſtribuere animo liberali. Secundò, ſi diſtribuerit minutatim in ſingulis pauperibus, ſeu indigentibus non videtur habuiſſe animum repetendi, ſed liberalitèr contuliſſe; non enim præſumendum eſt, quod largitiones modicæ, quæ fiunt pauperibus, 3 *In dubio coniectãdum eſt, an libere diſtribuerit, an cũ animo repetendi.* 4 *Aſſignantur variæ circunſtãtiæ inducẽtes pro libera donatione, & aliæ inducentes animũ repetendi.*

bus,

Digitized by Google

bus, fiant alio animo, quam piæ, & liberalis eleemoſinæ, ſic enim fieri conſueuerunt; ſi verò nonnullis dumtaxat, & illis in magna quantitate præſumendum eſt, quod præcisè conſulere voluerit egeſtati illi vrgenti, adeòque cum animo poſtea repetendi, potiſſimum, ſi illi, quibus contulit, fuerint cęteroqui diuites, licet carerent frumento; ex quo etiam infertur, quod ex qualitate perſonarum, quibus illud frumentum collatum eſt, poſſit dignoſci animus conferentis, an fuerit cum intentione donandi, an ſolummodo mutuandi, & ad vſum pro illa egeſtate; ſi etenim fuerint pauperes, & tales, vt non ſit proxima ſpes, quod poſſint reſtituere, & tunc probabile eſt, quod contulerit animo non repetendi, cum illa ſpes remota, & exigua pro nihilo habeatur, ſi verò non fuerint tales, ſed dumtaxat pro loco, & tempore, & tunc poteſt eſſe præſumptio, quod contulerit pro illa dumtaxat egeſtate cum animo repetendi. Si tandem notulam, vel in libris rationum ſcripſerit eos, quibus contulit, non præſumitur abſolutè donaſſe, ſecus verò, ſi non ſcripſerit, nec notulam acceperit. In vniuerſum, quando non eſt facta mentio, nec proteſtatio repetitionis, niſi aliud interueniat, probabilius præſumerem pro animo non repetendi, quia, ſi voluiſſet, proteſtatus fuiſſet, & ex alio capite ſimiles diſtributiones in ſimilibus caſibus fiunt liberalitèr.

§. VII.

An qui bonis cedit, teneatur præſtare cautionem de integrè ſatisfaciendo creditoribus, ſi pinguior poſtea fiat.

SVMMARIVM.

Expoſitio tituli propoſiti in caſu particulari. 1.
Probabilius debet præſtare illam cautionem. 2.
Sufficit, quod illa cautio ſit iuratoria. 3.

1 *Expoſitio tituli, in ſuis terminis.* DIſquiſitio VII. Dictum fuit in precedentibus, quod debitor, qui non eſt omnibus ſoluendo ad effugiendum carcerem, & vt poſſit retinere, ne egeat ad tenuiter viuendum, ſi cedat bonis, liberetur, ne poſſit in carcerem tradi, neue omnibus priuetur, ſed poſſit tenere, ne egeat. Modo quæritur, an, vt poſſit gaudere tali beneficio, teneatur eidem creditori, vel Iudici, in cuius manus, ſi creditor non adſit, poteſt cedere, præſtare cautionem, & quamnam integrè omnibus ſatisfaciendi, ſi peruenerit ad pinguiorem fortunam?

Ratio ſuadens non teneri præſtare illã cautionẽ. Videtur dicendum, quod non; quandòquidem hæc obligatio eſt adiecta ex ipſa iuris diſpoſitione, & quoad executionem in caſu illius pinguioris fortunæ non videtur exigi cautio, cum iura ipſa tribuant actionem ad conſequendum integre creditum; quinimmo cum in illa hypotheſi cedat omnibus bonis ſuis, quomodo poteſt præſtare illam cautionem? Nihilominùs

2 *Probabilius tenetur præſtare illã cautionẽ.* Reſpondeo, probabilius eſſe debere præſtare illam cautionẽ *Medina C. de reb. reſtit. qu. 3. cauſa 3. vers. facta autem ceſſione* hocq; expreſsè deducitur *ex c. Odoardus de ſolut.*, atque, cum hęc conditio ſit expreſſa in iure, à quo conceditur illud priuilegium ceſſionis, non video, cur non debeat in illa ceſſione apponi; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſa parte adducta ſunt, nempè, quod ſufficientèr iura ad hoc prouiderint per obligationem illam adductam, & quod cedens non poſſit illam præſtare; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia iura, vt dicebam, præcisè diſponunt quoad obligationem; non autem prouident quoad executionem, & licet tribuant actionem, quia tamen benignè conceſſerunt illud priuilegium, cõgruum fuit, vt ex parte debitoris, cui conceſſum eſt illud priuilegium quoad ipſam executionem vinculum quoddam maius apponeretur.

Soluuntur oppoſitæ rationes.

3 *Non eſt neceſſe, quod illa cautio ſit fideiuſſoria, ſed ſufficit iuratoria.* Reſpondeo ſecundò. Illa cautio, quæ exhibenda eſt per debitorem, non eſt neceſſe, quod ſit fideiuſſoria, ſed ſufficit, quod ſit iuratoria. Ratio ex eo deducitur, quia non ſunt præſumenda iura voluiſſe exigere cautionem, quam pro eo tempore vix debitor cedens poſſet præſtare; quis enim veriſimiliter ſe obligaret pro eo, qui bonis cedit, & pro eo tempore, quo, cum ceſſerit bonis, nihil habet, quo poſſit ſoluere? quod, ſi dicatur, quod fideiuſſio deberet cadere ſolummodo pro tempore, pro quo debitor fieret ditior, & locupletior, & non alitèr, nec alio modo, adeòque, quod non ſit improbabile, quod de facili poſſit inueniri, qui fideiubeat, ſtatim reſpondebimus, quod de facili nemo mouetur pro eo, qui non habet in bonis in ordine etiam ad caſum futurum, cum omnes, vt plurimum conſiderent ſtatum præſentem, in quo quis reperitur, & cum ſemel non obſtante obligatione erga creditores è ſtatu decideret ſine ſolutione eiſdem creditoribus, poteſt vnuſquiſque præſumere, quod etiam in caſu, quo deuenerit ad pinguiorem fortunam, poſſet ſimilitèr cadere, adeòque &c. Præſumendum eſt igitur,

Digitized by Google

quod iura voluerint ſolummodo cautionem, quam commode poſſet debitor cedens bonis pręſtare, adeòque ſolum iuratoriam, quæ ſolum ab ipſo pendet.

---

§. VIII.

An ceſſio bonorum poſſit fieri contrà iuramentum de non cedendo.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus. 1.
Sententia negans in ea hypotheſi poſſe cedere bonis. 2.
Non obſtante tali iuramento poteſt cedere bonis, & gaudere priuilegio ceſſionis. 3.
Proponuntur nonnulla argumenta contraria, & diluuntur. 4.
Nec requiritur, quod ante talem ceſſionem abſoluatur à iuramento. 5.

1 Facti dilucidatio. DIſquiſitio VIII. Contraxerat plurima debita Fabius, & in ipſis contractibus, quibus eadem contraxit ad inducendum creditores ad ſibi fidem præſtandam, ſe obligauit iuramento non vti priuilegio ceſſionis bonorum, cui ipſe ceſſit. Quæſitum hic fuit, an non obſtante illo iuramento, ſeu ceſſione iuris ipſius poſſit Fabius, cum non ſit omnibus ſoluendo, gaudere eodem priuilegio, & cedere bonis ad eos effectus, de quibus ſupra

2 Sententia negãs poſſe cedere bonis. Negant *Federicus de Senis conſ. 60. quod pactum, Abbas conſ. 42. In quæſtione Dominici col. 2. in princip. lib. 2.* quos non alia ratione moueri arbitror, niſi, quia tale iuramentum, vtpotè neque contra bonos mores ciuiles, neque naturales eſt adamuſſim implendum, cum perfectè obliget *arg. auth. ſacramenta puberum C. ſi aduerſus vendit. & c. cum contingat de iure iur. & c. 2. de pactis in 6. & cap. ſignificante de pignor.* Nihilominùs

3 Poteſt cedere bonis, & gaudere priuilegio eiuſdem. Reſpondeo, non obſtante tali iuramento poſſe cedere bonis, & gaudere priuilegio ceſſionis *Guido Papa decis. 211. Bartolus conſ. 116. captus pro debito lib. 2.* atque ità fuiſſe deciſum in prima inſtantia, & in ſecunda confirmatum teſtatur idem *Guido Papæ ibid.* in perſona cuiuſdam Vincentij Mazę Pedamontani, qui, cum fuiſſet detruſus in carcere Brianſonij ad inſtantiam cuiuſdam creditoris, nõ obſtante renuntiatione priuilegij ceſſionis bonorum fuit per Iudicem admiſſus ad illam ceſſionem, & cum iterum ageretur cauſa coram Dominis de parlamento fuit per eoſdem iudicatum eundem bene fuiſſe admiſſum. Rationem huius noſtræ reſponſionis, & deciſionis eam efficacem eſſe arbitror, quia tale iuramentum, ſeu renuntiatio priuilegij per iuramentum videtur eſſe contra bonos mores naturales, quandòquidem adimit libertatem, & ingerit in creditorem inhumanitatem *arg. l. alia §. elegantèr, & ibi Bartolus ff. ſolut. matrim., Cinus in l. 1. C. qui bon. ced. poſ.*

4 Proponuntur nonnulla argumenta contraria, & diſſoluuntur. Verum aduerſus ea, quæ dicuntur pro hac reſponſione, obeſſe poteſt, quod in ceſſione bonorum duo poſſint conſiderari; primò, quod ratione eiuſdem debitor non poſſit in carcerem conijci; alterum, quod non poſſit conueniri, niſi inquantum facere poteſt. Eſto iam, quod, quamuis renuntiare tali beneficio ceſſionis, prout reſpicit carceris pęnam euitandam ſit contra bonos mores naturales, adeòq; quoad hoc renuntiatio non proſit, quamuis ſit firmata iuramento, renuntiare tamen eidem quoad effectum, ne poſſit ad plus conueniri, quam poſſit, non videtur eſſe contrà tales bonos mores, adeòque. Nihilominùs quoad vtrumque effectum fuit iudicatum in dicta Curia parlamenti, quod non alia ratione factũ exiſtimo, niſi ratione inhumanitatis conſurgentis in perſona creditoris adimentis libertatem debitori euitandi carceris, quod, ſi hoc eſt inhumanum in perſona creditoris, quanto magis in perſona ipſius debitoris, quandòquidem nemo carnem ſuam odio habuit *c. non æſtimetis 12. q. 2.*, & charitas ordinata incipit à ſe ipſo *l. præſens C. de ſeru. & aq. Angelus Aret. Inſtit. de act. §. fin.* Quoad illud, quod adducitur de illa diſtinctione illius duplicis effectus ceſſionis dicendum eſt in primis, quod, cum iura vtrumque effectum concedant eidem ceſſioni, ſi ratione vnius irritatur renuntiatio eiuſdem, videatur irritari quoad vtrumque, cum ſint quodamodo connexis. Deindè, quod poſſit conueniri vltrà, quod poteſt, videtur etiam quodamodo inhumanum, cum hoc eundem debitorem priuet debitis miſerijs, & detrudat in miſeriam magnam, quod eſt quid æquiualens libertati ademptæ.

5 Nõ requiritur ad talẽ ceſſionẽ, quod prius abſoluatur à iuramẽto. Hic oritur difficultas, an adhoc, vt ille, qui per iuramentum renuntiauit beneficio ceſſionis, poſſit eadem gaudere, requiratur, vt primo abſoluatur à iuramento, an verò eodem etiam non abſoluto poſſit plene tali beneficio vti. Federicus *de Senis dict. conſ. 60. quod pactum* arbitratur non requiri, quod abſoluatur ab illo iuramento, quando iurans erat in notoria, & manifeſta mendicitate, & fame, quia iuramentum non obligat tunc, ex quo eſt contrà ius naturale. Quando verò

Digitized by Google

verò non eſt in tali manifeſta mendicitate, nonnulli arbitrantur eſſe diſpenſandum ſuper iuramento *Henricus de Pſonenen. in auth. ſacramenta puber. C. ſi adu. vendit.* Nihilominùs *Panormitanus d. deciſ. 211.* contrarium, nec incongruè ſuſtinet propter rationes ſupra adductas de inhumanitate.

---

§. IX.

Quomodo ſe gerere debeat volens cedere bonis.

SVMMARIVM.

Quæſiti ratio. 1.
Ante ceſſionem extantibus pluribus creditoribus debet eiſdem proponere alternatiuam, an velint concedere dilationem quinquennalem, an velint ceſſionem bonorum, & quomodo. 2.
Quando creditores diſcordant ſententia Baldi, volentis electionem ſpectare ad debitorem. 3.
Sententia Romani concludentis pro inducia quinquennali. 4.
Si creditores ſint inæquales, præferri debet pars maior; ſi verò fuerit æquales pro vtraque parte, electio ſpectat ad debitorem. 5.
Electis inducijs quid agendum eſt, ſi debitor non ſoluat. 6.

1 Caſus propoſitus.
DIſquiſitio IX. Cum varijs debitis premeretur Antonius, nec haberet, quo omnibus ſatisfaceret, ſtatuit remedijs iuris ſibi prouidere. Quæſitum hic fuit, an abſolutè poſſet cedere bonis ſine alio.

2 Debet creditoribus proponere alternatiuā, & quomodo.
Docent communitèr DD. requiri, vt ipſe debitor proponat creditoribus alternatiuè, an velint concedere dilationem quinquennalem, poſtquam promittat ſolutionem in integrum, an verò velint ipſum admittere ad ceſſionem bonorum iuxtà formam *l. fin. C. qui bon. ced. poſ.*, & quod creditores ipſi teneantur alterum ex præfatis remedijs concedere *Romanus conſ. 439. in princip. verſ. quod quidem nu. 2.* Modus autem proponendi eſt, quod debitor alternatiuum porriget libellum, videlicèt paratus ſum cedere, vel poſt quinquennium ſoluere, ſi mihi quinquennales indutias conceſſeritis *Romanus d. conſ. 439. n. 6. verſ. quoad ſecundum.* Id autem, quod hic controuertendum eſt, an in ea ſuppoſitione libelli propoſiti creditores diſcordent in electione alterius ex alternatiuis propoſitionibus electio pertineat ad debitorem, an ad creditores concedentes ceſſionem bonorum, an verò ad creditores volentes concedere inducias quinquennales.

3 Sententia Baldi in diſcordia creditorū concedētis electionem debitori.
Baldus *in l. fin. C. qui bon ced. poſ.* ſentit, quod diſcordantibus creditoribus electio pertineat ad debitorem per textum *in l. Lucio ff. de tribut.* cum alijs, quæ ibi allegat.

4 Sententia Romani concludētis pro inducia quīquennali.
Ex aduerſo *Romanus d. conſ. 439. circa primum in principio* docet eligendam eſſe abſolutè partem, quæ concedit inducias quinquennales, cum hæc ſit humanior; & etiam reſpondet ad iura allegata per Baldum, nempè *ad l. Lucio ff. de tribut. & alia* aſſerens ea non procedere, quando vnum ex alternatiuis non pendet à poteſtate debitoris, vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam non eſt in poteſtate debitoris eligere quinquennales inducias.

5 Illa pars eſt eligenda, pro qua concurrit maior numerus creditorum, in æquali numero eligat debitor.
Reſpondeo, probabilius eſſe in ea hypotheſi, ſi creditores eligentes alterum ex alternatiuis ſint in maiori numero, eoſdē præferri, & teneri debitorem eorum electionem ſequi; ſi verò creditores diſidentes ſint in æquali enumero, & neutra pars præualeat electionem concedi debitori. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia generalitèr, quando maior pars habentium intereſſe, vel ius in aliquo negotio eſt pro vna parte, eadem habet potiora iuri, vt alteri præferatur. Secunda pars ex eo deducitur, quia alternatiua inter beneficia defert electionem ei, cui conceditur beneficium per textum *in d. l. Lucio ff. de tribut.*, ſed ceſſio bonorum, vel illa quinquennalis dilatio eſt in fauorem eiuſdem debitoris, ergo electio alterius pertinebit ad ipſum debitorem, tanquam ad beneficiarium in hoc genere.

6 Quid agēdū, ſi electis inducijs quinquennalibus debitor nō ſatisfaciat.
Hic oritur difficultas, quid, ſi maior pars creditorum eligeret illas inducias quinquennales, vel in ipſorum diſſidio, & diſcrepantia ipſe debitor eaſdem elegerit, & debitor ipſe intra eaſdem integrè omnibus non ſatisfecerit, ſit aduerſus eundem debitorem peragendum. Nonnulli arbitrantur, ipſum creditoribus tradendum eſſe, vt ab eiſdem excarnificetur, ſed hoc ad ſummum verificatur de falſis mercatoribus, qui fugiunt non ex fortuna, ſed dolo cum pecunia per textum *in l. bona fides ff. depoſiti.* Cæterum ego arbitror poſſe in carcerem detrudi, nec amplius eiſdem concedendam ceſſionem bonorum, prout notat *Baldus in d. l. fin. C. qui bonis cedere poſſint.*

Digitized by Google

§. X.

An ceſſio bonorum poſſit fieri, poſtquam debitor detruſus eſt in carcerem.

SVMMARIVM.

Quomodo ſit accipiendus titulus, 1.
Ratio ſuadens non poſſe gaudere. 2.
Poteſt cedere bonis, & à carcere liberari. 3.
Quæ ſeruanda ſint in tali liberatione à carcere. 4.
Non liberatur ab expenſis factis occaſione carceris. 5.
Tenetur ad liquidationem debiti. 6.

1 Explicatio diſquiſitionis. DIſquiſitio X. Titius debitor erga plurimos, cum eiſdem non ſatisfaceret, nec bonis proprijs ceſſiſſet, ad inſtantiam ipſorum creditorum detruſus eſt in carcerem, cumque aliud remedium ipſi non ſupereſſet ad vitandam ſquallorem eiuſdem carceris, & miſerias, quas in eodem patiebatur, decreuit ſeruata iuris forma cedere bonis ſuis. Quæritur, an adhuc poſſit gaudere tali beneficio, & cedere ad effectum, vt poſſit à carcere liberari.

2 Ratio ſuadens non poſſe gaudere. Videtur, non poſſe amplius gaudere tali beneficio, cum res amplius non ſit integra, & iam cæptum ſit iudicium independentèr ab illa ceſſione, quæ propterea locum videtur habere non poſſe, niſi eodem iudicio conſummato. Nihil ominùs

3 Poteſt cedere, & à carcere liberari. Reſpondeo, adhuc poſſe tali beneficio gaudere, & ſe per talem ceſſionem à carcere liberari *Baldus conſ. 338. in cauſa incarcerati propè finem verſ. 6. quia vol. 4., & conſ. 301. ad euidentiam præmittendum eſt vol. 5.*

Expreſsè deducitur reſponſio *in l. 1. C. de ceſſion. bonor. & ex tot. tit. ff. & C. de ceſ. bon. & §. fin. Inſtit. de act*, vndè facta hac ceſſione non eſt debitor illis ignominijs afficiendus, quibus alicubi, vel ex ſtatuto, vel ex conſuetudine afficiuntur, & relaxari debet à carcere etiam creditoribus inuitis *l. 1. C. qui bon. ced. poſ.*

4 Quæ ſeruanda ſint in tali liberatione à carcere. Hic tamen debet aduerti, quod, licet ſit relaxandus, debet tamen aliqua forma iudicij ſeruari, vt dicit *Baldus d. conſ. 301. vol. 5.* Hæc autem forma debet ità fieri, vt ſi ſciatur ad cuius petitionem, & inſtantiam detruſus eſt in carcerem, ipſe, vel eius procurator citetur *l. 1. §. 1. ff. de lib. agnoſ. l. eum qui res agit C. de procur. & §. fin. Inſtit. de pæn. tem. litig.*, ſi verò non ſciatur, & tunc fiat citatio per generale proclama, vt notat *Bartolus in l. ſi quis vxor §. ſi fugitiuum ff. de furt.*, vbi ponit Theoricam, & practicam iſtius articuli.

Ex ſuppoſitione præſentis doctrinæ, & reſponſionis, ſecundum quam debitor, quantumuis in carcere detruſus per ceſſionem bonorum liberatur, ſeu liberandus eſt à carcere; quæritur, an liberandus ſit ab omnibus oneribus, & intereſſe, quæ, ſeu quod paſſus eſt occaſione carceris? Et primo dico, quod non liberetur ab expenſis factis occaſione carceris, quandoquidem, cum carceratio facta fuerit ante ceſſionem bonorum, & exiſtente iure apud creditores legitimè facta fuit, adeòque onus expenſarum refunditur in ipſum debitorem *Baldus d. conſ. 338. lib. 4. in fine*. 5 Non liberatur ab expenſis factis occaſione carceris. Dico ſecundò, quod teneatur ad liquidationem debiti; periculoſum enim foret creditori, qui liquidare non poſſet, & ſic fraudaretur debito, ſi debitor ad pinguiorem fortunam deueniret, prout notat *idem Baldus loc. quo ſupra* per textum *in l. 1. ff. de ceſ. bon.* 6 Tenetur ad liquidationem debiti.

§. XI.

An ceſſio bonorum facta per debitorem liberet ipſius fideiuſſorem.

SVMMARIVM.

Elucidatur factum. 1.
Rationes ſuadentes etiam fideiuſſorem liberari. 2.
Per ceſſionem bonorum factam à debitore fideiuſſor non liberatur ab onere integrè ſatisfaciendi creditoribus. 3.

DIſquiſitio XI. Pro debitis, quæ cum pluribus contraxit Antonius, in fauorem creditorum adiecit fideiuſſores; cumque poſtea cedente die ſolutionis non haberet, quo omnibus integrè perſolueret, ad normam iuris ceſſit omnibus ſuis bonis, ratione cujus liberatur, ne poſſit ab eiſdem creditoribus vexari, nec per carcerem, nec per quid aliud ſeruato tamen iure eorundem creditorum, quod, ſi poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, teneatur ex integro ſatisfacere. Ex eo autem, quod ipſe per talem ceſſionem liberetur a creditoribus, oritur etiam hic ratio dubitandi, an fideiuſſores adiecti pro eiſdem debitis intelligantur liberi, adeò vt non poſſint per eoſdem creditores conueniri? 1 Exponitur facti ſeries.

Videtur ex generali regula dicendum vtique, & fideiuſſores liberari, nam exempto principali à debito videtur exemptus, &

2 Rationes ſuadentes fideiuſſorem liberari. & acceſſorius per textum *in §. in omnibus Inſtit. de fideiuſ. l. 3. & l. ſtipulatus ff. eod. & l. 3. non rectè C. eod.*, quia cum acceſſorium fundetur in principali, hoc deficiente debet & illud deficere. Nihilominùs

3 Fideiuſſor non liberatur per ceſſionem bonorum factam à debitore. Reſpondeo, per ceſſionem bonorum facta à debitore fideiuſſor non liberatur ab onere reſtituendi in integrum creditoribus *Guido Papæ deciſ. 211., Molina diſp. 539. verſ. dixi ſupra Baldus in l. tam mandati C. de non num. pecun., Ioannes Bernardinus Muſcatellus in pract. fideius. part. 2. q. 8. n. 21. Bartolus in l. hæres §. ſi ſtipulator n. 1. & 2. ff. de fideiuſ. & nos ipſi latè docuimus tom. 4. ſub tit. Contractus XII. de fideius. & aſſecur. Diſq. 1. §. 9. n. 2. & seqq.*

Iura ad euincendum intentum. Videtur expreſsè colligi per textum iuncta gloſ. *in l. vbicunque ff. de fideius.*, hocque etiam probat Dinus per textum *in l. à debitore §. quod ſi ſtipulator in fin. ff. de fideius.*, & clarius hoc decernitur in textu *in §. fin. Inſtit. de replicat.*, vbi ſic legitur *Ecce enim ſi debitor bonis ſuis ceſſerit, & cum eo creditor experiatur defenditur per exceptionem, ſi bonis ceſſerit. Sed hæc exceptio fideiuſſoribus non datur*, ibique ratio ſubiungitur *Ideò ſcilicèt, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè proſpicit, vt cum facultatibus lapſus fuerit debitor, poſſit ab ijs, quos pro eo obligauit, ſuum conſequi.*

Proponitur argumenta cōtraria. Duo dumtaxat videntur aliquid negotij faceſcere aduerſus hanc reſponſionem; Primum, quod docet *Menochius de arbitr. Iud. lib. 2. cent. 2. caſ. 183. n. 20., Heringius de fideius. c. 5. n. 84.*, nempè, quod, ſi principalis reus debendi, qui bonis ſuis ceſſit, fideiuſſorem præſtiterit de reſiduo ſoluendo, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam tam ipſe reus debendi, quam fideiuſſor adiectus non poſſit conueniri, niſi in eo, quod commodè ipſe debitor poteſt efficere; ſi ergo in hoc non obligatur, niſi ad normam principalis debitoris, neque obligari poteſt pluſquam ad normam eiuſdem debitoris, in caſu quo hic ceſſerit bonis ſuis, ſecundum quod exceptiones, quæ competunt ipſi reo debendi, ex neceſſitate debent competere ipſius fideiuſſori; cęteroqui parum, aut nihil prodeſſent huiuſmodi exceptiones ipſi debitori, quandòquidem fideiuſſor, ſi obligaretur in eo caſu ceſſionis ad ſoluendum creditoribus, poſſet idem habere regreſſum contrà eundem principalem debitorem, adeòque &c.

Diſſoluuntur eadem argumenta. Sed facili negotio hæc duo diſſoluuntur, & quidem dic ad primū non currere paritatē, quando facta iam ceſſione fideiuſſor ſe obligauit ad reſiduum debitum per debitorem, ac quando antecedentèr ad ipſam ceſſionem in ipſa contractatione debiti ſe obligauit pro ipſo debitore; nam in primo caſu fideiuſſor intelligitur iuxtà propriæ voluntatis ſenſum præſumptum adijci ſolum pro omni eo, pro quo tenebitur ipſe principalis, & non ad quid aliud, adeòque tantum ad id, quod ille commodè poteſt; in ſecundo autem caſu debitor, cui acceſſit fideiuſſor, obligabitur in ſolidum, & pro ſolido fideiuſſor acceſſit, & quidem in caſu, quo debitor non eſſet ſoluendo, cum fideiuſſio ex genere ſuo hunc caſum reſpiciat, adeòque &c.

Ad ſecundum dic, in hac potiſſimum hypotheſi de ceſſione bonorum non valere præcitatam rationem, quandòquidem creditor pro debitore, ſeu pro reo debendi fideiuſſorem ideo obligat, vt ſi debitor facultatibus ſuis decidat, teneatur ipſe fideiuſſor, nec vrget, quod ipſe fideiuſſor habeat poſtea regreſſum aduerſus eundem debitorem, adeòque, quod iſte ex illa ceſſione vix commodum aliquod reportaret; non refert, inquam, quia ex quo debitor bonis ceſſit, non poteſt in eum regredi, niſi poſtquam deuenerit ad pinguiorem fortunam. **Soluitur ſecundum argumentum.**

§. XII.

Vtrum quis peccet contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem, ſi a debitore nolente ſoluere debitum clam ab eodem debitore ſurripiat, illudque tradat creditori.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Rationes ſuadentes non peccare contrà iuſtitiam, nec teneri ad reſtutionem. 2.
Rationes ſuadentes peccare contrà iuſtitiam. 3.
Peccat contrà iuſtitiam non quidem commutatiuam, ſed legalem, nec tenetur ad reſtitutionem. 4.

Diſquiſitio XII. Caius erat conſtitutus certus debitor, & de certa ſumma, vel ex contractu, vel ex iniuſta actione erga Antonium, qui cum ſæpè egiſſet ad conſecutionem ſui crediti, vel ob præpotentiam eiuſdem Caij, vel ex alia cauſa neutiquam potuit illud conſequi. Cum conquereretur idem Antonius de iniuſta illa detentione Sempronius, vt gratum faceret eidem Antonio creditori, vel vt ipſum liberaret ab expenſis, & curis quas perpeti debuiſſet in via iudiciali clam ab eodem Caio tantum ſurripuit, quantum debebat Antonio, & huic **I Status diſquiſitionis expoſitus.**

Digitized by Google

huic tradidit. Quæſitum hic fuit, an Sempronius ſic clam accipiendo, & clandeſtine acceptum conferendo Antonio creditori eiuſdem Caij peccauerit contrà iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem.

2 Rationes ſuadentes non peccare contra iuſtitiam, nec teneri ad reſtitutionem.

Ex dictis in præcedentibus videtur nullo modo peccare contrà iuſtitiam; nec teneri ad reſtitutionem, quandòquidem demus, quod ipſe Sempronius eſſet debitor eiuſdem Caij. Demus inſuper, quod Antonius eſſet creditor Caij, tunc ſic; Si Sempronius ſolueret Antonio creditori Caij vtique non peccaret contrà iuſtitiam aduerſus eundem Caium creditorẽ ſuum, nec illi teneretur ad vllam reſtitutionem, quandòquidem, ſi Caius ageret aduerſus eundem Sempronium ad conſecutionem ſui crediti, idem Sempronius poſſet excipere, & opponere ſolutionem factam Antonio creditori ſuo, cuius actiones acquiſiuit per illam ſolutionem, & conſtitutus eſt in locum ipſius per ea, quæ ſupra latè commendauimus, ergo etiam, quantumuis Sempronius non ſit debitor Caij, qui tamen Caius ſit verè debitor Antonij, ſi ipſe Sempronium clam ſurripiat ab eodem Caio, illudque conferat Antonio creditori eiuſdem Caij non peccabit contrà iuſtitiam, nec tenebitur ad reſtitutionem. Conſequentia probatur, tum quia parum referre poteſt, quod eidem Antonio conferat rem ſublatam ab ipſo Caio debitore ipſius Antonij, ac conferat rem, quam ipſe Sempronius ex iuſtitia debebat Caio, ſiquidem hæc res debita Caio perinde eſt, ac ſi eſſet eiuſdem Caij, & ab eodem accepta; tum, quia, ſi ipſe Caius ageret aduerſus eundem Sempronium ad conſequendum id, quod clam accepit, poſſet ipſe Sempronius excipere de iure, quod conſecutus eſt ab Antonio, cui ſoluit, & in cuius locum ſucceſſit.

3 Rationes ſuadentes peccare contrà iuſtitiam.

Ex aduerſo videtur, quod grauitèr peccarit contra eundem Caium occultè ab eodem ſurripiendo ea, quæ ipſius plenè erant quoad dominium, & in quę nullum ius habebat Sempronius, adeòque accepit inuito Domino ea, quæ ipſius Domini erat; nec poteſt eidem prodeſſe, quod eadem contulerit creditori eiuſdem Caij, quia ipſius muneris non erat conſtituere hanc compenſationem, nec æqualitatem inter Antonium & Caium, vnde per talem ablationem clam factam a Caio conſtituit inter ipſum Caium, & ſe ipſum inæqualitatem, adeòque peccauit contra iuſtitiam, & tenetur eandem inæqualitatem demere per reſtitutionem æquiualentis. Accedit primò, quod ſic clam, occulteque ſurripiendo vſurpat officium Iudicis, quod lædit, adeòque ad reparandam ipſius iniuriam teneatur res in ſuo priſtino ſtatu conſtituere. Accedit ſecundò, quod data ſemel hac opinione ordo iuſtitiæ ſuberteretur, clandeſtinæ acceptiones paſſim contingerent, & plurima crimina inde obuenirent. Quid igitur concludendum?

4 Peccat cõtrà iuſtitiã legalem, non contrà cõmutatiuam.

Reſpondeo, grauitèr peccare contrà iuſtitiam legalem, non ſic contrà iuſtitiam commutatiuam, nec teneri ad reſtitutionem, & ſic conciliatur vtraque opinio expoſita; & rationes quidem adductæ pro ſecunda opinione euincunt primam partem, rationes autem pro prima euincunt ſecundam, pro qua nonnulli etiam apud *Medinam C. de reb. reſtit. qu. 3. cauſa 5. vers. idem videtur à ſimili* addunt hoc argumentum. Si diues pauperi in extrema neceſſitate exiſtenti nolit, cum debeat ſubuenire, tertius non habens, vnde illi ſubueniat, poteſt etiam diuite inuito bona ipſius inuadere, & multo magis clam accipere, eidemque pauperi erogare, ne famo pereat, & vtique ſine peccato, & ſine onere reſtituendi, ergo etiam in caſu, quo debitor non ſoluit, nec ſoluere velit ſuo creditori, quod illi debet, poterit tertius ab ipſo accipere, & tradere eidem creditori. Sed huic argumento conatur reſpondere dicens, quod in primo caſu poſſit quidem ille tertius accipere à diuite, & dare extremè indigenti, quia in tali caſu vrget neceſſitas, & ſine illo indigens periret; in ſecundo autem caſu non videtur ille tertius poſſe clam accipere à debitore, & ſoluere creditori, quia reſpectu eiuſdem creditoris non vrget illa neceſſitas, cum ſine ſolutione debiti viuere poſſit. Sed hæc reſponſio Medinæ probat ad ſummum, quod ratione neceſſitatis in ſecundo caſu non poſſit accipere, non autem ratione iuris iuſtitiæ, quod aſſiſtit creditori, vnde ad ſummum peccabit, quia præſtat id, quod non eſt ſui muneris, & contrà diſpoſitionem iuſtitię legalis, non autem, quia peccet contra iuſtitiam rigoroſam, & commutatiuã. Confirmatur reſponſio quoad ſecundam partem, quia non læditur iuſtitia commutatiua, niſi conſtituatur inter aliquos inæqualitas, ſed in præſenti hypotheſi nulla inæqualitas conſtituitur, non inter ipſum debitorem, & creditorem ipſius, quandòquidem ipſe creditor iam conſequutus eſt id, quod ipſi debebatur, & debitor, ſi caret re ipſi clam ablata, caret etiam onere, quo erga creditorem tenebatur; non inter ipſum debitorem, & tertium illum, qui rem illam clam accepit, quandòquidem hic nihil conſecutus eſt, nec in aliquo damnificauit debitorem, quandòquidem, ſi hic priuatus eſt re ſua, compenſatus eſt in illa

Adducuntur rationes pro reſponſione

exo-

Digitized by Google

exoneratione debiti, quo premebatur, adeòque &c. vnde ſequitur, quod tertius ille, qui ſurripuit clam res illius debitoris, ad ſummum peccauerit contrà iuſtitiam legalem aſſumendo munus, quod ipſi non competebat.

---

§. XIII.

Quid præſtare teneatur vxor, quæ filium ex adulterio ſuſceptum, tanquam legitimum ſuppoſuit.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens teneri matrem ſtudere, vt filius ſpurius Religionem ingrediatur. 2.
Secunda, vt veritatem filio ſpurio manifeſtet. 3.
Tertia, vt bona paraphernalia tribuat in compenſationem filijs legitimis. 4.
Prima ſententia valde probabili eſt, ſi debitæ extent conditiones. 5.
Secunda inepta videtur ad effectum intentum. 6.
Tertia magis idonea eſt rei præſenti. 7.

1 Status diſquiſitionis.

DIſquiſitio XIII. Diximus in præcedentibus, quod, ſi vxor viuente marito ex adulterio conceperit, & filium pepererit ad ſubueniendum filijs legitimis non teneatur cum periculo ſuæ famæ, & vitæ detegere crimen ſuum. Modo inquiritur, cum non ſuppetat remedium detectionis proprij criminis propter rationes ſuperius adductas, an teneatur quid aliud præſtare, & quidnam.

2 Prima ſententia, quod debeat agere, vt Religionem ingrediatur.

Nonnulli docent, quod teneatur quantum poteſt ſtudere, vt filius verè ſpurius, quantumuis reputatus legitimus Religionem ingrediatur. O infelix Religionis conditio! quod debeat eſſe ſubterfugium ſpuriorum, & velamen iniquitatis?

3 Secunda, vt veritatem filio manifeſtet.

Alij docent, quod teneatur mater adultera manifeſtare rem filio ſpurio ad effectum, ne veniat in communione cum cæteris fratribus legitimis, ſi per hoc veriſimilitèr ſperetur indemnitas eorum, qui per talem ſpurij ſuppoſitionem defraudati ſunt.

4 Vt compenſet filijs legitimis per paraphernalia.

Alij tandem docent, quod, ſi aliter non poſſit mulier reparare damna, quæ filijs legitimis inde ſunt obuentura, ſi habeat bona paraphernalia, & alia, quę vltra cõſueta obſequia debita marito, & familiæ potuit acquirere, teneatur diſponere in fauorem filiorum legitimorũ, vt ſic fiat, quantum poſſibile eſt, compenſatio.

5 Prima ſẽtẽtia valde probabilis eſt.

Primus modus conſulendi indemnitatibus filiorum legitimorum eſt valde probabilis; quandòquidem per ipſum occurritur damnis, quæ cæteroqui obuenirent legitimis, & ex alio capite non infertur iniuria Religioni, in qua reciperetur, ſi qualitates idoneas haberet ad eidem inſeruiendum, cum non poſſet in ipſius dedecus cedere acceptatio illius ſpurij, cum de ſpurietate non conſtaret.

6 Secunda inepta videtur ad effectũ intentum.

Secundus modus eſt ineptus ad effectum, qui intenderetur, quandòquidem filius ſpurius non tenetur credere matri alleganti, quantumuis ſecreto turpitudinem ſuam, nec quid prodeſſet talis matris manifeſtatio, quandòquidem probato, quod pro tempore conceptionis ipſa viueret cum marito potente, & apto generationi, proles per iura ſemper præſumeretur eiuſdem mariti per ea, quæ ſupra allegauimus.

7 Tertia magis idonea eſt rei præſenti.

Tertius modus eſt magis idoneus, cum per ipſum, quamuis non adæquate, quantum tamen poſſibile eſt, conſuleretur indemnitati filiorum legitimorum, ad quã indemnitatem, quantum fieri poteſt tenetur eadem mater adultera. Vlterius non immoror, cum de his latè alibi egerimus.

---

§. XIV.

Vtrum liceat vxorem in foro conſcientię deprehenſam in adulterio interficere.

SVMMARIVM.

Exponitur diſquiſitio. 1.
Peccat ſic occidendo propria auctoritate. 2.
Explicatur textus in cap. interfectores 33. q.2., *vt non aduerſans noſtræ reſponſioni.* 3.
Explicatur textus in c. admonere 33. q. 2. *etiam vt non aduerſans.* 4.

1 Status diſquiſitionis.

DIſquiſitio XIV. Vix aliquid ſupereſſet agendum circa præſentem titulum, cum de illo fusè egerimus in præcedentibus, & ſtatuerimus in foro conſcientiæ non licere. Nihilominùs, quia nonnulli extant textus, & conſurgunt rationes, ex quibus cõtrarium videtur euinci, ideo ad eadem, ſeu eaſdem ſoluenda, ſeu ſoluendas hæc ſubdo.

2 Peccat ſic occidẽdo propria auctoritate.

Reſpondeo igitur, non eximi maritum à labe peccati læthalis, qui propria auctoritate occidit vxorem deprehenſam in adulterio. Dixi *propria auctoritate*, nam ſi occideret per ſententiam Iudicis iuxtà leges iudicantis certè non peccaret, prout docet *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 1.*, dummodo

modo id præſtet zelo iuſtitiæ non ex appetitu vindictæ. Non immoror in probatione huius reſponſionis, quandoquidem iam latè probata remanet in præcedentibus. Scopus igitur huius dubitationis de nouo excitatæ eſt ſoluere nonnulla obiecta tum à iure, tum à ratione deſumpta, quæ adhuc remanent penes nos in iam dictis inſoluta.

3 Explicatur textus in c. interfectores 33. q. 2. Primum obiectum deſumitur *ex c. interfectores 33. q. 2.*, quod eſt Nicolai III., vbi dicitur, quod *interfectores ſuarũ coniugum ſine iudicio, ſi non addas adulterarum quid aliud cenſendi ſunt, quam homicidæ?* ergo, ſi ſint interfectores ſuarum coniugum adulterarum non erant homicidæ, quandoquidem illa exceptio efficit, quod ſi non ſint adulteræ non contineantur ſub illa diſpoſitione, ſi etenim etiam adulteræ in illa continerentur, ad quid Pontifex adderet, *ſi non addas adulterarum?* Sed facilè poteſt diſſolui, ſi aſſeratur cum *Gloſa in d. c. interfectores* Pontificem ibi voluiſſe ſolummodo, quod interfectores ſuarum coniugum ſine iudicio ſint homicidæ, maximè, ſi illæ non fuerint adulteræ, quod indicauit per illas particulas, *ſi non addas adulterarum*, non quod excluſerit à ratione homicidij interfectionem adulterarum, ſed quod voluit homicidiũ non adulterarum eſſe homicidium cum qualitate minus excuſante à culpa homicidij, quin potius aggrauante; vel dicatur cum *Medina C. de reb. reſtit. q. 3. cauſa 4. in dubitatione quam ſubdit verſ. reſpondetur hæc minime*, quod Pontifex ibi locutus fuerit habito reſpectu ad leges ciuiles, quæ impunitatem concedunt maritis interficientibus vxores deprehenſas in adulterio, non ad forum conſcientiæ, quatenus excuſentur à noxa peccati, & quidem Pontifex mentem ſuam ſatis aperuit in ſequenti capitulo, dum dixit licere ſecundum legem mundanam vxorem adulteram interficere, non ſecundum legem Eccleſiaſticam.

4 Explicatur textus in c. admonere 33. q. 2. Secundum obiectum deſumitur *ex c. admonere 33. q. 2.*, vbi Stephanus Pontifex reprehendit homicidij Aſtulphum, quod vxorem interfeciſſet, cum non inuenerit cum alio viro rem nefariam facientem; ex quo arguitur, quod ſi inueniſſet in adulterio, ſeu rem nefariam facientem nõ eſſet homicidij reprehendendus. Sed facili negotio hoc etiam obiectum poteſt diſſolui, ſi aſſeratur, quod ibi Pontifex arguit grauitatem delicti eiuſdem Aſtulphi, cum etiam ſine cauſa adulterij vxorem interfecerit, non quia ipſum excuſaret, ſi vxorem in adulterio deprehendiſſet, ſed quia illud homicidium perpatratum eſt etiam ſine cauſa apparente, quæ poſſet quoquo modo illam prauitatem tegere.

Tertium obiectum ex eo deſumitur, quia non peccat, qui operatur cum auctoritate legis per textum *in c. qui peccat 23. q. 4.*, quod dicitur eſſe D. Auguſtini; ſic v.g. non peccat, qui occidit furem nocturnum aggredientem ſua, non alia ratione, niſi quia habet auctoritatem legis, ſed qui vxorem occidit deprehenſam in adulterio habet auctoritatem legis, ergo non peccat. Sed facili negotio huic etiam argumento occurro aſſerens in primis, quod Auguſtinus in eo loco loquitur tantum de auctoritate legis Diuinæ. Deindè, quando etiam vellemus extendere ad legem humanam, hoc intelligendum eſſet de lege humana iubente, aut abſolutè concedente, non de lege præcisè permittente, cuiuſmodi eſt lex non puniens vxoricidium, quando vxor deprehenſa eſt in adulterio. Soluitur aliud argumentũ à iure deductum.

---

§. XV.

Vtrum, ſi Princeps remittat debitum debitori hic liberetur verſus creditorem.

SVMMARIVM.

Elucidatur factum. 1.
Plura de hac remiſſione remiſſiuè. 2.
Si debita ſint certa, & ex iure naturali non poteſt Princeps remittere ſine iuſta cauſa. 3.
Cauſa debet eſſe vrgens, & publica. 4.
Si ſint tantum debita ex iure ciuili modo explicato Princeps poteſt remittere. 5.

DIſquiſitio XV. Caius premebatur nonnullis debitis, quæ, ſi perſolueret, a proprio ſtatu decideret. Supplex ad Principem confugit, à quo liberè obtinuit remiſſionem debitorum. Orta hic fuit controuerſia, an per talem remiſſionem factam a Principe quoad illa debita intelligatur liber ab onere verſus creditores ſuos. 1 Elucidatur facti ſeries.

Vix aliquid remanet circa hanc difficultatem addendum ijs, quæ ſupra dicta ſunt, dum de compoſitione cum Prelatis, vbi diximus, quod, ſi debita illa ſint incerta vtique Pontifex poſſit illa remittere aliquo pro tali remiſſione retributo. Vnde, ſi quæ eſſe poteſt difficultas ad ſummum erit quoad debita certa, quæ ſcilicèt certum habent Dominum, de quibus etiam dictum eſt ibidem. Nihilominus maioris doctrinæ, & claritatis gratia nonnulla ſecundum aliquam diſtin- 2 Plura de hac remiſſione remiſſiuè.

ctio-

Digitized by Google

ctionem placet hic adducere; vel etenim illa debita ſunt debita iure naturali, cuiuſmodi eſt mutuum acceptum, commodatum, depoſitum, & etiam res aliena furto ſublata; vel iure ciuili tantum, qualis eſt falcidia in hæredibus, vel reſtitutio in integrum, de quibus per ſubſequentes reſponſiones mox ſubdo.

3 Debita certa, & ex iure naturali nõ poteſt Princeps remittere ſine iuſta cauſa.

Reſpondeo primò, ſi debita ſint certa, quatenus certum habent Dominum & creditorem, & ſint ex iure naturali non poteſt Princeps remittere ſine graui, & iuſta cauſa ad effectũ, vt idem debitor liberetur verſus creditorem *Silueſter verb. reſtitutio 7. q. 2. dict. 5., Innocentius in c. quæ in Eccleſia de conſtit. Gloſa in l. fin. C. ſi in ius vel vtil. publ., Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 5. nu. 28.* Rationes ex eo deſume, quæ loc. cit. dicta ſunt; non etenim Princeps eſt Dominus rerum ſuorum ſubditorum, ſed gubernator, & rector. Dixi *ſine graui, & iuſta cauſa*, quæ certè debet eſſe vrgens, & vtique publica, quandòquidem eſſet ab intrinſeco mala talis remiſſio, ſi non cohoneſtaretur ob maius bonum. Quænam autem, & qualis debeat eſſe hæc cauſa, non aſſignant DD. Silueſter ſentit hoc remittendum eſſe arbitrio boni viri. Sed ego crederem debere eſſe, vel delictum creditoris, ratione cuius in pænam priuetur, & aſſignetur ipſi debitori, vel aliqua cauſa ſuperior, quæ præualeat iuri ipſius creditoris.

4 Cauſa debet eſſe certa, & publica.

5 Si ſint tantũ ex iure ciuili debita modo explicato Princeps poteſt remittere.

Reſpondeo ſecundò, ſi ſint tantum debita ex iure ciuili modo explicato Princeps vtique poteſt remittere *Silueſter loc. cit. Innocentius in c. noſtra de iniur. Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 5. n. 30.* Ratio eſt, quia, cum hæc inducta ſint tantummodo ex diſpoſitione iuris ciuilis, poteſt Princeps ea immutare, & auferre. Sed an ad hoc requiratur etiam cauſa, DD. præallegati non affirmant; crederem tamen aliquam cauſam requiri, licet non ità vrgentem, cæteroqui intercederet acceptio perſonarum, & fieret potius legum diſſipatio, quam diſpenſatio, niſi cauſa aliqua intercederet.

---

§. XVI.

An magis peccet contrà iuſtitiam, qui rem ſemel furatur, & detinet per longum tempus, an qui intra idem tempus rem ſæpius furatur, & ſæpius reſtituit.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis expoſitus. 1.
Sententia docens grauius peccare detentorem per annum, ac rapientem pluries in eodem anno, & reſtituentem. 2.
Contraria ſententia exponitur. 3.
Præfertur hæc ſecunda ſententia. 4.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 5.

Diſquiſitio XVI. Caius furatus eſt ab Antonio decem nummos aureos, eoſque iniuſtè detinuit per annum. Antonius furatus eſt totidem, ſed intra annum poſt primam reſtitutionem ſæpè furatus eſt, & ſæpè etiam reſtituit. Quæſitum hic fuit, an grauius peccauerit Caius ſemel furans, & per annum iniuſtè detinens, an vero Antonius intra eundem annum ſæpè furans, & ſæpè reſtituens. — 1 Sẽſus difficultatis expoſitus

2 Sententia docẽs grauius peccare detẽtorem per annũ, quã pluries in eodẽ anno rapiẽtem, & reſtituentẽ.

Duplicem in hoc inuenio ſententiam; alteram *Paludani in 4. diſt. 15. qu. 1. art. 1.* aſſerentis magis peccare detentorem per annum, quam ſæpius rapientem per annum, & ſæpius in eodem reſtituentem. Rationem eiuſdem eam arbitror eſſe, quia in peccatis iniuſtitiæ attenditur potiſſimum inuoluntarietas, quæ eſt in perſona læſa; maior autem videtur eſſe inuoluntarietas in læſo, quod res ipſius diuturniori tempore, & perſeuerantèr detineatur, quam quod intra idem tempus per replicatas ablationes, & reſtitutiones partim detineatur penes auferentem, partim penes eundem Dominum; Alteram *Soti lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 4.* aſſerentis grauiorem eſſe culpam ſæpius furantis, & reſtituentis intra idem tempus, ac ſemel furantis, & non niſi per illud tempus reſtituentis. Ratio ipſius ex eo deducitur, quia in ſæpius furante maior eſt peruerſitas voluntatis, cum ſæpè ſuam prauitatem ingeminet in actualibus furtis, quod non videtur euenire in actuali furto continuato per detentionẽ, cum non reſtitutio poſſit in hoc caſu prouenire ex quadam negligentia. Quid iam concludendum?

3 Contraria ſententia exponitur

4 Præfertur hæc ſecũda ſentẽtia.

Reſpondeo, probabilius eſt grauius peccare ſæpè furantem, & reſtituentem ſæpè intrà idem tempus, ac furantem ſemel, & non reſtituentem, niſi poſt tale tempus. In hoc adhæreo *Soto loc. ſupra cit.* Ratio quam ipſe Sotus adducit, non eſt inefficax, quandòquidem denegari non poteſt, quin maior ſit prauitas in volũtate in illis multiplicatis actibus, per quos actualitèr, & formalitèr agit, quam in vnico actu continuato, in quo non eſt ille repetitus conatus ipſius voluntatis actualitèr agentis, quæ poteſt perſiſtere in eodem actu ex quadam negligentia non replicando conatus. Ad confirmationem huius reſponſionis adduci poſſunt — Rationes pro eadẽ.

ea, quæ in prima parte huius voluminis dicebamus, dum de præcepto reſtitutionis, quod, quamuis dixerimus eſſe principalitèr negatiuum, non propterea aſſeruimus tot multiplicari peccata, quot sũt modiciſſima tempora, in quibus res aliena detinetur, & non reſtituitur, quod non alia ratione aſſeruimus, niſi quia Dominus eſt quidem rationabilitèr grauitèr inuitus ad illam primam iniuſtam acceptionem, non autem ad illas modicas continuatas detentiones, cum illa ſit radix iſtarum, non è contrà, ergo cum tota iniuſtitia in peccatis furti deſumatur ab inuoluntarietate perſonę læſæ, erit maior iniquitas in repetitis illis iniuſtis acceptionibus, quam in vna continuata, cum in illis tot ſint inuoluntarietates, ad quas ſingulas eſt æquè primo inuitus Dominus, in iſta verò, non niſi prima indicat illam grauem inuoluntarietatem. Deindè denegari non poteſt, quin illis repetitis iniuſtis acceptionibus multiplicentur in indiuiduo peccata, quæ non multiplicantur in illa continuata detentione.

Ad rationem, quæ ex aduerſa opinione afferebatur, dicendum eſt in primis,
5 quod quantum eſt ex affectu peccantis, ſecundum quem conſideratur peccatum formalitèr, licet non terminatiuè, maior eſt peruerſitas in repetitis formalitèr actibus, quam in vno dumtaxat actu continuato propter rationes adductas. Deindè, quantum eſt ex parte perſonæ læſæ apparet etiam de maiori grauitate, & inuoluntarietate in illis actibus repetitis, quia multiplicantur iniuriæ, quæ non multiplicantur in vno dumtaxat actu moralitèr perſeuerãte in effectu. Quod, ſi poſtea res ipſa diutius detineatur in vnico furto continuato per tantum temporis, quam detineatur in multiplicatis furtis intra idem tempus, cum in illis modo res ſit penes furem, modo penes Dominum; in illo autem ſemper ſit intra illud tempus penes furem; hoc infert ſolummodo maiorem extenſionem, non intenſionem.

Soluuntur rationes contrariæ ſẽtentiæ.

---

§. XVII.

An, cum debitor potis eſt, ſatisfaciat paulatim ſoluendo.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Sententia docens hoc poſſe præſtare ex fine lucrandi, & alijs integrè ſatisfaciendi, ſecus ſine tali fine. 2.
Si fortior cauſa non interceſſerit, non poteſt debitor differre ſolutionem, nec minutatim perſoluere inuito creditore. 3.
Explicatur, in quo conſiſtat hæc fortior ratio. 4.

Disquiſitio XVII. Titius contraxerat debitum ſummæ egregiæ, & conſiderabilis erga Antonium, & cum potis eſſet idem integre perſoluere ſimul, contendebat per minutas ſolutiones cum interuallo perſoluere, ità tamen, vt ex omnibus reſultaret integra ſolutio debiti, quo premebatur. Quæſitum hic fuit, an potuerit iuſtè, & legitimè hoc præſtare inuito creditore. 1

Factũ expoſitũ in ſuis terminis.

Nonnulli diſtinguunt, vel etenim hoc præſtare intendit ex fine lucrandi, & vt poſſet lucro inde acquirendo alijs ſatisfacere, vel ſine illo fine, aliaque cauſa concurrente hoc efficere intendit; Iuxtà primum ſenſum arbitrantur licitè hoc potuiſſe efficere, non ſic iuxta ſecundum; atque ſic ſentire videntur *Corduba q. 68. punct. 3., Medina C. de reb. reſtit. q. 5. fol. 86. verſ. dixi notanter*, prout eoſdem citat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtit. c. 4. nu. 53.* apud quos tamen hanc doctrinam non inuenio. Ratio primæ partis ex eo poteſt deduci, quia debitor ratione damni imminentis ſibi poteſt differre ſolutionem, vel paulatim eandem facere, ergo etiam ratione lucri ceſſantis poterit ipſam differre, eamque minutatim facere, quandòquidem, ſi ne res proprias perdat poteſt differre, cur non poterit differre, ne amittat intereſſe, cum intereſſe etiam ex pecunia aliena ſit propriũ ipſius debitoris. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia nullus titulus poteſt debitori ſuffragari in ordine ad differendam illam ſolutionem, vel paulatim eandem faciendam contrà voluntatem Domini. Nihilominus 2

Sententia aſſerens hoc poſſe efficere ex fine lucrandi, & alijs ſatisfaciẽdi, ſecus ſine tali fine.

Reſpondeo. Si fortior cauſa non interceſſerit, nec poſſe debitorem differre ſolutionem, nec per minutas ſolutiones eandem perficere inuito creditore. Conſentit expreſsè *Medina C. de reb. reſtit. q. 5.* quidquid in aduerſam partem ſiniſtrè referatur. Ratio ex eo deducitur, quia debitorem non excuſat impotentia à ſoluendo integrè, quia, vt ſupponitur in facti ſerie, potis eſt ad integram ſolutionem, ergo vrgente die ſolutionis tenebitur integram præſtare, cum Dominus non ſolum ſit inuitus ad non ſolutionem, ſed etiam ad ſolutionem dilatam, vel per minutas ſolutiones ex interuallo præſtitam, potiſſimum cum dies ipſa interpellet pro creditore; Neque item excuſare poteſt ipſum debitorem illa ratio lucri ceſ- 3

Sine fortiori cauſa nõ poteſt differre, nec minutatim ſoluere.

ceſſantis, de qua dicebatur pro contraria opinione; nam non eſt damnum debitori, quod non lucretur ex re aliena, ſicuti eſt damnum, quod ex rebus proprijs notabilitèr amittat, quod, ſi intereſſe, quod acquiritur ex re aliena, fiat proprium debitoris, vt præferebatur, hoc non officit, quia hic non agitur de lucro quæſito, ſed de lucro quærendo, ad quod ipſe debitor ius non habet, niſi quatenus Dominus rerum, ex quibus poteſt lucrari, permittat illarum detentionem, ſecus poſſet quicunque differre reſtitutionem rei debitæ ſub eo prætextu, quod, ſi ſtatim reſtitueret, non poſſet lucrari, quod non videtur dicendum.

Alias rationes pro hac opinione, & argumenta ex aduerſo appoſita, & ſoluta, vide penes *Medinam loc. cit.*, qui etiam procedit in ſtrictioribus terminis ſupponendo, quod ex integra reſtitutione conſtitueretur debitor in ſtatu, quo grauitèr indigeret, quod non auſim dicere.

4 *Explicatur in quonam conſiſtat hæc fortior ratio.*

Dixi, *ſi fortior cauſa non interuenerit*; ſi etenim primo inde aliquod graue damnũ immineret debitori, vel in vita, vel in fama, vel etiam in rebus familiaribus, ſicuti ex alibi dictis poſſet differre ſolutionem in toto, ità poſſet differre in parte. Secundo poſſet etiam ex æquitate quadam admitti, ſi ex illa dilatione, ſiue in toto, ſiue in parte nullum immineret damnum creditori, & ex alia pariet alijs non leue commodum proueniret, vt ſi v. g. ex illa dilatione poſſet aliquid lucrari, quo poſſet idem debitor alijs creditoribus ſatisfecere, quod eſt id, quod innuebat *Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. c. 4. nu. 53.*, quod, an ſit in rigore verum, non decerno. Certum eſt, quod *Medina loc. cit.* hanc cauſam non videtur approbare, cum ipſe creditor non teneatur, vt alijs creditoribus conſulat, relinquere ſua, ad quæ ius habet de præſenti.

---

§. XVIII.

An confeſſarius, qui debitori nolenti ſimul integre ſatisfacere creditori, cum poſſit, impendit abſolutionem, peccet, & an teneatur ad aliquam reſtitutionem.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Sententia aſſerens confeſſarium non peccare, nec teneri ad reſtitutionem. 2.
Grauitèr peccat confeſſarius, qui abſoluit nolentem integre ſatisfacere, cum poſſit. 3.
Probabilius tamen non tenetur ad reſtitutionem. 4.

DIſquiſitio XVIII. Titius erat debitor Antonij de ſumma egregia aureorum bis centum, quæ certè ſimul, & integrè poterat reſtituere, licet cum aliqua modica difficultate. Differebat ſolutionem ad effectum, vt inde moueret creditorem, vel ad concedendam dilationem, vel ad concedendam facultatem, vt poſſet paulatim reſtituere, cui, cum reſiſteret creditor, & ipſe in contumacia perſiſteret, acceſſit ad confeſſarium, cui expians ſua peccata ſimul expoſuit debitum illud, quo premebatur cum intentione quidem reſtituendi, ſed vel cum illa dilatione, vel cum illa ſolutione paulatim, & ad diſtincta tempora facienda. Confeſſarius illam promiſſionem ſoluendi poſt aliquod temporis, vel per illas ſolutiones paulatim excepit, ipſumque abſoluit. Quæſitum hic fuit, an confeſſarius in illa abſolutione peccauerit, & an ad aliquam reſtitutionem teneatur. 1 *Exponitur factũ.*

Summiſtæ, vt refert *Medina C. de rebus reſtit. q. 5. vers. nunc ad id*, quod eſt tertium dubium ab ipſo in eadem quinta quæſtione excitatum communitèr ſentiunt, nec peccare, nec ad aliquam reſtitutionem teneri, ad quod aſſerendum multis rationibus mouentur; primò, quia confeſſarius illam abſolutionem impendendo pie egit in ordine ad pænitentem, nam cæteroqui impænitens deceſſiſſet, & cum iactura ſalutis æternæ, cui & ipſe creditor debet proprium intereſſe poſtponere, & iacturam bonorum fortunæ, vt proximi ſui ſalutem æternam conſequatur. Secundò, quia hoc etiam præſtitit cum beneficio creditoris, quandòquidem per illam aliquando cõſequeretur, quod nunquam fortaſſis fuiſſet conſecuturus, & minutatim acciperet, quod fortaſſis ſimul nunquam accepiſſet. Nihilominùs 2 *Sententia aſſerẽs nõ peccare, nec teneri ad reſtitutionem.*

Reſpondeo primo, grauitèr peccare confeſſarium, qui ſic abſoluit pænitentem, qui, cum poſſit ſimul, & integrè ſatisfacere, tamen contra voluntatem Domini, ſeu creditoris renuit *Caietanus verb. Reſtitutio c. 6.*, *D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 8.*, *Medina C. de reb. reſtit. q. 5. ad 3. dubium, verſ. verum his non obſtantibus*. Ratio ex eo deducitur, quia pænitens, cum poſſit ſatisfacere, & teneatur illico, cum inſtet voluntas creditoris, & nolit id præſtare, per ipſam voluntatem ſtatim, & integrè non reſtituendi peccat, & perſeuerat ſaltem habitualiter, vt inquit Caietanus in peccato, ergo vtpotè impenitens non eſt abſoluendus, adeoque ſi confeſſa- 3 *Grauitèr peccat, qui nolẽtem integrè ſatisfacere, cum poſſet, abſoluit.*

Digitized by Google

rius impertietur abſolutionem grauitèr peccabit. Neque eundem confeſſarium excuſare poſſunt allegata pro contraria parte ſummiſtarum, quandoquidem, vt bene notat *Medina loco cit.*, bona, quæ indè poſſunt obuenire, non poſſunt cohoneſtare actionem ex genere ſuo malam, aſſerente Apoſtolo *Non ſunt facienda mala, vt bona obueniant*; Quis autem ambigat abſolutionem ſacramentalem impænitenti atributam eſſe ex genere ſuo malam,

Reſpondeo ſecundo probabilius eſſe confeſſarium, qui ſic impendit abſolutionem nolenti ſatisfacere, niſi ex interuallo, vel non niſi per partiales ſolutiones, non teneri ad aliquam reſtitutionem, *Medina loco ſupra cit. verſ. ſecundo videtur*. Ratio ex eo deducitur primo, quia per illam abſolutionem confeſſarius nullum præiuditium infert creditori; quod ex duplici capite euincitur, primo, quia per talem dilationem quodamodo conceſſam à confeſſario creditor conſequetur creditum, quod fortè ſine illa non eſſet conſecuturus. Secundò, quia per talem abſolutionem confeſſarius non demit actionem, nec ius, quod creditor habet aduerſus debitorem ad conſequendum immediatè, & totum ſimul ſuum creditum. Quod, ſi dixeris, quod ex illa abſolutione reddatur magis animoſior, & fortius firmetur in illo propoſito non reſtituendi, niſi ex interuallo, vel niſi per partiales ſolutiones, cum ſine illa fortaſſis motus fuerit ad ſtatim, & integrè perſoluendum; ſtatim impugnaberis, quia, ſi debitor indè firmet propoſitum eſt ex ipſius peruerſitate, nec talis dilatio propriè datur à cōfeſſario, ſed ipſe pænitens eandem ſibi accipit non liberè, & voluntariè conferente eodem confeſſario, ſed quodamodo permittente ad finem maioris damni creditori euitandi.

4 **Probabilius tamē non tenetur ad reſtitutionem.**

---

§. XIX.

An, ſi occiſus ante mortem omnia interfectori remittat, deobligetur hic à quocunque onere verſus filios occiſi.

SVMMARIVM.

Exponitur factum, & ratio dubitandi. 1.

Ex vi illius remiſſionis, quando non conſtat, an extendatur etiam ad damna temporalia nō liberatur interfector ab onere compenſationis talium damnorum. 2.

Ex æquitate tamen interfector, quamuis de voluntate interfecti conſtaret quoad remiſſionem teneretur filijs indigentibus ſubuenire. 3.

DIſquiſitio XIX. In quodam conflictu Caius grauiter vulnerauit Antonium perſonam pauperem, & plurima prole onuſtam. Cum vulnus acriter recrudeſceret, & eundem Antonium iam iam ad mortem deduceret, ipſe Antonius, antequam efflaret animā, vt ſe Deo magis diſponeret, apertis verbis iniuriam, & omnia ſuo interfectori remiſit, & condonauit. Hic quæſitum fuit, an ratione illius remiſſionis, & condonationis intelligatur interfector liber à quocunque onere erga filios, & prolem eiuſdem Antonij occiſi.

1 **Series facti, & ratio dubitandi.**

Ex duplici capite poteſt erui reſolutio propoſitæ difficultatis; primo, an ex intentione remittentis, ſeu condonantis ſub illis generalibus verbis intelligatur facta remiſſio non ſolum iniuriæ ſibi illatæ in illa occiſione, & pænarum, quas indè ſubire teneretur, an etiam quorumcunque damnorum, & intereſſe, quæ indè familiæ, & hæredibus obuenerunt; ſecundò, an dato etiam, quod conſtaret de intentione eiuſdem Antonij occiſi de remiſſione omnium etiam quoad damna, vi illius abſolueretur à quocunque onere erga eandem familiam, & filios pauperes.

Capita ex quibus poteſt erui reſolutio.

Reſpondeo primò. Ex vi illius remiſſionis conceptæ ſub illis terminis, quando non conſtat, an extendatur etiam ad damna, & intereſſe, probabilius eſt non extendi, ac proindè interfectorem non liberari ab onere compenſationis ipſorum erga filios, & familiam indegentes. Non arbitror diſcordare, *Sanchez in opuſc. tom. 1. lib. 1. c. 4. dub. 11. n. 6.*, dum aſſerit ex homicidio ſolum viri nobilis, & diuitis ex communi vſu nullam reſtituendi obligationem oriri, quia viri nobiles, & diuites ex communi conſuetudine videntur huic iuri renuntiare ſolius iniuriæ memores, quod idem videtur innuiſſe *Diana parte 5. tract. 4. reſol. 61.* Ratio ex eo deducitur, quia, cum talem condonationem, & remiſſionem præſtet, vt ſe diſponat ad Deum, ad cuius tribunal proximè vocatur, præſumendus eſt, quod ea dumtaxat remittat, & condonet, quæ de iure diuino, & humano condonare tenetur, quæque, ſi non condonaret, ſubiaceret tremēdo Dei iuditio, ſed non condonatio quoad refectionem damnorum, & intereſſe non obſtet iuri Diuino, nec non remittens, quoad hæc non caderet ſub Dei iudicio obligantis ad talem remiſſionem, cum re vera ad hanc non obliget, cum omni iuſtitiæ iure ſit debita, ergo &c. Secundo,

2 **Ex vi illius remiſſionis nō liberatur à compēſatione damnorū temporalium.**

quia

Digitized by Google

quia non eſt præſumendum, quod ipſe Antonius ſic grauitèr vulneratus, & ex illo vulnere morti proximus voluerit filios ſuos pauperes, & indigentes priuari humanis ſubſidijs eiſdē de iure debitis, cū deſtituantur ijs, quæ ex propria perſona eiſdem poterat præſtare, ergo remiſſio intelligenda eſt, quoad iniuriam, & pænas, non autem quoad damna, & intereſſe.

Reſpondeo ſecundò, quod quantumuis conſtaret, quod amplè remitteret etiam, quoad damna, & intereſſe, non propterea eximeretur interfector ſaltem, quoad naturalem pietatem, ſeu ex vi naturalis pietatis ad ſubueniendum filijs, & familiæ ipſius per compenſationem eorundem damnorum, & intereſſe. Ratio ex eo deducitur, quia Pater remittendo, ſeu condonando ſuo interfectori omnia non cenſetur exui naturali pietate erga filios, & familiam ſuam, ergo nec cenſendus eſt velle eos priuare ijs, quæ ex naturali pietate ipſis ſunt debita in ſubſidiū eius, ad quod ipſe teneretur, ſi ſuperſtes viueret. Confirmatur, quia ipſi filij, & familia ex cauſa, & quidem iniuſta ipſius interfectoris ſubiacerent illis miſerijs, & incommodis, quibus premuntur ex morte patris occiſi, & quibus non ſubiacerēt, ſi ille non eſſet occiſus, ergo non eſt, cur ipſe interfector ſaltem ex naturali pietate non teneatur damna illa reparare, vtpotè ex ſua cauſa obuenientia; nec ipſum eximit condonatio occiſi, quia illa condonatio ſumenda eſt, quatenus non obſtet ijs, quæ quodamodo iure naturali in ſimilibus circumſtantijs ſunt debita. Confirmatur ſecundò ex iuribus municipalibus plurimum locorum, quibus prohibetur teſtamentarijs condonare debitoribus vltra quartam debitorum partem, quæ quidem iura maximæ æquitati innituntur, quandoquidem aliter vergeret in maximum detrimentum hæredum, ergo ex maxima æquitate in fortioribus terminis prohibitum intelligitur, quod Pater cedat ſubſidijs, quæ ex morte ipſius omni iure competunt filijs maximè indigentibus, maximè cum deſtituantur ſubſidio eiuſdem Patris ex peruerſitate alterius occiſi.

3 Ex æquitate tamē interfector quantumuis conſtaret de voluntate interfecti tenetur filijs indigentibus ſubuenire.

§. XX.

An facta per Virginem defloratam ſtupratori remiſſione cuiuſcunque damni, hic liberetur à quocunque onere.

SVMMARIVM.

Exponitur factum. 1.
Sine remiſſione ſtuprator, tenetur ad damna. 2.
Rationes ſuadentes ratione illius remiſſionis liberari à quocunque onere. 3.
Si virgo ſtuprata remiſſerit quācunque iniuriā, & quodcunque damnum, & ſine maiori dote, equè benè fuerit nupta, ac ſi non fuiſſet ſtuprata, liberatur. 4.
Si non potuit æquè benè nubere, niſi cum additamento dotis, tenetur exceſſum ſtuprator compenſare. 5.

DIſquiſitio XX. Titius ſtuprauit Caiam virginem, & vtiq; diſſentientem. Poſt aliquod temporis eadem Caia eidem condonauit iniuriam ſibi factā, & quidquid damni ex tali iniuria conſequitur, non tamen remiſerunt Parentes eiuſdem Caiæ. Quæſitum hic fuit, an per talem remiſſionem factam à Caia idem Titius intelligatur deobligatus à quocunque onere, tam verſus eandem Caiam, quam verſus parentes eiuſdem. 1 Dilucidatur factū.

Ob ipſam violationem, ſeu ſtuprum nulla facta remiſſione per eandem virginem ſtupratam obligari Titium ſtuprantem ad compenſationem damnorum docent communitèr DD. *Medina in ſumma lib. 1. c. 14., Corduba lib. 1. q. 13. dict. 4., & 7., Salonius in 2.2. D. Thomæ q. 62. art. 2., Valentia tom. 3. diſp. 9. q. 3. punct. 3., Silvius 2.2. q. 62. art. 2. q. 5. concl. 2., Caietanus in ſumma verb. reſtitutio §. quia vero*, qui omnes procedunt, quando virgo ſtuprata eſt importunis precibus, & vehementibus blandicijs; Quod dicerent iam, ſi eſſet ſtuprata diſſentiens, & inuita? Sed an ipſa, ita poſſit remittere, vt per ſolam ipſius remiſſionem abſolutè liberetur ſtuprator à quocunque onere reſtitutionis? hoc opus, hic labor eſt. 2 Sine remiſſione ſtuprator tenetur ad damna.

Liberari videtur abſolutè dicendum, quandoquidem ipſa eſt abſolutè domina ſui corporis, & quoad ea, quæ pertinent ad vſum ipſius videtur eſſe independens à voluntate parentum, & propterea, ſi quid in eodem paſſa eſt, videtur independenter ab eiſdem poſſe remittere, cum quoad ea, quæ ſui iuris abſolutè ſunt, poſ- 3 Rationes ſuadentes liberari à quocunq; onere.

ſit

ſit pro libertate diſponere. Nihilominùs in ordine ad ea, quæ ex tali ſtupratione violenta poſſunt conſequi, videtur quoquo modo ad eoſdem parentes pertinere; cum etenim eiſdem onus incumbat eam dotandi, & in conuenientes, & congruas nuptias proprio ſtatui coniungendi, ideo conſiderandum eſt, an non obſtante illo ſtupro poſſet virgo æquè commodis nuptijs, & congruis copulari ſine maiori dote illa, quam parentes dediſſent, ſi non fuiſſet ſtuprata, quaque commodè, & congruè iuxta ſtatum ſuum nupſiſſet; an vero eodem ſtupro obſtante non poſſit æqualibus nuptijs copulari, niſi dos conſiderabilitèr augeatur, & iuxtà hunc vtrumque ſenſum dirimenda eſt præſens difficultas.

4 **Si æquè bene nupſit ſine maiori dote ſtuprator ſtante illa remiſſione liberatur.**

Reſpondeo primò. Si virgo ſtuprata remiſerit ſuo ſtupratori iniuriá, & quodcunque damnum inde ſecutum, & non obſtante tali ſtupro ſine maiori parentum onere in augenda dote æquè congruè nupſerit, ac ſi non fuiſſet ſtuprata, ità vt nullum detrimentum paſſa fuerit, niſi in pudicitia violata violator ipſe non debet quidquam, nec eidem, nec parentibus reſtituere *Nauarrus in man. c. 16. à nu. 17., Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 10. dub. 2. nu. 11., Tannerus in 2. 2. disp. 4. q. 6. dub. 3. nu. 133., Filliutius tom. 2. tract. 32. c. 8. num. 221., Villalobos in summa tom. 2. tract. 11. dub. 30. nu. 14., Turrianus tom. 2. in 2. 2. disp. 30. dub. 3. nu. 2.* Ratio ex eo deduci poteſt, quia nullum ſecutum eſt detrimentum parentibus in temporalibus, ſed ſolum quoad pudicitiam violatam, ex qua quodamodo quid honoris læditur potius verſus eandem fæminam violatam, quam erga parentes, licet eos quodamodo etiam afficiat, ergo, ſi eadem virgo, ſeu fæmina violata iniuriam, & quodcunque ſibi competens ratione violationis remiſerit, ſeu condonauerit non tenebitur violator quidquam ipſi, vel parentibus erogare. Antecedens patet, quia æquè congruè nupſit, ac ſi non fuerit violata, nec parentes quidquam erogarunt in dotem ſupra illud, quod dediſſent, ſi non fuiſſet ſtuprata; quoad pudicitiam poſtea violatam parentes nullum ius acquirunt, cum etenim ipſa fæmina ſit domina ſui corporis poteſt quamcunque læſionem circa ipſum ſecutam libere condonare, & quamuis daremus, quod aliquo modo parentes in illa læſione pudicitiæ fuerint læſi quoad honorem, hic non eſt compenſabilis per bona fortunæ.

Reſpondeo ſecundò. Si fæmina violata non potuit æquè congrue nubere, niſi per parentes dos eidem in conſiderabili ſumma augeretur, quantumuis ipſa gratis remiſerit violatori, probabilius non eximitur violator ab onere compenſandi illum exceſſum, quem parentes contulerunt ad congruas nuptias, quem non cõtuliſſent, ſi non fuiſſet ſtuprata. Rationem ex eo deduco, quia ipſe ſtuprator ratione illius ſtupri fuit cauſa, & quidem iniuſta, ratione cuius parentes ad ſaluandam decentiam proprij ſtatus in nuptijs illius filiæ violatæ compulſi fuerint ad erogandum illum exceſſum in præiudicium proprium, ergo non eſt, cur ſtuprator non teneatur illum exceſſum parentibus compenſare; Neque dicas, quod ipſa fęmina per illam remiſſionem factam violatori videatur ceſſiſſe iuri ſuo in ordine ad congruas nuptias, ac proinde parentes non teneri quid vltrà conferre in dotem ſupra id, quod contuliſſent, ſi non fuiſſet ſtuprata, vnde, ſi quid ſupra illud contulerint, contulerunt ex propriæ voluntatis arbitrio, cuius propterea non poſſunt exigere compenſationem; contrà enim impugnaberis, quia ad parentes maximè ſpectat conſeruare decentiam, & honeſtatem proprij ſtatus maximè in congruis nuptijs filiarum, & poſſunt iuſtè velle, quod ad viliorem ſtatum non tranſeant, cum ſecus cederet in dedecus vniuerſæ familiæ, adeòque non eſt, cur ſi ex cauſa ſtupratoris ad ſeruandam illam decentiam tenentur quid magis erogare, non poſſint iuſtè compenſationem illius exceſſus à ſtupratore exigere.

5 **Si nõ potuit æquè bene nubere, & parentes maiorem dotẽ contulerint, tenetur ſtuprator erogare exceſſum.**

Soluitur inſtantia oppoſita.

§. XXI.

An debitum pauperibus tollatur per eleemoſinas alijs factas licet non hoc intuitu ob obliuionem.

SVMMARIVM.

Ex omiſſione horarum canonicarum tenetur beneficiarius redditus beneficij correſpondentes omiſſioni pauperibus erogare. 1.

Proponitur dubium ad normam tituli. Ibid.

Sententia aſſerens ex vi illarum eleemoſinarum præcedentium etiam ſine intuitu ſatisfaciendi pro omiſſione beneficiarium liberari. 2.

Abſolutè non liberatur. 3.

Euincitur manifeſtè ex declaratione Alexandri VII. 4.

Disquiſitio XXI. Titius beneficiarius ex negligentia per annum integrum omiſit horas canonicas recitare,

re, propter quam omiſſionem ſuppono teneri redditus beneficij correſpondentes illi oneri recitandi eaſdem horas erogare pauperibus. Intra eundem annum, pro quo omiſit huiuſmodi recitationem, plurima expendit in pias eleemoſinas, alioſq; vſus pios, & quidem excedentia valorem redditúum, quos debuiſſet ex omiſſione illius recitationis in pauperes erogare. Quæſitum hic fuit, an non obſtante, quod illas eleemoſinas, & erogationes in vſus pios non fecerit eo intuitu, vt ſatisfaceret illi debito erga pauperes, intelligatur ex vi illarum liber ab illo onere conferendi illos redditus in vſus pauperum.

1 *Beneficiarius non recitans horas canonicas tenetur fructus pauperibus erogare.*

2 *Sententia aſſerēs ex vi illarum eleemoſinarū præcedētium liberari.*

Proponit hanc difficultatem *Paulus Laiman in Theol. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 2. c. 12. n. 9.*, & expreſsè aſſerit beneficiarium ex vi illarum eleemoſinarum, quamuis non intuitu illo factarum liberari ab illo onere contribuendi redditus illos in pauperes, cui adhæſit *Diana part. 3. tract. 6. reſol.* 57. Rationem ex eo potiſſimum deducunt, quia hæc opinio innititur probabili fundamento, cum ſit ſuffulta auctoritatibus plurimorum Doctorum, quos tamen ipſi non referunt; tum quia talis præſumenda eſt intentio elargientium eleemoſinas ſatisfaciendi ſcilicèt per eas omnibus obligationibus, quas ſuis peccatis, & negligentijs contraxerunt, tum quia tandem, cum ex lege duntaxat Eccleſiaſtica teneantur illos redditus in eleemoſinas pauperum erogare, non videntur ità arctè obligandi, vt ſi æquiualens in pias eleemoſinas erogauerint, teneātur illos itidem redditus erogare, nam lege Eccleſiaſticæ benignam recipiunt interpretationem. Nihilominùs

3 *Abſolutè non liberatur.*

Contraria opinio certa omninò videtur, quandòquidem, quod gratuito omninò, & liberali voluntate elargitum eſt, non videtur ad exonus debiti referendum, cum ſub eo reſpectu, & ratione teneat traditio, ſub quo, vel qua procedit voluntas tradentis; tota etenim vis eiuſdem traditionis deſumitur ex eadem tradentis intentione, & voluntate, ergo, cum voluntas tradentis in eleemoſinam procedat ex motiuo liberalitatis, & gratuitæ eleemoſinę, non poteſt eidem elargitioni tribuere vim, vt cedat in titulum oneroſum, & ad exonus rei titulo oneroſo debitę; nec obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi ad illud debitum aduertiſſet in illa eleemoſinarum largitione, voluntatem retuliſſet ad illius exonus; non, inquam, obſtare poteſt; quia in ſimilibus attenditur ad id, quod factum eſt, non ad id, quod feciſſet, ſi cognouiſſet, cum actualis diſpoſitio voluntatis in his operatur, non conditionalis. Confirmari poteſt primo, quia, ſi quis fuerit inſtitutus hæres cum onere diſpenſandi in pauperes centum nummos aureos, & ignarus illius oneris totidem ex ſua liberalitate in pias eleemoſinas diſpenſarit nullo habitu reſpectu ad illud onus legati, certè non intelligitur ſatisfeciſſe illi oneri, quandòquidem illa eleemoſinarum largitio prouenit ex mero motiuo charitatis, illud autem onus ſoluendi legatum pauperibus prouenit ex motiuo rigoroſæ iuſtitiæ, quod non diſſoluit opus charitatis, cum hoc ad illud, nec ex genere ſuo, nec ex voluntate largientis non referatur; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ videntur adſtruere *Laiman, & Diana loc. cit.* de onere iuris Eccleſiaſtici præciſè, & de onere iuris naturalis, quatenus dicunt, quod, quando obligatio ex iure tantum Eccleſiaſtico promanat, cuiuſmodi aſſerunt eſſe obligationem beneficiarij ex omiſſione horarum canonicarum reſtituendi fructus pauperibus, verè ſatisfiat, ſeu liberetur debitor ab onere vlterioris ſatisfactionis, ſi totidem in pias eleemoſinas erogauerit, etiam non habito reſpectu ad illud debitum; quando verò obligatio eſt ex iure naturali, cuiuſmodi eſt obligatio reddendi res furtiuas, vel alio titulo debitas aſſerunt per liberas donationes factas creditori, hunc non liberari ab onere illius debiti, quia illæ fuerunt liberè datę. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quandòquidem ad rem noſtram id præſtat Eccleſiæ diſpoſitio de huiuſmodi fructibus reddendis pauperibus, quod præſtat voluntas teſtatoris de eiſdem pauperibus legato erogando, potiſſimum cum illud debitum, quo premitur beneficiarius ad reſtituendos redditus ob non recitationem horarum canonicarum ſit de iure naturæ, & ex rigoroſa iuſtitia, cum in tantum illos fructus ipſe percipiat, in quantum recitat eaſdem horas canonicas, nec alio titulo poſſit recipere; vnde Eccleſia tantum diſponit, cui ſit erogandum illud, quod iure naturæ, & titulo iuſtitiæ eſt debitum; Atque modo non videtur amplius dubitandum, cum contraria opinio fuerit expreſsè damnata per Alexandrum VII. feria 5. die 18. Martij 1666. in damnatione propoſitionis 33., quæ ſic habebat *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt, per quaſcunque eleemoſinas, quas antea beneficiarius de fructibus beneficij fecerit.*

Rationes ſuadentes aſſertionē

4 *Reſponſio hæc firmata eſt per declarationem Alexandri VII.*

§. XXII.

Digitized by Google

§. XXII.

An, ſi quis determinatæ perſonæ donum dederit ex gratuita voluntate centum aureorum eximatur ab onere centum, quos ex iuſtitia eidem debet, ſi donum fecerit immemor illius debiti.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens per illam donationem non deobligari à debito. 2.
Hac ſententia à nobis defenditur. 3.

1 Status diſquiſitionis expoſitus. DIſquiſitio XXII. Inter hanc, & præcedentem diſquiſitionem hoc intercedit diſcrimen, quod in præcedenti ſupponitur, quod debitum non reſpiciat determinatam perſonam, ſed pauperes in communi, in præſenti ſupponitur, quod debitum ſit erga determinatum creditorem; in præcedenti determinatio in ordine ad pauperes eſt præciſè ex diſpoſitione Eccleſiæ, non ex iure naturali; in præſenti autem eſt ex iure naturali, ſeu ex natura contractus. Hic iam ſuppoſito, quod debitum ſit erga determinatam perſonam, & ex iure naturali quæritur, an, ſi debitor immemor debiti ex iure naturali ex titulo gratuitæ donationis tot creditori contulerit, quot erat debitor, ex iuſtitia, ſeu ex iure naturali, intelligatur immunis, ſeu liberari ab illo debito.

2 Sententia aſſerens non deobligari à debito. Diana *parte 3. tract. 6. reſol. 57.*, qui antecedenter ſenſerat, quod, quando obligatio eſt ex omiſſione recitationis horarum canonicarum refundendi in pauperes redditus beneficij ad ratam eiuſdem omiſſionis, ſi æqualem eleemoſinam licet non eo intuitu in eoſdem pauperes erogauerit, deobligetur ab onere tribuendi eoſdem redditus, nunc docet, quod, ſi obligatio ſit ex iure naturali quantumuis creditori determinato contulerit æqualem quantitatem debito ex titulo gratuitæ donationis ſine intuitu etiam ad illud debitum, non deobligatur atq; pro hac opinione adducit *Leſſiū lib. 2. cap. 37. n. 11.*, *Lopez de contract. lib. 2. cap. vlt. prope fin.*, *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 1. c. 13. num. 11.*

3 Hæc ſententia prę fertur, & defēditur. Nos, qui in præcedenti docuimus probabilius etiam eſſe in caſu tunc occurrenti iuxta terminos ibi expoſitos de debito ex omiſſione horarum canonicarum beneficiarium non deobligari, in fortioribus terminis ſuſtinere debemus in caſu præſenti non deobligari debitorem ex iure naturali ab onere reſtitutionis ex eo, quod æqualem ſummam ſuo creditori erogauerit titulo gratuitæ donationis, vel liberalis elargitionis. Rationes, quas pro præcedenti caſu attulimus in præcedenti diſquiſitione, hoc manifeſtè euincunt, ad quas vos remitto.

§. XXIII.

An, qui acceptat donationem nomine alterius abſentis poſſit eam condonare, adeout promiſſor deobligetur ab onere promiſſionis, ſeu donationis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Enumerantur, qui poſſint pro abſente acceptare. 2.
Vt valida ſit acceptatio verba promiſſionis debent dirigi ad præſentem acceptantem. 3.
Stipulator qui nomine alterius abſentis acceptauit, non poteſt eam validè remittere. 4.
Abſens tamen, cuius nomine facta eſt acceptatio, poteſt donationem remittere. 5.

DIſquiſitio XXIII. Promiſſionem de donando, ſeu donationem fecerat Caius Titio abſenti, & nomine eiuſdem Titij abſentis, alter, qui de iure poterat, promiſſionem illam, ſeu donationem acceptauit. Antequam res deferretur ad principalem promiſſarium, ſeu donatarium, ille, qui nomine ipſius acceptauerat, condonauit, ſeu remiſit illam promiſſionem, ſeu donationem. Quæſitum hic fuit, an illa remiſſio, ſeu condonatio efficax fuerit ad liberādum promiſſorem, ſeu donantem ab onere executionis eiuſdem promiſſionis, ſeu donationis? 1 Factū expoſitū in ſuis terminis.

Dixi, *qui de iure poterat promiſſionem illam, ſeu donationem nomine abſentis acceptare*. Pro quo aduerte non quemlibet poſſe pro altero abſente acceptare, vt habetur *in §. ſi quis alij Inſtit. de inutil. ſtipulat.*, vbi ſic legitur. *Si quis alij, quam ei, cuius iuri ſubiectus eſt, ſtipuletur, nihil agit*, ſed nonnullos dumtaxat, quos nunc enumero; primo nomine abſentis poſſunt illi acceptare, qui ſub ipſius donatarij, ſeu promiſſarij generali poteſtate ſunt, vt filius familias pro patre, ſeruus propriè ſumptus pro domino, Religioſus pro Prælato, ſeu Monaſterio, cum cenſeantur quodamodo vna perſona cum eodem donatario, ſeu promiſſario, & hoc colligitur *ex d. §. ſi quis alij Inſtit. de inutil. ſtipul.*, vbi 2 Enumerātur, qui poſſint pro alio abſente acceptare

vbi, cum dicatur, quod, ſi alius ſtipulatur pro alio ab eo, qui ſubiectus eſt, ipſi promiſſario nihil agat à contrario ſenſu deducitur, quod, ſi ſtipulatio fiat ab eo, qui ipſi promiſſario eſt ſubiectus, teneat. Secundo, poſſunt pro abſente ſtipulari illi, qui ex tali promiſſione, vel donatione commodum aliquod reportare poſſunt, vel aliquo onere liberari, per textum *in §. ſed, ſi quis Inſtit. de inut. ſtipul.*, qua ratione poteſt creditor pro debitore, ſocius pro ſocio, vxor pro marito. Tertio, poſſunt ſtipulari pro abſenti illi, in quorum fauorem in ipſa promiſſione, vel donatione adiecta eſt pæna, *Coaruuias in c. quamuis pactum part. 2. §. 4. n. 5.* Quarto, illi, qui aliorum curam gerunt, vt Pater pro filio, Tutor pro pupillo, curator pro furioſo, & Princeps pro ſubdito. Sed, an Notarius publicus poſſit pro quocunque abſente ſtipulari, maximè, ſi ipſe conficiat inſtrumentum diſputant DD. *Sancius lib. 2. diſp. 7. n. 11.* vult tantum poſſe ſtipulari in iudicio; nos de hac materia fusè agemus alibi. Sexto, poteſt ſtipulari quicunque habet generalem, vel ſpecialem commiſſionem. Octauo, poteſt quicunque priuatus in fauorem Eccleſiæ, ſeu cauſæ piæ, per praxim communitèr receptam *in c. quoties cordis 1. q. 2.*

3 *Vt valida ſit acceptatio verba promiſſionis debeat dirigi ad præſentem acceptantē.*

Aduerte tamen, vt quicunque ex enumeratis validè acceptet promiſſionem, ſeu donationem abſenti factam, requiratur, vt verba obligationis, ſeu promiſſionis dirigantur expreſsè, vel implicitè ad præſentem, vt ſi donans, & promittens dicat *Promitto tibi me daturum centum Titio abſenti*, ſi enim diceret, Promitto dare cētum Titio, vel promitto Titio abſenti, me illi daturum centum, non ſubſiſteret ſtipulatio facta à præſente. Ratio eſt, quia, vt pactum ſubſiſtat, requiritur mutuus vtriuſque conſenſus, qui non eſt, quando promiſſarius eſt abſens, & promiſſio non dirigitur in ſtipulantem præſentem. His ſic pro notitia ſuppoſitis.

4 *Stipulator pro abſente, nō poteſt donationem validè remittere.*

Reſpondeo, ſtipulator, qui promiſſionem, vel donationem validè acceptauit pro altero abſente, non poteſt eam validè remittere, & condonare, adeò vt illa condonatio deobliget promiſſorem, & donantem. In hanc reſponſionem expreſsè propendet *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 18. dub. 7. n. 50.*, hancque communiorem eſſe DD. exiſtimo. Ratio ex eo deducitur, quia ex diſpoſitione iuris per illam acceptationem factam à perſona apta ad ſtipulandum nomine abſentis abſens ipſe acquirit ius in ipſam promiſſionem, ſeu donationem, vel in rem promiſſam, ſeu donatam; ad hoc enim iura requirunt huiuſmodi perſonas cum talibus qualitatibus, & excludunt alias non habentes illas conditiones ad validè ſtipulandum, quia per illorum ſtipulationem acquiritur ius ipſi promiſſario, qui licet poſſit donationem illam, ſeu promiſſionem repudiare, ex vi tamen ſtipulationis iam factæ per perſonam habilem promiſſor non poteſt recedere à promiſſione, ergo, cum ius illud iam fuerit quæſitum promiſſario, ſtipulans nomine ipſius non poterit remittere, ſeu condonare promiſſionem; quamuis etenim in fauorabilibus perſona ex diſpoſitione iuris habilis poſit acceptare, non tamen poteſt remittere, cum talis remiſſio odioſa ſit ipſi promiſſario. *Abſens acquiſiuit ius.*

5 *Abſens tamen, cuius nomine facta eſt acceptatio, poteſt remittere.*

Ex quibus poteris deducere, quod ipſe principalis promiſſarius abſens poſſit talem promiſſionem condonare, quandòquidem, cum alter acceptauerit nomine, & ad beneplacitum ipſius, non poteſt habere aliquam vim, niſi in voluntate eiuſdem promiſſarij, qui propterea, ſi illam repudiet, abſolutè irrita eſt, quæ adeò vera ſunt, vt promiſſarius ipſe poſſit remittere, quantumuis ipſa remiſſio quoquo modo cederet in præiuditium ipſius ſtipulantis, vt benè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 18. dub. 7. n. 50.*, vt contingeret in caſu, quo ſtipulans eſſet creditor ipſius promiſſarij, qui in illa ſtipulatione maius ius acquirit, ſeu maiorem firmitatem in ſuo credito, quatenus poſſet facilius à promiſſario ſuo debitore ſatisfieri, ex renunciatione verò facta per eundem promiſſarium firmitatem quodamodo amittit in credito, quatenus non ita facilè poteſt ſatisfieri.

---

§. XXIV.

An ſtipulator donationis nomine alterius, qui inuicem promiſſori aliquod repromiſit, poſſit condonare donationem.

SVMMARIVM.

Senſus diſquiſitionis exponitur. 1.

Proponitur ſententia aſſerens, non ſolum ex vi repromiſsionis, ſed etiam ex vi ſimplicis ſtipulationis nomine abſentis poſſe condonare promiſſum. 2.

Refellitur hæc ſententia, & ſoluuntur ipſius argumenta. 3.

Ex vi illius repromiſsionis præcisè poteſt ſtipulator condonare promiſſum. 4.

1 *Factū expoſitum.*

DIſquiſitio XXIV. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Caius Titio

tio abſenti promiſſionem, ſeu donationem fecit de centum, quam nomine eiuſdem Titij Sempronius ex diſpoſitione iuris habilis acceptauit, ſed in ipſamet promiſſione, & acceptatione idem Sempronius aliquid repromiſit Caio promittenti, ſeu donanti. Quæſitum hic fuit, an idem Sempronius ad ſe liberandum ab onere repromiſſionis poſſet condonare, ſeu remittere Caio promiſſum, ſeu donationem à ſe ipſo nomine Titij acceptatam?

Collector *decis. Pedamon. in* 70. altius rem indagando aſſerit abſolutè ſtipulantem poſſe illam donationem, ſeu promiſſionem remittere non ſolum ex vi repromiſſionis, ſed etiam ſimplicitèr ex vi ſtipulationis per ſe ipſum factæ nomine abſentis, ad quod multis rationibus mouetur; primo *ex reg. 35. ff. de reg. iur.*, vbi dicitur *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidquam diſſoluere, quo colligatum eſt*, ſed hoc vinculum colligatum eſt ex acceptatione ſtipulantis, ergo poterit ipſius remiſſione diſſolui. Secundò, quia nec de iure naturæ, nec de iure poſitiuo impeditur, quo minus ſtipulator poſſit illam ſtipulationem quam fecit, & per conſequens donationem remittere. Tertiò, quia ſtipulans non tenetur abſenti indicare, ſe in fauorem ipſius ſtipulatum fuiſſe, adeòque &c.

2 **Proponitur ſentētia aſſerēs nō ſolum ex vi repromiſſionis, ſed etiam ex vi ſimplicis ſtipulationis nomine abſentis poſſe cōdonare promiſſū.**

Sed propter has præcisè rationes huic opinioni adhærendum non arbitror, cum nil negotij faceſſant; non prima, quia illa regula iuris valet dumtaxat, quando ex vinculo, quod contrahitur, pullulant iura inter ipſos contrahentes, ſecus, quando tranſeunt in fauorem tertij, quia tunc requiritur conſenſus etiam ipſius; Non ſecunda, quia ex iure poſitiuo ſatis conſtat ſaltem deductiuè ſtipulantem nomine alterius non poſſe remittere ius principalis promiſſarij; cum etenim iura decernant, quod non quilibet poſſit ſtipulari nomine alterius, ſed dumtaxat determinatæ perſonæ, hoc vtique ad eum effectum præſcribunt, vt ius acquiratur promiſſario, cæteroqui vnuſquiſque poſſet pro alio ſtipulari; ex eo autem, quod velit ius ex illa ſtipulatione acquiri tertio ex generaliſſima regula deducitur, quod quod ipſe ſtipulator nō poſſit illud ius condonare, cum nemo ius alterius eo inſcio poſſit remittere; Non tertia, quia quantumuis ipſe ſtipulator non teneatur indicare ſtipulationem à ſe ipſo factam nomine ipſius promiſſario, non tollitur tamen quin re vera ratione ipſius ſtipulationis ius ſit acquiſitum ipſi promiſſario. Cæterum, ſi quid euinceret hæc tertia aduerſantium ratio, dicere etiam poſſemus, quod ex eo, quod hæres non manifeſtaret legatario à teſtatore eidem relictum, eximeretur &c. quod &c. Quamobrem ob has rationes non poteſt euinci, quod ſtipulator, qui aliquid promiſſori repromiſit poſſit ſtipulationem, ſeu donationē remittere promiſſori. Aliunde igitur, ſi hoc debet admitti, ratio deſumenda eſt, ſcilicèt ex ipſa ratione repromiſſionis.

3 **Refellitur hæc ſētentia, & ipſius argumenta.**

Reſpondeo igitur, ex vi illius repromiſſionis prçcisè poſſe ſtipulatorem condonare donationem, cui ipſe adſtipulatus eſt in fauorem abſentis, ſi promiſſor conſentiat. Conſentit in hoc *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 18. dub. 7. n. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia illa adſtipulatio cum illo onere repromiſſionis grauoſa eſt ipſi adſtipulanti, ergo ad ſe eximendum ab illo onere conſentiente promiſſore poterit eidem adſtipulationi renuntiare, eamque cum donatione remittere. Conſequentia probatur, quia vnicuique liberum eſt ſe ab onere redimere, quod cum alio contraxit conſentiente eo, cum quo contraxit; Neque obeſſe poteſt ratio ſuperius adducta, quod ſcilicèt ex vi illius ſtipulationis iam fuerit acquiſitum ius promiſſario, in cuius præiudicium non poſſit propterea ſtipulans renuntiare, quantumuis illi incumbat illud onus repromiſſionis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illa adſtipulatio ſit oneroſa ex parte ſtipulantis, cum per illam ſibimet ipſi impoſuerit obligationem, vtique poteſt ſe eximere ab illa obligatione per ea, per quæ illam contraxit, nempè reuocando illam repromiſſionem acceptante, ſeu conſentiente eo, ad quem facta fuerat illa repromiſſio, quo in caſu ratione eiuſdem reuocationis intelligitur implicitè remitti ſtipulatio in fauorem promiſſarij, cum acceptatio ſit cum illa qualitate repromiſſionis, qua propterea &c.

Ex vi repromiſſionis præcisè poteſt ſtipulator cōdonare promiſſū. 4

---

§. XXV.

An remiſſio delicti facta à Principe, ſeu gratia pro delicto liberet delinquentem ab onere erga Fiſcum.

SVMMARIVM.

In quo ſenſu accipiendus ſit titulus. 1.
Ratio ſuadens non liberare ab onere erga fiſcum. 2.
Per illam gratiam non ſolum liberatur perſona delinquentis, ſed etiam eius bona. 3.
Limita in caſu, quo Princeps non ſoleret gratiam facere, niſi quoad pœnas corporales. 4.
Soluitur ratio oppoſita. 5.

Diſqui-

1 *Expoſitio tituli.* DIſquiſitio XXV. Atrox, & enorme delictum commiſerat Antonius, ob quod à gratia Principis deciderat, & ipſius bona fuerant publicata, vel erant publicanda. Poſt aliquod temporis idem Antonius obtinuit à Principe gratiam pro delicto, ſeu remiſſionem. Quæſitum hic fuit, an per talem remiſſionem, ſeu gratiam pro delicto ſit reſtituendus in omnibus ſuis bonis, ſi fortè fuerint iam publicata, vel liberetur ab onere publicationis, ſi fortaſſis adhuc non fuerint publicata.

2 *Ratio ſuadens non liberare ab onere erga fiſcũ.* Ratio dubitandi ex eo deducitur, quia, vbi in conceſſione gratiæ non facta fuerit expreſſio, quod intelligatur tam quoad perſonam, quàm quoad bona, videtur, cum agatur de præiudicio tertij, nempè fiſci faciendam eſſe ſtrictam interpretationem, cum Principes non ſoleant in præiudicium tertij gratias apponere, niſi de illo faciant expreſſam mentionem. Cum autem in præſenti hypotheſi ſupponatur, quod præciſè Princeps dixerint *Facio tibi gratiam pro delicto*, nihilque dixerit quoad bona, gratia videtur reſtringenda quoad perſonam. Quare præcipuè in hoc dominio Mediolanenſi, cum vt aſſerit *Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. pract. crimin. q. 59. n. 4.* non ſoleant Principes gratiam concedere quoad bona, ſed dumtaxat quoad perſonas, non videtur poſſe fieri extenſio ad bona, quinimmo, cum Princeps ſoleat in indulto addere illam particulam *quoad pœnam corporalem tantum*, aſſerit idem Iulius Clarus, quod, ſi illa particula quandòque omitteretur, non propterea eſſet facienda extenſio ad bona, cum deberet cenſeri omiſſa per errorem, & haberi pro appoſita.

3 *Non ſolũ liberatur perſona delinquẽtis, ſed etiam eius bona.* Reſpondeo per illam remiſſionem, ſeu gratiam pro delicto intelligi Antonium non ſolum immunem à pœna corporali, ſed etiam liberum quoad bona *Bartolus in l. fin. n. 11. C. de ſent. paſ. Boſſius in tit. de remed. ex ſola clem. Princip. n. 1. & ſeqq. vbi aſſerit hanc eſſe communem opinionem*, *Petrus Bellus de re milit. fol. 123. n. 21. Iulius Clarus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia eo ipſo, quod Princeps ſimplicitèr condonat delictum, intelligitur indefinitè remittere pœnas, quæ ex eodem delicto conſequuntur, niſi de aliqua expreſſam faciat exceptionem, ſed inter pœnas ex delicto debitas eſt confiſcatio bonorum vltrà pœnas corporales, ergo non ſolum intelligitur per illam condonationem fieri remiſſio pœnæ corporalis, ſed etiam bonorum temporalium, quæ vel fuerant confiſcanda, vel erant iam confiſcata. Confirmatur, quia Princeps dicendo *Facio tibi gratiam pro delicto* idem videtur dicere, ac te in priſtino ſtatu conſtituo, ac ſi non deliquiſſes, & hoc ex benigno meæ voluntatis arbitrio, & de plenitudine meæ poteſtatis, ſed quando ità conſtituitur in ſtatu, ac ſi non deliquiſſet, vult, quod non ſolum non puniatur in corpore, ſed etiam quod non deſtituatur bonis, quibus antecedentèr ad delictum gaudebat, ceteroqui non conſtitueretur in priſtino ſtatu, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quia, quando Principes nollunt ſub illa gratia comprehendi bona, apponunt particulas reſtrictiuas quoad pœnas corporales tantum, ergo cum nullam apponunt reſtrictionem ex benigna eorundem voluntatis interpretatione largè interpretandum eſt reſcriptum, vt extendatur ad remiſſionem omnium pœnarum, & bonorum etiam confiſcatorum, ſeu confiſcandorũ.

Limitanda tamen eſt aſſertio in caſu, quo ex conſuetudine iam præſcripta Princeps in aliqua determinata ditione non concederet gratiam, niſi quoad pœnas corporales, quia tunc Principis diſpoſitio interpretationem reciperet ab ipſa conſuetudine. Non libenter tamen annuerem dicto Iulij Clari in caſu, quo aſſerit, quod, ſi Princeps ſolitus eſſet in huiuſmodi cõceſſionibus apponere clauſulam reſtrictiuam *quoad pœnas corporales tantum*, & quandòque illam omiſerit apponere, intelligatur omiſſa ex errore, & haberi pro appoſita; non, inquam, poſſum de facili acquieſcere, quia, ex quo ſolitus eſt apponere, & de facto hic, & nunc non appoſuit, præſumi poteſt, quod ideo non appoſuerit, quia voluerit gratiam non reſtringi, ſed pleno iure ſuum effectum conſequi. Nihilominùs in hac etiã ſuppoſitione, vbi ex coniecturis non poſſet innoteſcere, an fuerit omiſſa ex errore, an ex motiuo plenæ, & integræ remiſſionis etiam quoad bona eundem Principem conſulendum eſſe arbitror, quod, ſi hoc non poſſet, non leuis ratio militaret pro fiſco, cum clauſulæ, quæ apponi ſolent ex ſtilo, habeantur pro appoſitis. 4 *Niſi ex conſuetudine Princeps non remittat, niſi quoad pœnas corporales.*

Ad rationem, quæ pro parte aduerſa apponitur, nunc reſpondendum eſt, quod cum Fiſcus gerat perſonam Principis cõcedentis ipſe Princeps per illam remiſſionem alij non præiudicet, quam ſibi, & cum libere remiſerit ſine vlla prorſus exceptione nullo etiam habito reſpectu ad ſe ipſum remiſiſſe cenſendus eſt, & Princeps in ordine ad aliorum præiudicium non procedit, niſi ex graui cauſa, & præcipuè, non niſi in ordine ad bonum commune; in ordine verò ad præiudicium fiſci etiam ex cauſa omninò ſibi libera ſolet procedere. 5 *Soluitur ratio oppoſita.*

Digitized by Google

§. XXVI.

An in ſuppoſitione, qua gratia Principis pro delicto comprehendat etiam bona, hæc extendatur etiam ad bona à Fiſco alienata.

SVMMARIVM.

Factum ſecundum varias ſuppoſitiones. 1.

Si Princeps gratiam fecerit pro delicto nulla maiori facta expreſſione delinquens non eſt reſtituendus quoad bona iam à Fiſco alienata. 2.

Si tamen pretium adhuc extet apud Fiſcum probabilius eſt reſtituendum. 3.

Si Princeps in ſua gratia dixerit, quod delinquens pleniſſimè reſtituatur, probabilius eſt reſtituendus etiam quoad bona alienata. 4.

1 Variæ ſuppoſitiones circa factũ

DIſquiſitio XXVI. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Antonius pro delicto à ſe perpatrato gratiam obtinuit à Principe, ex vi cuius gratiæ ſupponimus, quod non ſolum liber ſit à pænis corporalibus, ſed etiam à pæna quoad bona temporalia, adeout, ſi fuerint confiſcata, eidem per Fiſcum ſint reſtituenda. Suppono iam quod Fiſcus poſt delictum perpatratum, & poſt confiſcationem bonorum, ſed ante gratiam à Principe conceſſam delinquenti bona aliqua eiuſdem delinquentis alienauerit, & ſubſequenter inquiro, an etiam illa bona alienata ſint eidem Antonio reſtituenda.

Duplex ſẽſus, quo Princeps poteſt remittere.

Iuxta duplicem ſenſum poteſt hoc quæſitum ſolui, vel etenim Princeps concedit præciſè gratiam pro delicto nulla maiori facta expreſſione, vel concedit gratiam ea adiecta clauſula generali, & prægnante, vt delinquens pleniſſimè reſtituatur, ita vt de delicto nihil poſſit opponi. Iuxta primum ſenſum communius docent, quod in illa gratiæ conceſſione non veniunt bona per Fiſcum iam alienata *Felinus in c. inter quatuor n. 4. de maior., & obed., Viuius in lib. commun. opin. fol.* 174. *in verb. bannitus, ſeu deportatus, Nellus de bannitis in 1. parte tertij temporis q. 5., Iaſon. in l. Gallus §., & quod ſi tantum nu. 70., & ſeqq.* Iuxta ſecundum ſenſum *Rubeus conſ.* 154. *n. 6., Viuius loco cit., & alij*, ſentiunt ſic reſtitutum per Principem etiam reſtitui quoad bona à Fiſco alienata. Ex aduerſo *Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. pract. crim. q. 59. n. 5. in fin.*, ſentit quoad bona alienata non eſſe deliquentem reſtituendum, quantumuis gratia reſtitutionis fuerit concepta iuxta præcitatos terminos.

Reſpondeo primo, iuxta primum ſenſum hoc eſt, ſi præciſè fuerit conceſſa à Principe gratia pro delicto delinquens non eſt reſtituendus quoad bona iam à Fiſco alienata. Ita DD. omnes prædallegati. Rationem ex eo deduco, quia non eſt præſumendum, quod Princeps velit tertio præiudicare, qui illa bona legitimè à Fiſco acquiſiuit pro tempore, pro quo erant ſub legitima poteſtate, & dominio eiuſdem Fiſci, ergo non eſt præſumendum, quod illa conceſſione gratiæ voluerit comprehendere bona non amplius apud Fiſcum exiſtentia, ſed per eundem alienata. 2 Si non facta fuerit maior expreſſio delinquens non eſt reſtituendus quoad bona à Fiſco alienata.

Quod, ſi dixeris non præſumendum quidem, quod Princeps voluerit præiudicare tertio emptori in illa conceſſione, quatenus ab eodem poſſint reuocari bona à Fiſco empta, ſed dumtaxat Fiſco, quatenus voluerit quod pretium, quod ex illa venditione bonorum acquiſiuit, quodque ſuccedit loco ipſorum, eidem delinquenti reſtituatur, vel quod ex eodem rediman- tur illa bona alienata. Si, inquam, hoc dixeris, ſtatim impugnaberis, quia in primis Princeps per illam conceptionem ſic nudè conceptam præſumitur ſolum voluiſſe reſtituere delinquentem in rebus apud ſe, vel apud Fiſcum exiſtentibus, nõ autem quoad ea, quæ non ſunt amplius ſub eiuſdem Fiſci poteſtate, niſi aliud in ipſa conceſſione expreſſerit, nec præſumitur velle, vt pretium acceptum referatur pro rebus ipſis alienatis, quandoquidem in huiuſmodi conceſſionibus nudè ſumptis res ipſę attenduntur, non pretium ipſarum. Deindè vel adhuc illud pretiũ extat apud Fiſcum, vel Fiſcus ipſe ex eo factus eſt locupletior, vel adhuc non extat; ſi adhuc extat, vel ex eo Fiſcus factus fuit locupletior, & ſic probabile eſt, quod illud teneatur reſtituere, vel id, & quo factus fuit locupletior, ſicuti teneretur res ipſas reſtituere, ſi adhuc extarent, cũ pretium ſuccedat loco ipſarum; ſi verò nõ amplius extet, vel in nullo factus fuerit locupletior, & tunc certum eſt non teneri quid reſtituere, non ratione rei acceptæ, cum amplius res illa non extet, nec ratione iniuſtæ acceptionis cum iuſto titulo ratione iuſtæ, & legitimæ confiſcationis acceperit. Hoc tamen addendum exiſtimo, quod alicubi non obſeruatur in praxi, quod pretium reſtituatur, vt de ſuis regionibus atteſtatur *Nellus de bannitis in 1. par. tertij temporis q. 6.*, ſicuti non obſeruari in noſtris teſtatur *Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. fin. pract. crim. q. 59. n. 5. in fin.*, Bartolus tamen relatus à d. Nello loco

3 Si tamen pretium extet adhuc apud Fiſcũ probabilius debet reſtitui.

loco citato, quem aſſerit omnes ſequi, ſuſtinet pretium illud eſſe reſtituendum.

Reſpondeo ſecundò, ſi Princeps in ſua conceſſione, ſeu gratia pro delicto dixerit, quod delinquens pleniſſimè reſtituatur, ita vt de delicto nihil opponi poſſit, probabilius eſſet reſtituẽdus etiam quoad bona alienata *Rubeus conſ. 154. nu. 6., Viuius in lib. com. opin. fol. 174. in verb. bannitus, ſeu deportatus*. Ratio ex eo deducitur, quia Princeps poteſt iuſtè velle ex certa ſcientia, & de plenitudine propriæ poteſtatis, quod delinquens integrè reſtituatur etiam quoad bona alienata, ſiquidem contractus alienationis factæ per Fiſcum vim totam habuit à voluntate eiuſdem Principis, & in hoc exiſtimo non diſſentiri aduerſarios, dum aſſerunt, quod, ſi expreſsè Princeps decerneret, quod delinquens integrè reſtitueretur etiam quoad alienata, eſſet quoad eadem reſtituendus, ſed ex eo, quod in conceſſione Princeps dicat quod velit, quod pleniſſimè reſtituatur, ita vt de delicto nihil poſſit opponi, expreſsè vult, quod reſtituatur etiam quoad alienata. Quid enim ſibi vult, quod pleniſſimè reſtituatur, ita vt de delicto nihil poſſit opponi, niſi quod cõſequatur ea omnia, quæ habuiſſet, ſi delictum illud non perpatraſſet? vndè in eo caſu ſupponitur, quid Princeps de plenitudine ſuæ poteſtatis reſcindat contractus initos inter Fiſcum, & priuatos in illa alienatione, ergo &c.

4 Si Princeps dixerit, quod pleniſsimè delinquens reſtituatur eſt reſtituendus etiam quoad bona alienata.

Hic ſolum oritur difficultas, an Fiſcus in ea hypotheſi teneretur pretium, quod recepit in alienatione illorum bonorum delinquentis ab emptoribus, illud reſtituere? Vtique teneri reſtituere ſentiendum eſt, quandoquidem Princeps præſumitur velle illam reſtitutionem delinquenti per diſſolutionem contractus initi cum emptoribus; diſſolutio autem fit per reſtitutionem rei, & pretij adinuicem; & hoc eo magis firmum debet eſſe, quatenus Princeps non præſumitur velle præiudicium tertij, nec quod Fiſcus ex iſtius iactura locupletetur; quinimo in concurſu emptoris, & Fiſci ſupponitur potius velle iſtius præiudicium, quam alterius iacturam, cum priuilegia, quæ ab eodem Principe conceduntur, ſint potius contra ſe ipſum, quam contra alios.

Quinimmo tenetur, & Fiſcus pretiũ reſtituere.

§. XXVII.

An quando Princeps in gratia pro delicto vult, vt delinquens pleniſſimè reſtituatur debeat etiam reſtitui quoad fructus perceptos tempore confiſcationis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus diſquiſitionis. 1.

Si fructus amplius non extent non ſunt reſtituendi. 2.

Quinimmò, nec etiam, ſi extent, vel in ſe ipſis, vel in pretio. 3.

Diſquiſitio XXVII. Siſto in terminis præcedentis diſquiſitionis, ſecundum quos ſuppono, quod Princeps plenam gratiam pro delicto conceſſerit Antonio cum clauſula generali, & prægnante, quod pleniſſimè reſtitueretur, ità vt de delicto nihil poſſet opponi, iuxtà quos terminos diximus reſtituendum eſſe etiam quoad bona in tertios alienata. Hoc ſuppoſito quæro in præſenti, an ex vi illius plenariæ conceſſionis ſit etiam reſtituendus quoad fructus perceptos pro tempore durantis confiſcationis.

1 Factum in ſuis terminis.

De fructibus non amplius extantibus, ſed conſumptis pro tempore durantis cõfiſcationis vix arbitror poſſe eſſe locum ambigendi, quandoquidem, cum non extent nullo modo clamant pro ipſo delinquente, potiſſimum cum pro illo tempore, quo fuerunt conſumpti ipſe non eſſet Dominus, ſed fiſcus ipſe, qui in ipſius ius ratione delicti ſucceſſerat, nec iniuſta conſumptio eundem fiſcum obligat ad retribuendum ipſi delinquenti fructus perceptos, & conſumptos, cum fuerint conſumpti à Domino in bona fide. Difficultas ſolummodo eſt quoad fructus adhuc extantes, vel in ſe, & formalitèr, vel in prætio, & æquiualentèr, vel in eo, in quo fiſcus factus fuerit locupletior, & hoc ſiue in ordine ad fructus rerum per fiſcum alienatarum, ſiue rerum non alienatarum, quæ ſemper apud Fiſcum eundem extiterunt.

2 Si fructus amplius nõ extent non ſunt reſtituendi.

Reſpondeo, probabilius eſſe quoad fructus iam perceptos, ſiue rerum alienatarum, ſiue non alienatarũ, quantumuis ſint adhuc extantes, vel in ſe ipſis, vel in pretio, delinquentem ipſum non eſſe reſtituendum *Boſſius in tit. de reſtit., quæ fiunt à Principe, & in titulo de remed., quæ ex ſolà clem. Princip. poſt n. 11., Viuius in lib. commun. opin. fol. 174. in verb. bannitus, ſeu deporta-*

3 Nec etiã, ſi extent, vel in ſe ipſis, vel in pretio.

Digitized by Google

portatus Iulius Clarus lib. 5 ſentent. §. fin. pract. crim. q. 59. n. 6., qui omnes teſtantur de communi, & quidem in ordine ad fructus rerum alienatarum arbitror non eſſe magnam difficultatem, quandoquidem ipſe eoſdem fructus acquiſiuit ex iuſto titulo, & oneroſo, nam, ſi illos percepit, priuatus eſt pro illo tempore pretio, quo potuiſſet alia acquirere. Nihilominùs in vniuerſum ſic probatur reſponſio, quia pro illo tempore Fiſcus erat verè Dominus illorum bonorum, ergo fructus illius temporis fecit ſuos, cum fructus cedant Domino; Neque dicas, quod non obſtante, quod fuerit pro illo tempore ipſarummet rerum Dominus quoad ſubſtantiam, non tollitur tamen, quod ex conceſſione Principis in fauorem delinquentis, non ſint reſtituendæ, ergo etiam, quantumuis fuerit Dominus illorum fructuum perceptorum, non tolletur, quin illos ex vi eiuſdem conceſſionis non debeat reſtituere; contrà enim impugnaberis, quia, cum illa conceſſio ſolum vim habeat pro illo tempore, pro quo ipſa eſt poſita, nec retrotrahatur ad tempus ipſius confiſcationis, efficit ſolummodo, quod res ipſæ exiſtentes pro illo tempore conceſſionis ſint reſtituendæ, fructus autem, cum fuerint pro tempore antecedenti ad ipſam conceſſionem, non veniunt ſub illius diſpoſitione.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices, quod, cum Princeps in illa conceſſione dixerit, quod pleniſſimè reſtituatur, ita vt de delicto nihil poſſit opponi, voluerit quodamodo, quod eadem conceſſio retrotrahatur ad tempus commiſſi delicti, & confiſcationis bonorum, adeoq; & quod fructus illius temporis ſint reſtituendi. Rurſus non diceretur pleniſſimè reſtitui, ſi carere deberet fructibus medij temporis potiſſimum, ſi illi extarent, vel in ſe ipſis, vel in pretio. Tandem Fiſcus remaneret locupletior ex re, quam pleno iure Princeps vult reſtitui, & hoc cum iactura ipſius delinquentis pleniſſima gratia dignati à Principe. Sed contrà, gratis dicitur gratiam illam retrotrahi ex vi illorum verborum, quibus concepta eſt ad tempus commiſſi delicti, & confiſcationis, & quamuis dicatur, quod pro delicto nihil poſſit opponi, hoc intelligendum eſt, quatenus ratione ipſius res confiſcatæ non poſſint amplius detineri, & ſic ex eo tempore in ordine ad reſtitutionem ita res ſe habeat, ac ſi delictum illud non fuerit commiſſum; cæterum per illam cõceſſionem, ſeu diſpoſitionem non fit, quin delictum quoad effectum confiſcationis non perſeuerauerit vſque ad illud tempus. Ad id, quod ſecundo loco ſubditur, dicendum eſt pleniſſimè reſtitui, ex eo quod omnia, quæ fuerunt confiſcata ipſi reddantur, & pleniſſima reſtitutio hic ſumitur pro eo, quod nihil confiſcatorum remaneat quoad ſubſtantiam reddendum; cæterum quoad fructus illa plenitudo non videtur extendi, cum illi non conſtituant res, ſed ab illis dependeant, & acquiruntur illis, qui pro tempore gaudent dominio, & poſſeſſione illarum rerum. Idem ferè reſpondeas ad illud, quod ſubditur tertio loco, nam quod Fiſcus locupletetur ex illis fructibus, prouenit ex iuſto dominio, quo gaudebat illarum rerum pro illo tempore.

Nonnulla obiecta propoſita.

Diſſoluuntur eadem obiecta.

---

§. XXVIII.

An per gratiam factam delinquẽti à Principe hic ſit reſtituendus in hæreditate, quæ ipſi delata ex incapacitate ipſius tranſijt in proximiorem iuxtà iuris diſpoſitionem.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in caſu particulari. 1.
Rationes ſuadentes eſſe reſtituendum, etiam quoad illam hæreditatem. 2.
Ex vi illius remiſſionis proximior in gradu, qui ſucceſſit in illa hæreditate, non tenetur eadem reſtituere. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

Diſquiſitio XXVIII. Ob atrox, & enorme delictum Caius declinauit à gratia Principis, propter quod omnia ipſius bona publicata fuerunt. Perſeuerante confiſcatione, & odio Principis hæreditas quædam eidem Caio fuit delata, quæ, cum inuenerit eundem incapacem, ex diſpoſitione iuris deuenit in alterum eidem proximiorem in gradu. Rebus ſic ſtantibus Caius tandem redijt in gratiam Principis, à quo reſcriptum obtinuit gratiæ pro delicto. Hic quæſitum fuit, an ex vi illius gratiæ reſtituendus ſit non ſolum quoad bona confiſcata, ſed etiam quoad illam hæreditatem, quæ perſeuerante odio Principis tranſijt in alterum in gradu proximiorem.

1 **Explicatio tituli.**

Videtur abſolutè aſſerendum, quod etiam quoad illam hæreditatem ſit reſtituendus, quandòquidem in tantum illam non eſt primo conſecutus, in quantum erat incapax ob odium Principis, ergo ceſſante odio Principis non eſt, cur in illa hæreditate non ſit reſtituendus. Confirmatur, quia, ſi illa hæreditas antecedentèr ad delictum delata fuiſſet ad ipſum delinquentem, & poſtea ratione delicti de-

2 **Rationes ſuadentes eſſe reſtituendum quoad illã hæreditatem.**

deueniſſet ad fiſcum ex vi illius plenariæ conceſſionis factæ per Principem eſſet eidem reſtituenda, ergo, quantumuis delata fuerit ipſi deliquenti poſt commiſſum delictum, & ratione incapacitatis eiuſdem deuenerit ad proximiorem ipſi in gradu conſanguinitatis reſtituto eodem delinquente in gratiam Principis, cum pleno indulto pro delicto erit ipſi reſtituenda. Confirmatur ſecundò, quia, ſi quis, puta Pater inſtituerit filium hæredem ea adiecta conditione, quod, ſi deliquerit, ità vt amittat gratiam Principis intelligatur hora prǫambula ad delictum priuatus hæreditate, & in eo caſu ſuccedat ipſi alter in gradu proximior, tunc ſi ille deliquerit, & poſtea in gratiam Principis redierit, hæreditas per ſubſtitutum eſt eidem reſtituenda, ergo etiam in præſenti hypotheſi. Nihilominùs

3 **Ex vi illius remiſſionis proximior, qui ſucceſſit, non tenetur reſtituere.**

Reſpondeo, in hypotheſi, de qua loquimur proximiorem in gradu, qui conſecutus eſt illam hæreditatem non teneri reſtituere illam hæreditatem *Boſſius in tit. de remed. ex ſola clem. n. 13. Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. fin. pract. crimin. q. 59. nu. 7.* Ratio ex eo deducitur, quia non eſt præſumendum, quod Princeps voluerit præiudicare tertio in iure iam perfectè quæſito, prout euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ille in gradu proximior legitimè ſucceſſit in illa hæreditate ob incapacitatem delinquentis, quandòquidē in ſucceſſionibus attendi debet tempus purificatæ conditionis, & quoad ſucceſſionem admittitur ille, qui de tali tempore eſt capax, prout notat *Menochius conſ. 413.*; Neque obſtare poteſt, quod Princeps per illam gratiam pro delicto voluerit delinquentem pleniſſimè integrari, adeò vt de delicto nihil poſſit opponi; Non, inquam, obſtare poteſt, quia hoc intelligendum eſt de plena reintegratione, quoad ea, quæ fiſcus conſecutus eſt ratione delicti, non quoad ea, quæ vel ex diſpoſitione iuris, vel ex mente testatoris ſtante ipſius incapacitate in tertium deuenerunt pleno iure, & ſine vlla reſtrictione, cum hæc independentèr à voluntate eiuſdem Principis in illum tranſierint.

4 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Ad rationes, quæ pro contraria parte afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam dico, quod certe hæreditas illa tranſiuit in illum gradu proximiorem, in quantum ipſe erat incapax ob illud delictum, & odium Principis, nego tamen, quod, ſi redierit in gratiam Principis illi ſit reſtituenda illa hæreditas, quandòquidem cum ille gradu proximior acquiſierit iam ius plene in puncto, quo ſolus erat capax, non eſt poſtea illo priuandus, cum hæreditas illa non intelligatur ipſi relicta ſub illa conditione, quod, ſi redierit in gratiam Principis, poſtquam per odium illius factus eſt incapax, ſit ipſi reſtituenda. **Soluitur primum.** Ad ſecundum iam ex dictis patet reſponſio, quando etenim hæreditas deuenit, ex eo, quod quis deliquerit, in fiſcum, qui omnia ipſius bona confiſcauit, Princeps non præiudicat tertio per illam gratiam pro delicto, ſed ſibi, quod non euenit in præſenti hypotheſi. **Soluitur ſecūdum.** Ad tertium etiam eſt maxima diſparitas, quia in ea hypotheſi teſtator legem poſuit rebus ſuis, & adiecit eam conditionem, quod, ſi in gratiam Principis redierit, ipſi hæreditas reſtituatur, vnde ille, ad quem deuenit, non acquiſiuit abſolutè, ſed tantum conditionatè, & pro tempore, quo primus vocatus perſeuerauerit in odio Principis; in noſtro autem caſu, vel ex diſpoſitione iuris, vel ex libera mente teſtatoris abſolutè hæreditas deuenit in illum in gradu proximiorem, ſine vlla reſtrictione, & conditione, adeòque &c. **Soluitur tertiū, & alia omnia.** Deindè quoad hoc etiam alia poſſet aſſignari diſparitas ſita in eo, quod in caſu, de quo hic loquimur, hæreditas nullo modo deuenit ad primum vocatum, ſed immediatè tranſijt in gradu proximiorem ex incapacitate illius, qui propterea non videtur habere ius ad illā recuperandam tanquam ſuam, cum nunquam fuerit ſua; in alio vero caſu, in quo decidit ab illa hæreditate ob delictum commiſſum, ſupponitur, quod eam aliquando pleno iure habuerit, adeòque, quod reſtituta gratia Principis, ob cuius defectum ab illa decidit, poſſit illam recuperare tanquam rem ſuam. Hanc ſecundam diſparitatem ad abundantiam aſſignaui, quæ tamen valeat, quantum valere poteſt. Videantur quoad hæc *Boſſius, & Iulius Clarus loc. cit.*, à quibus non diſſentiendum arbitror nō ſolum propter eorum auctoritatem, ſed etiam propter rationes ab eaſdem adductas.

§. XXIX.

An in primogenio delato alicui pro ſe, & primogenitis, ſi primogenitus, in quem debuiſſet deuenire, deciderit à gratia Principis, & poſtea habuerit filios, primogenitus ex iſtis ſuccedat excluſo fratre delinquentis Patris.

SVMMARIVM.

Lata caſus expoſitio in terminis particularibus. 1.

Sen-

Digitized by Google

Sententia Menochij aſſerentis ſuccedere fratrem minorem delinquentis excluſo filio eiuſdem. 2.

Contraria ſententia Riminaldi. 3.

Admittendus eſt in præſenti hypotheſi filius banniti cum excluſione fratris minoris. 4.

Inſtitutor vocauit primogenitos in infinitum, adeòque pro quocunque tempore naſcituros. 5.

Primogenitus banniti non ſuccederet ex perſona Patris, ſed ex propria. 6.

1 Series caſus modo contingẽtis.

DIſquiſitio XXIX. Caius in ſuo vltimo teſtamento inſtituit filium Sempronij fratris ſui ordinato primogenio in deſcendentibus, & ſemper in eodẽ primogenio vocato primogenito varijs factis ſubſtitutionibus in caſu defectus lineæ primogeniti cum expreſſione, vt ſecundogenitus non admittatur, niſi extincta linea primogeniti. Ex dicto filio Sempronij nati ſunt duo filij legitimi Franciſcus ſcilicèt & Andræas. Franciſcus primogenitus viuente Patre ob atrox delictum paſſus eſt bannum, & incidit in odium Principis, in quo ipſo perſeuerante mortuus eſt ipſius Pater, & Andræas natu minor nactus eſt poſſeſſionem bonorum primogenialium, cum Franciſcus pro mortuo reputaretur, & nullus filius ex eo conceptus, vel natus reperiretur. Poſtmodum ex dicto Franciſco primogenito, & bannito natus eſt Theodoricus, qui petit ſibi relaxari bona primogenialia tanquam vocato ab inſtitutore, cum excluſione quorumcunque ſecungenitorum. Quæritur iam hic quid iuris?

Hæc difficultas ſic expoſita poteſt, vel reſolui in abſtracto conſiderando pręcisè, an filius primogenitus alicuius ex vocatis, qui tamen ob bannum, & odium Principis ſit incapax natus poſt bannum Patris exiſtente fratre minore eiuſdem Patris banniti, & iam aſſecuti bona primogenialia admittatur ad primogenium, nec ne, vel in concreto attenta præcisè, ſeu etiam cumulatiuè diſpoſitione primi inſtituentis tale primogenium ſecundum ſcilicèt modum diſpoſitionis.

2 Sententia Menochij excludentis filium banniti.

Conſiderata difficultate præcisè in abſtracto video DD. inter ſe maximè diuiſos, qui cum ſint omnes rationibus non inefficacibus ſuffulti difficilem cõſtituunt reſolutionem. Menochius *conſil.413.per totum* conatur ſuadere non habere locum in ſucceſſione filium banniti natum, quin etiam conceptum poſt mortem Patris eiuſdem Patris ſui banniti, ſed venire immediatè ad ſucceſſionem fratrem natu minorem eiuſdem banniti, qui ſolus tunc erat capax illius ſucceſſionis. Ex aduerſo in ſimili caſu conſuluit *Hyppolitus Riminaldus conſ.564.lib.4.*, prout refert idem *Menochius loc.cit.in princip.* filium eiuſdem banniti ſuccedere cum excluſione fratris natu minoris eiuſdem banniti. Vterque pro ſua opinione enumerat, & refert DD. plurimos, & iura, quę videntur pro vtraque parte concludentia. Ratio diſcrepantiæ in eo conſiſtit, quod Menochius, & alij, qui cum eo ſentiunt, arbitratur, quod in fideicommiſſis, & primogenijs conditionalibus attendendum ſit tempus purificatæ conditionis in ſuccedendo, & quoad ſucceſſionem admittatur ille, qui tunc capax eſt; in præſenti autem hypotheſi pro tempore, pro quo fieri debet ſucceſſio ad Patrem banniti, & fratris ipſius minoris purificata eſt conditio, quod non ſit primogenitus capax, cum nato maior paſſus ſit capitis dimminutionem ob bannum, ergo ſolus eſt capax ſuccedendi frater ſecundo natus, cum filij primogeniti, nec tunc nati ſint, nec concepti; eo autem ſemel admiſſo non poteſt amplius excludi *ad l. penult. cum materia ff. de pactis*, & euincitur argumento eorum, quæ docent *Corn. in conſ.314.col. vlt. verſ. poſtremo lib.4.*, *Brunus in tract. quod ſtantibus maſculis fœminæ non ſuccedant art.12.q.32.*, *Beluiſius, & Baldus c. 1. de eo, qui ſibi, & hæredibus ſuis, Curtius Iunior, & alij*, quos refert *Menochius dict. conſ. 413. n.31.* Ex aduerſo *Riminaldus loc. cit.* cum alijs pluribus, quos ibidem citat, & ſequitur, docet non intelligi purificatam conditionem, vt ſecundogenitus poſſit ſuccedere, niſi quatenus penitus extincta ſit linea primogeniti, adeò vt nullo modo hæc poſſit reintegrari.

3 Contraria ſententia Riminaldi.

Rationes diſcrepantiæ inter has ſentẽtias.

Reſpondeo filium primogenitum banniti admittendum eſſe in ſucceſſione bonorum primogeniorum cum excluſione fratris eiuſdem banniti *Hippolitus Riminaldus conſ.564.lib.4., Ruinus conſ.22.n.10. & ſeq. lib. 2., Natta conſ.675.nu.6., Rolandus conſ. 70. nu.47.lib. 3., Socin. Iunior in conſ. 172.n.11.lib.2.*, & alij plurimi quos congerunt *d. Riminaldus loc. cit., & Franciſcus Molinus de Hiſp.primog. lib. 3.c. 10. nu.25.* Rationes plurimas huius reſponſionis adducit idem *Riminaldus*, quem vos poteſtis conſulere; Nobis vna, vel altera ſufficiet. Prima eſt, quia iuxtà diſpoſitionem teſtatoris extantibus primogenitis locus non adeſt ſucceſſioni reſpectu ſecundogenitorum; ſed in præſenti ſuppoſitione in linea primogenitorum vocatorum adeſt filius ille banniti, qui verè eſt à primogenito, & filius primogenitus ipſius, ergo non eſt, cur ipſe non debeat ſuccedere excluſo quocunque ſecundogenito etiam reſpectu eiuſdem fratris banniti.

4 Admittẽdus eſt filius banniti cũ excluſione fratris minoris.

Prima ratio pro reſpõſione.

Dices

Inſtantia deducta ex eo, quod primogenitus banniti cõceptus, & natus ſit poſt purificatã conditionem, & caſũ ſucceſſionis.

Dices hanc rationem non ſubſiſtere, quando ille vltimus primogenitus, qui eſt filius banniti, conceptus eſt, & natus poſt purificatam conditionem, & poſt caſum ſucceſſionis reſpectu fratris ſecundogeniti eiuſdem banniti, quia in eo caſu ille frater ſecundogenitus banniti pleno iure ſucceſſit in illa bona primogenialia, à quibus propterea non poteſt excludi per ſuperuenientem caſum primogeniti eiuſdem banniti *arg. l. cum ex teſtamento in princip. ff. de hæred. inſtit., & l. ſi mater §. 1. ff. de vulg., & pupil. ſubſtit. arg.* etiam eorum, quæ docent *Baluiſius, & Baldus in c. 1. de eo, qui ſibi, vel hæred. ſuis*, & ita ſentiunt *Curtius Iun. in tractat. feudali in prima parte tertia partis principalis q. 28. num. 33., Ruinus in conſ. 151. num. 4., & conſ. 154. nu. 3. lib. 2.* in terminis ſtatuti excludentis fœminas extantibus maſculis, ſecundum quos, ſi ex defectu maſculorum fuerit ſemel admiſſa fœmina, per ſuperuenientiam maſculorum non poſtea excluditur. Sed contra, quia quantumuis ille primogenitus banniti fuerit conceptus, & genitus poſt bannum Patris, & poſt caſum mortis vltimi poſſeſſoris eorundem bonorum primogenialium, natus tamen eſt in tempore, pro quo ſecundum diſpoſitionem teſtatoris aptus eſt ad ſuccedendum, nondum etenim intelligitur purificata conditio, vt ſecundogeniti proximiores poſſent ſuccedere, cum his non aperiatur locus, niſi in effectu defecerint omnes ex linea primogenitorum, ita vt nulla ſit ſpes futuritionis eorundem, prout definiuit *Sacrum Neapolitanum concilium penes Francum deciſ. 169.*, quod non euenit in caſu noſtro, ſecundum quem non erat pro tempore mortis vltimi ſucceſſoris extincta in ſpe etiam proxima linea primogenitorum, prout in caſu euenit in ſuperuenientia filij primogeniti eiuſdem banniti; vnde ſecundogenitus frater eiuſdem banniti non potuit, quantumuis pro tempore mortis vltimi poſſeſſoris eorundem bonorum primogenialium ipſe eſſet ſolus capax ad ſuccedendum in ordine ad excluſionem fiſci, ſuccedere irreuocabilitèr, cum poſſent venire alij, qui à primo inſtitutore primogenituræ erant primo loco vocati; atq; hæc omnia conſideraſſe videtur *Peregrinus de fideicommiſſ. art. 22. num. 76., & ſeqq. limit. 2., & 3.* ad quem vos remitto.

Ex mente teſtatoris non intelligitur purificata conditio.

Pro tempore mortis vltimi ſucceſſoris non erat extincta linea primogeniti vocati.

Vlterius procedo ad probandam noſtram reſponſionem, quia indubitati iuris eſt, quod, ſi ipſe teſtator, ſeu inſtitutor primogenituræ mentem ſuam expreſſiſſet, vel coniecturis concludentibus appareat teſtatorem voluiſſe vocare, non ſolum natos, & conceptos ante mortem vltimi poſſeſſoris, ſed etiam natos, & conceptos poſt eandem, & poſtquam alter, qui deberet ſuccedere, paſſus eſt capitis diminutionem ob bannum, vtique iſti venirent in illa ſucceſſione *Socinus in l. ſi cognatis num. 30. ff. de reb. dub., Ruinus in conſ. 22. num. 11., & ſeqq. lib. 2., Natta in conſil. 675. num. 2.*, & quidem congrua ratione, quandoquidem teſtator poteſt rebus ſuis legem conſtituere, quæ vtique attendenda eſt *arg. §. diſponat auth. de nuptijs*; atqui in præſenti facti ſerie manifeſtè apparet de mente teſtatoris, quod voluerit vocari natos, & conceptos, etiam poſt mortem vltimi primogeniti poſſeſſoris bonorum primogenialium, & poſt bannum alterius, qui ſuccedere deberet ordine vocationis, quod colligitur, primo ex eo, quod per ordinem eos ſucceſſiuè vocauerit in infinitum arg. eorum, quæ docent *Socinus Iunior conſ. 172. num. 12. in ſecundo, & Ruinus conſ. 160. in primo dubio vol. 2.*, vbi *ſub num. 11., & 13.* conſiderat, quod participium *naſcituros* reſoluatur in conditionem, *ſi naſcentur*, quæ quidem conditio, cum ſit indeterminata, omnia tempora comprehendit *ad l. ſi ita legatum 2. ff. de condit., & demonſt., Tonellus in nepot. §. quidam rectè num. 28.*, ſecundo, quia teſtator in ipſa inſtitutione primogenituræ vocauit poſt primum vocatum primogenitum ipſius, & poſt hunc primogenitum ipſius, & ſic ſucceſſiuè in infinitum; ex qua diſpoſitione duo deduco; primum quod vocauerit omnes deſcendentes primogenitos eo modo, quo primum vocatum inſtituit, cum particula coniunctiua, *&*, repetat qualitates omnes ſupra adiectas *Bartolus in l. Seiæ §. Caio ff. de fund. inſt.*, quæ vtique indicant, quod quouſque perſeuerauerit linea primogenitorum, vnuſquiſque ex iſtis ius habeat ſuccedendi eodem iure, quo primo vocatus cum ordine tamen ſucceſſionis. Secundum, quod, cum eoſdem primogenitos vocauerit in infinitum, vocauerit pro quocunque tempore futuros, cum illa dictio, *in infinitum*, denotet perpetuitatem, & idem ſonat, ac ſemper *l. apud Celſum §. in hac exceptione ff. de dol. excep., Pariſius conſ. 74. num. 25. lib. 3.*, & ſic non eſt, cur non intelligatur etiam vocatus vltimus primogenitus natus à primogenito bannito.

5 Inſtitutor vocauit primogenitos in infinitum, adeoque pro quocunque tempore futuros.

Conatur reſpondere *Menochius loc. cit. num. 60.* huic argumento aſſerens voluiſſe quidem teſtatorem vocare omnes deſcendentes primogenitos ex primogenito in infinitum, ſed cum ordine ſucceſſionis, ſeu ſucceſſiuo; hunc autem ordinem ſucceſſiuum conſiderat ſub duobus reſpectibus, primo ratione ſanguinis, vt ſcilicet proximiores ſemper ſuccedat excluſis remotioribus; ſecundo ratione cuiuſdam diſpoſitionis legalis ob intuitum conceptionis, &

Excluditur ſubterfugiũ Menochij.

Digitized by Google

natiuitatis ſuccedere debentium, adeout nati, & concepti tempore teſtamenti prę ferātur natis,& conceptis tempore mortis teſtatoris,& in conditionalibus concepti, & nati tempore purificatæ conditionis conceptis, & natis poſt illam. Applicando deinde rem terminis, de quibus loquimur,aſſerit, quod quocunque ex his duobus ſumatur hic ordo, nullo modo poſſit venire primogenitus banniti, cum loquendo de ordine ſucceſſiuo ſanguinis ſit proximior ipſi inſtitutori frater ſecundogenitus banniti reſpectu filij eiuſdem banniti, loquendo vero de ordine legali pro tempore ſucceſſionis, ſeu purificatæ conditionis extabat ſecundogenitus banniti, filius vero primogenitus ipſius nondum erat conceptus, adeoq; &c. Nihilominus hoc ſubterfugium non ſubſiſtit, nec eximit à vi argumenti, & quamuis vim aliquam habere poſſit in terminis,de quibus loquitur ipſe Menochius, non poteſt tamen adaptari terminis noſtræ reſponſionis; ibi enim Menochius loquebatur de fideicommiſſo, quod erat omnibus de familia relictum cum ordine prioris, & poſterioris, nec attendebatur præcisè qualitas primogenitorum, & ſic verificari poteſt, quod illi, qui ſunt proximiores ipſi inſtituenti, excludant remotiores, maximè ſi ipſi extarent, vel tempore conditi teſtamenti,vel mortis teſtatoris, vel purificatæ conditionis, pro quo alij, qui venire intendunt ad ſucceſſionem,non extabant,nec erant concepti;in caſu autem de quo hic loquimur,attenditur ex diſpoſitione teſtatoris, ſeu inſtitutoris primogenij primo loco ordo primogenitorum, in quorum ſolumodo defectu veniunt ſecundogeniti, prout habetur in teſtamento -- Ibi -- *quod ſecundogenitus, vel vlterius genitus non admittatur, niſi deficiente linea maſculina legitima, & de legitimo matrimonio cuiuſcunque primogeniti*. Rurſus, *& ſic quod ſecundo,vel vlteriores geniti non admittantur, niſi penitus defecta linea eorum, qui ante eos nati ſunt, vt ſupra*, & ſic cum in fratre ſecundogenito banniti non adſit illa qualitas primogeniti, nec in bannito ceſſet, & penitus extincta intelligatur linea primogenitorum,quæ in eius lumbis perſeuerabat,non eſt,cur locus ſucceſſioni irreuocabili quoad ipſum intelligatur apertus, nec attendendus eſt ordo ſanguinis, vbi alia qualitas primario in cauſa ab inſtitutore in proximiore in ſanguine non reperitur, quæ reperitur in remotiori, cæteroqui ſecundogeniti primi vocati venirent in ſucceſſione excluſo filio primogenito filij eiuſdem primo vocati, quandoquidem ſecundogenitus primi vocati eſt proximior inſtitutori,quam ſit filius filij eiuſdem primi vocati,quod tamen non eſt dicendum, cum in illo ſecundogenito primi vocati, non adſit illa qualitas,primo,& principaliter intēta ab ipſo vocāte;vt per ſe patet.

Ex ipſa diſpoſitione teſtatoris mēs Menochij eliditur.

Conantur alij reſpondere,non poſſe venire in tali ſucceſſione primogenitum banniti, quantumuis à primo inſtitutore fuerit vocata linea primogenitorum in infinitum, quia, quantumuis linea fuerit in infinitum vocata, intelligitur tamen interrupta in bannito, vnde inhabilitas medij operatur inhabilitatem in extremo, prout ſentit *Socin.Iun.in conſ.2.nu.25.lib.3.*, quod idem *Menochius conſ.172.num.5.in fin. lib.2.*, dum ſenſiſſe videtur, quod excluſa Matre à ſucceſſione multo magis intelligatur excluſus filius per textum *in l.ſi viua Matre §.nō licet C.de bon.mater.* Nihilominus hoc nihil negotij faceſſit ad præſens inſtitutum,quandoquidē ea, quæ obijciuntur, procedunt dumtaxat, quando extremū deberet ſuccedere in perſona, ſeu ex perſona medij, vt ſi filius ex perſona Patris, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam filius ſuccedit ex perſona propria, cum ſit æquè primo, ſeu eodem modo vocatus ab ipſo inſtitutore; Iuxta hos terminos præcisè procedit textus *in d. l.ſi viua Mater §. non licet*, vbi ſolum dicitur, quod excluſa Matre à ſucceſſione multo magis dicitur excluſus filius, quia ex perſona Matris intendebat ſuccedere, & in hoc ſenſu loquitur ſolummodo *Baldus conſ. 40., quidam Magnus col.vlt.lib.3.*, *Caſtrenſis in l.Gallus §.nunc de lege in fin. ff.de lib., & poſth.*, *& Pariſius conſ.92.num.80.lib.4.*, ex quibus ſequitur, quod dictum illud non habeat locum; quando filius intendit ſuccedere ex perſona propria, ex vi vocationis de ſe ipſo factæ à primo inſtitutore.

Excluditur aliud ſubterfugium ex inhabilitate medij ex qua conſurgit inhabilitas in extremo.

6

Primogenitus banniti non ſuccederet ex perſona Patris.

Roborantur ea, quæ dicta ſunt in reſponſione per hoc, quod quouſque perſeuerat, & perſeuerare poteſt linea primogenitorum, non intelligitur purificata conditio,nec apertus locus reſpectu ſecundogenitorum, & hoc ex expreſſa diſpoſitione teſtatoris, ſeu inſtitutoris primogenei -- Ibi -- *Niſi deficiente linea maſculina legitima, & de legitimo matrimonio cuiuſcunque primogeniti* rurſus, *niſi penitus defecta linea eorum, qui ante eos nati ſunt*; atqui in præſenti hypotheſi linea primogenitorum, non intelligitur extincta,cum perſeuerat in bannito & perſeuerare poſſit in prole ab eodem propaganda; nec obſtat, quod ipſe bannitus ſit incapax ad ſuccedendum; non obſtat, inquam,nam ad rationem continuationis lineæ, non requiritur,quod qui perſeuerat aptus ſit ad ſuccedendum, ſed quod re vera ſit in ordine primogenitorum,prout notat *Rota part.3. recent.deciſ.151.n.12.*, *Fuſarius cons.88.nu. 10.*,

Perſeuerat linea primogenitorum, quouſq; ex filio primogenito poſſunt eſſe filij.

10., & incapacitas vnius ex linea vocata, quæ adhuc poteſt per filios protendi non facit purificationē conditionis, vt alius extra talē lineam poſſit ſuccedere *De Luca de linea legal. lib. 2. art. 67. n. 7., Anchar. cōſ. 396.*

Fortior ratio præſentis reſponſionis erit ſoluere argumenta, in quibus plurimum fidit *Menochius d. conſ. 413.*, quæ mox profero, & diſſoluo. Primum eſt, quod in fideicōmiſſis conditionalibus, quod idem intelligendum eſt de primogenijs ille admittendus eſt ad ſucceſſionem, qui conceptus eſt, natus, & capax tempore purificatæ conditionis, & ſucceſſionis, ſed pro tempore, quo mortuus eſt vltimus poſſeſſor bonorum primogenialium, & alter, qui ſuccedere debebat tanquam primogenitus, erat paſſus capitis diminutionem ob bannum, ſolus ſecundus genitus frater reſpectu eiuſdem banniti erat capax, cum primogenitus eiuſdem banniti nondum eſſet cōceptus, ergo ipſe frater ſecundogenitus eiuſdem banniti fuit tunc admittendus, & ſic non potuit poſtea excludi per ſuperuenientiam primogeniti eiuſdem banniti *l. cum in teſtamento in princip. ff. de hæred. inſtit., & l. ſi mater §. 1. ff. de vulg., & pupil. ſubſtit.* argum. etiam eorum, quæ docent *Beluiſius, & Baldus in c. 1. de eo, qui ſibi, vel hæredib. ſuis*. Sed hoc argumentum facile labitur, ſi aduertatur per mortem vltimi poſſeſſoris bonorum primogenialium, & bannum primogeniti, qui eidem mortuo ſuccedere deberet, ſi non eſſet bannitus, non eſſe purificatam conditionem reſpectu ſecundogenitorum, quandoquidem conditio eſt defectus lineæ, non mors alicuius ex eadem linea, non eſt autem extincta linea, quando in vno perſeuerat, & protendi poteſt in filios.

Pro tempore mortis vltimi poſſeſſoris, & bāni delinquentis non erat purificata conditio.

Secundum argumentum deſumit, ex eo, quod ſicuti in fideicommiſſo, & primogenio purè delato illi tantum ſuccedunt, qui viuunt, & extant pro tempore ſucceſſionis excluſis alijs, qui ſuperueniunt, ita in conditionalibus illi tātum videntur admittendi, qui exiſtunt pro tempore purificatę conditionis; atqui pro tempore illius purificatæ conditionis ſolus ſecundus genitus frater banniti capax exiſtit, ergo &c. Hoc etiam argumentum facile eliditur, per ea, quæ mox dicta ſunt in ſolutione præcedentis argumenti; non etenim eſt purificata conditio, quouſq; linea primogenitorum perſeuerat, & in re, vel in ſpe proxima, prout notat *De Luca loc. cit.*

Soluitur ſecundum argumentum contrarium.

Tertium argumentum deſumit ex eo, quod rerum dominium in aere ſtare non poteſt *l. ſi ex duobus §. ſed, & Marcellus ff. de in diem adiect. Gloſa, & DD. in l. ſi ego ff. de ſolut.* potiſſimum, quoad diſpoſitiones morientium *arg. l. vlt. in fin. C. cōmuni præd.*, ſed vtique in hac ſuppoſitione dominium rerum primogenialium ſtaret in ſuſpenſo, & in aere vſq; ad natiuitatem primogeniti banniti, ſi frater ſecundogenitus eiuſdem tunc non ſuccederet, ergo &c. Sed in hoc nullum inconueniens cognoſcit *Peregrinus de fideicommiſſ. art. 22. num. 74.* atq; ita ſentiunt *Ruinus conſ. 35. nu. 14. in primo, Natta conſ. 675. num. 6., Rolandus conſ. 70. num. 47., & ſeqq. in tertio, Riminaldus Iun. conſ. 564. per totum*, & hanc veritatem etiam agnouit idem *Menochius conſ. 808. num. 31.*, cum ſperatur ſuſpenſio ceſſatura per ſuperuenientiam filiorum, quod potiſſimum verificatur, quando ad hæc refertur voluntas inſtitutoris, quia tunc non diſpoſitio ipſa, ſed effectus ſucceſſionis remanet ſuſpenſus.

Ex voluntate teſtatoris dominiū poteſt remanere ſuſpenſum.

Quartum argumentum deſumit ex eo, quia, vel primogenitus banniti ſuccedere intendit ex perſona propria, vel ex perſona Patris, non ex perſona Patris, quia ipſe omninò incapax eſt, non ex perſona propria, cum in ordine ſucceſſionis ipſe ſit poſterior, & in huiuſmodi diſpoſitionibus ſeruandus ſit ordo prioritatis, ergo &c. Sed huic etiam argumento facile occurro ex præcedentibus, quia licet ſit poſterior in ſanguine, eſt tamen prior ordine vocationis, ſeu intento ab inſtitutore; vnde dicendum eſt, quod ſuccedere debeat ex perſona propria, tanquam vocata in primo inſtitutore primogenij.

Eſt prior ordine vocationis.

Quintum argumentum deſumi poteſt ex peculiari diſpoſitione eiuſdem teſtatoris, qui ſtatuit, quod in caſu delicti ille, qui tale commiſerit, priuatus remaneat, & ſuccedat ille ex nominatis, qui ſucceſſurus fuerat ſecundum ordinem deſignatum, ac ſi non fuiſſet delinquens in rerū natura; ex quo videtur erui, quod cum teſtator voluerit, quod delinquens non conſideretur, ac ſi non eſſet in rerū natura, habeatur tali pacto, ac ſi in ipſo linea primogenitorum penitus defeciſſet. Sed hoc etiam argumentum facile poteſt elidi, ſi aſſeratur, hoc inſinuaſſe ad excludenda iura fiſci, non ad excludendam ſucceſſionem eiuſdē primogeniti, ſi fortè fuerit, quod ſufficienter videtur inſinuaſſe, dum voluit ſeruandum eſſe ordinem iam diſpoſitum, ſecundum quem prius vocantur primogeniti, quam ſecundogeniti. Deinde mentem ſuam ſatis inſinuauit idem teſtator, dum voluit, quod, ſi eſſet primogenitus eiuſdē delinquentis, ipſe debeat ſuccedere, ergo etiā debebit ſuccedere, ſi fortè ſuperueniet. Atq; hæc de reſtitutione dicta ſint ſatis.

Soluitur aliud argumentū cōtrariū.

F I N I S.

Ad Gloriam Omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, & D. Gentium.

Digitized by Google

INDEX RERVM

R. ſignificat Reſtitutionem P. Prænotionem S. Sectionem D. Diſquiſitionem §. Paragraphum n. numerum marginalem p. paginam.

A.

ABLATIO vnius aurei à Principe, quare ſit grauis. R. 5. P. 4. n. 13. p. 25.
Ablatio plurium modicorum à pluribus eſt peccaminoſa lathaliter. ibid. n. 14. p. 26.
ACCEPTIONES iniuſtæ, quæ poſſunt contingere in rebus communibus iuxta Statutum Mediolanenſe. R. 1. P. 7. n. 1. p. 41.
ACTIO patris in bonis filiorum. R. 1. p. 5. n. 1. p. 29.
Actio filiorum in bonis patris ibid.
Actio furtiua reſpicit proprietatem, & vſum. ibid. P. 5. nu. 9. p. 32.
Actio iniuſta haberi poteſt ex pluribus cauſis. ibid. P. 12. pag. 82.
Actiones ab intrinſeco malæ enumerantur. ibid. P. 12. S. 6. n. 9. p. 109.
Actio intrinſecè mala nunquã poteſt cohoneſtari ibid. 110
Actio libera filij non imputatur patri. ibid. P. 16. D. 1. §. 11. n. 3. p. 217.
Actio de dote profectitia eſt communis patri, & filiæ. ibid. D. 2. §. 17. n. 7. p. 237.
Actio iſta poteſt eſſe perſonalis, & poteſt eſſe realis. ibid. n. 9. p. 238.
ADVOCATVS quandonam teneatur impedire damna. R. 1. P. 12. S. 7. n. 10. p. 118.
AGGRESSIO in ordine ad quæ bona poſſit eſſe. R. 1. P. 15. S. 7. n. 1. p. 187.
Aggreſſio in bonis vitæ, quibus modis poſſit eſſe. ibid. n. 1. p. 187.
Aggreſsio circa bona famæ. ibid. n. 1. p. 188.
Aggreſſio circa bona fortunæ ibid.
Aggreſſor accedens ad feriendum, ſi alia via non ſuppetat occidi poteſt. R. 1. P. 15. S. 7. n. 3. p. 189.
Aggreſſor licite occideretur à perſona honorata aggreſſa &c. ibid. n. 17. p. 193.
Aggreſſus tenetur fugere, ſi poteſt, quantumuis cum omni ignominia. R. 1. P. 15. S. 7. n. 4. p. 189.
Aggreſſus per famulum, vel per ſicarium poteſt illum occidere. ibid. n. 6. p. 189.
Aggreſſus per maleficia non poteſt per alia maleficia interimere inuadentem. ibid. n. 8. p. 190.
Aggreſſus à ſuperiore poteſt ſuperiorem occidere. ibid. num. 9.
Aggreſſus poteſt intendere mortem inuaſoris tamquam neceſſariam ad ſuam vitam. ibid. n. 10. p. 190.
Aggreſſus occidens inuaſorem hoc præſtat auctoritate priuata, non publica. ibid. n. 11. p. 191.
Aggreſſus habet à natura, vt ſe defendat. ibid.
Aggreſſus ad ſeruandam pudicitiam poteſt occidere aggreſſorem, ſi alia via non ſupetat. ibid n. 14. p. 192.
AMICVS manifeſtans amico iniuriam ab alio acceptam non peccat grauiter, ſi hoc faciat ad limẽdum dolorem. R. 1. P. 16. D. 3. n. 2. p. 296.
Amicus manifeſtans vtſupra, ſi hoc fecerit ex fine lædendi famam illius peccabit grauiter. ibid. n. 3.
Amicus ad leniendum dolorem in quærimonias prorupetit pluribus audientibus non peccauit læthaliter. ibid. n. 5. p. 297.
Amicus manifeſtans alterius peccata, quæ audiuit aſſerens ſe nihil certò ſcire non peccat læthaliter, ſi narret ex auditu perſonæ minime fide dignæ. ibid. §. 7. n. 4.
Amicus vtſupra ſi narret ex auditu perſonæ probatæ fidei, & ipſe eſt notæ infidelitatis probabilius non peccat læthaliter. ibid. n. 5. idem dic ſi probabiliter putet auditores non eſſe ſibi credituros. ibid. n. 6. p. 299.
Amicus vtſupra probatæ fidei narrans vtſupra ex auditu alterius probatæ fidei peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. ibid. n. 7. p. 299., & culpa eſt grauior quo perſona de qua eſt maioris probitatis eſt. ibid. n. 8. p. 299.
AVCTORITATE priuata non licet occidere peccatores, vel maleficos. R. 1. P. 15. S. 3. n. 3. p. 169.
Auctoritate publica fit occiſio bannitorum. ibid.
Auctoritate publica poſſunt occidi malefici, & peccatores ibid. n. 4. p. 169., & hoc etiam vltra caſus præſcriptos in Exodo cap. 21. n. 5. p. 169.
Auctoritate Epiſcopi non ſemper ſunt diſtribuenda pauperibus, vel in vſus pios bona incerta. ibid. R. 2. P. 3. n. 13. p. 335.

B.

BANCHÆRVPTORES non gaudent beneficio legis. R. 3. P. 2. n. 2. p. 438.
Banchæruptores grauibus pœnis debent mulctari. ibid. n. 3. p. 438.

Ban-

Digitized by Google

Bancharuptorum pœna enumerantur. ibid. n. 4. p. 438. & n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. p. 438., & p. 439., & n. 12. p. 440.

Bancharuptorum edicta plura, ibid. n. 13., & n. 14. pag. 440.

Bancharuptores merentur carcerem, ibid. P. 3. n. 1. pag. 441.

BENEFICIATVS ex omiſſione horarum canonicarum, tenetur redditus beneficij correſpondentes omiſſioni pauperibus erogare. R. 3. P. 13. D. 1. §. 21. n. 1. pag. 495.

Beneficiatus faciens eleemoſinam &c. liberatur ab onere etiamſi ob obliuionem non intendat ſatisfacere debito ſuo, ibid. n. 2. ſed abſolutè non liberatur n. 3. p. 495.

BONA aquiſita à fratre per negotiationem nomine communi aliorum fratrum ſunt communia: non ſic acquiſita nomine proprio. R. 1. P. 6. n. 17. p. 39.

Bona patrimonialia, & paraphernalia ludo exponere poteſt Vxor, ibid. R. 2. P. 10. D. 1. §. 10. n. 4. pag. 409.

Bona patrimonialia Parochi eidem ablata ipſi ſunt reſtituenda. ibid. §. 12. n. 2. p. 415.

Bona Eccleſiæ ſublata à Parocho fideli eidem ſunt reſtituenda, ſi autem Parochus non ſit adminiſtrator fidelis debent reſtitui Eccleſiæ. ibid. n. 4. p. 415.

Bona quaſi patrimonialia, quid ſint. ibid. n. 3. p. 415.

Bona beneficij reſtituenda ſunt beneficiato à quo fuerunt ablata. ibid. n. 5. p. 416.

Bona extracta à flumine à nautis facta diligentia Domino non inuento ſunt eorundem nautarum. ibid. §. 16. n. 2. pag. 423.

Bona beneficio fluminis in agrum alterius adducta facta diligentia non inuento domino ſunt poſſeſſoris agri. ibid. n. 3. p. 424., & ſi alter præuenerit dominum agri ſunt illius facta tamen debita diligentia. ibid. n. 4. p. 424.

Bona aduentitia quænam ſint. R. 1. P. 5. n. 1. p. 28.

Bona aduentitia intelliguntur etiam lucra ex labore, & induſtria filij. ibid. n. 6. p. 31., & maximè, ſi filius proteſtetur ſe operari, vt ſibi lucretur. ibid. n. 8. etiamſi filius ſit ſub poteſtate patris. ibid. n. 8. p. 31.

Bona aduentitia comprehendunt etiam lucra aquiſita ex induſtria. ibid. P. 6. n. 18. p. 39.

Bona aduentitia filij quoad vſumfructum tranſeunt ſecundum medietatem ad patrem. ibid. P. 16. D. 2. §. 2. n. 3. p. 222.

Bona aduentitia non ſunt publicanda filio delinquente delicto exigente talem publicationem. ibid. §. 3. n. 4. pag. 222.

Bona aduentitia poſt mortem patris tranſeunt pleno iure in filium. ibid. §. 12. n. 2. p. 232.

Bona fortunæ ordinis inferioris, ac bona fama. R. 1 P. 13. §. 3. n. 13. p. 147.

Bona ſpiritualia, & æterna ſunt præferenda temporalibus. ibid. P. 15. S. 6. n. 5. p. 180.

Bona ſpiritualia, alia naturalia, alia ſupernaturalia. ibid. P. 16. n. 1. p. 198.

Bona ſpiritualia per modum paſſionis, quomodo iniuſtè lædantur. ibid. n. 2. p. 199.

Bonorum ſpiritualium læſio eſſet contra iuſtitiam legalem non vero commutatiuam. ibid. n. 3. p. 199.

Bona ſpiritualia conſiſtentia in perfectionibus aquirendis, vel aquiſitis, quomodo lædi poſſint. ibid. n. 4. p. 199.

Bona corporis incompenſabilia ſunt per bona fortunæ. ibid. D. 1. n. 1. p. 204.

Bona corporis, & vitæ non ſunt reſtituenda in bonis fortunæ, ſed tantum damna. ibid. R. 2. P. 1. n. 22. pag. 323.

Bona fortunæ compenſant damna, quæ adueniunt ex læſione corporis. ibid. n. 22. p. 323.

Bona ſpiritualia naturalia compenſanda ſunt in eodem genere, & non aliter. P. 1. n. 25. p. 326.

Bona ſpiritualia naturalia, quomodo poſſint reparari. ibid.

Bona temporalia compenſant damna temporalia. ibid. n. 26. p. 326.

Bona ſpiritualia ſupernaturalia læſa per vim, & fraudem ſunt compenſanda per ablationem vis, & fraudis. ibid. n. 27. p. 327.

Bona incerta poteſt ſibi retinere licitè pauper. R. 2. P. 3. n. 14. p. 336.

Bona incerta in ſua ſpecie exiſtentia non ſunt reſtituenda creditoribus, ſed ijs, quibus incerta debent reſtitui. ibid. P. 8. n. 1. p. 358.

Bona incerta, ſi in ſua ſpecie non extent reſtitutio prius facienda eſt pro debitis certis, quam pro incertis. ibid. n. 2. p. 359.

Bona profectitia quænam ſint. R. 1. P. 5. n. 1. p. 28.

Bona profectitia filij habent hoc, quod non veniant in publicatione pro delicto patris. ibid. n. 5. p. 30.

Bona filij ad patrem diuerſimodè ſe habent, ac bona religioſi ad Monaſterium. ibid. P. 10. n. 15. p. 68.

Bona quaſi caſtrenſia quænam ſint. R. 1. P. 5. n. 1. p. 28.

Bona caſtrenſia ablata filio à Patre quomodo reddant Patrem peccantem. ibid. n. 2. p. 29.

Bona caſtrenſia ſunt illa bona aquiſita à filio remige in bello iuſto. ibid. P. 16. §. 8. n. 2. p. 228. non autem aquiſita ex officio in bello iniuſto. ibid. n. 4. p. 228.

Bonitas intrinſeca ad longè perfectiores vſus inſeruit. R. 1. P. 13. §. 2. n. 17. p. 135.

C.

CAMBIVM qrotuplex. R. 1. P. 13. §. 4. n. 25. pag. 137.

Cambium in vnoquoque genere explicatur. ibid. n. 26. 27. 28. p. 138.

CAPTIVVS Chriſtianus poteſt ex conſenſu tacito Principis Chriſtiani ſurripere bona Turcarum. R. 1. P. 16. D. 1. §. 12. n. 3. p. 218.

CASTRENSIA bona quænam ſint. R. 1. P. 5. n. 1. pag. 28.

CESSIO bonorum, quid ſit propriè loquendo. R. 3. P. 2. n. 1. p. 438.

Ceſſio bonorum deobligat debitorem. ibid. P. 3. n. 2. pag. 441.

Ceſſio bonorum liberat debitorem à pœna carceris. ibid. n. 3. p. 441.

Ceſſio bonorum publica cum actibus ignominioſis non liberat à reſtitutione debitorem, ſi venerit in meliorem fortunam. ibid. n. 6. p. 443.

Ceſſio bonorum, quæ cautione facienda ſit. ibid. P. 13. D. 1. §. 7. n. 2. p. 481.

Ceſſio bonorum fieri poteſt contra iuramentum de non cedendo antequã præcedat abſolutio talis iuramenti. ibid. §. 8. n. 3., & n. 5. p. 482.

Ceſſio

Digitized by Google

Ceſſio bonorum æqualibus creditoribus debet fieri pro vtraque parte. ibid. §. 9 n. 5. p. 483.

Ceſſio bonorum fieri poteſt, poſtquam debitor detruſus eſt in carcerem. ibid. §. 10. n. 3. p. 484.

Ceſſio bonorum facta à debitore non liberat fideiuſſorem ab onere integrè ſatisfaciendi creditoribus. ibid. §. 11. n. 3. p. 485.

CHARITAS *obligat ad impedienda damna proximi. R. 1. P. 12. ſ. 7. n. 4.* p. 113.

CLERICVS *aggreſſus licitè occidit aggreſſores laicos. R. 1. P. 15. ſ. 7. n. 12. p. 192., & è contra laicus Clericos.*

Clericus occidens aggreſſorem laicum, an incurrat irregularitatem. ibid. n. 13. p. 192.

Clericus pro defenſione rerum ſuarum, poteſt licitè occidere aggreſſorem. ibid. n. 21. p. 197.

Clericus vtſupra non incurrit irregularitatem. ibid. n. 23. pag. 197.

Clericus cum plena deliberatione occidens hominem ipſo iure priuatur beneficio. ibid. P. 16. D. 3. §. 13. n. 3. pag. 306.

Clericus in Sacris conſtitutus non recitans horas canonicas grauiter peccat. ibid. §. 19. n. 2. p. 314.

Clericus beneficiatus non recitans vtſupra tenetur ad reſtitutionem. ibid. n. 3.

Clericus inops non tenetur cedere bonis, nec propterea poteſt in carcerem trudi. ibid. R. 3. P. 3. n. 7. p. 443., & hoc intelligendum eſt de quocunque fruente priuilegio Clericorum. ibidem. n. 8.

COMMODATARIVS *tenetur reſtituere pretiū rei deperditæ ſine ſua culpa. R. 1. P. 3. n. 19.* p. 17.

Cōmodatarius non tenetur vtſupra, ſi res perierit ex caſu fortuito. ibid. n. 20.

Cōmodatarius, & depoſitarius non poteſt aliquid recipere pro reſtituendo commodato. ibid. R. 2. P. 10. D. 1. §. 3. n. 6. p. 380.

COMPENSATIO *quandoque eſt licita, quandoque non, ſi vnum debitum eſt reale, & alterum ex promiſſione. ibid. n. 11. p. 467., & n. 12. aſſignatur.* p. 467.

Compenſatio quandoque eſt licita, quandoque non, ſi vtrumque debitum eſt reale, & ex parte vnius adeſt iuramentum de ſolutione. ibid. n. 13. p. 468.

Compenſatio tacita quandonam adhiberi poſſit à legatario. ibid. n. 14. p. 468.

Compenſatio licita eſt creditori, quando eſt rationabilis metus, quod debitor non ſit ſoluturus. ibid. n. 15. pag. 468.

Compenſatio facienda eſt debitori à creditore, ſi ex illa anticipata compenſatione debitori emergeret aliquod intereſſe. ibid. n. 16. p. 469.

Compenſatio quid ſit, & quomodo contingat. R. 1. P. 12. n. 1. p. 465.

Compenſatio debiti pro credito licita eſt ſeruatis debitis conditionibus. ibid. n. 2. p. 466.

Compenſatio nequit fieri inuito creditore, ſi debitum ſit in vna ſpecie, & creditum in altera. ibid. P. 12. n. 3. pag. 466.

Compenſatio in dicto caſu poſſet fieri, ſi non foret alia via. ibid. n. 4. p. 466.

Compenſatio nequit in foro externo fieri à creditore quoad rem apud ſe depoſitam, vel ſibi commodatam, bene tamen in interno. ibid. n. 5. p. 467.

Compenſatio tacita quaſnam conditiones requirat. ibid. n. 6. p. 467. iſtæ enumerantur. ibid. à n. 6. vsque ad n. 10. p. 467.

COMPOSITIO *facta cum Romano Pontifice ſuper incertis tenet, & deobligat. R. 3. P. 9. n. 1.* p. 459.

CONCILIVM *Trident. prohibet Religioſis, ne habeant vitalitios redditus. R. 1. P. 10. n. 4.* p. 63.

Concilium Trid. diſponit de quo non diſponebat ius antiquum. ibid.

Concilium Trid. quoad mobilia Religioſorum explicatur. ibid. n. 5. p. 64.

CONCVRRENS *non animo nocendi, ſed iuuandi, & ex illo concurſu damnum ſecutum fuerit, ſine quo non eueniſſet, in foro externo non eximitur ab obligatione. R. 1. P. 12. ſ. 6. num. 7.* p. 108.

Concurrens vt ſupra non tenetur, ſi læſo innotuerit non cōcurriſſe animo nocendi, ſed iuuandi. ibid. n. 8 p. 109.

Concurrens conſulendo ad minus damnum, cum alter eſſet diſpoſitus ad maius damnum, non tenetur ad reſtitutionem. ibid. §. 32. num. 2. p. 261.

Concurrens iniuſtè adhuc tenetur ad reſtitutionem, quamuis, ſi ipſe non concurriſſet, res illa fuiſſet ablata. ibid. num. 7. p. 262.

Concurrentes plures ad damnum ad quid teneantur. R. 2. P. 4. n. 5. p. 340.

Concurrentes tum partialitate cauſæ, tum partialitate effectus ad damnum tenentur ſolum ad ratam. ibid. num. 6. p. 340.

Concurrentes totalitate cauſæ, & effectus ſinguli tenentur in ſolidum ad ſatisfaciendum pro damno. ibid. nu. 7. p 340.

Concurrentes minus principaliter, ſi læſus condonet principaliori deobligantur. ibid. n. 8. p. 341.

Concurrens principalior, non deobligatur, etiamſi læſus minus principalibus condonet. ibid. n. 9. p. 341.

Concurrentes æqualiter non deobligantur ad ſatisfaciendum, etiamſi læſus condonet alicui æquali, qui concurrit. ibid. n. 10. p. 341.

Concurrentes partialitate cauſæ, & totalitate effectus non tenentur, niſi ad partem. ibid. n. 14. p. 343.

Cōcurrentibus pluribus, ad damnum, ad quod omnes obligantur in ſolidum, tenetur primò, qui habet, vel qui in ſui vtilitatem conſumpſit rem acceptam. ibid. P. 7. n. 1. p. 355. ſi tamen concurrerit ad iniuſtam actionem, & mala fide conſumpſit. ibid. n. 2. p. 355.

CONDITIO *poſſidentis melior. R. 1. P. 12. S. 4. num. 6.* p. 101.

CONDVCTVS *tenetur impedire damna. R. 1. P. 12. S. 7. n. 11.* p. 118.

Conductus nequit vti tacita compenſatione pro mercede certa prætextu maiorum obſequiorum. ibid. R. 3. P. 12. n. 22. p. 470.

CONFESSARIVS *non obligans ad reſtitutionem quomodo teneatur. R. 1. P. 12. S. 7. n. 18.* p. 120.

Confeſſarius ex officio quare teneatur ad reſtitutionem, ſi non moneat &c. ibid.

Confeſſarius vt ſupra non tenetur, ſi cognoſcit pænitentem ex ſe debere reſtituere. ibid. n. 19. p. 121.

Confeſſarius vt ſupra, tamen non obligatus ex officio tenetur ſolum de culpa lata. ibid. n. 20. p. 121.

Confeſſarius peſte infectorum non intendit mortem directè. ibid. P. 15. S. 1. n. 7. p. 162.

Digitized by Google

Confeſſarius reuelans peccata, quæ audiuit in confeſſione alicuius iam mortui lethaliter peccat. ibid. P. 16. D. 3. §. 8. n. 3. p. 300.

Confeſſarius grauiter peccat abſoluendo nolentem reſtituere, cum poteſt. R. 3. P. 13. D. 1. §. 18. n. 3. p. 491.

CONSENSVS quid ſit. R. 1. P. 12. S. 3. n. 1. p. 96.

CONSILIVM quot modis ſumi poſſit. R. 1. P. 12. S. 2. n. 1. p. 89.

Conſilium differt à mandato. ibid. n. 2. p. 89.

Conſilium dans ex ſtipendio tenetur etiam de culpa leui. ibid. n. 3.

Conſilium ſine motiuo vtilitatis, & falſum, ſi fuerit reuocatum, deobligat. ibid. n. 12. p. 93.

CONSVLENS ex ſtipendio tenetur etiam de leui. R. 1. P. 12. S. 2. n. 3. p. 89.

Conſulens ſine ſtipendio ex aliqua prærogatiua, qua gaudet, non tenetur de leui. ibid. n. 4. p. 90.

Conſulens non tenetur, ſi reſpondet ſecundum opinionem probabilem. ibid. n. 5.

Conſulens cum ignorantia craſſa ratione ſuæ profeſſionis tenetur etiam in ordine ad contractum. ibid. n. 6. pag. 90.

Conſulens malè tenetur verſus eum, contra quem conſuluit, non cui conſuluit. ibid. n. 7. p. 91.

Conſulens delictum habet aduerſus ſe actionem ex tali delicto. ibid. n. 8. p. 92.

Conſulens imperitus non obligatur. ibid. n. 10. p. 92.

Conſulenti non imputatur opus, ſed potius operanti. ibid.

Conſulens quænam agere debeat ad efficaciter reuocandum malum conſilium. ibid. n. 11. p. 93.

Conſulenti licitum eſt conſulere minus malum ad obuiandum grauius. ibid. n. 13. p. 94.

Conſulens, ſi conſulat diſpoſitum ad inferendum maius malum, minus damnum, de quo non cogitauerat, tenetur ad compenſationem illius minoris damni. ibid. n. 14. p. 94.

Conſulens diſpoſitum ad malus, & minus damnum inferendum, ſi eundem conſulat ad minus non tenetur. ibid. n. 15. p. 95.

Conſulens vt ſupra explicaret ſolum veritatem ſpeculatiuam. ibid.

Conſulens duellum morte alicuius ſequta incurrit irregularitatem. ibid. §. 39. n. 2. p. 270.

Conſulens non tenetur ad damna occiſi. ibid. n. 4. p. 270. *etiamſi conſuluerit cum animo, vt ille occideretur. ibid. n. 5.* p. 271.

Conſulens promouendo ad vltionem, & manifeſtando vtilitatem, & comoditatem ſequuturam non eximitur ab onere compenſationis. ibid. §. 40. n. 2. p. 272.

Conſulens, vt ſupra deobligatur à tali onere, ſi conſultus receſſit, & vtilitas non reſultat. ibid. n. 3. p. 272.

Conſulens ad furandum reuocato conſilio ex quo reſultat vtilitas adhuc remanet obligatus ad reſtitutionem. ibid. §. 41. n. 2. p. 273.

Conſulens malum æquale minori malo, quod iam ſequeretur, non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem. ibid. §. 42. n. 3. p. 274.

Conſulens, ne quis obſtet furto, non tenetur ad reſtitutionem. ibid. §. 46. n. 4. p. 281.

Conſulens in dubio, quod ipſius conſilium fuerit cauſa furti, vel homicidij obligatur pro rata dubij ad compenſationem. ibid. §. 7. n. 4. p. 431.

CONTVMELIA per quid differat à detractione. R. 1. P. 14. S. 3. n. 1. p. 144.

Contumelia definitur. ibid. n. 3.

Contumelia non ſolum ſignis exterioribus, ſed etiam verbis committitur. ibid. n. 4. p. 145.

Contumelia per quid differat à conuicio, & improperio. ibid. n. 5. p. 145.

Contumelia per quid fiat ſignis exterioribus. ibid. n. 6.

Contumelia ratione finis diſcriminatur à detractione. ibid. n. 8.

Contumelia in genere moris conſtituit diuerſum peccatum in ſpecie à detractione. ibid. n. 9.

Contumelia ex genere ſuo lethalis eſt. ibid. n. 10. p. 146.

Contumelia proueniens ex quadam loquacitate non eſt lethalis. ibid. n. 11. p. 146. ratione autem materiæ poterit eſſe lethalis. ibid. vel venialis. ibid. n. 12. pag. 147.

Contumelia eſt grauior detractione, furto, rapina, minor verò homicidio, adulterio &c. ibid. n. 13.

COOPERANTES in ſolidum poſitiuè, tenentur ad ratum tantum, ſi pro parte cooperati fuerint. R. 1. P. 12. S. 8. n. 2. p. 126.

Cooperans poteſt eſſe, quoad totum, & quoad partem. ibid. n. 2. p. 127.

Cooperans tenetur ad totum, quando effectus eſt indiuiduus, ſecus verò, ſi eſt diuiduus. ibid. n. 3. p. 127.

Cooperantes ſiue poſitiuè, ſiuè negatiuè ad iniuſtas acceptiones tenentur ſaltem ſubſidiariè ad compenſandum. R. 2. P. 2. n. 1. p. 328.

Cooperantes, quo ordine debent reſtituere. ibid. n. 2. pag. 328.

CREDITOR habens dominium ſuper bona certa debitoris præferendus eſt alijs creditoribus, quamuis hypothecarijs. R. 2. P. 8. n. 3. p. 360.

Creditor hypothecarius præfertur venditoribus. ibid. n. 4. p. 360.

Creditor habens hypothecam tacitam anteriorem præferendus eſt habenti etiam expreſſam poſteriorem. ibid. n. 15. p. 365.

Creditor vtſupra præferendus eſt quoad bona præſentia, & futura. ibid. n. 17. p. 367.

Creditor vtſupra præferendus eſt pro ſorte principali, & pro fructibus rei. ibid. n. 18. p. 367.

Creditor vtſupra præferendus etiamſi poſterior mutuauerit pecuniam prò mercibus emendis. ibid. n. 19.

Creditor vtſupra non præfertur, ſi mutuatarius conuenerit expreſsè, quod merces eſſent ſpecialiter mutuanti obligatæ. ibid. n. 20. p. 367.

Creditor vtſupra non præfertur mutuanti pecuniam ad nauim armandam, vel reficiendam. ibid. n. 22. pag. 367.

Creditor vtſupra non præfertur in bonis mariti, quoad bona dotalia vxoris. ibid. n. 23., niſi anterior haberet expreſſam hypothecam. ibid. n. 24. p. 367.

Creditor vtſupra non præfertur quoad bona empta ex pecunia pupilli. ibid. n. 25. p. 367.

Creditor non tenetur expectare debitum ex delicto. ibid. R. 3. P. 5. n. 8. p. 448.

CRIMINATOR inuadens per falſos teſtes, non licet occidi. R. 1. P. 15. S. 7. n. 7. p. 190.

CVLPA quotuplex ſit. R. 1. P. 13. n. 2. p. 129.

Culpa alia theologica, alia iuridica. ibid.

CV-

Digitized by Google

CVRATOR quis ſit. R. 1. P. 8. n. 1. p. 47.
Curatoris munera. ibid. n. 3. p. 47.
Curator non adminiſtrans fideliter, nec curans bonos mores &c. peccat grauiter. ibid. n. 4. p. 47.
Curator poteſt ſibi occulta compenſatione ſatisfacere pro ijs, quæ pro pupillis expendit, etiamſi pupillus recuſet ſoluere. ibid. n. 5. p. 48.
Curator tenetur de lata, & leui culpa, ſi ſalarium recipiat. ibid. n. 6. p. 49., ſi autem ſalarium non accipit, tenetur tantum de lata, & dolo. ibid. n. 6. p. 49.
Curator non poteſt emere rem pupilli ſibi commiſſi ſub pœna quadrupli. ibid. n. 7. p. 49.
Curator ratione officij, ſine contractus, tenetur impedire damna. ibid. P. 12. S. 7. n. 10. p. 117.
Curator datus patri furioſo de conſenſu filiæ poteſt agere ad dotem profectitiam conſequendam. ibid. D. 2. §. 18. n. 4. p. 240.
CVSTODES ad impediendam venationem, lignationem, paſcua etc. ſi non impediant tenentur ad damna. R. 1. P. 12. S. 7. n. 11. p. 118.
Cuſtodes, qui ſe abſcondunt, vt capiant delinquentes, non peccant. ibid. n. 16. p. 119.
Cuſtodes rerum alienarum poſſunt aggreſſorem occidere. ibid. P. 15. S. 7. n. 24. p. 197.
Cuſtodes non accuſantes reos, an teneantur eorum mulctas perſoluere. ibid. P. 16. D. 1. §. 9. n. 23. p. 215.
Cuſtodes, an teneantur vectigalia non ſoluta perſoluere. ibid. nu. 4. p. 215.
Cuſtodes, qui accepto munere non denuntiarunt aſportantes res prohibitas non tenentur reſtituere munus acceptum, ſed tantum ſoluere vectigal pro illis debitum. ibid. D. 2. §. 48. n. 2., & 3. p. 284.
Cuſtodes non impedientes venationem, nec piſcationem ad quid teneantur. ibid. §. 49. n. 4. p. 285.

D.

D*AMNVM compenſandum in negotiatione facta nomine communi.* R. 1. P. 6. n. 23. p. 41.
Damnum irrogatum per mancipium, vel per proprium animal attento ſolo iure naturæ non eſt compenſandum ante Iudicis ſententiam. ibid. P. 16. D. 1. §. 10. n. 2. p. 216. *idem dicendum eſt attento iure poſitiuo. ibid.* n. 3.
Damnum quomodo ſumendum ſit. R. 3. P. 5. n. 1. p. 445.
Damnum imminens creditori ex reſtitutione debitoris debitorem excuſat ab eadem. ibid. n. 2. p. 446.
DEBITOR tradens alteri rem reſtituendam domino, ſi res pereat, quandoque liberatur, quandoque non. R. 2. P. 5. n. 6. p. 345.
Debitor liberatur in facta hypotheſi, ſi rem dederit ei, quem Dominus miſit ad accipiendum. ibid. num. 7. pag. 345.
Debitor pariter liberatur, ſi rem tradiderit Confeſſario, vt reſtitueret domino, cum ipſe ſine infamia non poſſet deferre, & periorit. ibid. n. 8 p. 346., & n. 9.
Debitor re iniuſtè ablata, & ea conſumpta tenetur reſtituere per ſe in æquiualenti. ibid. n. 11. p. 346., & *res iniuſtè ablata perit eidem debitori. ibid.* n. 12. p. 347.
Debitor non liberatur, ſi remittat per alium non reputatum fidelem. ibid. n. 13. p. 347., *etiamſi hic fuerit Confeſſarius. ibid.* n. 14. p. 347.
Debitor quandoque liberatur per remiſſionem creditoris factam per preces, quandoque non: ſecus verò, ſi per vim. ibid. n. 15. p. 347.
Debitor non liberatur, ſi creditor quoad remiſſionem deceptus fuerit. ibid. n. 16. p. 348.
Debitor plurium, ſi ſit in ſtatu, quo poteſt omnibus ſatisfacere poteſt prius ſoluere poſteriori. ibid. P. 8. n. 8. p. 365. *dummodo anterior non petat. ibid.*
Debitor vtſupra, ſi à proprio ſtatu laberetur ſatisfaciendo omnibus tenetur omnibus ad ratam ſatisfacere. ibid. n. 9. p. 365.
Debitor ex iuſtitia non debet prius ſatisfacere creditori pauperi omiſſo ditiori. ibid. n. 10. p. 365.
Debitor ex æquitate poteſt prius pauperiori ſatisfacere. ibid. n. 11. p. 366.
Debitor, an eximatur ab onere reſtitutionis ſoluendo creditori ſui creditoris. ibid. R. 2. P. 10. D. 1. §. 13. n. 2. pag. 419.
Debitor vtſupra non poteſt vtſupra, ſi creditum creditoris ſui creditoris non ſit ita certum, ac creditum ſui creditoris. ibid. n. 2.
Debitor in foro externo non liberatur vtſupra, ſi debitum ſuum erit manifeſtum, & creditum creditoris ſui creditoris occultum, ita vt probari nequeat. ibid. n. 3. pag. 419.
Debitor, ſi ſoluat ad æqualitatem creditori ſui creditoris regulariter liberatur. ibid. n. 4. p. 420.
Debitor de re certa, & determinata in indiuiduo non poteſt eam tradere creditori ſui creditoris in ſolutionem. ibid. n. 7. p. 421.
Debitor quando cenſeatur impotens ad ſatisfaciendum. ibid. R. 3. P. 1. n. 1. p. 433.
Debitor non tenetur reſtituere quamuis creditor ſit in eadem graui, vel extrema neceſſitate. ibid. n. 7. p. 434.
Debitor non tenetur &c. ſi ſit in graui neceſſitate ſpectante ad bona naturæ. ibid. n. 8. p. 435.
Debitor vt ſupra tranſacta neceſſitate tenetur reſtituere. ibid. n. 9. p. 436.
Debitor quandoque tranſacta neceſſitate abſoluitur ab onere reſtituendi, & quando. ibid. n. 10. p. 437.
Debitor iniuſtè non gaudet beneficio legis. ibid. P. 2. nu. 2. p. 438.
Debitor in foro conſcientiæ non minus deobligatur, per ceſſionem, ac per impotentiam. ibid. P. 3. n. 2. p. 441.
Debitor ſoluens creditori ſui creditoris de illius conſenſu liberatur. ibid. P. 4. n. 1. p. 444.
Debitor ſoluens vni ex creditoribus ſui creditoris, qui ſit poſterior, & non priuilegiatus non eximitur à reſtitutione. ibid. P. 4. n. 4. p. 444.
Debitor excuſatur à reſtitutione imminente graui damno creditori ex illa reſtitutione. ibid. P. 5. n. 2. p. 446.
Debitor in dato caſu, ſi reſtitueret non peccaret contra iuſtitiam. ibid. n. 3. p. 446.
Debitor, ſi reſtituat rem qua vtatur contra iuſtitiam cum ſcientia tenetur ad reparationem damnorum. ibid. n. 5. pag. 447.
Debitor excuſatur à reſtitutione ex magno periculo damnorum in ſuis rebus non debitis. ibid. n. 7. p. 448.
Debitor non excuſatur à reſtitutione quando ob atrox delictum pati debet illud detrimentum. ibid. n. 10. pag. 449.
Debitor non excuſatur &c. quando ex ſua culpa ſe redegit

Digitized by Google

git ad illas anguſtias . ibid. n. 11. p. 449.
Debitor excuſatur, quando iactura ſtatus coniungenda eſt cum iactura famæ. ibid. n. 12. p. 449.
Debitor ex delicto non eximitur à reſtitutione, ſi res æque fuiſſet peritura apud dominum ex iniuria alterius. ibid. P. 6. n. 2. p. 452.
Debitor non tenetur reſtituere rem, quæ periit ſine mora, & abſque ſua culpa. ibid. n. 4. p. 453.
Debitor non eximitur à reſtitutione per hoc, quod res tantum debita in genere intereat. ibid. n. 6. p. 454.
Debitor vtſupra liberatur, ſi res fuit obſignata, & creditori opportunè oblata. n. 7. p. 454.
Debitor non poteſt componere ſuper bonis certis ſuorum creditorum cum Romano Pontifice, niſi cum certis conditionibus, quæ enumerantur. n. 4. ibid. P. 9. n. 3. p. 461.
Debitor rerum alienarum incertarum ſi ſit pauper tantum pro loco, & pro tempore, & ſibi applicuerit non deobligatur à reſtitutione, ſed tenetur poſtea pauperibus erogare. ibid. P. 10. n. 1. p. 462.
Debitor rei incertæ, ſi ſine ſua culpa ſibi applicuerit, vt pauperi, comparente domino tenetur eamdem illi reſtituere in ſpecie ſi extet, vel in pretio, niſi fuerit in extrema, vel graui neceſſitate. ibid. n. 2. pag. 462.
Debitor vtſupra non tenetur, ſi res non extet, nec in pretio, nec in ſe. ibid. n. 3. p. 463.
Debitor, vt eximatur à debito per remiſſionem, non eſt neceſſe, quod tradat, vel prius offerat debitum. ibid. P. 13. n. 1. p. 471.
Debitor cum potens ſit ſatisfacere, tenetur non minutatim, ſed in totum ſatisfacere creditorem. ibid. P. 13. D. 1. §. 17. n. 3. p. 490.
Debitor cenſum immemor talis debiti, dando liberè cenſum non liberatur ab onere. ibid. P. 13. §. 22. n. 2. & 3. p. 496.
DEBITVM contractum non confertur, niſi probetur verſum eſſe in communem vtilitatem. R. 1. P. 7. n. 8. pag. 45.
Debitum ex furto obligat ad ſtatim reſtituendum. ibid. R. 2. P. 6. n. 12. p. 353.
Debitum ex iuſtitia prius ſoluendum eſt, quam debitum ex liberalitate. ibid. P. 8. n. 5. p. 361.
Debitum ex delicto, & debitum ex contractu non admittunt ordinem prælationis, niſi res debita ex delicto extet. ibid. n. 6. p. 362.
Debita chirographaria aliqua habent prælationem, & numerantur. ibid. n. 12. p. 366.
Debita hypothecaria admittunt ordinem prioris, & poſterioris. ibid. n. 14. p. 366.
Debitum ſtrictioris charitatis eſt ſubuenire extremè indigenti. R. 3. P. 13. D. 1. §. 3. n. 4. p. 478.
DEPOSITARIVS non poteſt aliquid recipere pro reſtituendo depoſitato. R. 2. P. 10. D. 1. §. 3. n. 6. p. 380.
DEPOSITVM regulariter reſtituendum eſt in loco contractus. R. 2. P. 9. n. 5. p. 369.
Depoſitum à fure alio translatum non eſt remittendum ad dominum expenſis depoſitarij, ſi non fuerit in culpa. ibid. n. 6. p. 370.
DETENTIO rei alienæ prohibita. R. 1. P. 2. n. 5. p. 7.
Detentio rei alienæ non fit peccaminoſa toties, quot ſunt momenta detentionis. ibid. n. 6. p. 7.
Detentio continuata rei alienæ non multiplicat peccatum. ibid. P. 4. n. 8. p. 22.
Detentio participanti mala fide eſt damnificatiua. ibid. P. 12. §. 6. n. 5. p. 106.
DETENTOR facta debita diligentia, ſi ſibi pauperi rem applicuit, ſi res exiſtat, comparente domino, debet illam reſtituere, ſi verò conſumpta fuit non tenetur. R. 2. P. 3. n. 15. p. 336.
Detentor vtſupra, ſi dedit pauperibus, & res adhuc exiſtit comparente Domino debet reſtituere. ibid. n. 16. pag. 337.
Detentor rei alienæ in dubio, quod ſit aliena poteſt illam retinere cum animo dimittendi, ſi poſtea nouerit eſſe alienam. ibid. R. 2. P. 10. D. 2. n. 2. p. 376.
Detentor debet reſtituere ea, quæ detinet. R. 1. P. 3. n. 2. pag. 10.
Detentor mala fide debet reſtituere fructus conſumptos. ibid. n. 6. p. 11.
Detentor bona fide non tenetur reſtituere fructus merè induſtriales. ibid. n. 7. p. 11., nec etiam, ſi mala fide. ibid. n. 8. p. 12.
Detentor tenetur compenſare damna, quæ acciderunt domino. ibid. n. 8. p. 12.
Detentor rei alienæ fructiferæ, tenetur reſtituere ad menſuram damni, ſi mala fide ſuſcepit, ſecus verò, ſi bona fide. ibid. n. 13. p. 14.
DETERIORATIO compenſanda iuxta valorem deteriorati. R. 1. P. 9. n. 20. p. 56.
DETRACTIO per quid differat à contumelia. R. 1. P. 14. S. 3. n. 1. p. 144.
Detractio definitur. ibid. n. 2.
Detractio diſcriminatur ratione finis à contumelia. ibid. S. 3. n. 8. p. 145.
Detractio in genere moris eſt peccatum diuerſum in ſpecie à contumelia. ibid. n. 9.
Detractio ex genere ſuo læthalis eſt. ibid. n. 10. p. 146.
Detractio prouenients ex quadam loquacitate non eſt læthalis. ibid. n. 11. p. 146. ratione autem materiæ poterit eſſe læthalis. ibid. vel venialis. ibid. n. 12. p. 147.
Detractio eſt leuior contumelia, maior verò furto, rapina, minor autem homicidio, et adulterio. ibid. n. 13. p. 147.
Detractio quibus modis fit. ibid. S. 3. n. 14. p. 148.
Detractio fieri poteſt quatuor modis indirectis. ibid. n. 14. pag. 149.
Detractio in materia leui non facit, quod audiens læthaliter peccet. ibid. n. 15. p. 149.
Detractio per quid diferat à ſuſſuratione. ibid. n. 16. pag. 150.
Detractio differt ab irriſione. ibid. n. 17. p. 151.
Detractio leuis quandoque ſecum trahit obligationem ad reſtitutionē ſub læthali. ibid. D. 3. §. 2. n. 1., & 2. p. 289.
Detractio, qua manifeſtatur peccatum læthale alterius eſt peccatum contra iuſtitiam, & detrahens tenetur ad reſtitutionem. ibid. §. 3. n. 2. ſententia autem oppoſita præfertur. ibid. n. 3. p. 291.
Detractio mortui læthalis eſt. ibid. §. 8. n. 1. p. 300.
DETRACTOR non tenetur niſi ſtatuere læſum in priori ſtatu. R. 2. P. 1. n. 8. p. 319.
Detractor tenetur ſolum reſtituere penes eos, quibus ſub ſecreto manifeſtauit immediatè. ibid. n. 9. p. 319.
Detractor, qui falſum crimen impoſuit tenetur ſe retractare, & quandoque cum iuramento. ibid. n. 10. p. 319.

Digitized by Google

Detractor viuens, ſi non reſtituit famam quæritur, an eius hæredes teneantur. ibid. n. 12. p. 320.
Detractor, ſi non ſatiſfacit pro damnis temporalibus, hæredes tenentur. ibid. R. 2. P. 1. n. 15. p. 321.
Detractor non tenetur, niſi ad damna temporalia, ſi fama reparata fuit per teſtimonium grauium virorum. ibid. n. 16. p. 321.
DOS reſtituenda eſt ſecundum æſtimationem conuentam. R. 1. P. 9. n. 21. p. 56.
Dos non intelligitur reſtituta, ſi tantum reſtituatur ſecundum valorem extrinſecum. ibid. n. 22. p. 56.
Dos tradita in certo genere pecuniæ intelligitur reſtituta etiamſi reſtituatur in eodem genere pecuniæ in valore extrinſeco mutatæ. ibid. n. 23. p. 56.
Dos quomodo ſit reſtituenda, quando tradita eſt in certo genere pecuniæ ſine pacto. ibid. n. 24. p. 57.
Dotis periculum quandonam ſe teneat ex parte Vxoris, & quando ex parte Mariti. ibid. num. 25. pag. 57.
Dos reſtituenda per hæredes Mariti. ibid. P. 16. D. 2. §. 15. n. 2. p. 234.
Dos aduentitia mortuo Marito remanet in pleno iure filiæ familias. ibid. §. 16. n. 3. p. 235.
Dos conſtituta à patre præſumitur donata filiæ. ibid. §. 17. n. 3. p. 237., & ad hoc non requiritur præſentia filiæ. ibid. n. 4.
Dos vxoris homicidæ, & lucrum dotis tranſit ad hæredes Vxoris. ibid. D. 3. §. 15. n. 4. p. 309.
DVX belli tenetur impedire damna ex officio. R. 1. P. 12. S. 7. n. 10. p. 117.
Dux iniuſta deprædatione vrbem inuadens cui debeat facere reſtitutionem. ibid. R. 2. p. 10. D. 1. §. 14. n. 2. p. 421.

E.

EBRIVS alium occidens, an teneatur ad reſtitutionem. R. 1. P. 16. D. 1. §. 7. n. 1. p. 212.
Ebrius peccauit lethaliter ſe inebrians. ibid. n. 2.
Ebrius alium occidendo peccat, ſi præuidit ſe alium occiſurum. ibid. n. 3. p. 213.
Ebrius, ſi præuidit occiſionem alterius, eſt irregularis. ibid. n. 4. p. 213.
Ebrius in caſibus, in quibus præuidit occiſionem, tenetur ad reſtitutionem. ibid. n. 5. p. 213.
ELEEMOSINA facta ſimulanti paupertatem, tenet non in fauorem ipſius, ſed aliorum. R. 3. P. 13. D. 1. §. 1. n. 4. p. 473.
Eleemoſina accepta à ſimulante paupertatem, poteſt ab eodem detineri, ſi ſit in proximo ſtatu paupertatis. ibid. n. 5. p. 474.
EMPHYTEVTA tenetur ſoluere penſiones, etiamſi res emphyteutica in aliqua parte pereat. R. 1. P. 13. §. 3. n. 21. p. 136.
Emphyteuta peccat deteriorando notabiliter rem emphyteuticam. ibid. n. 22.
Emphyteuta peccat recidendo plantas fructiferas, plantando infructiferas. ibid. n. 23. p. 137.
Emphyteuta, quis ob canonem non ſolutum decidit in commiſſum poteſt eximi per compenſationem, ſi habeat æquale creditum contra dominum. R. 3. P. 12. n. 20. p. 470.
Emphyteuſis multiplex. R. 1. P. 16. D. 2. §. 29. n. 3. pag. 253.
Emphyteuſis conceſſa pro ſe, & deſcendentibus non tranſit cum deſcendente ad Monaſterium. ibid. num. 9. pag. 255.
Emphyteuſis conceſſa pro ſe, & hæredibus quibuſcumque tranſit in Monaſterium, ſi fuerit hæres. ibid. n. 10. pag. 256.
EMPTOR tenetur reſtituere fructus extantes Domino, ſi emit ab iniuſto detentore. R. 1. P. 3. n. 9. p. 12.
Emptor vt ſupra &c. tenetur etiam reſtituere fructus non exiſtentes. ibid. n. 10. p. 13.
Emptor rem emptam à fure tenetur reſtituere Domino illam. ibid. n. 14. p. 14.
Emptor in hoc caſu poteſt agere contra furem pro pretio ſoluto. ibid.
Emptor poteſt vilius emere ob anticipatam ſolutionem. ibid. P. 13. §. 1. n. 6. p. 130.
EMENS poteſt emere vilius chirographa non ſoluenda, niſi poſt annum, ſi ſint difficilis exactionis. ibid. n. 7. pag. 130.
Emptor, qui minoris emit ad haſtam non peccat. ibid. n. 9. p. 132.
EPISCOPVS attenta communi praxi non poteſt componere ſuper incertis. R. 3. P. 9. n. 2. p. 460.
ÆSTIMATIO quando faciat venditionem. R. 1. P. 9. nu. 26. p. 57.
Æſtimatio facta, ſine expreſſione pretij non facit venditionem. ibid. n. 29. p. 59.
Æſtimatio facta cum mentione pretij inducit tacitam venditionem. ibid. n. 30. p. 59.
EXCOMVNICATIO creditoris non liberat debitorē ab onere reſtituendi. R. 3. P. 11. n. 1. p. 464.
Excomunicatio creditoris non tribuit debitori ius ad dilationem ſolutionis. ibid. n. 2. p. 464.
Excomunicatio non deobligat debitorem à creditore quantumuis debitum proueniat à promiſſione, & ſtipulatione. ibid. n. 4. p. 464.
Excomunicatio contra detinentes res alienas non comprehendit detinentes iuſto titulo compenſationis. ibid. P. 12. n. 17., & 18. p. 469.

F.

FAMA, quid propriè ſit. R. 1. P. 14. S. 1. n. 1. pag. 139.
Fama definitur. ibid. n. 3.
Fama habet pro obiecto excellentiam perſonæ. ibid. n. 4. pag. 140.
Fama differt ab honore ratione actus. ibid. num. 5. pag. 140.
Fama, & honor mediant inter bona vitæ, & bona fortunæ. ibid. S. 2. n. 1. p. 140.
Fama ordinis melioris, ac bona fortunæ. ibid. num. 12. pag. 147.
Fama cur ſit reſtituenda. ibid. S. 3. n. 17. p. 151.
Fama amittitur per notorietatem. ibid. num. 37. pag. 157.
Fama læſa defuncti non eſt reſtituenda coniunctis. ibid. P. 16. D. 3. §. 9. n. 2. p. 301.
Fama reſtituenda eſt in eodem genere bonorum, & non in alio. R. 2. P. 1. n. 7. p. 318.

Digitized by Google

Fama, & honor ſunt ſub dominio poſſidentis. ibid. n. 7.

Fama, & honor non ſunt compensanda in bonis fortunæ. ibid. n. 13. p. 320.

Fama poteſt perfectè reparari per teſtimonium grauium virorum. ibid. R. 2. P. 1. n. 16. p. 321.

Fama poteſt reparari per obliuionem ex diuturnitate temporis. ibid. n. 18. p. 322.

FAMVLVS non impediens damna domini ſui peccat. R. 1. p. 12. S. 7. n. 17. p. 120.

Famulus conductus certa mercede nequit vti tacita compenſatione prætextu maiorum obſequiorum. ibid. R. 3. P. 12. n. 22. p. 470.

FÆTVS non eſt propriè aggreſſor matris. R. 1. P. 15. S. 6. n. 5. p. 181.

Fætus in ventre matris animatus non eſt pars matris. ibid. n. 6. p. 181.

Fætu mortuo ad ſaluandam matrem licet ſcindere vterum matris. ibid. n. 10. p. 183.

Fætu mortuo mater non tenetur pati ſciſſionem. ibid. n. 11. p. 184. *poteſt tamen ſi vellit. ibid. n. 12.*

FEVDVM francum tranſit cum profeſſo in Monaſteriũ. R. 1. P. 16. D. 2. §. 29. n. 4. p. 253.

Feudum hæreditarium non permanet in Monaſterio, niſi ad vitam Religioſi. ibid. n. 6. p. 254.

Feudum habens annexam dignitatem probabilius non tranſit in Monaſterium. ibid. n. 7. p. 255.

Feudum conceſſum pro ſe, & pro filijs, ſi non habet annexa onera, quæ non poſſint præſtari per Monaſterium, tranſit in ipſum. ibid. n. 8. p. 255.

FIDEIVSSOR adiectus contractui Religioſi nullo modo obligatur. R. 1. P. 16. D. 2. §. 30. n. 6. p. 258.

Fideiuſſor, ſi ſe obligauit ad illum contractum, obligatur. ibid. n. 6. p. 258.

Fideiuſſor non liberatur ab onere integrè ſatisfaciendi creditoribus per ceſſionem bonorum factam à debitore. R. 3. P. 13. D. 1. §. 11. n. 3. p. 485.

FIDES mala, qua quis detinet rem alienam fructiferam, obligat detentorem ad compenſationem. R. 1. p. 3. n. 13. pag. 14.

Fides bona in dicto caſu non obligat. ibid.

FILIVS accipiendo à patre notabilem quantitatem grauiter peccat. R. 1. P. 4. n. 17. p. 27.

Filius vſurpans bona aduentitia quoad fructus, & profectitia peccat. ibid. P. 5. n. 9. p. 32. *niſi adſit conſenſus præſumptus patris. ibid. n. 10.* p. 32.

Filius extra domum ſtudiorum cauſa, ſi impenderet in vſus conſuetos aliquid ex profectitijs non peccaret. ibid. n. 11. p. 32.

Filius non peccat ſubueniendo aliquem in extrema, vel graui neceſſitate ex profectitijs. ibid. n. 12. p. 32.

Filius inſumens in prauos vſus, quæ accepit à Patre pro vſibus honeſtis, & congruis, peccat peccato iniuſtitiæ. ibid n. 13. p. 33.

Filius, qui viuente patre fructus ſuſcepit ex bonis paternis peccat peccato iniuſtitiæ, ſi mortuo patre non confert cum cæteris fratribus. ibid. n. 15. p. 34.

Filius vtſupra non peccaret, ſi fructus eſſent in modica quantitate. ibid. n. 16.

Filius vtſupra non peccaret, ſi fructus illos inſumpſit ad vſus, ad quos tenebatur Pater: vel niſi conceſſi forent titulo remunerationis. ibid. n. 18. p. 34.

Filius peccat, ſi non confert bona, quæ à Patre vltra neceſſaria pro ſtudijs accepit. ibid. P. 6. n. 1. p. 36.

Filius peccat, ſi non confert, quæ pater ipſi emit ſed viuens non tradidit etiamſi, ſi ſint arma, vel libri. ibid. n. 2. pag. 36.

Filius in dicto caſu peccat, etiamſi libri fuerint traditi ante lauream doctoralem. ibid. n. 2. p. 36.

Filius in ſuppoſitione quod ei fuerint traditi libri ſine animo donandi debet conferre libros ſecundum valorem. ibid. P. 6. n. 4. p. 36.

Filius peccat non conferendo pretioſa empta à patre pro propria vxore. ibid. n. 6. p. 37.

Filius non poteſt diſponere de rebus illicitè aquiſitis. ibid. P. 9. n. 17. p. 54.

Filius ſequitur ius, & conditionem parentum. ibid. P. 11. n. 7. p. 74.

Filius accedit Domino iure acceſſionis ad matrem. ibid. pag. 75.

Filius an poſſit licitè occidere patrem ad defenſionem innocentis. ibid. P. 15. S. 7. n. 26. p. 198.

Filius habens hæreditatem ab aliquo teſtatore cum conditione quod vſusfructus non deferatur ad eius patrem habet plenum ius. ibid. P. 16. D. 2. §. 1. n. 6. p. 221.

Filius emancipatus in bonis aduentitijs habet medietatem fructuum, altera verò medietas pertinet ad patrem. ibid. §. 2. n. 3. p. 221.

Filius familias aquirit pleno iure, quæ non ex publico ſed à clientulis ſibi erogantur. ibid. P. 16. D. 2. §. 7. n. 4. p. 227.

Filius familias remigando in bello iuſto aquirens bona, aquirit caſtrenſia. ibid. §. 8. n. 2.

Filius familias, cui relictus fuit vſusfructus in legatum alicuius immobili poteſt de tali vſufructu diſponere. ibid. §. 13. n. 3. p. 233.

Filius aquirit plenum ius ad vſumfructum aduentitiorum emiſſa profeſſione patris ſui in religione. ibid. §. 27. n. 250.

Filius non poteſt occidere Patrem bannitum, ſi non ſit noxius reipublicæ. ibid. P. 16. D. 3. §. 11. n. 4. pag. 304.

Filius poteſt patrem vim vi repellendo licitè occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. ibid. §. 12. n. 3. pag. 305.

Filius homicida priuatur hæreditate patris. ibid. D. 3. §. 15. n. 3. p. 308.

Filius familias, ſi ludo expoſuerit bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, & perdiderit, non ſunt ei reſtituenda. R. 2. P. 10. D. 1. §. 9. n. 3. p. 403.

Filio vtſupra ſunt reſtituenda, ſi ludus fuerit vetitus. ibid. n. 4., vel niſi ratione ætatis non habuerit adminiſtrationem. ibid. n. 5. p. 403.

Filius familias regulariter non poteſt exponere ludo bona aduentitia abſque patris conſenſu, & ſi perdiderit, pater poteſt ea repetere. ibid. n. 6. p. 403.

Filius naturaliter in ea hypotheſi obligatur de euictione. ibid. n. 7. p. 404.

Filius vtſupra de iure poſitiuo, & communi non obligatur ciuiliter ad illam euictionem. ibid. n. 8. p. 404.

Filius vtſupra de iure municipali Mediolanenſi nullo modo obligatur. ibid. n. 9. p. 404.

Filius degens in aula Principis, vel in vniuerſitate cauſa ſtudiorum poteſt quid modicum in ludo licito exponere. ibid. n. 10. p. 404.

Digitized by Google

Filius, ſi de ſumma aſſignata pro victu à patre parcius viueret, poſſet reſeruatam ludo exponere, ibid. n. 11. pag. 404.

Filius, ſi ex illo modico expoſito magnam quantitatem lucratus fuerit, poteſt eamdem continuando ludum, vel in alio ludo cum eodem colluſore, vel cum alio exponere. ibid. n. 12., 13., 14., p. 405., niſi tamen Pater prohibuerit. ibid. n. 14.

Filius aquirens aliquid propria induſtria poteſt illud moderatum ludo exponere. ibid. n. 16. p 406.

Filiusfamilias, ſi quid ſupra taxam patris expoſuit in ludo, & amiſit, tenetur victor exceſſum taxæ reſtituere, ibid. n. 21. p. 408.

Filius familias intendens ingredi religionem non tenetur differre ingreſſum, vt ſoluat debita ex mutuo contracta. ibid. R. 3. P. 8. n. 1. p. 456.

Filius, ſi fuerit ſui iuris, & impar ad ſoluendum poteſt ingredi religionem cedendo bonis. ibid. n. 2. p. 456.

Filius banniti primogenitus admittendus eſt in ſucceſſione bonorum primogeniorum cum excluſione fratris eiuſdem banniti. R. 3. P. 13. D. 1. §. 29. n. 4. p. 504., & n. 5. extenduntur rationes. p. 505.

Filius primogenitus banniti non ſuccederet ex perſona patris. ibid. n. 6. p. 506.

Filius primogenitus banniti eſt prior quocumque alio in ordine vocationis ad ſucceſſionem. ibid. n. 6. p. 507.

FISCVS ſuccedit in hæreditatem homicidæ cum excluſione filiorum eius. R. 1. P. 16. D. 3. §. 15. n. 3. pag. 308.

FRATER, qui in diuiſione bonorum cum cæteris fratribus non concurrit ad compenſationem damnorum illatorum à patre in aduentitijs alterius fratris peccat. R. 1. T. 6. n. 7. p. 37.

Frater non peccat, ſi in diuiſione bonorum non confert cum fratribus bona ipſi collata à patre pro ſtudijs, ſi non habebat caſtrenſia. ibid. n. 8. p. 37.

Frater in dicto caſu non peccat, ſi non confert ea, quæ pater contulit pro ipſius delicto ex naturali pietate. ibid. n. 9. p. 37.

Frater in dicto caſu peccat non conferendo, quæ mortuo patre inſumpſit pro ſtudijs. ibid. n. 10. p. 38.

Frater &c. peccat non conferendo, quæ inſumpſit pro laurea doctorali conſequenda. ibid. n. 11. p. 38. idem dicendum, ſi non confert, quæ inſumpſit, vt ſe redimeret à delicto. ibid. n. 12. p. 38.

Frater non peccat, quando non confert inſumpta, quæ ſunt cum inſumptis fratrum æqualia. ibid. n. 13. p. 38.

Frater non peccat non conferendo, quæ ex propria induſtria aquiſiuit ex pecunia patris. ibid. n. 14. p. 38.

Frater non peccat, etiamſi non conferat, quæ ſibi relicta ſunt ſine contemplatione patris. ibid. n. 15. p. 38.

Frater non peccat, ſi non manifeſtat relicta ſibi à patre poſt emancipationem. ibid. n. 16. p. 38.

Frater, ſi negotiatus fuerit in re communi nomine proprio, fratres non poſſunt agere in ipſum. ibid. P. 6. n. 22. pag. 40.

Frater ſe ſolo negotians non debet conferre fructum, ſiue lucrum ex induſtria alteri fratri non negotianti. ibid. P. 7. n. 6. p. 44.

Frater pluribus titulis non tenetur conferre cum alio fratre lucrum ex officio publico conſecutum, ibid. P. 16. D. 2. §. 9. n. 2. p. 229.

Frater, qui emit officium ex pecunia communi non tenetur communicare lucra, alijs pecunia reſtituta. ibid. §. 10. n. 4. p. 230.

FRVCTVS, ſiue pendētes, ſiue acceptos ex proprietate rei debent reſtitui. R. 1. P. 3. n. 4. p. 11.

Fructus non exiſtentes amplius obligant detentorem, vt reſtituat id, in quo factus fuit ditior. ibid. n. 5. p. 11.

Fructus mala fide conſumpti ſunt reſtituendi. ibid. n. 6. pag. 11.

Fructus merè induſtriales non ſunt reſtituendi, ſi bona fide illos ſuſcepit detentor. ibid. n. 7. p. 11., nec etiam, ſi male fide. ibid. n. 8. p. 12.

FVR ſi alio migrauerit cum re furtiua tenetur remittere ad dominum ſuis ſumptibus. ibid. R. 2. P. 9. n. 2. p. 368.

Fur vt ſupra tenetur remittere proprijs expenſis, ſi rem dominus ſine ſumptu alio aſportaſſet. ibid. n. 3. p. 368.

Fur non eximitur à reſtitutione, ſi pereat res debita in indiuiduo non recipiens functionem ex furto. R. 3. P. 6. n. 1. p. 451.

Fur, ſi peremit rem in loco, & tempore, quibus periſſet apud dominum, non tenetur, ſecus ſi alio loco, & tempore, quo non periſſet. ibid. n. 3. p. 452.

Fur recidiuus, ſed reſtituens grauius peccat contra iuſtitiam, quam ſemel furans. ibid. P. 13. D. 1. §. 16. n. 2. pag. 489.

Fur nocturnus quis dicatur. R. 1. P. 15. §. 7. num. 20. pag. 194.

Fur, an præſente domino poſſit occidi, quantumuis ſit ſpes recuperationis rei ablatæ. ibid. n. 20 p. 195.

Fur, an poſſit occidi furto ſecuto in actu fugæ. ibid.

Fur, an poſſit aggredi, & quibus modis, & an in omnibus poſſit licitè occidi. ibid. n. 20. p. 196.

Fur non habens quid reſtituat venundari debet ex Exodo. ibid. D. 1. n. 2. p. 204.

Fur non habens vtſupra poteſt compelli ad obſequia in fauorem læſi. ibid. n. 4. p. 204.

Fur non habens vtſupra non poteſt inuitus trahi à domino ad ſeruitutem, bene tamen volens. ibid. n. 5.

Fur iuſtè poteſt damnari à Iudice ad ſeruitutem. ibid. n. 6. pag. 205.

FVRTVM definitur. R. 1. P. 4. n. 1. p. 18.

Furtum committi poteſt etiam in re immobili. ibid. n. 2. pag. 19.

Furtum non reſpicit rem merè corporalem. ibid. n. 3. pag. 20.

Furtum habetur etiam in re furtiua exiſtente apud furem. ibid. n. 4. p. 20.

Furtum ſpecie differt à rapina. ibid. n. 6. p. 21.

Furtum eſt peccatum leuius rapina. ibid. n. 7. p. 21.

Furtum ex genere ſuo eſt lethale. ibid. n. 10. p. 23.

Furtum aliquando non eſt lethale. ibid. n. 11. p. 24., & n. 12.

Furtum per qualem quantitatem fiat lethale. ibid. n. 13. pag. 24.

Furtum non eſt licitum, nec in extrema, nec in graui neceſſitate. ibid. n. 16. p. 27.

Furtum per accidens poteſt eſſe grauius detractione. ibid. P. 14. S. 3. n. 13. p. 548.

Furtum non committitur à filio ſibi vſurpante bona relicta cum expreſſione, quod ſint ei caſtrenſia. ibid. P. 16. D. 2. §. 5. n. 3. p. 224.

GA-

Digitized by Google

G.

GABELLARVM impoſitio in radice iuſta. R. 1. P. 11. n. 14. p. 78.
Gabellarum ius minoris locatur, ac in ſe valeat. ibid.
Gabellarij exigunt plura iniuſtè, R. 1. P. 11. n. 14. p. 79.
Gabellarij querelantur iuſtè à Nauarro. ibid.
Gabellariorum iuſta cenſura. ibid.
Gabellariorum iuſta cenſura auctoris. ibid. p. 80.

H.

HOMICIDA priuatur ſucceſſione ex vi homicidij. R. 1. P. 16. D. 3. §. 14. n. 2. p. 307.
Homicida admittitur ad ſucceſſionem, & poſtea excluditur à fiſco tamquam indignus, ibid. n. 3. p. 307.
Homicida eſt cauſa priuationis hæreditatis in filijs. ibid. §. 15. n. 3. p. 307.
Homicida tenetur erogare aliquas eleemoſinas pro anima occiſi. ibid. §. 17. n. 4. p. 312.
Homicida vnius pro alio, quem intendebat occidere, euitat pænam ordinariam, & meretur extraordinariam. ibid. §. 18. n. 4., & n. 5. p. 313.
Homicida, cui ab occiſo in mortis articulo fieret remiſſio, non liberatur ab onere compenſandi damna filiorum occiſi, & ijs deberet ſubuenire, ſi forent pauperes etiamſi remiſſio facta fuiſſet etiam quoad damna. R. 3. P. 13. D. 1. §. 19. n. 2., & 3. pag. 492. & p. 493.
Homicidium quot modis poſſit fieri. R. 1. P. 15. §. 2. n. 1. pag. 164.
Homicidium poteſt eſſe voluntarium vel in ſe, vel in cauſa. ibid.
Homicidium ex genere ſuo eſt lethale. ibid. n. 2. p. 164.
Homicidium poteſt eſt veniale. ibid. n. 3. p. 165.
Homicidium grauius furto, detractione, & adulterio. ibid. n. 4. p. 165.
Homicidium eſt ab intrinſeco malum, non tamen ita, vt eſt mendacium. ibid. n. 5. p. 165.
Homicidium in aliqua hypoteſi non eſt malum. ibid. n. 5. p. 166.
Homicidium eſt contra iuſtitiam legalem, non contra commutatiuam. ibid. n. 6. p. 166.
Homicidium voluntariè in cauſa commiſſum inducit peccatum. ibd. n. 8. p. 167.
Homicidij pæna ordinaria quænam ſit. ibid. P. 16. D. 3. §. 18. n. 2. p. 312.
HOMO propriè dominus eſt ſuæ famæ, & honoris. R. 1. P. 14. S. 2. n. 1. p. 140.
Homo non eſt dominus ſuæ vitæ, & corporis. ibid. n. 1. pag. 141.
Homo infamans ſe ipſum ex genere ſuo non peccat lethaliter. ibid. n. 2., niſi adſint quædam circumſtantiæ. ibid. n. 3. p. 142.
Homo, qui foret perſona publica, nequit ſe infamare. ibid. n. 4. p. 142.
Homo cur ſit dominus ſuæ famæ, non autem corporis. ibid. n. 5. p. 142.
Homo non eſt dominus propriæ vitæ, ſed cuſtos. ibid. P. 15. §. 1. n. 1. p. 159.
Homo ideo non poteſt occidere ſe, quia non habet dominiũ. ibid. P. 15. n. 2. p. 161.
Homo cur poſſit ad tuenda bona fortunæ exponere vitam, cum non ſit dominus. ibid. n. 3. p. 161.
Homo in ordine ad operationes liberas habet plenum dominium. ibid. P. 16. n. 6. p. 200.
HONOR propriè quid ſit. R. 1. P. 14. S. 1. n. 2. p. 139.
Honor habet pro obiecto excellentiam perſonæ. ibid. n. 4. pag. 140.
Honor differt à fama ratione actus. ibid. n. 5. p. 140.
Honor, & fama mediant inter bona vitæ, & bona fortunæ. ibid. S. 2. n. 1. p. 140.
Honor deterior amico. ibid. S. 3. n. 16. p. 151.
HONORARIVM quid ſit. R. 2. P. 10. D. 1. §. 4. n. 2. pag. 382.
HÆREDES detractoris tenentur ad damna temporalia, quibus detractor non ſatiſfecit. R. 2. P. 1. n. 15. pag. 321.
Hæredes, ſiue principalis damnificantis, ſiue cooperantium tenentur ad compenſationem damnorum temporaliũ, non ſpiritualium. ibid. P. 2. n. 3. p. 327.

I.

IMPEDIENS per vim, & fraudem teſtatorem, ne inſtituat hæredem tenetur ad reſtitutionem. R. 2. P. 10. D. 2. n. 3. p. 426.
Impediens concurrentem ad beneficium, vt dignior inſtituatur, non tenetur ad compenſationem. ibid. nu. 4. pag. 427.
Impediens vt ſupra tenetur ad compenſationem, non ad æqualitatem beneficij, ſed ſpei erga ipſum. ibid. n. 5. pag. 427.
Impediens &c. ex odio, vel ex inuidia per ſuaſiones, & blanditias grauiter peccat. ibid. §. 4. n. 2. p. 427.
Impediens vt ſupra tamen non tenetur ad reſtitutionem. ibid. nu. 3. p. 428. niſi preces forent importunæ, & quaſi vim inducentes. ibid. n. 5. p. 428.
Impediens precibus aliquem à conſecutione bonorum, quæ ſint deſtinata in ſingulorum vtilitatem, tenetur ad reſtitutionem. ibid. §. 5. n. 3. p. 429.
IMPOTENS ſimpliciter ad reſtituendum excuſatur. R. 3. P. 1. n. 2. p. 433.
Impotens ad reſtituendum cenſetur in extrema neceſſitate conſtitutus, ſiue ſit debitor ex delicto, ſiue ex contractu. ibid. n. 3. p. 433.
INDEMNITAS rei eſt fructus eiuſdem rei. R. 1. P. 12. S. 7. n. 4. p. 113.
INGRESSVS in Religionem, an deobliget à reſtitutione. R. 3. P. 8. n. 1. p. 456.
INIVSTITIA circa emphyteuſim explicatur. R. 1. P. 13. §. 3. n. 19. p. 136.
Iniuſtitia contractus cenſualis. ibid. n. 24. p. 137.
Iniuſtitia circa ſimplices permutationes. ibid. §. 5. n. 29. pag. 138.
INIVRIATVS pro remiſſione ex corde facienda non poteſt aliquid exigere, nec exactum retinere. R. 2. P. 10. D. 1. §. 7. n. 3. p. 393.
Iniuriatus pro remiſſione iniuriæ, quæ ſecum affert incomoda temporalia, poteſt ratione eorum exigere, & retinere aliquid. ibid. n. 4. p. 393.
Iniuriatus quamuis teneatur ex corde remittere iniurianti, non tamen ſemper tenetur remittere actioni iniuriarum cedendo. ibid. n. 5. p. 393.

Iniu-

Digitized by Google

Iniuriatus poteſt exigere propriam ſatisfactionem pro iniuria. ibid. n. 6. p.394.
Iniuriatus poteſt licitè exigere, & retinere aliquid pro ceſſatione ab actione iniuriarum, qua iuſtè auctoritate publica poteſt iniuriantem vexare pro ſui ſatisfactione. ibid. n. 7. p.394.
Iniuriatus cur poſsit exigere pro iniuria, cum hæc conſiſtat in bonis famæ incompenſabilibus. ibid. n.8. p.395. & n.9. p. eidem, afferuntur contrariæ rationes.
INNOCENS quotupliciter poſsit occidi. R. 1. P. 15. S. 5. n. 2. p. 173.
Innocens per ſe directè non poteſt occidi in ordine ad bonum publicum, ſeu damnum publicum vitandum. ibid. n. 3. p. 173.
Innocens eſt potius reipublicæ fauorabilis, quam noxius. ibid. n.3. p.173.
Innocens ad euitandum commune reipublicæ malum compelli poteſt, vt tirannum adeat. ibid. n.4. p.174.
Innocens, ſi per accidens ex cauſa neceſſaria occidatur, non fit contra ius diuinum, & humanum. ibid. nu. 5. pag. 177.
IVDEX quandonam legitimè interroget. R.1. P.12. S. 7. n.22. p.123.
Iudex tenetur reſtituere pretium receptum ſupra ſalarium in ſententia iuſta. R. 2. P. 10. D. 1. §. 3. n. 3. p.379.
Iudex ſæcularis ordinarius non poteſt quid recipere pro ferenda ſententia, ſi ſit ſtipendiatus. ibid. §. 4. n. 3. pag. 383.
Iudex eccleſiaſticus ordinarius non poteſt de iure communi exigere ſportulas. ibid. n. 4. p. 383.
Iudex vt ſupra non poteſt vt ſupra etiamſi à collitigantibus offerantur. ibid. n. 5. niſi tamen eſſent modica eſculenta, vel poculenta. ibid. n. 6. p.383.
Iudex ordinarius nequit ſportulas recipere, ſiue procedat in criminalibus, ſiue ciuilibus. ibid. n. 7. p.383.
Iudex ordinarius liber ad expediendum cauſas poteſt aliquid recipere, vt vnam prius altera abſoluat. ibid. n. 8. p. 384.
Iudex delegatus non ſalariatus poteſt honorarium, ſeu ſportulas recipere. ibid. n. 9. p.384.
Iudex ordinarius, ſiue delegatus de iure municipali Mediolani, nequit in criminalibus, aliquid recipere ſub grauibus pœnis. ibid. n.10. p. 384., ſi tamen ſalarium non habeat poteſt ſecundum taxam &c., ibid. n. 10., & taxa exponitur per extenſum. ibid. n. 12. p. 384. n. 13., 14., 15., 16, 17. p.385.
Iudex ordinarius ſalariatus in Statu Mediolanenſi nequit quid recipere, ſiue in ciuilibus, ſiue in criminalibus. ibid. n. 18. p. 385.
Iudex delegatus poteſt ſalarium ad rationem vnius pro centenario à qualibet partium accipere, dummodo non excedat ſummam 200. aureorum. ibid. num. 19. p. 385.
Iudex ſecularis ſtante conſuetudine poteſt oblata recipere. ibid. n. 20. p. 385.
Iudex eccleſiaſticus ſtante etiam dicta conſuetudine poteſt oblata accipere. ibid. n. 21. p. 386.
Iudex tenetur reſtituere eidem, à quo ſupra ſtipendium accepit. ibid. §. 15. n. 2. p.422.
Iudex tenetur reſtituere, quod accepit propter ſententiam iniuſtam etiam non ex ſecutam. ibid. n. 3. p.423.
Iudex tenetur erogare pauperibus, quod accepit propter iniuſtam ſententiam ſecutam. ibid. n. 4. p. 423.
IVS naturale cuicumque eſt inditum à natura. R. 1. P. 15. S. 7. n. 21. p.197.
Ius naturale vult, quod reſtitutio rei fiat Deo, quando non cognoſcitur Dominus, vel poſſeſſor legitimus. ibid. R.2. P. 3. n. 12. p. 333. idem dic de iure poſitiuo. ibid.
Ius ciuile deobligat poſſeſſorem malæ fidei per præſcriptionem à reſtitutione. ibid. R. 3. P. 7. n. 2. p.455. non ſic ius canonicum. ibid. n. 2.
IVRA probantia non eſſe ſocietatem omnium bonorum, niſi expreſſè ſit actum. R. 1. P. 7. n. 7. p.44.
Ius ſuplet defectum voluntatis ſuperioris. ibid. P.10. n. 18. p. 70.
Iura de ſeruis emptitijs. ibid. P. 11. n. 2. p.72.
Ius gabellarum minoris locatur, ac in ſe valeat. P. 11. n.14. p.78.
Iura concedentia patri occiſionem filiæ deprehenſæ in actu turpi. ibid. P.15. S.4. n 1. p. 170.
Iura concedentia Marito occiſionem Vxoris captam in adulterio. ibid. n. 2.
Iura in pluribus deobligant à reſtitutione, in quibus tamen debitor non deobligatur. ibid. R.3. P.7. n.1. p.455.
Iura ciuilia admittunt exactionem gabellarum in eccleſiaſticos, non ſic canonica. ibid. P.7. n.5. p.455.
IVSSIO, quid ſit. R.1. P.12. S.1. n.1. p.83.
IVSTITIA commutatiua, quid ſit. R. 1. P.1. n. 1. p.2.
Iuſtitia commutatiua per quid diſcriminetur à diſtributiua. ibid. n. 2. §. 1. p.2.
Iuſtitia commutatiua reſpicit actiones exteriores. ibid. §. 2. n. 3. p. 3.
Iuſtitia eſt ſemper in ordine ad alterum. ibid. n.5. p.4.
Iuſtitia circa emphyteuſim explicatur. ibid. P. 13. §. 3. n. 19. p. 136.
Iuſtitia contractus cenſualis. ibid. n.24. p. 137.

L.

LEGATVM relictum religioſo cum conditione, quod nulla commoditas pertineat ad Monaſterium, ſed tantum ſit pro religioſo, tenet, ſi fiat cum facultate ſuperioris reuocabili. R. 1. P. 10. n. 16. p. 68.
Legatum vt ſupra non ſubſiſteret, ſi fieret ſub conditione quod religioſus illud aquirat independenter à ſuperiore. ibid. n. 17. p.68.
Legatum filio militi relictum neceſſarium ad militiam intelligitur caſtrenſe, ſecus verò non. ibid. P.16. D.2. §. 6. n. 3., & 4. p. 225.
Legatum, ſi ſit indiferens, vel ad militiam, vel ad aliud quomodo ſit præſumendum. ibid. n. 7. p. 226.
Legatum ſoluendum eſt in loco in quo res relicta fuit. ibid. R. 2. P. 9. n. 9. p. 371.
LEGITIMA debetur filijs ſtatim poſt profeſsionem patris. R. 1. P.16. D. 2. §. 26. n. 2. p. 248.
Legitima portio non extantibus deſcendentibus debetur aſcendentibus. ibid. §. 28. n. 3. p. 251.
LÆSIO in contractibus quomodo poſsit contingere. R. 1. P.13. n. 1. p.129.
LEX charitatis obligat ad impedienda damna proximi. R. 1. P. 12. S. 7. n.4. p. 113.
LIBRI traditi filio à patre viuente conferendi ſunt mortuo patre ſecundum valorem. R.1. P.6. n.4. p. 36.
Libri vt ſupra, ſi in valore creuerint, conferendi ſunt ſecun-

Digitized by Google

ſecundum valorem adauctum. ibid. n. 5. p. 37.
Libri veniunt nomine ſupellectilis. ibid. P. 11. n. 14. p. 81.
LOCVPLETIOR ex re aliena quando quis dicatur. R. 1. P. 3. n. 11. p. 13.
LVDVS alearum, an ſit illicitus R. 2. P. 10. D. 1. §. 8. n. 2. p. 396.
Ludus alearum quoad laicos quamuis fuerit vetitus modo tamen ludentes non contrahunt noxam, niſi ob circunſtantias. ibid. n. 4. p. 397.
Ludus alearum quibus circumſtantijs deturpari poſſit. ibid. n. 5. p. 397.
Ludus alearum iure canonico vetitus clericis. ibid. nu. 6. p. 397. extenditur etiam ad clericos minores, & ad Conuerſos religioſos. ibid. n. 7., & 8. p. 397., & pag. 398.
Ludus alearum apud religioſos ratione conſuetudinis excuſatur à culpa. ibid. n. 14. p. 399.
Ludi deceptiones quomodo poſſint contingere. ibid. §. 11. n. 1. p. 410.
LVSOR, ſi accuſat plura puncta, ac habeat, & per hoc lucratus fuerit cæteroqui amiſſurus, tenetur nedum lucrum reſtituere, ſed aliud etiam æquiualens. R. 2. P. 10. D. 1. §. 11. n. 3. p. 411.
Luſor, qui fraudibus vſus fuit chartas notando &c. tenetur lucrum reſtituere, & id quod alter lucratus fuiſſet. ibid. n. 4. p. 412.
Luſor &c. ſi ſe poſuit in loco vbi data opera vidit chartas alterius tenetur lucrum reſtituere. ibid. n. 5. p. 412.
Luſor, qui ſecretò admonitus fuit de ſtatu alterius acceptans ſponſionem cæteroqui non acceptaturus, tenetur lucrum reſtituere ſecus verò, non ſi ſine admonitu erat acceptaturus. ibid. n. 6. p. 412.
Luſor aduertens colluſorem errare in punctorum numero ex quo lucratus fuit, tenetur lucrum reſtituere. ibid. n. 7. p. 412.
Luſor vt ſupra non tenetur vltra lucrum tantundem tradere. ibid. n. 8. p. 413.
Luſor, qui doloſè primam manum ſurripuit, & inde lucrum aquiſiuit tenetur, & lucrum, & tantumdem reſtituere. ibid. n. 9. p. 413.
Luſor, qui chartas nouit non quia fraude ſignauit, ſed ex nimia ſua peritia altero non cognoſcente tenetur reſtituere id, in quo lucratus eſt. ibid. n. 10. p. 413.
Luſor altero peritior, & ab altero non cognito tali tenetur reſtituere, quod lucratur dempta aliqua parte ratione periculi. ibid. n. 11. p. 413.
Luſor minus peritus, ſi nouerit maiorē peritiam alterius, & amiſerit, non poteſt lucrū repetere. ibid. n. 12. p. 414.

M.

MAGISTRATVS ex officio tenentur impedire damna. R. 1. P. 12. S. 7. n. 10. p. 117.
MANDANS non tenetur ad damnum, ſi Mandatarius ſine mandato erat diſpoſitus ad eadem inferenda. R. 1. P. 12. S. 1. n. 2. p. 83.
Mandans ad quid teneatur, ſi monerit tantum ad modum, & non ad ſubſtantiam. ibid. p. 83. circa hoc variæ ſunt opiniones. p. 84.
Mandans vt ſupra non excuſatur etiamſi alter mandaſſet. ibid. n. 4. p. 85.
Mandans ad nihil tenetur, ſi mandatum reuocauit ante executionem. ibid. n. 5. p. 86., ſi reuocatio innotuerit mandatario. ibid. n. 6.
Mandans non eximitur ab onere reſtituendi, ſi mandatarius iuſſus poſt executum opus non reſtuuit. ibid. num. 7. p. 87.
Mandans reuocato mandato notoriè ad nihil tenetur erga Mandatarium in foro conſcientiæ. ibid. P. 16. D. 2. §. 36. n. 2. p. 265.
Mandans tenetur ipſe probare mandatum fuiſſe reuocatum negante mandatario. ibid. n. 3. p. 266.
Mandans deobligatur ab onere reſtitutionis, ſi ſerio, & animo mandatum reuocauit. ibid. §. 37. n. 4. p. 267.
Mandans in foro externo deobligatur, ſi verba fuerunt expreſsè reuocatoria. ibid. n. 6. p. 268.
Mandans non potens remouere mandatum tenetur remouere eum, contra quem mandauit, ſi poteſt ſine ſuo maiori periculo. ibid. §. 38. n. 2. p. 268.
Mandans tenetur ad damna ſecuta ex mandato. ibid. n. 3. pag. 269.
MANIFESTANS quis ſit. R. 1. P. 12. S. 7. n. 3. p. 112.
Manifeſtans crimen alterius exiſtimans illud eſſe verum, & notorium, cum tale non ſit, tenetur retractare. R. 2. P. 1. n. 19. p. 322.
Manifeſtans vt ſupra non tenetur reparare damna ſecuta. ibid. n. 20. p. 323.
Manifeſtans aliquid de alio, quod in ſe non eſt malum, ſed ſiniſtrè poteſt interpretari, tenetur ex charitate ſe retractare, non autem ex iuſtitia. ibid. n. 21. p. 323.
MARITVS peccat vſurpando bona paraphernalia vxoris. R. 1. P. 9. n. 2. p. 50.
Maritus habet aliquod ius in ijs, quæ Vxor laborando aquirit. ibid. n. 9. p. 52.
Maritus habet ius in lucra aquiſita conſtante matrimonio. ibid. n. 15. p. 54.
Maritus tenetur in damnis de dote. ibid. n. 19. p. 55.
Maritus tenetur compenſare deteriorationem iuxta valorem, quem dos habuiſset pro tempore reſtitutionis. ibid. n. 20. p. 56.
Maritus quandonam teneatur ad periculum dotis. ibid. n. 25. p. 57.
Maritus poteſt occidere à iure vxorem captam in adulterio. ibid. P. 15. S. 4. n. 2. p. 170. Non autem ex communi opinione Doctorum. ibid. n. 5.
Maritus ad defendendam Vxorem per vim aggreſſam poteſt aggreſſorem occidere. ibid. P. 15. S. 7. nu. 15. p. 193.
Maritus poteſt occidere aggreſſorem vxoris, antequam actum carnalem eliciat, ſi alia via non ſuppetat. ibid. n. 16. p. 193.
Maritus occidens vxorem adulteram auctoritate iudicis non amittit ius ad dotem. ibid. P. 16. D. 3. §. 16. n. 5. pag. 311.
Maritus occidens vxorem adulteram, ſine auctoritate iudicis, amittit ius ad dotem, & deuoluitur ad fiſcum. ibid. n. 6. p. 311.
MARTYRES ſe exponunt tyrannis ob bonum publicum ex inſtinctu Dei. R. 1. P. 15. S. 1. n. 8. p. 162.
Martyres ſe exponentes vt ſupra faciunt hoc non iure dominij, ſed vt miniſtri Dei. ibid. n. 9. p. 162.
MATER non tenetur pati ſciſſionem mortuo fœtu. R. 1. P. 15. S. 6. n. 11. p. 184.
Mater duorum fœtuum quorum vnus viueret, & alter
fores

Digitized by Google

foret mortuus poteſt ſe exponere ſectioni. ibid. n. 12. pag. 184.
Matre mortua licitum, & neceſſarium eſt ſcindere vterum ad extrahendum fætum adhuc viuum. ibid. n. 13. pag. 184.
Matre, & fætu adhuc viuentibus, ſed vtroque conſtituto in vitæ diſcrimine licitum eſt maternum vterum ſcindere. ibid. n. 14. p. 185.
Mater in ordine ad ſalutem corporalem, non tenetur illam ſectionem pati. ibid. n. 14. in ordine autem ad ſalutem æternam fætus tenetur. ibid. n. 15. p. 185.
MATERIA purior in eodem genere eſt pretioſior. R. 1. P. 13. §. 2. n. 17. p. 135.
MATRIMONIVM inducit ſocietatem. R. 1. P. 9. nu. 15. p. 54.
Matrimonium inducit ſocietatem quoad mutua obſequia. ibid. n. 15. p. 54.
Matrimonium diſcriminatur à cæteris contractibus. ibid. P. 12. S. 1. n. 6. p. 87.
MEDICVS poteſt applicare remedia prægnanti, quæ ipſa, poteſt ex ſe ſumere. R. 1. P. 15. S. 6. n. 8. p. 182.
MINOR tenetur ſoluere ſalarium Curatori. R. 1. P. 8. n. 8. p. 49.
MONACVS transmittens ſua cubicula cum ſupellectili ex conſuetudine ad alios monacos non peccat. R. 1. P. 10. n. 12. p. 66.
MONASTERIA quædam incapacia dominij. R. 1. P. 10. n. 1. p. 61.
MONIALIS transferens ſua cubicula ex conſuetudine ad alias Moniales non peccat. R. 1. P. 10 n. 12. p 66.
MONOPOLÆ augentes pretium rerum intra limites iuſti non tenentur ad reſtitutionem. R. 1. P. 13. §. 1. n. 10. p. 131.
MORS innocentis quotupliciter poſſit intentari. R. 1. P. 15. S. 5. n. 2. p. 173.
Mors innocentis non poteſt per ſe directè intentari in ordine ad bonum publicum.
MVTVANS poteſt eſſe inuitus rationabiliter, quod res deterioris conditionis reſtituatur in bonitate intrinſeca. R. 1. P. 13. §. 2. n. 17. p. 135.
Mutuans ratione mutui peccat, quando ex vi eiuſdem accipit aliquid vltra ſortem. ibid. n. 18. p. 135.
Mutuans de iure ciuili, poteſt moderatas vſuras accipere, non ſic in foro conſcientiæ. ibid. R. 3. P. 7. n. 3. p. 455.
MVTVATARIVS iniuſtè agit, ſi reſtituat res deterioris valoris. R. 1. P. 13. §. 2. n. 12. p. 131.
Mutuatarius agit iniuſtè, ſi non reſtituit conuento tempore. ibid. n. 12.
Mutuatarius non obligatur ad intereſſe ob moram reſtituendi. ibid. n. 13. p. 132.
Mutuatarius tenetur ad intereſſe, ſi facta fuerit conuentio intercedente mora reſtitutionis. ibid. n. 14. p. 132.
Mutuatarius reſtituendo tot, quot accepit in eodem genere, ſi dictum fuerit in mutuo, quod tot in eodem genere reddantur, ſatisfacit. ibid. n. 15. p. 133.
Mutuatarius quomodo ſe gerere debeat, ſi mutuatum fuit frumentum variato pretio. ibid. n. 16. p. 133.
Mutuatarius reſtituendo æquiualens ſatisfacit, ſi mutuans conſentiat, ſecus verò non. ibid. n. 17. p. 134.
MVTILATIO ex genere ſuo eſt lethalis. R. 1. P. 15. S. 2. n. 2. p. 164.
MVTVS quis ſit. R. 1. P. 12. S. 7. n. 1. p. 112.

N.

NAVTA periclitans in Mari proiciens merces ad vitandum periculum non tenetur ad reſtitutionē tranſacto periculo. R. 3. P. 13. D. 1. §. 3. n. 3. p. 475.
NECESSITAS quotuplex ſit. R. 1. P. 2. n. 1. p. 4.
Neceſſitas medij in quo conſiſtat. ibid. n. 1. p. 5.
Neceſſitas extrema excuſat à reſtitutione debiti. R. 3. P. 1. n. 3. p. 433.
Neceſſitas aliqua grauis excuſat à reſtitutione. ibid. n. 4. pag. 434.
Neceſſitas aliqua grauis cēſetur, & illa quæ afficit nō solū debitorē, & etiam illa, quæ afficit ſuos. ibid. n. 5. p. 434.
NEGOTIATIO quandonam intelligatur facta nomine communi quando non. R. 1. P. 6. n. 20. p. 40.
Negotiatio facta nomine communi inducit eſſe communicanda damna, quæ contingunt. ibid. n. 21. p. 40.
Negotiatio diſcreta inducit damna eſſe compenſanda, ſi facta fuit nomine communi. ibid. n. 23. p. 41.
NON manifeſtans quis ſit. R. 1. P. 12. S. 7. n. 2. p. 112.
Non obſtans quis ſit. p. 112.
Non impediens cum tenetur ex officio obligatur ad reſtitutionem. ibid. n. 4. p. 113.
Non impediens, niſi cum graui ſuo detrimento excuſatur. ibid. n. 5. p. 113.
Non obligatus ex officio, ſi non impediat etiam ex dolo, non tenetur ad reſtitutionem. ibid. n. 6. p. 114.
NOTORIETAS exceſſus examinatione non indiget. R. 1. P. 15. S. 4. n. 3. p. 171.

O.

OBLIGATIO in ſolidum quid ſit. R. 1. P. 12. S. 8. n. 1. p. 126.
Obligatio naturalis poteſt poni ſimul cum ciuili. R. 1. P. 16. D. 2. §. 30. n. 4. p. 257.
Obligatio non impediendi actionem furtiuam eſt pretio æſtimabilis. ibid. §. 45. n. 5. p. 280.

P.

PALPATOR quid ſit. R. 1. P. 12. S. 4. n. 1. p. 100.
Palpator tenetur ad compenſationem damni. ibid. n. 2. p. 100.
Palpator non tenetur vt ſupra, ſi laudat poſt commiſſum delictum ibid. n. 2.
Palpator non tenetur vt ſupra, ſi operans operatur motus efficaciter per conſilium conſulentis concurrentis cum palpatore. ibid. n. 3. p. 100.
Palpator, & conſulens concurrentes partialiter, partialiter tenentur. ibid. n. 4.
Palpator, ſi ſolus mouit, ille ſolus tenetur. ibid. n. 5. p. 101.
Palpator, ſi dubiè damnum intulit, non tenetur &c. ibid. n. 6. p. 101., maximè ſi executor teſtetur, ſe non fuiſſe motum ab illo. ibid. p. 101.
PARTICIPANS in crimine non tenetur ad reſtitutionem, ſi damnum non fuerit ſecutum. ibid. n. 6. p. 107.
Participans in crimine coactè, non ſponte, ſi actio, per quam participat non eſt mala ab intrinſeco, non obligatur. ibid. n. 9. p. 109. etiamſi participet poſt factum. ibid. n. 10. p. 109.
Participans ex metu per actionem intrinſecè malam non obligatur ad reſtitutionem. ibid. n. 11. p. 110.

Parti-

Digitized by Google

Participans immediatè in crimine quantumuis ex metu, non eximitur à reſtitutionis onere. ibid. n. 12. p. 110.

Participans taliter operatur, vt principalis executor. ibid.

Participans dupliciter ſumi poteſt. R. 1. P. 12. S. 6. n. 1. p. 105.

Participans bona fide in re accepta, ceſſante bona fide tenetur ad reſtitutionem, ſi res illa extet, vel ex illa factus fuerit ditior. ibid. n. 2. p. 105.

Participans vtſupra re amplius non extante, non tenetur reſtituere. ibid. n. 2. p. 106.

Participans mala fide, ſemper tenetur reſtituere. ibid. n. 3. p. 106.

Participans mala fide, tenetur reſtituere etiamſi ſine ipſius culpa perierit res. ibid. n. 4.

Participans mala fide, ſi res perijt caſu, quo etiam periſſet apud Dominum, non tenetur reſtituere. ibid. n. 5. p. 106.

Participans mala fide, ſi res perijt aliorum iniuria, qua periſſet apud Dominum, tenetur reſtituere. ibid. n. 5. p. 106.

PATER poteſt occidere filiam deprehenſam in actu turpi. R. 1. P. 15. S. 4. n. 1. p. 170., *& hoc ex iure, non autem ex communi opinione DD. ibid. n. 5. p.* 171.

Pater quomodo peccet auferendo bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia filio. R. 1. P. 5. n. 2. p. 29.

Pater quomodo peccet lædendo bona aduentitia filij quoad proprietatem. ibid. n. 3. p. 30.

Pater non peccat lædendo bona profectitia filij. ibid. n. 4. pag. 30.

Pater quomodo peccet circa bona mixta filij. ibid. n. 6. pag. 30.

Pater habens vnde alatur, debet compenſare inter bona aduentitia filij omnia lucra ex labore, & induſtria eiuſdem filij. ibid. n. 7. p. 31. *etiamſi filius ſit ſub poteſtate patris. ibid. n. 8.* p. 31.

Pater habet vſumfructum rei turpiter aquiſitæ à filio. ibid. n. 14 p. 34.

Pater non tenetur damna compenſare, nec filium tradere, ſi filius aliquem occiderit. ibid. P. 16. *D.* 1. §. 11. n. 3. p. 217.

Pater non habet dominium ſuper corpus filij. ibid. n. 3. pag. 217.

Pater emiſſa profeſſione amittit ius ad vſumfructum aduentitiorum filij. ibid. D. 2. §. 27. n. 5. p. 250.

PAVPERTATIS materia patitur magis, & minus. R. 1. P. 10. n. 1. p. 62.

PÆNITENTIA vtrum ſit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. R. 1. P. 2. n. 2. p. 5.

PÆNA ordinaria homicidij quænam ſit. R. 1. P. 16. *D.* 3. §. 18. n. 2. p. 312.

PECCATVM non multiplicatur, niſi multiplicentur actus ſaltem moraliter. R. 1. P. 4. n. 8. p. 22.

Peccatum quomodo ex interruptione multiplicari poſſit. ibid. n. 8. p. 22.

Peccatum nouum non inducitur ex puro vſu rei, dummodo per vſum non atteratur. ibid. n. 9. p. 23.

Peccatum lethale non eſt quando plures damnificant in modicis. ibid. n. 15. p. 26.

Peccatum lethale eſt, quando plures ex conſilio, & exemplo in modicis damnificant. ibid. num. eodem. pag. 26.

Peccatum ab intrinſeco malum etiam ad vitandum Reipublicæ malũ non eſt licitũ. ibid. P. 15. S. 5. n. 3. p. 174.

Peccatum contrahit, qui pertrahit alterum ad peccandũ amittendo bona ſpiritualia. ibid. P. 16. n. 5. p. 200., *et ſi induxerit vi, vel dolo peccabit contra iuſtitiã. ibid. n. 6.*

Peccatum eſt retrahere aliquem a religione, ſiue ſit in via, ſiue in ſtatu inchoato, ſiue perfecto. ibid. P. 16. n. 8. pag. 201.

Peccatũ differt à culpa iuridica. ibid. D. 1. §. 5. n. 5. p. 210.

PECVLIVM filij delinquentis non eſt publicandum in confiſcatione bonorum. R. 1. P. 16. D. 2. §. 4. n. 3. p. 224.

PECCVNIA promiſſa mulieri pro actu turpi hoc completo conferenda eſt. ibid. §. 6. n. 2. p. 388. *non ſolum titulo fidelitatis n. 3., & titulo iuſtitiæ. n. 4* p. 389. *ſed etiam ex contractu innominato. ibid. n. 5.* p. 389.

Peccunia promiſſa Iudici pro iniqua ſententia ferenda, non eſt conferenda. ibid. n. 6. p. 389.

Peccunia accepta à muliere ob vſum turpem, non eſt reſtituenda. ibid. n. 9. p. 391., *etiamſi mulier ſit habitu honeſta. ibid. n. 10.* p. 391.

Peccunia accepta à Iudice ob iniuſtam ſententiam, non eſt reſtituenda, ſi alter non repetit. ibid. n. 11. p. 392.

Peccunia accepta ob cauſam honeſtam, non neceſſariam, an ſit reſtituenda. R. 2. P. 10. D. 1. §. 5. n. 1. p. 386.

Peccunia illa, quibus titulis conferri poſſit. ibid. n. 2. p. 386.

Peccunia illa, vel data fuit prò opere neceſſariò ad ſalutem ſimpliciter, vel ſecundum quid. ibid. n. 3. p. 387.

Peccunia illa, ſi data eſt per modum diſpoſitionis, vel ad remouendum obſtaculum, nec eſt iniuſta acceptio, nec iniqua collatio. ibid. n. 4. p. 387.

Peccunia illa, ſi fuerit data per modum conuentionis expreſſa conditionata, non eſt iniuſta collatio, nec iniqua non reſtitutio. ibid. n. 5. p. 387.

Peccunia illa data cũ expreſſa conuentione, vt opus exerceatur propter illam, nõ poteſt detineri. ibid. n. 6. p. 388.

PERICVLVM vitæ, honoris, & famæ ſunt cauſæ excuſantes à dilatione reſtitutionis. R. 2. P. 7. n. 6. p. 350.

Periculum damni in bonis proprijs fortunæ regulariter loquendo, non excuſat à reſtitutione, ſi ſit ex iniuſta acceptione. ibid. n. 7. p. 352.

Periculũ damni vtſupra excuſat, ſi debitor per reſtitutionẽ conſtitueretur in extrema neceſſitate. ibid n. 8. p. 353.

Periculum decidendi à ſtatu proprio, ad quem iuſtè deuenit, excuſat à dilatione reſtitutionis cum aliqua tamen conditione. ibid. n. 9. p. 353.

Periculum decidendi à ſtatu, ad quem iniuſtè deuenit, non excuſat à dilatione reſtitutionis. ibid. n. 10. p. 353.

Periculum decidendi à ſtatu, ad quem deuenit ex contractu non obligat ad ſtatim reſtituendũ. ibid. n. 11. p. 353.

POTESTAS altera publica, altera priuata. R. 1. P. 14. S. 3. n. 1. p. 168.

PRETIVM acceptum ex opere aliundè ex iuſtitia debito reſtituendum eſt. R. 2. P. 10. D. 1. §. 3. n. 2. p. 379.

Pretium datum ad effectum, ne quis furetur, vel detrahat eſt reſtituendum. ibid. n. 8. p. 380.

Pretium datum vtſupra eſt reſtituendum etiamſi non furetur in gratiam erogantis. ibid. n. 9. p. 380.

Pretium datum pro opere debito ex iuſtitia datum iniquam, vt quid antidorale, non eſt reſtituendum. ibid. n. 10. p. 380.

Pretium datum pro opere debito ex charitate eſt reſtituendum. ibid. n. 11. p. 381.

Digitized by Google

Pretium retineri poteſt à recipiente donec alter repetat. ibid. n.13. p.381.
Pretium acceptum ob cauſam honeſtam licet non neceſſariam, an ſit reſtituendum. ibid. §.5. n.1. p.386.
PRÆCEPTVM reſtitutionis fundatur in illo alio Non furtum facies. R.1. P.2. n.7. p.8.
Præceptum hoc procedit ex principijs naturæ. ibid. nu.8. pag. 9.
Præceptum hoc malè ſumitur à Soto cuius opinio excluditur, & pariter nonullorum Græcorum error. ibid.
Præceptum contritionis, & reſtitutionis differunt. R.2. P.6. n.4. p.351.
PRÆGNANS, an poſſit ſumere pharmaca ad ſalutem procurandam. R.1. P. 15. §.6. n.1. p. 178.
Prægnans poteſt ſumere pharmaca directè ordinata ad ſuam ſalutem, ſi fœtus non ſit animatus. ibid. n.3. p.179.
Prægnans quandonam poſſit ſumere pharmaca ex quibus prauidetur mors ſequutura in fœtu animato. ibid. n.4. p.179.
Prægnans tunc non intenderet mortem fœtus. ibid.
Prægnans animato fœtu non poteſt ſumere pharmaca vt ſupra, ſi ſit ſpes, quod fœtus viuus naſcatur, & hoc ex lege charitatis. ibid. n.5. p. 180.
Prægnans non admitit inuito fœtum. ibid. num. 5. pag. 181.
Prægnans poteſt ſumere remedia æqualiter tendentia ad propriã ſalutem, ac ad abortum fœtus. ibid. n.8. p.181.
Prægnans damnata ad vltimum ſuplicium nõ debet mori donec pepererit, ſi ſit ſpes partus. ibid. n. 16. p.186.
PRINCEPS quomodo poſſit validè inducere vim in ſubdito. ibid. R.2. P.5. n. 19. p.349.
Princeps quomodo validè poſſit remittere debitum immediatè. ibid. n.20. p.349.
Princeps non poteſt remittere debita certa, & ex iure naturali, ſine iuſta cauſa. R.3. P.13. D.1. §.15. n.3. p.489. & cauſa debet eſſe vrgẽs, & publica. ibid. n.4.
Princeps poteſt remittere modo explicato debita ex iure ciuili. ibid. n.5. p.489.
Princeps habet iuriſdictionem ad bona Vaſſallorum in ordine ad publicas neceſsitates. R.1. P.11. n.10. p.76.
Princeps poteſt compellere ditiores ad ſuccurrendum publicum, ſi poſtea ex collectis communibus compenſabit eundem. ibid. n.11. p.77.
Princeps poteſt compellere priuatos ad ſubleuandum exercitum imo, & communitates cum onere compenſandi vt ſupra. ibid. n.12. p. 77.
Princeps poteſt de bonis ſubditorum accipere ad congruas recreationes. ibid. n.13. p. 77.
Princeps validè contrahit cum vaſſallo. ibid. num. 15. pag. 81.
Princeps induit diuerſam perſonam. ibid. p.82.
Princeps non in omnibus comparatur cum tutore, vel curatore. ibid. n. 15. p.82.
Princeps ex officio tenetur impedire damna. P. 12. S. 7. n.10. p. 117.
PROCVRATOR quandonam teneatur impedire damna. R. 1. P. 12. S. 7. n. 10. p.118.
PVDICITIA pluris habetur, quam diuitiæ. R.1. P.15. S.7. n.14. p.192.
PVPILLVS tenetur ſoluere ſalarium tutori. R.1. P. 8. n. 8. p. 49.

Q.

QVANTITAS reſtitutionis ſecundum iuſtitiam commutatiuam quomodo ſit deſumenda. R.2. P. 4. n. 2. p. 339.
Quantitas vt ſupra debet ſumi ſecundum valorẽ, quem res fuiſſet habitura, ſi non fuiſſet ſublata. ibid. n.3. p.339.

R.

RADIX reſtitutionis explicatur. R. 1. P.3. num. 1. pag. 10.
Radix reſtitutionis habetur etiam ex iniuſtitia, qua res detinetur. ibid. n.3. p.11.
RAPINA definitur. R.1. P. 4. n. 5. p.20.
Rapina differt ſpecie à furto. ibid. n. 6. p.21.
Rapina ex genere ſuo peccatum grauius furto. ibid. n.7. pag. 21.
Rapina ex genere ſuo eſt lethalis. ibid. n.10. p.23.
RATIHABITIO non habet cauſalitatem in damnum iam ſecutum. R.1. P. 12. S.1. n. 8. p. 87.
Ratihabitio non retrotrahitur verè, & quare. ibid. p.88.
RECEPTATOR furis, & rerum furtiuarum tenetur ad reſtitutionem. R.1. P. 12. S.5. n.2. p. 102.
Receptator in aliquo caſu non tenetur ad reſtitutionem. ibid. n.3. pag. 102.
Receptator, qui ex iniuſta receptione fuit cauſa damni tenetur actione furti, & quomodo. ibid. n.4. p.103.
Receptator furis tenetur, ſi ſpem dederit ſimilis receptationis. ibid. n.5. p.103.
Receptator per talem ſpem tribuit fomitem deliquendi, ibid.
Receptator, ſi nullam ſpem dedit talis receptationis non tenetur. ibid. n. 5. p.103.
Receptator, qui fuit cauſa, ne res furtiua deueniret ad Dominum tenetur ipſam reſtituere. ibid. n.6. p.103. conſtituit enim Dominum in deteriori ſtatu. ibid.
RECIPIENS aliquid à fure, ne impediat, non tenetur reſtituere, quæ accepit à fure, bene tamen ad damna. R. 1. P. 12. S.7. n.9. p. 116.
REDDITVS rei alienæ fructiferæ ſunt reſtituendi Domino, ſi res illa fuerit locata. R.2. P.10. D.1. n.3. p.374.
Redditus vt ſupra, non ſunt reſtituendi, ſi res ex ſe non fuerit apta fructificare. ibid. n.4. p.375.
RECVRSVS, quid ſit. R.1. P.12. S. 5. n.1. p.102.
REMIGES Chriſtiani apud Turcas, an lethaliter peccent remigando fortius contra naues Chriſtianorum. R. 1. P. 16. D. 1. §. 13. n. 1. 2. 3. p.219.
Remiges Chriſtiani in dato caſu peccarent, ſi deſiſtente vno cæteri non remigarent. ibid. n.4. p. 219. vnde ſi ceſſante vno cæteri ceſſarent tenetur non remigare, & potius mortem pati. ibid. n. 5. p. 219.
REMISSIO debiti non requirit, quod prius offeratur præſens pecunia. R. 2. P. 5. n.21. p. 349.
Remiſſio tenet, etiamſi debitor non habuiſſet animum reſtituendi. ibid. n.22. p. 349.
Remiſſio creditoris, an liberet debitorem à debito. R. 3. P. 13. n. 1. p.470.
Remiſſio quasnam conditiones exigat, vt ſit valida. ibid. n. 3. p472.
Remiſſio valida debet eſſe libera, & voluntaria. ibid. n. 4. p. 472.
Remiſſio valida debet eſſe à creditore habente poteſtatem remittendi. ibid. n. 5. p. 472.
Remiſ.

Digitized by Google

Remiſſio remiſſiuè, quid ſit. ibid. n. 7. p. 472.

Remiſſio facta per virginem defloratam ſtupratori, an deobliget ſtupratorem. ibid. P. 13. D. 1. §. 20. nu. 2. pag. 493.

Remiſſio delicti facta à Principe, liberat delinquentem ab onere erga Fiſcum. R. 3. P. 13. D. 1. §. 25. n. 2. pag. 499.

Remiſſio delicti facta à Principe, liberat etiam bona delinquentis, niſi ſoleat Princeps remittere pœnas corporales tantum. ibid. n. 3., & 4. p. 499.

Remiſſio facta à Principe pleniſſime habet vim reſtituendi deliquentem in ſuis bonis alienatis à Fiſco. ibid. §. 26. n. 4. p. 501.

REMOVENS per vim, & fraudem ab impediendo alterius damnum, tenetur ad reſtitutionem. R. 1. P. 12. §. 7. n. 8. p. 115.

Remouens per vim, & fraudem collatorem à conferendo, & volentem concurrere à concurrendo ſine aliqua circumſtantia maioris dignitatis in alio grauiter peccat, & tenetur ad reſtitutionem damni. ibid. R. 2. P. 10. D. 2. §. 3. n. 2. p. 426.

Remouens per vim, & fraudem teſtatorem à voluntate inſtituendi, tenetur ad reſtitutionem. ibid. n. 3. p. 426.

RELIGIOSVS profeſſus non eſt capax dominij. R. 1. P. 10. n. 1. p. 61.

Religioſus particularis poteſt habere annuos redditus ammouibiles à ſuperiore. ibid. n. 1. p. 61.

Religioſus emittens profeſſionem cum intentione floridæ obſeruantiæ, ſi ab hac declinat, peccat lethaliter. ibid. n. 2. p. 62.

Religioſus vouens introducta conſuetudine tepidæ obſeruantiæ, tepidè viuens, non peccat. ibid. n. 3. p. 63.

Religioſus ſtante Concil. Trid. non poteſt habere vitalitios redditus. ibid. n. 4. p. 63.

Religioſus non poteſt in reſignatione ſuorum conuenire cum parentibus, vt ei, quando petierit, teneantur dare tantam quantitatem pecuniæ. ibid. P. 10. n. 6. p. 65

Religioſus poteſt in facto caſu conuenire &c. de licentia Superioris. ibid. n. 7. p. 65.

Religioſus in caſu ſuppoſito de licentia Superioris, tenetur ſingulis annis illam quantitatem exigere. ibid. n. 9.

Religioſus reſeruato dominio penes parentes, & exiſtente iure pecuniam exigendi apud officialem exigens, & expendens ex facultate Superioris non peccat. ibid. n. 11. p. 66.

Religioſus expendens in ludis, aliiſque vſibus profanis conceſſa ad proprios vſus peccat. ibid. n. 13. p. 67.

Religioſus quid modicum expendens in ludis conſuetis in religione, non peccat. ibid. n. 18. p. 67.

Religioſus expendens vltra quatuor Paolos, ſine licentia Superioris, peccat grauiter contra votum paupertatis. ibid. n. 15. p. 67.

Religioſus peccat ab aliis ſurripiendo. ibid. n. 17. p. 69.

Religioſus ſine facultate ſuperioris poteſt in quibusdam caſibus aliquid expendere. ibid. n. 19. p. 70. in quibusdam verò eſt dubium. ibid. n. 20.

Religioſus etiam ex præcepto ſuperioris non tenetur conſeruare vitam cum acerbiſſimis doloribus. ibid. P. 14. S. 1. n. 4. p. 161.

Religioſus non tenetur egredi poſt emiſſam profeſſionem, vt reſtituat, quæ poterat reſtituere ante per conſuetos labores ad modicum tempus. ibid. P. 16. D. 2. §. 21. n. 4., & 5. p. 242. & p. 243.

Religioſus, qui fuit impotens ad reſtituendam aliquid, ſi emiſſa profeſſione aliquid ei donetur, non ideo tenetur ad reſtitutionem. ibid. §. 22. n. 3., & 4. p. 244.

Religioſus emiſſa profeſſione, non tamen perſolutis debitis adæquatè non tenetur impendere opera, nec lucrum vt ſatisfaciat, etiamſi iurauerit creditoribus manibus laborare ad ſatisfaciendum. ibid. §. 23. n. 2., & 3. pag. 245.

Religioſus emittens profeſſionem trahit ad religionem feudum francum. ibid. §. 29. n. 4. p. 253.

Religioſus ludens ſine licentia non poteſt retinere ſibi lucrum. ibid. §. 31. n. 2. p. 258.

Religioſis reſtituenda ſunt, quæ ludo vetito amiſerunt etiam ante ſententiam. R. 2. P. 10. D. 1. §. 8. n. 20. pag. 401.

Religioſi etiam tenentur reſtituere victis, quæ in ludo lucrati ſunt. ibid. n. 21. p. 401.

Religioſi inter ſe ludentes ludis vetitis in magna quantitate, ſiue extet conſuetudo, ſiue non extet, grauiter peccant. ibid. n. 22. p. 401.

RESTITVTIO, quid ſit. R. 1. P. 1. n. 1. p. 2.

Reſtitutio quomodo ſit pars ſatisfactionis. ibid. n. 4. p. 3.

Reſtitutio propriè ſumpta quomodo definiatur. ibid. n. 5.

Reſtitutionis definitio explicatur. ibid. p. 3.

Reſtitutio quomodo diſcriminetur à cæteris virtutibus. ibid. p. 4.

Reſtitutio vtrum ſit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. ibid. P. 2. p. 4.

Reſtitutio non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. ibid. n. 1. p. 5.

Reſtitutio non eſt neceſſaria neceſſitate medij, nec in voto. ibid. n. 3. p. 5., & in hoc probatur in p. 6. verſus finem.

Reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti Diuini. ibid. pag. 6.

Reſtitutionis præceptum probabilius eſt negatiuum. ibid. n. 5. p. 7.

Reſtitutio fundatur in illo præcepto Non furtum facies. ibid. n. 7. p. 8.

Reſtitutionis radices explicantur ibid. P. 3. n. 1. p. 10.

Reſtitutio debet eſſe de illis, quæ ſunt apud detentorem. ibid. n. 2. p. 10.

Reſtitutio fieri debet non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad omnes fructus. ibid. n. 4. p. 11.

Reſtitutio fructuum ſiue exiſtentium, ſiue non, fieri debet ab emptore, qui emit ab iniuſto detentore. ibid. nu. 10. pag. 13.

Reſtitutio debet fieri per æquiualens detractis expenſis, quando fructus amplius non ſunt. ibid. n. 12. p. 14.

Reſtitutio rei debet fieri à Commodatario etiamſi perierit, ſine ſua culpa. ibid. P. 3. n. 19. p. 17. non autem, ſi ex caſu fortuito. ibid. n. 20. p. 17.

Reſtitutio rei deperditæ, non debet fieri à recipiente, ſi rem accepit in comodum dantis. ibid. n. 21. p. 17. ſi autem perijt ex culpa lata, vel dolo debet &c. ibid.

Reſtitutionis onus malè conſulentis explicatur. ibid. P. 12. S. 2. n. 7. p. 91.

Reſtitutionis onus prouenit ex iuſtitia violata. ibid. S. 7. n. 4. p. 113.

Reſtitutionis obligatio, an oriatur ex læſione aliarum virtutum. ibid. D. 4. n. 2. 3. 4. 5. p. 208., & n. 6. p. 209.

Digitized by Google

Reſtitutionis obligatio, an ſit apud eum, qui in domo ſua conſcius recipit ludentes, & expendentes aliena. ibid. P. 16. D. 2. §. 44. n. 1. 2. 3. p. 277. & p. 278.
Reſtitutionis onus non eſt apud eum, qui ſciens non denuntiat furem. ibid. §. 47. n. 2. p. 283.
Reſtitutio 11. p. 315.
Reſtitutio facienda est per eadem bona, vel per æquiualens. ibid. R. 2. P. 1. n. 1. p. 316.
Reſtitutio rei fieri debet, ſecundum valorem maiorem currentem illo tempore, pro quo res conſeruata fuiſſet à Domino ſuo. ibid. n. 4. p. 317. vel ſecundum valorem temporis conſumptionis, ſi Dominus non fuiſſet conſeruaturus. ibid. n. 5. p. 317.
Reſtitutio famæ facienda est in eodem genere bonorum, & non in alio. ibid. n. 7. p. 318.
Reſtitutio in bonis fortunæ non est facienda pro bonis corporis, & vitæ, ſed pro damnis, quæ ex læſione ſequuntur. ibid. R. 2. P. 1. n. 22. p. 324.
Reſtitutio fieri debet, ei cui res ablata fuit, vel cui damnum illatum eſt. ibid. P. 3. n. 2. p. 330.
Reſtitutio fieri debet hæredi mortuo Domino, & ſi non ſit hæres, pauperibus. ibid. n. 5. p. 331.
Reſtitutio facienda Domino ſatis diſtanti fieri debet expenſis poſſeſſoris malæ fidei, ſecus verò à poſſeſſore bonæ fidei. ibid. n. 6.
Reſtitutio debet fieri iuſto poſſeſſori. ibid. n. 7. p. 331.
Reſtitutio rei ablatæ ab eo, qui non eſt capax dominij, fieri debet Domino, vel adminiſtratori eiuſdem rei. ibid. n. 8.
Reſtitutio fieri debet domino, quando poſſeſſor eſt rationabiliter ſuſpectus de iniuſta detentione. ibid. nu. 9.
Reſtitutio non debet fieri ei, qui dedit rem illicitè, & iniuſtè. ibid. n. 10. p. 332.
Reſtitutio debet fieri Deo, quando ignoratur Dominus rei. ibid. n. 11. p. 332.
Reſtitutio rei ablatæ religioſis regulariter loquendo eiſdem fieri debet. ibid. n. 17. p. 337. non ſic in quibuſdam caſibus. ibid. n. 18. p. 338.
Reſtitutio quomodo facienda ſit. ibid. P. 5. n. 1. p. 344.
Reſtitutio facienda eſt tali modo, vt damnum conuenienter reparetur. ibid. n. 2. p. 345.
Reſtitutio pro damno occulto occultè eſt facienda. ibid. n. 3. p. 345.
Reſtitutio poteſt differri, ſi non poteſt fieri ſine detectione occulti raptoris. ibid. n. 4. p. 345.
Reſtitutio rei ablatæ per rapinam, & violentiam facienda eſt cum petitione veniæ. ibid. n. 5. p. vtſup.
Reſtitutio ſtatim facienda. ibid. P. 6. n. 1. p. 350., & ly ſtatim quomodo ſumendum ſit. ibid. n. 2. p. 350.
Reſtitutio facienda eſt ſtatim, ac cognoſcitur inuoluntarietas domini, & hoc in foro interno, nam in externo, poteſt differri ad congruas circunſtantias. ibid. nu. 3. pag. 350.
Reſtitutio ex iniuſta acceptione non eximitur per periculum damni in bonis proprijs fortunæ. ibid. P. 6. n. 7. pag. 352.
Reſtitutio quonam ordine ſit facienda. ibid. P. 7. p. 354.
Reſtitutio ratione rei debitæ quonam ordine ſeruanda. ibid. P. 8. p. 358.
Reſtitutio prius facienda eſt pro debitis certis, quam pro incertis. ibid. n. 2. p. 359.
Reſtitutio quonam loco facienda. ibid. P. 9. p. 368.
Reſtitutio facienda ex delicto fieri debet in loco, in quo dominus fuiſſet eam habiturus, ſi non fuiſſet ablata. ibid. P. 9. n. 1. p. 368.
Reſtitutio ratione rei acceptæ fieri debet in loco, in quo eſt. ibid. n. 4. p. 369.
Reſtitutio ex contractu facienda in alia re ab accepta fieri debet in loco, in quo accepta eſt, & ad æſtimationem illius loci. ibid. n. 8. p. 370.
Reſtitutio in integrum, quid ſit. ibid. P. 10. n. 1. p. 371.
Reſtitutio in integrum poteſt eſſe, vel per officium Iudicis, vel per exceptionem. ibid. n. 2. p. 372.
Reſtitutio in integrum aduerſus præſcriptionem conceditur minoribus, & gaudentibus priuilegio minorum. ibid. n. 3. p. 372.
Reſtitutio vtſupra conceditur, vtſupra, etiamſi præſcriptio fuerit quadragenaria. ibid. n. 4. p. 372.
Reſtitutio vtſupra conceditur etiam maioribus, tamen cum aliqua conditione. ibid. n. 5.
Reſtitutio contra contractus iuitos cum læſione conceditur minoribus 25. annorum. ibid. n. 6. p. 371.
Reſtitutio de ijs aquiſitis per ludum alearum non debet fieri à Clericis ſæcularibus, nec à laicis. ibid. P. 10. D. 1. §. 8. n. 15. p. 399.
Reſtitutio poteſt iuſtè differri à milite ob bonum publicũ. ibid. D. 2. §. 2. n. 2. p. 425.
RES aliena, quid ſit. R. 1. P. 4. n. 1. p. 19.
Res dicit proprietatem, vſum, & poſſeſſionem. ibid. n. 4. pag. 20.
Res aliena, ſiue furtiua ſemper clamat pro domino. ibid. P. 12. S. 7. n. 9. p. 116.

S.

SATISFACTIO iuſtitiæ commutatiuè exigit tantum eſſe reſtituendum, quantum ablatum fuit. R. 2. P. 4. n. 1. p. 339.
Satisfactio iuſtitiæ vindicatiuæ exigit, quod aliquando plus debet reſtitui, quam ablatum ſit. ibid. n. 4. p. 339.
Semen ante animationem fœtus expelli poteſt à fœmina per vim oppreſſa, non autem fœtu animato. R. 1. P. 15. S. 6. n. 6. p. 181.
SERVVS quinam propriè ſit. R. 1. P. 11. n. 1. p. 71.
Seruus iure captiuitatis in bello poteſt fugere, ſecluſo vitæ periculo. ibid. n. 2. p. 71.
Seruus factus in bello, non conſentit liberè illi captiuitati. ibid. n. 2. p. 72.
Seruus factus in bello, adhuc exiſtens intra confinia ſuæ regionis non poteſt capere fugam, ſi habet vnde ſe redimat. ibid. n. 3., & n. 4. p. 72.
Seruus iure venditionis voluntariæ non poteſt fugere, & ſi fugeret, teneretur redire. ibid. n. 5. p. 72.
Seruus captus in bello, & ſeruus emptitius. ibid. n. 6. pag. 73.
Seruus natus ex matre captiua, poteſt fugere, non ſic ſeruus natus ex matre emptitia. ibid. n. 7. p. 74.
Seruus natus domi, quinam ſit. ibid. n. 27. p. 74.
Seruus in pluribus ſibi aquirit, non domino. ibid. n. 8. p. 75. vide igitur n. 9. vſque ad n. 10. p. 76.
Seruus ſponte fieri poteſt per venditionem. ibid. P. 15. S. 7. D. 1. n. 5. p. 205.
SOCIETAS non arguitur ex ſola cohabitatione fratrum. R. 1. P. 7. n. 3. p. 42.

Socie-

Societas non eſt, vbi bona fratrum ſunt diuiſa. ibid. n. 3.
Societas non intelligitur, vbi alter ex fratribus eſt inhabilis. ibid. n. 4. p. 42.
Societas non præſumitur inter perſonas inhabiles. ibid.
Societas non intelligitur, ſi alter ex fratribus fuerit Clericus. ibid. P. 7. n. 5. p. 43.
Societas non admittit inæqualitatem. ibid. n. 6. p. 44.
Societas omnium bonorum quando non habetur. ibid. n. 6. p. 44., & dato Statuto Mediolanenſi. ibid. n. 7. p. 44.
Societas omnium bonorum vt ſupra non eſt ex Statuto Mediolanenſi. ibid. n. 7. p. 45.
Societas in triplici genere accepta. ibid. n. 8. p. 46.
Societas præſumpta à Statuto Mediolanẽſi. ibid. n. 9. p. 46.
Societas tacita inter fratres quanam habeat requiſita. ibid. n. 10. p. 46.
Societas ſupponitur contracta inter Vxorem, & Maritum vi Matrimonij. ibid. P. 9. n. 15. p. 54.
Societas eſt ſolummodo ad mutua obſequia matrimonialia. ibid. n. 15. p. 54.
SPES maioris valoris, ſi ſit proxima, eſt pretio æſtimabilis. R. 1. P. 13. n. 16. p. 134.
STIPENDIATI pro opere non poſſunt aliquid ſupra conuentum recipere. R. 2. P. 10. D. 1. §. 3. n. 5. p. 380.
STIPVLATOR pro abſente non poteſt donationem validè remittere. R. 3. P. 13. D. 1. §. 23. n. 4. p. 497.
Stipulator donationis nomine alterius, qui inuicem promiſſori aliquod repromiſit, poteſt condonare donationem. ibid. §. 24. n. 4. p. 498.
SVFFRAGIVM datum ad actionem iniquam poſtquam aliorum numerus ſufficienter ſuffragatus eſt, non obligat ad reſtitutionem ſuffragantem. R. 1. P. 12. S. 3. n. 2. p. 97.
Suffragium dictum in ordine ad damnum impertinenter ſe habet. ibid.
Suffragium illud non confert ad executionem damni ibid.
Suffragium datum vt ſupra non obligat ad reſtitutionem, etiamſi fuerit cauſa, vt citius, & acrius damnum illud inferretur. ibid. n. 3. p. 97.
Suffragium datum vt ſupra obligaret &c. ſi eſſet cauſa maioris damni. ibid. n. 3. p. 97.
Suffragium datum vt ſupra inducit peccatum graue. ibid. n. 3. p. 98.
Suffragium datum vt ſupra obligat &c. ſi priorum ſuffragia non fuerint aperta. ibid. n. 4. p. 98.
Suffragium datum vt ſupra eximit à reſtitutione, ſi poſtea conſtiterit priorum ſuffragia fuiſſe ſufficientia. ibid. n. 5. p. 98.
Suffragium primi iniquum, etiamſi aliorum ſint ſequtura iniqua independenter ab illo non eximit primum à reſtitutione. ibid. n. 6. p. 99.
Suffragium vltimi potens reuocare vota priorum non reuocans obligat ſuffragantem poſtremum. ibid. nu. 7. pag. 99.
Suffragium non poteſt ferri in præiudicium digni, & fauorem indigni. ibid. §. 43. n. 3. p. 276.
SVPERIOR poteſt concedere religioſo ſubdito vſum mobilium. R. 1. P. 10. n. 5. p. 64.
Superioris voluntas quandonam præſumatur. ibid. n. 13. pag. 67.
Superior, qui denegat ſubdito neceſſaria ad victum, & veſtitum iuxta ſtatuta ordinis grauiter peccat. ibid. n. 18. p. 69.
Superioris voluntas ſupletur à iure. ibid. n. 18. p. 70.
Superior inuadens poteſt occidi. ibid. P. 15. S. 7. num. 8. pag. 190.
Superior inuadens conſideratur, vt perſona priuata, & malefica. ibid.
SVSPICARI temere, & voluntariè ex prauo affectu eſt peccare lethaliter. R. 5. P. 16. D. 3. n. 6. p. 292.
Suſpicari taliter in Iudice condemnante aliquem ex illa ſuſpicione, eſt lethaliter peccare. ibid. n. 9. p. 294.
Suſpicari temerè, & voluntariè eſt peccare contra iuſtitiam. ibid. §. 5. n. 3., & n. 5. p. 295.
SVSSVRRATIO per quid differat à detractione. R. 1. P. 14. S. 3. n. 16. p. 150.
Suſſurrationis qualitates. ibid. n. 16. p. 150.
Suſſurratio tendit contra amicitiam. ibid. n. 16. p. 150.
Suſſurratio eſt peccatum ſpecie diuerſum à detractione. ibid. n. 16. p. 150.
STATVTVM Mediolani non fingit ſocietatem, de qua loquitur inter fratres. R. 1. P. 7. n. 2. p. 41.
Statutum dictum præſumit ſocietatem dictam. ibid. n. 2. pag. 41.
Statutum Mediolanenſe interpretatur. ibid. n. 8. p. 45.
STVPRATOR ad quid teneatur, ſi virgo deflorata non remittit. R. 3. P. 13. D. 1. §. 20. n. 2., 3., 4., & 5. p. 493., & p. 494.

T.

TESTATOR mortuus, ſi reſurgeret, ſua bona, quæ per teſtamentum reliquerat, repeteret. R. 1. P. 15. S. 7. D. 2. n. 2. p. 205.
Teſtatoris ius intercedente morte non eſt abſolutè extinctum, ſed tantum conditionatè hoc eſt ſtante morte. ibid. n. 3. p. 206.
Teſtator poteſt relinquere filiofamilias aliquam hæreditatẽ cum conditione, quod fructus non deferantur ad illius patrem. P. 16. D. 2. §. 1. n. 1., 2., 3., 4. p. 220.
TESTAMENTARIA diſpoſitio eſt ſub tacita conditione. R. 1. P. 15. S. 7. D. 2. n. 2. p. 205.
TESTIS non obligatur ad reſtitutionem damni perſonæ læſæ, ſi ſe occultauerit antequam à Iudice citaretur. R. 1. P. 12. S. 7. n. 21. p. 121.
Teſtis citatus non comparens, non eſt iniuſtus, ſed inobediens. ibid. n. 21. p. 122.
Teſtis non tenetur ex iuſtitia teſtimonium ferre. ibid.
Teſtis onerum dubia. ibid.
Teſtis in iudicio non poteſt veritatem celare amphybologia. ibid. n. 22. p. 123.
Teſtis, ſi iurauerit in iudicio, ſe veritatem dicturum, probabilius tenetur ex iuſtitia eam fateri. ibid. nu. 23. pag. 124.
Teſtis, ſi ad defendendum reum falſum dixerit, ex quo ſequitur damnum innocentis, tenetur ad damna. ibid. n. 24. p. 124., niſi dixerit falſum ex inaduertentia. ibid.
Teſtis, qui ob falſum teſtimonium alterum iniecit in periculum mortis tenetur reuocare etiam cum periculo propriæ vitæ. ibid. n. 25. p. 124.
Teſtis vt ſupra debet reuocare, ſi reuocatio ſit profutura innocenti. ibid. n. 26. p. 125.
Teſtis, vt ſupra debet reuocare, ſi ſit in loco tuto. ibid. n. 27
TIRANNVS, quot modis quis fieri poſſit. R. 1. P. 15. S. 3. n. 1. p. 168.

Tiran-

Tirannus licitè poteſt occidi, ſi vſurpat imperium, ad quod nullum ius habet. ibid. ſ. 3. n. 1. p. 168.

Tirannus eo quod tirannicè adminiſtret, occidi non poteſt. ibid. n. 2. p. 168.

Tirannus dictus talis propter tirannicam adminiſtrationem, non deſinit eſſe Superior. ibid. n. 2. p. 168.

TRADITIO ſubſequitur ad præceptum non detentionis. R. 1. P. 2. n. 5. p. 7.

TVTOR quis ſit. R. 1. P. 8. n. 1. p. 47.

Tutor quotuplex ſit. ibid. n. 2. p. 47.

Tutoris munera. ibid. n. 3. p. 47.

Tutor non adminiſtrans fideliter, nec curans bonos mores in pupillo, peccat grauiter. ibid. n. 4. p. 47.

Tutor malè adminiſtrans habetur tamquam fur. ibid. n. 4. pag. 48.

Tutor vt ſupra peccat per commiſſionem, & ommiſſionem. ibid. n. 4. p. 48.

Tutor poteſt ſibi compenſare occultè, quæ pro pupillis perſoluit ſi iſti nolint. ibid. n. 5. p. 48.

Tutor non poteſt emere, res pupillorum ſibi commiſſorum ſub pœna quadrupli. ibid. n. 7. p. 49.

Tutor ratione officij, vel contractus, tenetur impedire damna. R. 1. P. 12. S. 7. n. 10. p. 117.

V.

VASSALLORVM bona ſubſunt iuriſdictioni Principum in ordine ad publicas neceſſitates. R. 1. P. 11. n. 10. p. 76.

Vaſſalli validè contrahere poſſunt cum Principe. ibid. n. 15. p. 81.

Vaſſalli cur poſſint feudum transferre in Monaſterium, non autem alienare. ibid. P. 16. D. 2. §. 29. n. 6. p. 254.

VECTIGALIVM impoſitio in radice iuſta, ex modo exigendi ſit non obligans R. 1. P. 11. n. 14. p. 78.

Vectigalium ius minor. ſlocatur, ac iuſe valeat. ibid.

Vectigalia contra fideles ab infidelibus impoſita poſſunt frandari. ibid. P. 16. D. 1. § 12. n. 4. p. 218.

VENATOR occidens hominem putans occidere feram, an teneatur ad damna. R. 1. P. 16. D. 1. §. 5. n. 1., & num. 2. p. 209.

Venator vt ſupra, ſi adhibuit omnem diligentiam non tenetur ibid. n. 3. p. 210.

Venator vt ſupra qualem diligentiam teneatur adhibere. ibid. n. 4. p. 210.

Venator vt ſupra, vt teneatur ad reſtitutionem, non requiritur defectus cum culpa lethali. ibid. n. 5. p. 210.

Venator putans certò occidere feram occidens inimicum, an teneatur ad damna. ibid. § 6. n. 1., & 2. p. 211.

Venator in tali caſu adhibita diligentia, qua alter eximeretur, eximitur, & ipſe. ibid. n. 3.

VENDENS arma properanti ad bellum iniuſtum, & venenum meditanti alterius mortem peccat, & tenetur. R. 1. P. 12. S. 6. n. 13. p. 111.

Vendens arma &c. non tenetur, ſi neſciat &c. ibid. n. 14.

Vendens carius intra limites iuſti ob dilatam ſolutionem, non peccat. ibid. P. 13. §. 1. n. 3. p. 130.

Vendens ſupra iuſtum peccat. ibid. n. 3. p. 130.

Vendens carius ob ſolum motiuum gratiæ emptoris peccat. ibid. n. 4. p. 130.

Vendens pretio currenti ſciens poſt modicum minoris valiturum, non peccat. ibid. n. 5. p. 130.

Vendens cum pacto retrouenditionis in fauorem emptoris pro maiori non peccat. ibid. n. 8. p. 131.

Vendens rem latenter vitioſam, quando non eſt minus vilis pro emptore non peccat. ibid. n. 11. p. 131.

Vendens rem citrà dimidium iuſti pretij poteſt exceſſum de iure ciuili retinere, non ſic de canonico, & conſcientia. R. 3. P. 7. n. 3. p. 455.

VICTVS in ludo, qui non ſoluit tenetur in conſcientia ſoluere. R. 2. P. 10. D. 1. §. n. 19. p. 401.

VIS inducitur ſufficienter per metum cadentem in conſtantem virum. R. 2. P. 5. n. 17. p. 348.

Vis inducitur etiam per preces principis in ſubdito. ibid. n. 18. p. 348.

Vis quomodo valide poſſit inducere vim. ibid. num. 19. pag. 349.

VITA eſt fundamentum cuiuſcumque iuris, & ordinis. R. 1. P. 15. S. 2. n. 3. p. 165.

Vita ſubditorum non eſt ſub dominio Reipublicæ. ibid. n. 6. pag. 167.

Vita ſpiritualis propria eſt præferenda alienæ. ibid. S. 6. n. 9. p. 183.

VIRILIVM absciſſio ad ſeruandam vocis ſuauitatem non eſt licita. R. 1. P. 15. S. 1. n 4. p. 161.

VOTVM paupertatis non excludit vſum reuocabilem ad nutum ſuperioris. R. 1. P. 10. n. 1. p. 61.

Votum religioſi intelligitur ad normam regulæ. ibid. n. 1. pag. 62.

Votum paupertatis religioſum obligat grauiter ne expendantur, ſine licentia ſuperioris ſupra tres libras imperiales. ibid. n. 15. p. 67.

VSVRARIVS, qui multas diuitias per multiplicatas vſuras cumulauit, cui debeat facere reſtitutionem. R. 2. P. 10. D. 1. §. 14. n. 2. p. 421.

Vſurarius, tenetur reſtituere vſuras in loco, in quo dominus fuiſſet habiturus, ſi illas non perſoluiſſet. ibid. D. 2. n. 2. p. 425.

VSVRPATIO, quid ſit. R. 1. P. 4. n. 1. p. 18.

VTENS re alterius in extremo periculo, ſi res ex illo vſu pereat tenetur ad reſtitutionem. R. 3. P. 13. D. 1. §. 2. num. 4. p. 474.

Vtens equo in dicto caſu teneretur ad reſtitutionem ſecundum æſtimationem equi, qui perijt. ibid.

Vtens in ſuppoſitione contrariæ ſententiæ eximentis à reſtitutione, non eximeretur ab onere contribuendi pro vſu illius equi, ſi vſus fuerit diuturnus. ibid. num. 5. pag. 475.

VXOR accipiendo à marito notabilem quantitatem grauiter peccat. R. 1. P. 4. n. 17. p. 27.

Vxor peccat vſurpando bona quæcumque ſint mariti. ibid. P. 9. n. 3. p. 51. exceptis nonnullis caſibus. ibid.

Vxor non peccat accipiendo quid modicum mariti pro eleemoſina facienda. ibid. n. 4. p. 51.

Vxor vt ſupra non peccat, etiamſi habeat prohibitionem à Marito, ne faciat eleemoſinam, dummodo non præuideat diſcordiam cum Marito. ibid. n. 4. p. 52.

Vxor poteſt ex aliquo bonorum mariti ſubuenire grauiter indigenti. ibid. n. 5. p. 52.

Vxor poteſt ex bonis Mariti impendere in rebus neceſſarijs ad victum, & veſtitum pro familia. ibid. num. 6. pag. 52.

Vxor poteſt ex bonis Mariti impendere pro ſuis ornamentis honeſtis, & pro honeſta ſui recreatione. ibid. n. 7. p. 52.

Vxor

Digitized by Google

Vxor poteſt vt ſupra ad euitandum malum temporale, ſiue ſpirituale Mariti. ibid. n. 8. p.52.
Vxor habet ius in ea, quæ ex ſuo labore aquirit. ibid.n.9. pag. 52.
Vxor poteſt ſuperius dicta, ſi Maritus incidat in amentiam, vel adeat regiones longinquas nullo relicto moderatore ſuorum. ibid. n.10. p.53.
Vxor poteſt ex bonis datis à Marito pro familia, ſi aliquid ſuperfuit impendere. ibid. n.11. p.53.
Vxor poteſt impendere, quæ aquiſiuit ex labore extraordinario. ibid. n.12. p.53.
Vxor poteſt repetere dotem, & illam transferre ad manus Mercatoris, vt aliquod lucrum habeatur, ſi maritus vergat in decoctionem. ibid. n.13. p.53.
Vxor poteſt ſuccurrere patri, & matri ſuæ pauperibus. ibid. n. 14. p.53.
Vxor poteſt &c. etiam filijs primi matrimonij pauperibus. ibid. n. 14. p.53.
Vxor poteſt de rebus illicitè aquiſitis diſponere. ibid. n.16. p.54.
Vxor non tenetur conferre marito, quæ aquiſiuit ex adulterio. ibid. n. 18. p.55.
Vxor quandoque tenetur ad periculum dotis. ibid. n. 25. pag. 57.
Vxor poteſt reuocare adminiſtrationem à marito, & diſponere de illis, quæ vltra dotem contulit. ibid. P. 16. D. 2. §. 20. n. 3., & 4. p.242.
Vxor tenetur reſtituere pecuniam, quam recepit pro debito reddendo, quod nolebat reddere. ibid. R. 2. P. 10. D. 1. §. 3. n. 7. p.380.
Vxor inſcio, & inuito marito non poteſt bona mariti, nec dotalia ludo exponere, & victor tenetur ea reſtituere. ibid. R. 2. P. 10. D. 1. §. 10. n. 2. p.409.
Vxor in aliquibus caſibus poteſt aliqua bona mariti ludo exponere. ibid. n. 3. p.409.
Vxor poteſt ludo exponere bona propria patrimonialia, & paraphernalia. ibid. n. 4. p.409.
Vxor in quibuſdam regionibus de iure municipali non poteſt dicta bona ludo exponere. ibid. n. 5. p.410.
Vxor, quæ ex adulterio prolem concepit, non tenetur ſe prodere. R. 3. P. 5. n. 15. p.449.
Vxor habens filium ex adulterio, quid teneatur præſtare. ibid. P. 13. D. 1. §. 12. n. 5., & n. 7. p.488.

FINIS.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google